Est 167
n. 48

R 57
5/5


C. 5.
C. 1.

Est 167

Nº 48

# BENEDICTI ARIAE MONTANI HISPALENSIS

# COMMENTARIA IN ISAIÆ PROPHETÆ SERMONES.




Corregido por el indice
año de 1612. en 23. de
de 1613.
Jº de vargas

Expurgado segun
exp.º del año

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA.
Apud Ioannem Moretum.
M. D. XCIX.

# AD SANCTISSIMAM ECCLESIAM ROMANAM, EIVSDEMQ. PONTIFICEM SVMMVM, ET LEGITIMOS OMNES MINISTROS,

## *BENEDICTI ARIÆ MONTANI*

### PRÆFATIO.

COmmentaria *in Iſaiam, quæ iam pridem Antuerpiæ inchoata ad trigeſimum ferè caput promoueram, propter aßiduas peregrinationes & otij inopiam, pluribus intermiſſa annis, ac diuini beneficij ope incudi rurſus reddita, ſubducto ad eam rem ex aliis curis tempore, demùm exegimus. Ea, ſi non pro argumenti dignitate ac pondere abſoluta, nihilominus, vti ſpero, tibi Mater ſanctiſsima, Pontifici, præſulibus, miniſtriſq; ceteris tuis primoribus grata futura, ex eo maximè, quòd ij apud te ordines, vti præcipui ac ſublimes animiq; magni, ita ab inuidentia prorſus alieni, vbi cuiuſpiam ex filiis tuis fidelem, ſimplicem, ſanamq; experti fuerint mentem: cetera officia, quamquam exigua vel mediocria, boni conſulere, fouere, atq; à calumnia ac detractione vindicare conſueuerint, exceptionibus iis veniam indulgendo, quas humanitas ipſa & Chri-*

*ſtiana cumprimis caritas quantum efficere licuit, conatis indulgenter & ingenuè condonare ſolet. Cuius notæ fuerint, ingenij modus, qui non omnibus æqualis contingit, ſolitudo, temporis inopia oportuni, ac ſeneſcentis æui imbecillior vis & habitudo. Quibus exceptionibus cùm ipſe vnus multorum non immunis viuam, integras tamen erga te, ſancta Eccleſia, filioſq́; tuos omnes fidem, voluntatem, & ſedulitatem, quæ mihi antiquæ ſemper fuere, ſeruo, & ad ſupremum mortalis huius vitæ ſpiritum profiteor. Atque hoc certus addictusq́; propoſito, mei vota animi, perpetuam pacem, tranquillitatem, felicitatemq́; ex Deo poſcentis, tibi denuo defero ac deſtino. Hiſpali, Nonis Octobris.* CIↃ. IↃ. XCIV.

## Lectori Scriptor.

Si Chriſtum ignoras, cruciabere noſtra legendo:
Noueris hunc, legito: iam tibi cuncta patent.
Heîc ſibi nil pugnat: neque enim ſibi pugnat IESVS,
Sed lucem miſeræ non capiunt tenebræ.

# BENED. ARIÆ MONTANI HISPALENSIS IN LIBRVM SERMONVM ISAIÆ COMMENTARIA.

## *Præfatio de Sapientia & Scientia.*

RERVM omnium, quæ in vita expetendæ
atq; optabile, putantur, præſtantiſſimam
optabiliſſimamque ſapientiam eſſe, diui-
norum librorum oraculis docemur: quòd
nihil in vniuerſa rerum natura dignius,
nihil antiquius, atque ad æternam felici-
tatem conſequendam & obtinendam nihil ſapientia com-
modius hominibus eſſe credatur. Atque adeò hæc ſenten-
tia, omnibus ſanctis, piis, ſapientibuſque viris celeberrima,
ab ipſa eadem Sapientia dictata, excepta, confirmataque
celebratur: ſicuti ſcriptum eſt; Nunc ergo filij audite me, Prou. 7.
beati qui cuſtodiũt vias meas. Audite diſciplinam, & eſto- «
te ſapientes, & nolite abiicere eam. Beatus homo qui audit «
me, & qui vigilat ad fores meas cottidie, & obſeruat ad po- «
ſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet «
ſalutem à Domino. Neque verò ex vi ſolùm & efficientia «
ipſa, ſed ex origine etiam, loco naturaque ſua, ſapientiæ
magnitudo, pulchritudo, atque dignitas commendatur.
Ceteræ namque res quæ vulgò vt magnæ multo ſtudio ac
labore petuntur, induſtria, arte & contentione adhibita,
comparari tandem atque obtineri vel à vilibus, imperitis,
ignobilibuſque ingeniis poſſunt; vtpote quæ non altiùs
quàm in terra, aut circa terram in mari gignantur, & fiant,
mortaliumque hominum artificio & opera in lucem pro-
ferri & comparari ſoleant, cuiuſmodi ſunt opes, potentiæ,

voluptates corporis, & quæ iſtarum rerum cauſſa appetuntur, diuitiæ. At verò ſapientiæ natura adeò excellens, adeoque præſtans, adeò à communi & vulgari facultate ſemota eſt, vt à nemine hominum in terris vllo humano ingenio, ſtudio, aut labore reperiri, neque vllo aliarum rerum pretio impenſo atq; ſoluto emi poſſit, vt quæ cæleſtis planè longeque à terris ſepoſita ſit, atque vt ſublimiorem originem locumque ſortita, omnem inferiorum rerum comparationem longiſſimè vincat, omne etiam humanarum opum & diuitiarum pretium contemnat. Quam quidem ſapientiæ incomparabilem rationem antiquiſſimi illi Philoſophi, & prudentiſſimi naturæ rerum æſtimatores egregiè comprehenſam oſtendebant, ſicuti ſcriptum eſt: Habet

*Iob 28.*

» argentum venarum ſuarum principia: & auro locus eſt in
» quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, & lapis ſolutus ca-
» lore in æs vertitur. Tempus poſuit tenebris, & vniuerſo-
» rum finem ipſe conſiderat, lapidem quoque caliginis, &
» vmbram mortis. Diuidit torrens à populo peregrinante
» eos quos oblitus eſt pes egentis hominis & inuios. Terra
» de qua oriebatur panis in loco ſuo, igni ſubuerſa eſt. Locus
» Sapphiri lapides eius, & glebę illius aurum. Semitam igno-
» rauit auis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Non calca-
» uerunt eam filij inſtitorum, nec tranſiuit per eam leæna.
» Ad ſilicem extendit manum ſuam, ſubuertit à radicibus
» montes. In petris riuos excidit, & omne pretioſum vidit
» oculus eius. Profunda quoque fluuiorum ſcrutatus eſt, &
» abſcondita in lucem produxit. Sapientia verò vbi inueni-
» tur? & quis eſt locus intelligentiæ? Neſcit homo pretium
» eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abyſſus
» dicit, non eſt in me: & mare loquitur, non eſt mecum. Non
» dabitur aurum obrizum pro ea, neque apprehendetur ar-
» gentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis In-
» diæ coloribus, nec lapidi Sardonico pretioſiſſimo, vel Sap-
phiro,

phiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vaſa auri. Excelſa & eminentia non memorabuntur comparatione eius: trahitur autem ſapientia de occultis. Non adęquabitur ei Topaſius de Æthiopia, nec tincturæ mundiſſimæ componetur. Vnde ergo ſapientia venit? & quis eſt locus intelligentiæ? Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet. Perditio & mors dixerunt, auribus noſtris audiuimus famam eius. Deus intellexit viam eius, & ipſe nouit locum illius, &c. Omnia autem huius longę ſententiæ argumenta eò pertinent, vt quanquam ceterarum facultas rerum hominibus labore, induſtria, & diligentia comparari conſtareque poſſe videatur, tamen ſapientiæ vſus nullis humanis operis, aut diuitiarum pretio haberi poſſe oſtendatur. Etenim res omnes quæ certæ, perpetuæ, ſtatæque ſunt, incertarum, corruptibilium, & fluxarum rerũ permutationem contemnentes, non admittunt; quandoquidem comparandarum rerum pretium, rebus ipſis, naturę æſtimatione, aut par, aut maius eſſe oportuerit. Nam ſi corporis immortalitas, quæ & poſſideri olim & conſeruari potuit, vbi ſemel diuino iudicio ex hominum vſibus ſublata eſt, atque vt omnes homines ſemel moriantur ſtatutum fuit, nullo iam humano pretio, nullo officio aut ſtudio redimi poteſt; ſicuti ſcriptum eſt: Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ, &c. quonam pacto maiora, & diuiniora munera, cuiuſmodi ſunt æterna ſalus hominum, deificatio, &c. quæ prorſus diuina ſunt (quo in genere ſapientia quoque cenſetur) vllis corruptibilium, & fluxarum rerum permutationibus emi compararique poſſunt? Videmus autem & ſcimus cõplures & fuiſſe, & eſſe, quibus aliarum quæ maximæ vulgò putantur, rerum, vt diuitiarum, opum, potentiæ, regnorum & imperiorum poſſeſſio atque vſus contigerit;

Pſal. 48.

gerit; nullos verò, quibus vel proprio ſtudio, opera & labore, vel ceterarum quas poſſiderent, rerum impenſis, maximum hoc ſapientiæ munus fuerit redemptum. Etenim hęc pars, vt diuina planè atque cæleſtis, & ſupra omnem mundi locum ſepoſita, ab vno tantùm Deo donari poteſt, ſic ex eodem, ſupplicibus & aſſiduis precibus, ac verò animorum
Iacobi 1. ſtudio, contentiſque votis petenda eſt. Si quis veſtrum in-
» diget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter
» & non improperat, & dabitur ei. Poſtulet autem in fide ni-
» hil hæſitans, &c. Quamobrem prudentiſſimus ille Salomon, poſt obtentum & confirmatum patrium regnū, hanc vnam facultatem ſibi maximè ad omnia, tum priuata, tum publica vitæ munia vtilem atque oportunam, ceteris omnibus neglectis rebus, à Deo optionem dante, poſtulādam duxit; poſtulatamque, non ſine diuinis prudentiſſimi iudi-
3.Reg.3. cij & conſilij laudibus obtinuit. Quia poſtulaſti verbum
» hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas
» inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſ-
» cernendum iudiciū: ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos,
» & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum vt nullus
» ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.

Triplex autem ſapientiæ ſignificatio in ſacris obſeruatur libris, triplexque ratio huic verbo ad definiendum ſubiicitur. Vnum genus earum rerum eſt, quę humani ingenij vi, ſtudio, cogitatione, ac agitatione percipi, obtinerique poſſunt, quibus huius ſeculi homines ſuas res agere, quærere, conſequi, atque retinere ſolent. Homines autem huius ſeculi dicimus eos, qui veteris illius Adami tantùm imaginem ſimilitudinemque tuentur. Atque de huiuſmodi ſa-
» pientia illud à Ieſu Chriſto dictum eſt: Et iuſtificata eſt ſa-
Iacobi 3. pientia à filiis ſuis. & illud item, Filij huius ſeculi pruden-
» tiores in generatione ſua ſunt, quàm filij lucis. Hæc verò ſapientia vtpote terrena, animalis & diabolica, fraudibus, dolis,

dolis, & deceptionibus, inſolentia, audacia, ceteriſque prauitatis artibus conſtans; nō ea eſt quam quærimus, quamque ſacræ literæ tantopere laudant, mortalibuſque expetendam ac poſtulandam commendant.

Secundum verò genus in earum rationum atque rerum cognitione & contemplatione conſiſtit, quæ altiſſimæ, occultiſſimæ, ac penitùs diuinæ ſunt, quæq; nihil humanum, mortale, atque inconſtans admixtum habent, cuius facultatis ratio non ſolùm in illarum cognitione rerum, ſed in ipſorum quibus contigit animorum perfectione & ſanctificatione verſatur. Atque hæc quidem ſapientiæ exercitatio eas rerum definitiones ſpectat, quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcēdiſſe arbitramur. Nam cùm hæc diuinū Spiritum auctorem doctoremque Rom.7.
ſolum ſortita ſit, iiſque ſolùm cōtingat qui ſpiritu Dei acti, filij Dei nominantur, & exiſtunt; nullam præterea humanam operam, diligentiam, nullam mortalis ingenij dexteritatem cui cedere debeat, agnoſcit; vt quæ veteris hominis imperfectione ac tenuitate ſpreta atque reiecta, ſolùm nouas creaturas informet, nouoſq; inſtruat homines, qui ſecundùm Deum creati ſunt in iuſtitia, ſanctitate, ac veritate, atque ideo hæc illa ſapientia eſt quam cum perfectis tantùm communicari poſſe D. Paulus confirmat. Sapien- 1.Cor.2.
"tiam loquimur inter perfectos, ſapientiam verò non huius
"ſeculi, neque principum huius ſeculi, qui deſtruuntur, ſed
"loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt,
"quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram,
"quam nemo principum huius ſeculi cognouit. Cuius quidem diuini & incomparabilis Dei doni, quod vel minima etiam pars à nobis adhuc deſideretur, doceri ratio, atque indicari hoc loco non poteſt: optari autem, deſiderari, atq; aſſiduis precibus, omnique ſtudio & contentione peti ab hominibus poteſt, & debet: vt poſſint comprehendere cum

Epheſ. 3. omnibus ſanctis quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas,
,, & profundum, ſcire etiã ſupereminentẽ ſcientiæ charitatẽ Chriſti, vt impleantur in omnẽ plenitudinem Dei, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus ſecũdum virtutẽ quæ operatur in ſanctis.

Porrò autem tertium ſapientiæ genus eſt, in quo diuinarum atque humanarum rerum continetur ratio, earum videlicet quæ hominibus, antè etiam quàm ad illum perfectionis gradum peruenire datum ſit, cognoſci, & comprehendi poſſunt ac debent, ſine cuius facultate, vſu, & exercitatione illa altera, cuius modò mentionem fecimus, obtineri non poteſt. Namque huius generis legitima, & bene conſolidata ratio, viam in hominum animis ſternit ac munit, quam Deus alteram illam prorſus diuinam ſapientiam communicaturus ingrediatur. Fieri enim nequit vt homo quiſpiam dummodo rationis, & humani ingenij viribus & vſu valeat, qui huius ſapientiæ expers omnino fuerit, alterius compos fiat, ſicuti ſcriptum eſt: Si quis autem ignorat, ignorabitur. & apud Pſaltem: Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. Atque adeò hæc illa ſapientia eſt, quam ſacra diuinaque ſcripta miris atque perpetuis oraculis commendant, atque hominibus exoptandam, expetendam, quærendam, & poſtulandam proponunt. Huius verò argumentum multiplex propterea eſt, quod omnium diuinarum rerum quæ à mortalibus cognoſci poſſunt rationem, omnemq́ue humanæ vitæ, ad æternæ felicitatis tandem percipiendos fructus, inſtitutionem continet. Quamobrem huius ſapientiæ exacta ratio, exercitatio, & legitimus vſus ab iis longiſſimè diſtat, qui impietate, ſcelere, ac turpitudine laborant, quod genus hominum interdum inſipientes, nunc viles, frequenter ſtultos ſermo diuinus appellat. De quibus huiuſmodi quamplurimæ paſſim leguntur ſententiæ: In maleuolam animam

Corinth. 14.
Pſal 91.

mam nunquam introibit ſapientia, neque habitabit in cor- Sap. 1.
pore ſubdito peccatis, Spiritus enim ſanctus diſciplinæ ef- "
fugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine "
intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate. Pios "
igitur animos ſinceras atque probatas mentes eorum eſſe
oportet, qui huius maximæ virtutis muneribus imbui, ac
perfungi cupiunt, ſicuti ſcriptum eſt: Initium ſapientiæ ti- Pſal. 11.
mor Domini, intellectus bonus omnibus faciẽtibus eum.

Quanquam verò hanc ſapientiæ facultatem hominibus, nondum etiam ad illum, quem antea indicauimus perfectionis gradum perductis, contingere poſſe non abnuamus; illud tamen fieri minimè poteſt, vt mortales homines humana tantùm virtute & diligentia, ſine Dei tum auxilio, tum ductu & dono, eam ſibi partem aſſequi præſtareque poſſint. Nam cùm plurimas de Deo diuiniſque rebus, de humanæ naturæ conſtitutione, & inſtitutione, etiam rationes hæc ſapientia contineat, cumque animalis homo non ſolùm ad rerum diuinarum lucem, ſed ad mundi etiam, & naturæ occultiores cauſſas, & rationes percipiendas infirmiore facultate, & caligantibus noctuarum oculis ſit, ipſa rerum & argumentorum ſapientiæ huius magnitudo & ſublimitas imbecillam hominis mentem diuina luce, auxilio, & excitatione, indicatione, & doctrina ad ſui perceptionem egere, manifeſtè arguit, atque ita ſcriptum eſt: Quia Dominus dat ſapientiam, & Prou. 12.
ex ore eius prudentia & ſcientia. & iterum: Apud ipſum Prou. 2.
eſt ſapientia & fortitudo: ipſe habet conſilium & intelli- "
gentiam. Huiuſmodi oraculorum ſententiis non tantùm ſapiendi facultatem, ſed argumenta quoque & materiam à Deo ſuppeditari docemur. Quæ verò ad hanc facultatem comparandam præſtari ab homine poſſunt & debent, ea ſunt, voluntas, ſimplicitas, optio, deſiderium, fides, petitio, conatus, ſtudium, atque meditationis aſſiduitas:

quod his virtutibus & partibus iam inde à principio humanæ naturæ à Deo datis, & pòſt etiam diuinæ gratię promiſſione confirmatis valere, atque vti humanus animus poſſit, quibus non ille, propter illam originalis iuſtitiæ iacturam caruit; ſed vnà cum intellectu, & liberi arbitrij muneribus ac facultate potiri & fungi permiſſus eſt, ſicuti
Gen. 2. ſcriptum eſt: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. De cuius oraculi arcanis grauiſſimiſque ſententiis magna nobis Deo annuente eſt aliàs ſuſcipienda diſputatio. Igitur ad obtinendum ſapientiæ huius, de qua agimus, donum, præter aſſiduam & vehementem poſtulationem, affectus, conatus, labor & ſtudium præſtari ab hominibus debent,
Prou. 2. ſicuti ſcriptum eſt: Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & „ ſicut theſauros effoderis illam; tunc intelliges timorem „ Domini, & ſcientiam Dei inuenies. Quia Dominus dat „ ſapientiam, & ex ore eius prudentia & ſcientia. Cuſtodiet „ rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter, ſer- „ uans ſemitas iuſtitiæ, & vias ſanctorum cuſtodiens. Tunc „ intelliges iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, & omnem „ ſemitam bonam. Hanc verò ſapientiæ facultatem cum morum & vitæ probitate atque virtute coniunctam eſſe oportere, & iis, quas modò indicauimus, & aliis quamplurimis ſententiis docemur. Vt ambules (inquit ipſa) in via bona, & calles iuſtorum cuſtodias.

Eſt autem præterea quædam alia pars & facultas, quæ tametſi dum perfecta & abſoluta eſt, in ſapientiæ finibus contineatur, tamen ab iis qui nondum fuerint ſapientiam conſecuti, comparari quodammodo poſſit, & capi: cuiuſmodi ratio & pars in ſacris ſermonibus ſcientia appellatur. Dicimus autem ſcientiam verborum & rerum peritiam atque interpretationem, cui ſi prudentiæ, virtutis, ac pietatis acceſſerit vſus, in ſapientiæ definitionibus locus eſt; ſin verò hæc deſint, nudum tantùm atque ieiu-

ieiunum ſcientiæ nomen manet. Ex quo fit vt ſcientiæ nomen interdum ſeparatum, nonnunquam verò cum ſapientia coniunctum commemoretur: atque inde adeò euenit, vt hæc pars perfecta, atque ſapientiæ coniuncta, non niſi in bonis ac piis hominum mentibus inueniatur; vt verò imperfecta & ſeparata eſt in improbis, aut ſaltem in non bonis, atque Deo probatis hominibus reperiri aliquando poſſit. Id quòd diuus Paulus manifeſtè indicauit: Si habuero, inquit, prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. 1 Cor. 13.

Aliud porrò illius facultatis genus eſt, quam ſcientiam Dei ſacra appellant ſcripta, cuius, quod longè ab ea de qua nunc agimus, ratione ſepoſitam eſſe intellexerimus, definire, indicare, ac perſequi conſilium nunc non eſt, ſed in aliud tempus opportunè à Deo conceſſum, tractandam differimus.

Cùm verò plurima & maxima cùm ſcientiæ, tum ſapientiæ argumenta quæcunque videlicet à mortalibus agnoſci poſſunt, in omnibus ſacrorum ſcriptorum voluminibus latè & variè diſperſa pateant, vnus Ieſaiæ vatis liber eſt; in quo omnia ferè quæ per alios diffuſa inueniuntur, veluti in vnum commune theatrum redacta viſuntur. Nullum enim eorum quorum monimenta extant vatum, nullum aliorum diuinorum ſcriptorum opus eſt, cuius præcipua argumenta & rationes in huius auctoris voluminibus, vel non indicentur, vel exactiſſimè etiam non tractentur. Nam ſi ſcientiæ, & rerũ verborumq́ue cognitionem ſpectemus, de mundi rerumq́ue ſatu & ortu, partibus, muneribus, cauſſis, effectibus, & euentibus, de cæleſtibus ſpiritibus, de hominum genere, antiquoq́ue ac præſenti ſtatu, deq́ue horum omnium parente, rectore, & Principe Deo, atque de diuinæ prouidentiæ ratio-

nibus, plurima & clariſſima apud hunc vatem inueniemus argumenta. Si de religionis ac pietatis rebus, de laude & commendatione virtutum, de vitiorum & ſcelerum vituperatione, de officiorum, ac totius vitæ præceptis & inſtitutis agatur, immenſam ferè horum omnium generum materiem & copiam Ieſaiæ ſcripta legentibus ſuppeditant. His accedit quod ex poſterioribus vatibus nemo antiquorum vel plura, vel frequentiora, vel clariora monumenta, neque ea de Iſraëliticis tantùm, ſed de pluribus etiam tum vicinarum & finitimarum, tum longinquarum gentium rebus, ad poſteritatis memoriam notauit. Illud præterea vehementer huius auctoris lectionem commendat, quòd, cùm Prophetæ omnes, per quos antè & poſt hunc diuina oracula edita fuerunt, maximum illud & arcanum admirandumq́ue humanæ ſalutis conſilium indicauerint, vnus Ieſaias plurimis, copioſiſſimis, grauiſſimis, atque illuſtriſſimis argumentis, præter ceteros eſt proſecutus. Nam ceterorum omnium libris diligenter euolutis, & perlectis, quanquam multa, quæ hanc rem ſpectare videantur, tamen latenter indicata, longiuſq́ue repetenda indicia reperiamus; tamen aperta atque expreſſa teſtimonia & monumenta, & quæ nullam aliam præterea quàm de humana ſalute interpretationem admittant, certo apud ſingulos numero inuenimus, vt apud Moſem quatuor ab ipſo legiſlatore edita, vnum etiam ex Balaami vaticiniis eodem Moſe referente, adiunctum, apud Ieremiam ſex, apud Ezechielem decem, apud Hoſſeam duo, vnum apud Ioëlem, vnum quoque in Amoſi libello, & Abdiæ omne oraculum hoc vno argumento abſoluitur. Micheas verò bis hanc rem tractat. Habacuc autem ſemel, itemq́ue Sephanias & Haggæus, Zacharias porrò quater, Malachias ſemel hoc myſterium tractauit. Verùm enimuero ſingulorum, quos commemorauimus

de

de hac tanta re argumenta & teſtimonia, cùm claritate & perſpicuitate, tum numero ipſo Ieſaias longè ſuperat, vtpote qui quindecies ex profeſſo de tanto arcano copioſiſſimè perorauerit; ita vt ad eam rationem & cauſſam præcipuè inſtructus & informatus fuiſſe, atque inde fortaſſis, diuino ſpiritu illius parentes monente, nomen obtinuiſſe exiſtimari poſſit. Namque nomen *Ieſaghiah* Hebraicum ſalutem Dei, & quintum decimum ſignificat hoc modo, יֶשַׁע, ſaluare, ſiue ſeruare, certum atque conſtans decretumque interpretari ad verbum cognoſcent, qui verbi Hebraicam originem, ſimulque noſtram de futuri temporis vi adnotationem edocti ſunt, de qua nos ſæpè in aliorum vatum commentariis diſſeruimus. Illis verò duabus finalibus literis יָה vnum ex diuinis nominibus, ac ſimul quindenarius numerus religiosè indicatur, atque ita nomen יְשַׁעְיָה ex eo factum videtur, quod huic vati de diuina hominum ſalute decimumquintum apertè fuerat perorandum. Porrò autem in deſcribendo redemptionis & ſalutis conſilio, negotio, exitu atque euentu, in depingendo, adnotando, atque indicando ſalutis miniſtro ac Pontifice *Chriſto Ieſu* egregiam profectò & illuſtrem præter ceteros operam Ieſaias nauauit, ita vt ille vnus præcipuo quodam Iure Euangelicus Propheta à nonnullis auctoribus appelletur, quod hîc omnium maximè & diligentiſſimè euangelicam rationem fuerit perſecutus, vel quòd Euangeliſtarum hiſtoria & ratio omnis, huius vatis argumenta & orationes exponant. Tantorum autem argumentorum magnitudo, & dignitas, adeò ſublimi & grauiſſimo orationis genere tractatur, vt hac etiam parte admirationem omnibus legentibus efficiat, ſiue id ex ipſarum magnitudine rerum, quæ non niſi ſublimibus verbis efferri poſſunt, ſiue ex præſtantiſſimo vatis ipſius ingenio & ſtudio, ſiue ex diuini ſpiritus inſtinctu acciderit, vtcunque ſit, ma-

gnum

יְשַׁעְיָה

gnum tamen admirandumq́ue eſt. Quibus quidem ex rebus omnibus euenit, vt hic liber quanquam frequentiſſimis in eccleſia lectionibus, multis omnium ferè piorum hominum ſtudiis & exercitationibus celebretur, plurium quoque expoſitorum vigiliis & lucubrationibus illuſtretur, tamen explicatu difficillimus habeatur, & ſit. Cuius & difficultatem illud auget, quòd ſæpenumero vates hic dum diuinis dictatis & oſtenſis intentus, vel de ſuorum temporum rebus, vel de futuris euentibus, vel de humana ſalute vaticinatur, illius, quam indicauimus prorſus diuinæ ſapientiæ ſcintillas quaſdam lucentes à Deo informatus intuetur; quibus à ſe breuiter & myſticè decantatis, imperfectorum & animalium adhuc hominum ſenſus mentemq́ue perſtringit; quibus quòd ea ratio capi non poſſit, vatis inſania, aut mentis commotio aliqua & inconſtantia exiſtimatur. Cùm tamen vitium non in rebus ipſis, neque in dicentis mente, conſilio, aut oratione, ſed in ipſa legentium & attendentium imbecillitate ſit; ſicuti ſcriptum eſt, animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur: huiuſmodi plurima nos etiam fugiant neceſſe eſt, qui nondum eò ſapientiæ peruenerimus, quò à Deo noſtro vocamur, contendereq́ue oporteat, ſed tamen multa ex iis quæ ad alterum ſapientiæ pertinent genus, nos etiam his Commentariis indicabimus, quæ à nullo Hebraicorum, Græcorum, & Latinorum interpretum ab hinc mille annis explicata legimus, non vt quicquam ex ea re, vel gloriæ & laudis vel doctiſſimis aut pientiſſimis, & nobis perpetuò ſuſpiciendis viris, per quos etiam multum nos profeciſſe fatemur, detrahamus; neque vt noſtro ingenio, ſtudio, aut labori, ac diligentiæ quicquam arrogemus (abſit ab exiguo homine, modeſtiſſimiq́ue Chriſti Ieſu diſciplinam profeſſo,

omnis

omnis arrogantiæ vel culpa, vel ſuſpicio) ſed vt communi omnium & ſapientiſſimo Doctori Deo accepta, omnia apertè referamus, Chriſtianiſque fratribus noſtris lectionis ſacræ commendata exercitatione, ſpem iniiciamus fore, vt maiora multo iis, & præſtantiora, ſi legitimum adhibeatur ſtudium, communicentur. Magna enim & communis omnibus legitimè expectantibus, magnoque & multiplici obtinendorum donorum argumento, plena illa promiſſio eſt. Amen dico vobis, qui credit in me, ope- "
ra quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet. "
Vt autem explicationis difficultas partitione quoque (quæ ad perſpicuitatem plurimum facit) molliatur, totum opus in triginta quinque vaticinia diuidere, ſingulorumque vaticiniorum vniuerſum argumentum ſententiamque exponere operæpretium fuerit, antè verò quàm id præſtare incipimus, Deus ipſe nobis inuocandus ſupplicanduſque eſt.

# VOTVM.

CONSILIO ſapiente potens dextráque ſecunda
Qui numeras ſæclis tempora perpetuis,
Qui pedibus ſubſtrata premens cæleſtia magnus
Templa moues, cuncta & ſidera firmus agis,
Venturasq́; vices mundi atque orientia longè
Sæcla vides, vates quæ ceciniſſe probas:
Arripe me tua ſacra Pater laudeſq́; colentem,
Et iube in arcanos fortiter ire aditus;
Numine quo cælum, terras, pelagusq́; benignè
Circuis, ac rebus proſpicis exiguis.
Quæ tu nota olim miſeris mortalibus eſſe
Conſulis, indiciis da reſeranda meis.

## ARGVMENTVM PRIMI VATICINII.

PRIMVM *vaticinium ab initio libri vſque ad illum locum pertinet.* Verbum quod vidit Iſaias: *in quo Deus ingratitudinis, perduellionis, imminutæq́; maieſtatis actionem Iudææ genti, atque Ieroſolymorum ciuitati primùm intendit, deinde verò pœnitentiam, & officij inſtaurandi ſtudium, clementiæ & prouidentiæ ſuæ promiſſa facilitate, vel grauiſſimi periculi & calamitatis denunciatione, niſi paruerint, ſuadet. Indicat præterea feliciſſimam eorum ſortem, qui diuinis conſiliis & præceptis parentes, Chriſti promiſſi aduentum expectantes, ſalutem, felicitatem & virtutem experturi eſſent. Hæc nos quàm breuiſſimè explicabimus, atque multarum rerum & ſententiarum ſignificatione magis quàm expoſitione docebimus; quoniam totius Scripturæ ſacræ exponendæ cupiditate & ſtudio ducti, properare in multis cogimur locis, & multa prætermittere, quæ aliàs in aliis libris indicare opportunè poſſimus. Probari autem conſilium noſtrum ſanctæ atque Catholicæ Eccleſiæ optamus, euentumq́ue à Deo noſtro communibus votis ac precibus poſtulari.*

### CAPVT PRIMVM.

VISIO Iſaiæ filij Amos quam vidit ſuper Iudam & Ieruſalem in diebus Oſiæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda.

VISIO Iſaiæ filij Amos. *Hanc inſcriptionem non eſſe totius libri, ſed huius tantùm primi vaticinij multis argumentis docemur, inprimis autem illo, quòd ſecundo vaticinio ſua etiam præfigatur inſcriptio,* Verbum quod vidit Iſaias filius Amos ſuper Iudam & Ieruſalem. *ſuperuacanea aliàs futura, ſi prima hæc totius libri argumenta omnia complecteretur. Deinde quòd hic mos ab Iſaia perpetuò obſeruetur, vt priuatis, atque gentem aliquam propriè ſpectantibus vaticiniis, propria deſcriptio præponatur; qua, cùm prophetiæ genus indicetur, tum gens ipſa quam ſpectat, appelletur; vt* Onus Damaſci, onus Ægypti. *Præterea multis aliis locis viſionis mentio apud hunc vatem fit: quamobrē ſi hæc prima inſcriptio ad omnia vaticinia pertineret, dici oportuerat* viſiones Ieſaię, *quandoquidē non vnā, ſed multas viſiones hic liber continet. His etiam accedit quod nomen Hebraicum* HHAZON, *pro quo Latinè ob verborū penuriam* viſionem *reddimus, non omnes vaticiniorū formas in vniuerſum, ſed certum quoddam prophetiæ*

*genus ſignificat, de quo nonnihil ſtatim dicemus, plura autem in duodecim vatum quæſtionibus & commentariis, atque in huius libri præfatione diſſeruimus, aliasq́ue, Deo donante, perſequemur. Eſt autem nomen* viſionis *huic prophetiæ generi impoſitum, non ob ſententiæ certitudinem & cōſtantiam (neque enim aut certa minùs, aut minùs cōſtantia ſunt cetera genera quæ de diuino conſilio, iudicio, decreto, ac mandato eduntur) ſed magis ob ſingularem quandam tum argumenti ipſius, tum vaticinandi modi notationem, quod hoc genere vates res ipſas vel loco abſentes, vel temporibus remotas, tanquam præſentes intra ſeipſos intueantur, atque interdum vno atque eodem diuino afflatu, duplices, interdum etiam triplices res alias ex aliis repræſentatas contemplentur. Sed de hoc genere plura aliàs eáque maxima, & cognitu digniſſima nobis Deus dicenda dabit: oſtendemus enim verbum* HHAZAH, *vnde nomen* HHAZON *deriuatur, non ad ſenſum, ſed animi internam cognitionem, quæ in pectore atque in corde efficiatur, pertinere: exponemusq́ue ex huiuſmodi obſeruatione plurima ſacrorum librorum loca. Igitur vt iam aliàs diximus, nomen hoc* viſio *quoties ex Hebraico* HHAZON *redditur, multiplicem grauiſſimamq́ue ſententiam nobis cogitandam proponit, quam vates ille cui viſio contigerit, cauſſis, progreſſionibus, conſequentiis euentibusq́ue perſpectis, fuerit contemplatus. Itaque* HHAZON *obſeruatio & contemplatio, vtcunque à nobis explicari Latinè poſſet. Quamobrem huius primæ viſionis argumētum multiplex in primis, grauiſsimumq́ue ſeſe nobis indicat. Eodem namque oſtenſo vates Iſraëliticarum rerum ſtatum atque euentum, cùm ad ſua, tum etiam maximè ad futura tempora referendum, & quod præcipuū in his rationibus eſt, Chriſtianæ Eccleſiæ grauiſſimas rationes, perturbationes, & viciſſitudines intuitus eſt. Itaque triplex nobis cogitandum vaticinij huius argumentum, & ipſa* viſionis, *& rerum etiam obſeruata ratio, cōnſequentia, atque euentus indicant. Sed in his commentariis ea quæ ad illa antiqua ſecula referri poſſint, exponemus. Quæ verò ad noſtra tempora pertinebunt, quòd ea nōdum tranſacta ſint, ſed cœpta, atque myſterium iam operetur, vt Paulus inquit, vel omittemus, vel ſignificatione magis quàm oratione indicabimus; neque enim nunc diuinatores, ſed expoſitores eſſe volumus, quamuis certa quædam, atque ex ſacrarum ſcripturarum arcanis deprompta, & rebus, temporibusq́ue noſtris collata oſtendere, & certis conſequentiis ad futuros vſque euentus deducere poſſimus. Sed de* viſione *hæc nunc dixiſſe ſit ſatis. Quod verò vates ſuum paternumq́ue nomen appellet, præter vaticinij certitudinem ac fidem, & muneris atque officij profeſſionem (de qua iam aliàs diximus) auctoritatis & libertatis, grauitatisq́ue indicandæ cauſſa effectum eſſe dicimus. Quòd Deus grauiſſimam atque duriſſimam cauſſam apud populum, reges & principes magnis ſententiis atque grauibus & duris verbis orandam ei viro mandauerit, qui tum propter generis nobilitatem, tum propter domeſticum & conſuetum paterni officij exemplum grauitate & auctori-*

*tate ſumma vſus, nulla hominum aut ordinum, ſed ſola veritatis & officij ratione habita, impoſitam perſonam liberè & conſtanter ſuſtineret. Solent enim inferioris notæ homines datam ſibi etiam à Deo ad principes aut alias grauiſſimas perſonas, vel ad populos duram aliquam legationem, propter humilitatem imperitiamq́; ſuam recuſare & deprecari, neque antè ſuſcipere quàm iterum atque iterum iuſsi cõfirmatiq́; fuerint: vt Moſes, Ieremias, Ananias, & alij fecerunt, quod & ipſorummet hiſtoriis indicatur. Hunc autem vatem grauiſſimarum legationum ad populos atq; principes habendarum cauſſa delegit Deus, qui nemini aut nobilitate, aut ciuilis vitæ conſuetudine, aut officij auctoritate cederet, poſſetq́; ob eam rem intrepidè & conſtanter agere, ſeſeq́; ipſum vltrò & muneri, & periculo obeundo offerre, vt verè, præter aliorum vatum morẽ, Deo, quem potiſsimùm miſſurus eſſet, quærenti obtulit; Ecce ego, mitte me. Hoc ergo nobis paterni nominis appellatio indicat, conſentaneum eſſe eum tanta libertate, grauitate, atque conſtantia in actionibus apud populum & principes fuiſſe vſum, qui patrem ex regia ſtirpe, eumq́; Prophetam eſſet ſortitus.* Filij Amos. *Propheta ille ex paſtoribus Thecoitis,* GHAMOZZ, *hic verò Ieſaiæ pater,* AMOS *Hebraicè pronunciatur. Hunc autem Amos Amaſiæ regis fratrem fuiſſe in proœmio huius libri docemus. eundem verò Prophetam quoque fuiſſe, cùm ex conſtanti doctiſsimorum hominum ſententia, tum maximè ex Scripturarum teſtimonio habemus. Primùm quòd Prophetis præcipuè ſoleant adſcribi patres qui eodem etiam munere functi fuerunt, atque hoc nomine adſcribantur; id quod in regibus, aut aliis publicis perſonis non obſeruatur; tum quod apertè ſcriptum ſit: Et venit ad eũ Ieſaias filius Amos Hanebi, hoc eſt Prophetæ: nam cognomentum Prophetæ ad citerius proximum nomen referendum eſt, hoc eſt, ad Amos, id enim iam ſæpè obſeruauimus; cùm enim ad ipſum Ieſaiam refertur, continuò adiungitur cognomen, vt in alio loco; Et miſit Eliacim præpoſitum domus, & Sobnam ſcribã, & ſenes de ſacerdotibus opertos ſaccis, ad Ieſaiam* HANEBI *filium Amos. Apertè hæc orationis varietas vtrumque & patrem, & filium Prophetam fuiſſe declarat, Ieſaias* HANEBI *filius Amos, & Ieſaias filius Amos* HANEBI, *ſed in his longiores eſſe non poſſumus.* Quam vidit ſuper Iuda & Ieruſalem. *Quanquam de Iſraëliticis etiam atque de aliarum nationum rebus fuerit vaticinatus, tamen non ſine myſterio huius vatis munus & actiones ad Iudam & Ieruſalem præcipuè pertinere dicuntur, quod maxima & optima argumentorum ipſius pars publicam & communẽ hominum ſalutem & liberationem ſpectent, aut etiam miſeriam illam ſpiritualem, quæ multis ſua culpa eueniet, vtriuſque autem rei ratio ad Iudam & Ieruſalem pertineat. Iudam autem hoc loco interpretamur antiquam Iudæorum Synagogam, cuius pars & caput Ieruſalem terreſtris fuit. Ieruſalem verò Chriſtianam eccleſiam, & celeberrimam illam Synagogæ filiam, quam militantem Theologi cognominant, quæ aliàs filia Sion ſæpiſsimè appellatur,*

Marginal notes: 1 Cor. 13. (beside "obeundo offerre"); 4. Reg. 20. (beside "Et venit ad eũ Ieſaias"); 4 Reg. 19. (beside "Et miſit Eliacim")

*vt ſuo loco, Deo auctore, docebimus. Iuda totius Hebraicæ gentis, Ieruſalem vna tantùm ciuitas Chriſtiani populi perſonam repræſentat; aliàs enim niſi de duobus populis ageretur, ſuperuacanea fuiſſet mentio Ieruſalem, quæ prima & princeps omnium Iudaicarum vrbium, Iudææ nomen audientibus, cogitanda erat. Itaque ad noſtram Ieruſalem referendum fuerit quicquid hic vates de altera illa dixerit, quod cõmunem ſalutem, vel publicam miſeriam ſpectat. Atque hæc ratio difficiles in Ieſaiæ commentariis explicatus habet. Illud verò quod ad temporum notationem hiſtoriarumq́ obſeruationem additum eſt,* In diebus Oziæ &c. *non ad primum vaticinium ſiue viſum, quod vnum fuit, vnaq́ tantùm actione peroratum; ſed ad omnia tempora quibus vates munere ſuo functus fuit, referendum eſt. Atque ita illud relatiuum Hebraicum indeclinabile* ASSER *maſculino genere reddi commodè poteſt.* Qui vidit in diebus Ozię, Ioathan, *& quod horum omnium regum temporibus vaticinatus, atque hoc potiſſimùm prophetiæ genere quaſi familiari vſus fuerit, cùm alij nunc viſione, interdum ſomnio, nonnunquam allocutione atque aliis generibus permixtim vti conſueuerint, vt ſuis in locis indicabimus. Horum autem regum mentio ad eorum, de quibus vates aget, cognitionem ex ipſorum annalibus petendam ſpectat: illudq́ præterea indicat, breuiſſimam eſſe ſolere principibus in principatu temporis, & vitæ vſuram, cum vnius Prophetæ non longa admodum ætate, quatuor reges dignitate ſua defuncti, adnotari ſoleant. Oſeas in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ vaticinatus dicitur. Ieremias exiguo ſatis tempore quatuor vidit reges, Ioſiam, Ioacim, Ioachim, & Sedechiam, quibus etiam ipſe ſuperſtes diu fuit. Michcræ iidem cum Ieſaia contigerũt: & tamen in tanta breuitate, magnæ tempeſtates, magnæ rerum mutationes fiunt; tantus error humanos animos occupat, maximeq́ eos qui ad eum locum vbi peruenerunt nihil ſibi non promittunt, ſperandumq́ putant. Quanquam autem & ad Manaſſes tempora etiam Ieſaias pertinuerit, à quo occiſus fuiſſe dicitur, tamen illius mentio propterea non fit, quòd cùm primùm ille gubernacula reipublicæ poſſidere cœpit, vaticinari hic Propheta deſiit.* 4.Reg.15. *Adnotat autem ſcriptura tempus officij, non vitæ; ait enim, qui vidit, non qui fuit. Ozias idem & Azarias dictus, binonimus enim vt alij complures, fuit. Quòd ſi relatiuum illud* ASSER *in accuſatiuo femininè interpretemur,* Quam vidit, *magnum myſterium indicari poteſt, quod nobis profectò ſatis admirandum videtur, hoc videlicet primũ vaticinium in quo Iudaici & Chriſtiani populi res atque rationes continentur, vt maximum & grauiſſimum fuiſſe vati noſtro quater oſtenſum, ſemel in diebus Oziæ, iterum Ioathan, tertiò regnante Achaz, quartò Ezechia rerum potito: atque hanc ſententiam illa indicat oratio,* Vidit ſuper Iehuda & Ieruſalem in diebus Oziæ, *&c. Namque & alia etiam ſuper alias gentes viſa illi ſunt in diebus vniuſcuiuſque regum illorum, ſed hæc in diebus omniũ repetita fuere. Cetera enim omnia quæ Ieſaias ſibi oſtenta prædixit,*

vt

*vt Iſraëliticarum tribuum abductio & diſperſio, Ieroſolymitanum excidium per Chaldæos allatum, & aliæ publicæ ac priuatæ calamitates, huius extremæ miſeriæ quam hoc loco vaticinatur, veluti præludia quædam fuiſſe videntur; quæ ille ad hanc vel prudenter ac legittimè cauendam & vitandam, credentibus & obtemperantibus Iudæis, vel certißimè expectandam negligentibus, ſemel, iterum, tertiò & quartò prædicendo inculcaret, vt apertiùs diuinæ miſericordiæ & clementiæ in inuitando & hortando, aut diuini iudicij ſeueritatis in puniendo monumentum perpetuò permanſurum, hac tam illuſtri repetitione relinqueretur.*

Audite cæli, & auribus percipe terra, quia Dominus locutus eſt.

G R A V I S S I M A M *aduerſus Iudaicum populum ſententiam hæc oratio continet, in qua Deus legitimo ordine iudicium exercet, cuius illuſtres rationes omnes perſequi libuiſſet, niſi nos inſtituta breuitas auocaret: ſed quæ diffusè narrare non poßimus, conciſo & ad diſciplinam accommodato orationis genere indicabimus. Igitur perduellionis, & maieſtatis læſæ cauſſa aduerſus Iudaicum populum agitur; Deus primum actoris perſonam ſuſtinet, cauſſa perorata iudicem agit æquißimũ, actor teſtes producit grauißimos, viuacißimos, & omni exceptione maiores, tantoq́ iudicio idoneos cælum & terram, qui quanquam inanimati putentur, & ſine ſenſu, tamen Deo viuunt & ſentiunt, & in diuinis cauſsis ſeſe nec ſurdos, nec viſu carentes fuiſſe hominibus etiam probabunt, illis rebus & commoditatibus in impiorum vltionem ſubtractis & negatis, quas piè & officioſè agentibus & largiri, & ſuppeditare ſolent, atque huiuſmodi certiſſimum & apertiſſimum teſtimonium cælum & terra præſenti oratione dicere ſolent, ſicuti ſcriptum eſt. Aduocauit cælum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum, &c. Et annunciabunt cæli iuſtitiam eius: quoniam Deus iudex eſt.* Pſal 49. *Omnis hæc ratio ex ſacris libris, & ex rerum & naturæ obſeruatione à diligenti & ſtudioſo lectore ſi petatur, cumulatißimè profectò inuenietur, à nobis etiam, ſi Deus annuerit, aliquando explicabitur. Eſt autem cælorum & terræ teſtimonium in diuinis cauſsis grauißimum, propterea quòd manifeſta teſtimonia ea appellentur, quæ à certis, & rei geſtæ ſpectatoribus præſentibus, & teſtibus, qui iudicio ipſo, cauſſæq́ apud iudicem examinandæ interſint, tribuuntur: nam quæ ex auditu tãtùm, aut ab iis qui abſunt, ex ſcripto aut tabulis habentur, cæca teſtimonia à Iuriſperitis dici ſolent. Quamobrem ſcriptum eſt: In ore duorum, &c. In ore, ait Scriptura, vt teſtimonia ex præſentibus, & pronũciantibus teſtibus à iudice ſumenda eſſe doceat. Huiuſmodi teſtes Deus aduerſum homines appellat cælum & terram, ex quibus altera, quòd omnium quæ ab hominibus fiunt, rerum locus ſit, abeſſe non poteſt; alterum, quòd perpetuò ſuper terram moueatur, & currat, nihil non proſpicit quòd in terrarum orbe fiat: vterque ſemper Deo & hominibus præſens, vterque in ſuis muneribus obeundis fideliſſimus, vterque antiquus & viuax, vterque Deo vocalißimus, vterque certas rerũ &* L. 3. §. idem Dinus ff. de Teſtib. L. 4. C. eod.

*tempo-*

*temporum (quibus quicquid geratur aut fiat, adſcriptum ſit) rationes con-
ſeruans. Igitur certiſsimus & manifeſtiſsimus teſtis vterque eſt. Poſset
hæc teſtium appellatio metonymicè, aut aliàs figuratè explicari; ſed nobis,
dum res patitur, ſimplicitas ipſa, præcipuè in qua tanta maieſtas, tantáque
ſit grauitas, magis placet. Atque de iudice, de reo, de crimine, de teſtibus di-
ctum eſt: nunc quo iure agatur, attendere operæpretium fuerit. Agitur ex
præſcripto & prædicto denunciatoq́; iure, quo nihil æquius eſſe poteſt; hoc
modo, Deus Iſraëlitas ex omnibus gentibus ſibi delectos, maximis benefi-
ciis affectos, in filios adoptauerat, muneribus deinde donauerat, ornamentis
illuſtrauerat, dignitatibus amplificauerat, promiſsis multis proſecutus in
reliquum fuerat: quibus vt ſuam auctoritatem, dignitatē amplitudinemq́;
conſeruarent, interpoſita gratiæ & tutelæ ſuæ fide, atque ſpe ſua; niſi verò
ſic feciſſent propoſita prædictaq́; lege, & omine grauiſsimæ pœnæ & igno-
miniæ, iudicium iiſdem illis appellatis teſtibus denunciauit, ſicut ſcriptum*
Deut.30. *eſt. Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum,*
„ *& è contrario, mortem & malum. vt diligas Dominum Deum tuum, &*
„ *ambules in viis eius, & cuſtodias mandata illius, & ceremonias atque iu-*
„ *dicia, & viuas atque multiplicet te, benedicátque tibi in terra ad quam in-
grederis poſsidendam. Si autem auerſum fuerit cor tuum, & audire nolue-*
„ *ris, atque errore deceptus adoraueris Deos alienos, & ſeruieris iis, prædico*
„ *tibi hodie quòd pereas: & paruo tempore moreris in terra, ad quam, Iorda-*
„ *ne tranſmiſſo ingrederis poſsidendam. Teſtes inuoco hodie cælum & ter-*
„ *ram, quòd propoſuerim vobis vitam & bonum, benedictionem, & male-
dictionem. Benedictionem hoc loco idem eſſe definimus, quod fauſtum fe-
lixq́; promiſſum, & promiſsi euentum; maledictionem verò infauſti euen-*
Teren. And. *tus denunciationem, & prædictionem, quod Latinus ſermo omen appellat.*
Act.1.Sce.2. *Vtriuſque autem rei ratione non ſolùm & iure ipſo, & verbo, ſed ſcripto
etiam conſtare, & ad poſteritatis memoriam propagari Deus voluit; vt vel
ſuum de miſericordia & beneficentia in bonos & pios conſtans & perpe-
tuum conſilium, vel ſuum rurſus in impios & ſceleratos iuſtiſsimum iudi-
cium quàm teſtatiſsimum foret; atque illis virtutis ſtudium faciliùs & cer-
tiùs promiſſorum ſpe redderetur: iſtis verò pœnarum & ignominiæ pro-
poſito omine & metu, ſuſcipiendi ſceleris terror iniiceretur. Itaque boni &
pij quo iure cum Deo agerent, ex ipſius benignitate & miſericordia, atque
promiſsis ſcriptum confirmatumq́; habebant; improbi verò quo iure à Deo
rei fierent ex ipſius prædictione & lege conſtitutum decretum, nec occulta-
re, nec diſsimulare, nec deriuare poterant: Atque alterius partis exemplum*
Deut.27. *in illo capite ſcriptum eſt: Præcepit autem Moſes & ſeniores Iſraël populo,*
Ibidem. *dicentes: Cuſtodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie, &c. Al-*
„ *terius verò in illo huic ſubiuncto, Si autem audieris vocem Domini Dei*
„ *tui, vt facias atq; cuſtodias, &c. Cùm autem humani cordis grauiſsimam
malitiam, & ad vitia procliue ingenium Deus cognouerit, cohibereq́; omni*

ex

*ex parte voluerit, Iſraëlitis, quónam audaciæ procedendum eſſet, ſi ſemel à diuino timore legittimoq́ pietatis cultu recederetur, quanta item ignominia, quàm grauis opprobriorum nota, quàm vehemens accuſatio, quàm ſeuera ſententia, quàm turpibus nominibus amplificata damnatio, quanta denique miſeria & calamitas ſubeunda ferendaq́ eſſet, totius futuræ actionis prædictione & denunciatione per Moſem vatem, idq́ illo grauiſſimo cantico oſtendit, Audite cæli quæ loquor, &c. Igitur eius ſeueri iudicij ratio cùm certiſſima & exactiſſima Ieſaiæ vati prædicenda committeretur, actio etiã ipſa liberè conſtanterq́ adhibẽda data eſt, quam ipſe eadẽ omnino ſentẽtia, iiſdẽ ferè verbis inſtituit; noſq́ vtriuſq́ collatione explicabimus. Moſes canebat, Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei; Ieſaias retulit, Audite cæli, & auribus percipe terra, quia Dominus locutus eſt. Moſes admonebat illos dignitatis ſuæ, filios Dei eſſe docens, accuſabat autem contemptionis, & ingrati animi erga patrem Deum: Nunquid non ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te, & fecit, & creauit te? Eandem ſentẽtiam & Ieſaias refert: Filios enutriui & exaltaui, & ipſi ſpreuerunt. & inferiùs, filiis ſceleratis. Moſes vocat illos generationem prauam & peruerſam. Ieſaias etiam ait, Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate. Præterea diuinorum erga illos beneficiorum magnitudine commemorata, ingratũ animum, & improbum officium illis Moſes exprobrabat. Idem & ab Ieſaia relatum eſt, Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, &c. Illis à Moſe ſtultitiæ & ſtoliditatis nota inuritur: Immolauerunt dæmoniis, & non Deo, diis quos ignorabant. Idem Ieſaias agit, Iſraël non cognouit, populus meus non intellexit. Apud illum legimus, Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. Apud hunc etiam, Dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum. In illis prædictionibus eſt, Congregabo ſuper illos mala, conſumentur fame, &c. In his exprobationibus dicitur, ſuper quo percutiemini adhuc addetis rebellionem, à planta pedis vſque ad caput, &c. Illic legimus: Dixi, vbinã ſunt? ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum; hîc quoque legimus, Terra veſtra deſolata, vrbes veſtræ incenſæ igni, &c. & deſolabitur vt vaſtitate hoſtili: Ab illo vate vocati ſunt, vinea Sodomorum, & ſuburbana Gomorrhæ. Itidem & ab hoc Principes Sodomæ, & populus Gomorrhæ. Moſes planè teſtatus eſt nihil illis aut præſidij, aut perfugij, nihil cauſſæ qua niti poſſent, præter vnicam Dei ſpontaneam clementiam, & miſericordiam relictum iri, ſicuti ſcriptum eſt. Quia iudicabit Dominus populum ſuum, & ſuper ſeruos ſuos miſerebitur. Idem noſter vates oſtendit, Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, &c. Quibus omnibus obſeruatis & collatis rationibus docemur Ieſaiam hoc ſuum primum & grauiſſimũ vaticinium eo modo inchoaſſe quo Moſes librum legis, & omnem illam veteris teſtamenti rationem finierat, atque hac etiam ratione indicaſſe huius vaticinij perfectam explicationem ad antiquæ legis finem & abſolutionem*

Deut. 32.

*pertinere, vt & nos iam ſæpè admonuimus, & nunc denuo admonemus. Etenim viſio hæc eſt quæ multa eiuſdē generis, diuerſis tamen tēporibus & rationibus complectitur argumenta, alia terrenis elementis, & præſenti illius ætatis ſtatui conuenientibus notationibus explicanda, alia ſpiritualibus cogitationibus, & reconditioribus myſteriis indicanda, alia demum magis etiam arcanis rationibus, & remotiorū collatione temporum inueſtiganda: priores duas cauſſas nos quàm breuiſsimè indicabimus, tertiā vel leniter ſignificabimus, vel omnino in aliū locum integrā reſeruabimus: Interea autē qui legit intelligat. Iam verò actionē ipſam explicemus.* Audite cæli, & auribus percipe terra. *Duo verba Hebraica ſunt* SAMAG *&* HEEZIN, *pro quibus Latini interpretes interdū audire, & auribus percipere, nōnunquā audire, & auſcultare reddunt: Hæc eadē hoc loco ab Ieſaia, & illo altero à Moſe vſurpata ſunt. Sed quod non eundē apud vtrumq; ordinē obſeruent, negotiū interpretibus dederunt ad cogitationē nouarū rationū, incertarum tamen. Aiunt enim audire ad propinquiores, auſcultare, ſiue auribus percipere ad remotos & longiùs diſtantes referri. atq; ex hac excogitata ratione mira commentantur, cùm tamen id inuentum planè ſit, vt multa alia quæ ſibi homines vt negotium faciant, non rarò comminiſcuntur. At verò ex ſimplici locorum obſeruata collatione verba hæc non alio diſcrimine inter ſe diuidi cognoſcimus, quàm ſimplicitate & Periphraſi; alterum ſimplex eſt,* Audire; *alterum verò,* auribus percipere, *Latinè Hebraiceq; per ambagem dictum: idem tamen vtrumque ſignificat, & ad eandē perſonam vno*
Pſal. 16. *eodemq; loco conſiſtentem refertur, vt apud Pſaltem: Exaudi Domine iu-*
» *ſtitiam meam, intende deprecationem meam, auribus percipe orationem*
» *meam, &c. Itaq; eiuſdem ſignificationis vtraq; ſunt, quæ ſimul vſurpata nihil nobis præter vehementiam & amplificationem oſtendunt, ad varias autem perſonas varietatis & elegantiæ cauſſa accommodantur. Quam verò ob rem Moſes inceperit à verbo* HEEZIN, *Ieſaias verò à* SAMAG, *in cauſſa eſſe arbitramur carminis varium genus, diuerſosq; menſuræ modos quibus vterque eſt vſus, quod alterum alteri verbum ad ſui verſus compoſitionem fuerit idoneum: alter enim Dicolis Diſtrophus, alter Tricolis Teraſtrophis ſuam Odem pangit: Moſes Iambis, Ieſaias à Spondæis primos verſus inchoat. Hoc modo multa ſunt in Hebraico, quæ Poëtices eruditis facilem, imperitis verò difficilem probent laborem. Siue igitur cælum & terram cæleſtes ſpiritus & homines, ſiue quod ſimplicius & ſignificantius eſt, ipſum cælum quoque ac terram interpretemur, teſtes à Deo citatos intelligi oportet; qui, vt legi dandæ prædictionibusq; olim & denunciationibus celebrandis interfuere, ſic nunc actioni & cauſſæ cognoſcendæ intereſſe iubentur. Eſt autem ſumma cauſſæ atque actionis propoſitio illa.*

Secundùm leg. 1. & 2. ff. De obſ. par. & patr. præſtandis.

Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.

VTRIVSQVE *regni Iſraëlitici & Iudaici populus filij plurali numero hoc loco appellantur, quos Deus in magna humilitate, obſcuritate, & miſe-*

*miſeria agentes, atque hominibus ceteris contemptiſſimos, tamen apud potentiſſimum & ſuperbiſſimum regem ſibi filios appellatos vendicauit, atq; in libertatem aſſeruit, ſicuti ſcriptum eſt: Vide vt omnia oſtenta quæ poſui* Exodi 4. *in manu tua facias coram Pharaone, &c. diceſq́; ad eum, Hæc dicit Dominus, Filius meus primogenitus Iſraël, dixi tibi, Dimitte filium meum, vt ſeruiat mihi, &c. Huiuſmodi appellationem honorificentiſſimam primùm & illuſtriſſimam illi in qua iacebant humilitati & miſeriæ omnino oppoſitam ſignificare voluit Deus verbo* Enutriui, *quod Hebraicè eſt* magnificaui, *hoc eſt, magnos feci; &, vt Latini loquuntur,* ornaui. *Cetera verò quæ appellationem illam conſecuta ſunt, omnia vſque ad promiſſæ terræ & quietis poſſeſſionem, illo altero verbo* Exaltaui *indicantur.* Et ipſi ſpreuerunt me. *Verborum quæ violatum officium ſignificant, omnium grauiſſimum eſt* PASSAGH, *quod ingratiſſimam defectionem, & alienationem maximo contemptu cogitatam, & ſummo ſtudio atque conatu & effectu quæſitam indicat: eáque in ſubiectis populis erga regem aut principẽ ſuum, etiam minus commodum, ſcelus maximum & grauiſſimè vlciſcendum iudicatur, nedum in filiis tanto honore, dignitate, tanto ac tam multiplici beneficiorum genere affectis, erga tam illuſtrem, clementem, beneuolum, atq; optimè merentem patrem indigniſſimum facinus, & nefarium flagitium ſit. Hæc eſt huius verbi* Spreuerunt, *hoc in loco ſignificatio, quod aliàs, rebellauerunt, interpretes vertunt; & vt exemplo ipſo res meliùs intelligatur, violatiq́; diuini & humani iuris, amoris, officij malitia temeritatéque ſumma admiſſum facinus hoc verbo propriè notari agnoſcatur, illum locum adnotare ſatis fuerit. In quo quid fratres in Ioſephum peccauerint, quidq́;* Gen. 50. *fuerint commeriti, rem rectè exiſtimantibus indicatur. Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atq; malitiæ quam exercuerũt in te, nos quoque oramus vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatẽ hanc. In hac omni deprecatione verbum* PASSAGH *vſurpatum & repetitũ eſt. Huiuſmodi autem bonam gratiam ſcilicet, ſibi patri ab iſtis filiis redditam, queritur Deus.* Ipſi me. *Antitheſi crimen augetur, ſimul & illorum ſtudioſa malitia, & conſultò ſuſceptum ſcelus pronomine* Ipſi, *indicatur. Hoc autem impietatis, contemptionis, & tandem perduellionis nefarium ſcelus iam inde à principio conceptum, per omnes ferè ætates editum, ac tandem Euangelij tempore perfectum fuit. Cùm ille vineæ domini legitimus hæres impio conſilio, & vehementi contentione de vineæ vſu, & poſſeſſione crudeliter & ignominioſè depulſus eſt, illa nefaria promulgata ſententia. Nolumus hunc regnare ſuper nos. Atque hanc rem longè à principio repetitam Stephanus & Paulus, aliiq́; Apoſtoli ſæpè Iudæis obiiciunt. Quam eandem Moſes præuidens, exprobrabat. Generatio praua atque peruerſa,* Exodi 32. *hæccíne reddis Domino popule ſtulte atque inſipiens, &c. Hoc autem ingratorum Iſraëlitarum crimen omnibus ſtultitiæ, inſaniæ, ſtoliditatis, perfidiæ; denique omnibus prauitatis notis grauiſſimum, & cumulatiſſimum*

*mum eſſe, illuſtri comparatione oſtenditur.* Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſraël autem me non cognouit, populus meus non intellexit.

Bos *& aſinus, præterquam quòd iumentorum omnium ſtupidiſſima natura ſunt, etiam duriſſimum illud patiuntur, quod laboris & ſeruitutis perpetuæ cauſſa comparari & ali ſeſe ſentiant. Igitur animalia hæc & propter naturæ ſtoliditatem ingratiora, & propter perpetui ſeruitij tædium atque odium alieniora à dominis euadere minimè mirandum eſſet: & tamen exigui beneficij, idq́; non ſui, ſed ipſorum dominorum commodi cauſſa accepti memores, hoc eſt, ob paſtus & alimenti curam non modò herum non aſpernantur, ſed agnoſcunt, amant, ſponte etiam, ſine vllis aut frenis, aut capiſtris, vel ducentem ſequuntur, vel ſequentem præeunt, imperantem patiuntur, onus aut laborem impoſitũ perferunt, vltroq́; ipſi herilem domum petunt, tantum abeſt vt vel oderint, vel fugiant. Hæc iſtorum animalium natura & conditio, hæc etiam erga dominum obſeruantia eſt: Quorũ comparata ratio tanto vehementiùs Iſraëlitarum crimen auget & amplificat, quanto ingenij & naturæ dignitas præſtantior, illuſtrior conditio grauiſſimis ſtoliditatis & perfidiæ vitiis cumulatur. Quos Iſraëlis nomine ipſo, ſuæ ſortis ac dignitatis, populi autem Dei cognomine illuſtriſſimæ conditionis admoneri oportuit. Grauiſſima enim culpa eſt hominem etiam vulgarem, & qui nomen tantùm hominis tueatur, à iumentis vlla officij & virtutis ſpecie vinci: ſed illud grauius multò, vt Iſraël, qui diuino beneficio Iacob nomẽ in Iſraëlis mutauerat, ſuam ipſius dignitatem non agnoſceret. Longè verò ſceleratiſſimum fuerit, eundem Iſraëlem non animaduertere quo in loco ſit à Deo conſtitutus, à quo non vt iumenta ad ſeruitutem paſtus & nutritus; ſed vt filius in populum peculiarem adoptatus, maximiſq́; & illuſtriſſimis omnium generum beneficiis auctus fuerit, atque vel illo populi Dei tituli ſplendore decoratus, vt ſcriptum eſt: Dic filiis Iſraël,* (Exodi 6.)
» *Ego Dominus educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſerui-*
» *tute, & redimam in brachio excelſo, & in iudiciis magnis, & aſſumam*
» *vos mihi in populum, & ero veſter Deus: & ſcietis quia ego ſum Dominus*
» *Deus veſter qui eduxerim vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & induxerim*
» *vos in terram ſuper quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham,*
» *Iſaac, & Iacob: daboq́; illam poſſidendam vobis ego Dominus. Hoc oportuit Iſraëlem cogitare, hoc Dei populum animaduertere & intelligere. &, Scietis, inquit, quia ego ſum Dominus Deus veſter, &c. Et tamen Iſraël non cognouit, populus meus non intellexit. Hæc huius contentionis ſumma ſententiæ ratio eſt. Verborum verò explicatio illa* cognouit bos poſſeſſorem ſuum: *Hebraicum nomen* Sor, *adultum bouem, ſiue taurum perfectæ ætatis, atque integris viribus ad vſum & ſeruitutem idoneum ſignificat. Nam in eo genere eſt* GHEGEL, *vitulus;* PAR, *iuuencus; quando iam generat poſtremò* Sor *eſt. Auget autem contentionem ipſa ætatis & virium notatio,*

*quibus*

*quibus cùm reſiſtere, aut etiam obſiſtere domino imperanti valeat, tamen non ſolùm paret, ſed* agnoſcit poſſeſſorem ſuum. *Hebraicum verbum* KANAH *emere, poßidere, magnum facere, ſibiq́ hoc modo vendicare & deuincire ſignificat, vt ex illo loco obſeruatur. Nónne ipſe eſt pater tuus, qui* "
*poſſedit te? Eſt idem verbum vbi nomen patris egregiam poßidendi rationem ſignificat. Bos itaque eum cuius cura paſcitur & alitur, cognouit; Iſraël eum à quo egregiis nominibus poſſeſſus eſt, & creatus ex Iacobo in Iſraëlem, atque in filium, &c. ſeq́ ipſum quis eſſet, & à quo creatus eſſet, non cognouit; vt aliàs ſcriptum eſt: Et iſti non agnouerãt vias meas. &*, & aſi- "
nus præſepe domini ſui. *Hoc animal* HHAMOR *Hebraicè dicitur, cùm à craßioribus naturæ elementis, tum à ſtupiditate atque ferendi oneris patientia præcipua. Ex eodem namque themate verbi, vnde nomen deductum eſt, grauitatem, pondus, lutum, materiamq́ Hebræi ſignificant. Eſt autem* HHAMOR *aſinus oneri ferendo idoneus. Quamobrem vtraque hæc animantia ſimul in ſacris libris commemorantur, vt, habeo boues & aſinos. Hebraicum nomen* EBVZZ, *locum ſignificat, quo iumenta aut boues diligẽti cura aluntur, & fouentur. ſic in libris Regum viginti boues paſcuales legimus, Hebraicè viginti oues* EBVZZ; *& illud apud Iob, Nunquid volet Rhinoceros ſeruire tibi, aut remorabitur ad præſepe tuum. & illud apertißimum, Melius eſt vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum* EBVZZ *cum odio. Docet autem obiter hic locus iumentorum, & earũ animantium, quibus vtimur, diligentem curam habendam; ita vt perceptum ex illis laborem, & fructum pabulo, & curatione aliquo modo exoluentes, & commodiùs illis vti, & humanitatis officia, etiam hac parte exercere poßimus. Nam ſi brutum ipſum acceptum à nobis beneficium agnoſcit, & impoſitum laborem ſuſtinet; nedum homo officij, & humanitatis compos, vel ad ſuam vtilitatem iis diligenter proſpiciat, quorum laboribus fruitur animantibus. Ex hac ratione illa eſt ſententia: Nouit iuſtus iumẽtorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia, &c. Hic autem verbum cognoſcere non ad ſenſum tantùm, ſed ad appetitum atque affectum referendum eſt; vt cognitionem, memoriam, gratiamq́ bonam, vt, quia Dominus cognouit viam iuſtorum, & nouit iuſtus animam iumentorum ſuorum.* Populus meus non intellexit. *Animum aduertere, & ratione rerum ſubducta, ſapienter conſulere, & ſtatuere, hoc verbum ſignificat ex Hebraico reciproco* HITHBONAN. *Meminerit autem lector nos hæc commentaria aut doctioribus, aut iis qui legendis aliis noſtris aſſueuerunt, ſcribere; ideoq́ multorum verborum ſententiam elegantißimam ſignificatione magis indicare, quàm diffusè perſequi. Facilis autem erit explicatus iis qui vel in ſapientiæ rationibus fuerint prouectiores, vel alia noſtra legerint commentaria. Hæc itaq́ officia (vt ita dicamus) in iumentis & mulis, atque ad vſum & ſeruitutem comparatis (quæ tantùm ſenſu, & nonnulla vtilitatis ſuæ cogitatione mouentur) inuenta & obſeruata, in Iſraële & populo Domini requiri*

Marginal notes: 3. Reg. 4. — Iob 39. — Prou. 15. — Prou. 12.

*& deſiderari, atque ex incuria vel negligentia prætermiſſa fuiſſe, deprehendi non modò inhumanum, ſed pluſquam ferinum monſtrum eſt, nedum ſi non ſolùm pro acceptis à Deo beneficiis obliuio & neglectio atq; contemptio, ſed deſpectio etiam, contumelia, mala gratia, & omnibus modis notata atque infamis impietas repenſa eſſe arguatur. Quibúſnam igitur nominibus eiuſmodi crimen eſt appellandum? Nempe illis:*

Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum.

DVPLEX *humanorum vitiorum genus eſt, alterum cogitatione, alterum actione ipſa atque opere definitur. Vtriuſque autē generis duplex item ratio eſt, aut enim negligentia (quam omiſsionem vocant) aut diligentia & ſtudio ſcelus concipitur & admittitur. Vtrorumque autem generum omnibus vitiis & criminibus laborare Iſraël arguitur, idq; contentionibus, & nominum collationibus exponitur. Amplificatur autem crimen tum rebus ipſis notatis, & ſcelerum ac flagitiorum ſignificato incremento, tum etiam orationis figura vehementi & affectibus plena, querela videlicet, & lamentatione numinis, non modò ſpreti & contēpti, ſed vehementiùs etiam læſi atque offenſi. Deinde offenſionum expoſitione, & impetuoſo Aſynthetων curſu.* Væ *Hebraica interiectio* HOI, *indicantibus, lamentantibus, & minantibus vſurpatur, hoc in loco omnia ſignificat. Lamentatur Deus grauiſsimam ſui offenſionem, eandem partitione & expoſitione indicat, futuram quoque Iſraëlitarum à ſe reiectionē minatur.* Genti peccatrici *comparationibus & contentionibus cauſſa apertiùs oſtenditur: Iam illud primum vitium indicatur, quòd illa hominum pars quam Deus olim præter reliquas gentes & nomine, & re ac dignitate longè ſeparatam, ſanctam, & illuſtrem Iſraël, hoc eſt, potentem cum Deo appellari voluit (in quo nomine virtutis definitio aperta eſt,* ISRA *potentiam & virtutem ſignificat) cùm ceteræ nationes obſcuro atque ignobili, impuroq; nomine gentium notentur (ſicuti ſcriptum eſt, Simulachra gentiū, &c.) Tamen ab illa dignitate & celebritate nominis, ad gentium appellationem, atque adeò ad gentis cognomēto peccatricis turpem notam degenerauerint, hoc duplex flagitium eſt. Deinde illud etiam improbiſsimum & grauiſsimum, vt qui ſancti Dei populus, ſanctus, dilectus, & ad ſanctitatis cultum & exemplum publicum adoptatus erat, audiat nunc:* Populus graui iniquitate. *Cumq; omne animi vitium tanto conſpectius crimen in ſe habeat, quāto maior is qui peccat habetur; turpiſsimum & flagitioſiſsimum quoque eſt eos, qui filij Iſraël, ſerui Dei, & ſemen Abrahæ decor eius dicebantur, eò nequitiæ & infamiæ rediſſe, vt ab integerrimo iudice, & nominū impoſitore Deo ob peruerſa, & etiam aliis gentibus perſpecta turpitudinis exempla,* ſemen nequam, filij ſcelerati *dicantur. Quod ad orationem attinet, tota hæc periodus Aſynthetis conſtat, quibus vehemens dicentis affectus indicatur: deinde ſin-*

*de ſingulis verbis ſingula epitheta adiuncta ſunt, quæ & ſignificationem augent, & ſcelerum genera amplificant, cõtentionemq́ antiquorum nominum illuſtrant* Genti peccatrici, *Gens nomen obſcurum & ignobile eſt, vulgus ignarum, mobile, infidum, & multorum capitum belluã ſignificans, cuius, niſi recta ratione, & ſuperiorum cura gubernetur & regatur, nullum conſtans officium ſit; huius natura ad malum procliuis ſi in peccata incumbat, eam vitæ corruptelam ſtudioſiſsimè & impudentiſsimè vrget, & perſequitur, adeò vt id muneris officiiq́ ſui ſolùm eſſe putet. Huiuſmodi ſtudioſam peccandi exercitationẽ Iſraëlitis exprobrat Deus* Populo graui iniquitate. *Peccatum qua ratione à recto deflectit, curuitas prauitasq́ dicitur, Latinus interpres hoc genus iniquitas vertit; Gentis vitium de quo antea, ſingulos ex populo ſpectat, populi verò peccatum commune omnium eſt, eoq́ grauius, quo plurium conſilio, ſtudio, & conſenſu admittitur, & ſuſcipitur. Itaque non ſolùm ſingulorum priuatè, ſed communiter omnium publico conſenſu, conatu & molimine facta ſcelera arguuntur. Grauem autem iniquitatem non ideo ſolùm dicit, quòd peccatum omne mortale grauiſſimum natura ſua ſit, ad imumq́ vergat, & peccantem premat. Id namque non tantùm iniquitatis rationi, ſed omni peccatorum generi tribuitur. Verùm hoc loco contentum, & vehemens peccandi ſtudium ſignificatur, quod ab omni populo communi conſenſu, iunctis viribus, & (vt dici ſolet) humero vno exercetur. Itaque molem ipſam, & copiam, diuturnamq́ peccati conſuetudinem, qua iam nimium excreuit ſcelus, interpretamur: ſeruatur namque tranſlationis ratio à vate, qui cùm curuitatem, vel curuationem, ſiue iniquitatem propoſuerit, eiq́ populum incumbentem adpinxerit, id addidit, quod conſequi neceſſe fuerat; nimirum grauitatem & depreſsionem magnam: neceſſe enim eſt eam rem maximè curuari, ad quam deprauandam non vnus vel duo tantùm, ſed populus ipſe vocibus & viribus coniunctis incumbat: Atque ita grauitatis & ponderis adiunctio ad populum relata, actiuæ, ad iniquitatem verò paſsiuæ ſignificationis eſt*, Semini nequam. *Nomen, nequam, Hebraicè actiuum, & pluralis numeri eſt. Quod ſic explicationis cauſſa non adeò Latinè vertemus*, ſemini maleficis. *Semen nomen collectiuum eſt, & plurali adiuncto, figuratè copulatur. Propriè autem id quod nequam, vel malum dicimus, Hebraicè moleſtum, ac triſte importunumq́ eſt, idq́ vel actiuæ, vel paſsiuæ ſignificationis: atque ex hoc genere eſt, quod ſæpè legimus, Fecit malum in oculis Domini. Et, fuit malum in oculis eius, &c. Itaque & offenſionem Dei hæc oratio ſignificat, atque improbam quandam actionum ſpectationem, quam ab iſtis ſtudioſè procurari, parari, & paterni exempli vitioſè cumulata imitatione augeri, oratio illa indicat.* Semini nequam. *Ad verbum vertere poſſumus* ſemini offenſoribus, *vel* moleſtatoribus. *Perſimili huic ſententiæ figura, immutatis tamen verbis eoſdem homines viperarum genimina Ioannes Baptiſtes appellabat.* Filiis ſceleratis, *Hebraicè eſt, filiis perditoribus, vel corru-*

*corruptoribus: Cuius dicti ſententia ex vtriuſque verbi tranſlatione obſeruata, eos filios ſignificat, per quos domeſticum & familiare decus minuitur, & ipſa tandem interit familia: nam filij nomen Hebraicum cum lapidibus conuenit, ex quibus ædificia conſtant præcipuè, qui ſi firmi & integri ſunt, muri fabricam diutiùs conſeruant ac tuentur; ſi verò vitioſi natura ſint, cuiuſmodi falſa & nitroſa quædam genera deprehenduntur, ſolibus, ventis, & imbribus remiſſi, indies deteri & comminui ſolent, minuſq; quàm intritum ipſum durant; huiuſmodi lapides corruptores dicuntur, per quos certa domorum paratur ruina. Iſraëlitas autem ſibi ipſis ſua culpa Iſraëliticæ domus dedecus, ruinam & exitium commolutos fuiſſe hæc oratio oſtendit, iuſtumq; Dei iudicium confirmat; non qui illos vltrò damnauerit, ſed qui deſertores, offenſioniſq; ſuæ ſtudioſè ſuſceptæ auctores, neq; correctionem admittentes, tandem abiecerit. Quemadmodum autem iſti ſeſe, ſuámque publicam rem corruperint; ſubiuncta expoſitione vates declarat:* Dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum. *Conſilio, conatu, & effectu illos diuinam maieſtatem læſiſſe, ſeq; ipſos perdidiſſe confirmat. Primum verbum derelinquere, hoc loco ſignificat cogitare, & ſtatuere defectionem ab eo cui officium obſeruatioq; debeatur: Itaque conſilium deficiendi indicat, vt ex illo exemplo docemur:*

Deut. 27. *Mittet Dominus ſuper te famem, & donec conterat te, & perdat velociter*
» *propter adinuentiones tuas peſſimas in quibus dereliquiſti me. Hoc conceptum iam & deliberatum ſcelus, impudens & audax detractionis ſermo proximè ſequitur, quod primùm tentatæ defectionis, & populi abalienandi periculum eſt, vt illud:*

3. Reg. 12. *Quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in*
» *filio Iſai? Vade in tabernacula tua Iſraël, nunc vide domum tuam Dauid. Hoc etiam ſignificat vates noſter,* Blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, *Blaſphemiam Latinè detractionem dicimus, vt aliàs oportunè docebimus.*

Deut. 31. *Idem autem verbum Hebraicè hoc in loco & in illo eſt. Cumq; comederint,*
» *& ſaturati craſſiq; fuerint, auertentur ad deos alienos, detrahentq; mihi,*
» *& irritum facient pactum meũ. Blaſphemare igitur ſanctum Iſraël, idem eſt quod beneficiorum acceptorum, & totius dignitatis ſuæ auctoritatem detrahere ei, à quo vno ſingulariter ornati & decorati fuerint, & à quo idipſum quod erant, quatenus Iſraël appellabantur, cum nomine etiam ipſo, præter omnes alias nationes illuſtri acceperant. Atque de nomine; Sanctus, & ſanctus Iſraël; iam aliàs diximus. Huiuſmodi multæ & grauiſſimæ illius populi erga Deum detractiones in hiſtoriis paſſim, & propheticis libris ac Pſalmis commemorantur, ex quibus illæ extremæ fuerunt, quibus*

Ioan. 9. *tandem ſceleris huius menſura cumulata eſt. Maledixerunt ergo illi, & di-*
» *xerunt: Tu diſcipulus illius ſis: nos autem diſcipuli Moſis ſumus; Nos ſci-*
» *mus quia Moſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus vnde ſit. & illud:*
» *Non hunc, ſed Barrabam. Et, domine ſcimus quòd ſeductor ille dixit adhuc*
» *viuens, &c. Et multa alia huius conſilij & ſententiæ. Poſtremò autem*

illud

*illud defectionis conſilio conceptum, & oratione captum ſcelus, actione & ſtudio perfici ſolet, ſicuti ſcriptum eſt: Receſsitq; Iſraël à domo Dauid vſq; in præſentem diem. Atque hoc eſt quòd vates noſter ait,* Abalienati ſunt retrorſum. *Abalienatio Hebraico verbo defectionem perfectam, actuq; firmatam ſignificat. Vt quicunque abalienatus fuerit à me, & poſuerit Idola ſua in corde ſuo, &c. Hæc illorum filiorũ corruptio fuit, qua ſeſe, domum familiamq; ſuam Iſraëliticam perdiderunt, totumq; illud ædificium euerterunt vitio & culpa propria, quam cùm ſæpè Deus tantæ illius domus auctor, & fabricator corrigere, retinere, & ſartam tectam conſeruare omnibus artibus voluiſſet, tamen fruſtra multis partibus inſtauratam, multo autem pluribus vitium facientem, deſerere tãdem decreuit. Huiuſmodi reficiendæ domus, & corrigendorum lapidum curam ad ſubiunctorum verſuum explicationem cogitare operæpretium fuerit.* 3. Reg. 12. " Ezech. 10. "

Super quo percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem: omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vſque ad caput non eſt in eo ſanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens: non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

OMNEM *diligentiam, & operam illis lapidibus corruptoribus corrigendis, & componendis fruſtrà impenſam, & inſolentia, ſuperbia, atque contumacia repulſam, & eluſam eſſe docet.* Super quo percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem. *Non ex interrogatione, ſed ex affirmatione hæc dicuntur, eò ipſo, inquit nomine, quo vos vt corrigam, locóque veſtro reponam, percutio; tamen reſilitis denuo, atque vlteriùs etiam dimouemini. Diuinam erga illos curam, illorumq; in impietate, & ſceleribus cumulandis pertinaciam obſtinationemq;, hæc inſtaurandi ædificij imago ſignificat. Hebraicè ad verbum* ſuper quo percutiemini, adhuc addetis declinationem, ſiue deuiationem. *Vrget enim eandem tranſlationem quam cœperat, dicens:* filiis corruptoribus. *Oſtenditq; illos nec obiurgationibus, nec animaduerſionibus variis & grauibus affectos, ad ſanam mentem officiumq; ſeſe recipere voluiſſe, ſed ſcelus etiam penitus iam conceptum, ac per omnes totius reipublicæ partes, per omnes ordines diffuſum, vt peſtem quandam tueri, vlteriuſq; propagare perrexiſſe.* Adhuc addetis Præuaricationem. *Verba futuri per verbum, ſolere vel conſueſcere, rectè & ſignificanter exponi aliàs docuimus: itaque erit explicatio,* ſuper quo ſoletis percuti, adhuc vos conſueſcitis addere deuiationem, & declinationem. *namque hoc ſignificat verbum* ZZARAH, *vt non declinabis ad dextram, neque ad ſiniſtram. Hoc autem ſermone plagæ omnes indicantur, quæ Iſraëlitis cùm priuatè tum publicè inflictæ fuerunt, ea cauſſa, vt qui puniti eſſent, reſipiſcerent; alij autem ex aliorum periculo ſibi cauerent; atq; in Hoſſeæ commentariis harum animaduerſionum hiſtorias expoſuimus. Primùm enim Iſraëlitæ à vicinis & finitimis gentibus, vt à Palæſtinis, Aimonitis, Moabitis, Idumæis, Syris, Syrophœnicibus vexati infeſtatiq;*

*ſunt; interim etiam fame & peſte laborauerunt; deinde, à remotioribus hoſtibus petiti, & partim occiſi, partim abducti ſunt, vſque ad Samaritanam cladem, in qua decem tribus captæ, & emigrare, & diſpergi coactæ ſunt. Poſt hæc verò Iudæa, omnium extrema, vaſtata; ſeptuagenariam ſeruitutem tulit: neque tamen hæc gens, vbi reſtituta fuit, vel antiqua vitia poſuit, vel quieta omnino tempora egit, quoad tandem ſcelere ex euangelij repulſa, & Chriſti nece cumulato atque aucto excæcata, repudiata, abiectaq́; à Deo fuit. Omnem hanc rerum ſeriem contemplatus Ieſaias, diuina oratione expoſuit.* Super quo percutimini, *inquit*, adhuc additis deuiationem. *Vſus autem eſt biformi tranſlatione, tum lapidum in ædificiis vitium facientium, qui, dum ab artifice corriguntur, tamen reſultant, & deſiliunt; tum filiorum, qui, quo diligentiùs à patre caſtigantur, & ad officium reuocantur, eò grauiùs & turpiùs inſaniunt, & à paterno conſilio & inſtituto degenerant. Vtramque autem tranſlationem filiorum nomen Hebraicum admittit. Hanc verò poſteriorem ſubiunctis carminibus perſequitur; oſtendens fruſtrà illis ſanandis medicinam adhiberi, qui grauiſſima inſania inſipientiaq́; laborent; reſpuunt enim & reijciunt medicamenta omnia: quòd ſi duriùs tractentur vt accipiant, tamen non ſentiunt. Id verò propterea euenire, quòd vltrà reliquum corpus omne duæ principes partes, caput & cor, ex quibus virtus in reliqua membra dimanat, grauiſſimè laborent.*

Omne caput ad languorem, & omne cor mœrens.

Hip. Aphor. MEDICINAM *accipere fortis ægroti eſt. Vnde Hippocrates illud in ſuſcipiendis à ſe ægrotis requirit, vt mente conſtent, & ad omnia ſeſe rectè*
Prou. 17. *habeant; ſicuti ſcriptum eſt: Spiritus viri ſuſtentat infirmitatem ſuam. Quòd ſi morbus ipſa in primis ſpiritus & virtutis fundamenta occupat, fruſtrà medicina adhibetur, maximè reſpuenti & renuenti ægroto. Sunt autem duæ primæ ac præcipuæ corporis partes, & vitæ ſedes ac fontes, caput & cor; alterum ſenſus, alterum verò motus principia copiamq́; ſuppeditat; ex ſenſu cognitio oritur, ex motu calor & cogitatio. Hæc omnia ex ſacris libris aliquando docebimus, modò Deus noſtris conſiliis aſpiret. Atq; vtriuſuis harum partium debilitas, vel perturbatio, nedum vtrinſque difficillimam ægroti curationem reddit. Quamobrem iſtud Iſraeliticæ reipublicæ corpus deſperandæ fermè curationis eſſe Deus ait, vtpote cuius principes in primis partes grauiſſimæ, deinde cetera omnia membra vario & complicato morborum, vulnerum, & vlcerum genere affecta ſint. Caput autem reipublicæ rex, regiusq́; magiſtratus, cor verò, ſacerdotum ordo eſſe dicitur; atque hoc modo hanc ſententiam Ieremias retulit. „A principe vſque ad ſacerdotem omnes ſtudent auaritiæ, &c. „Iam quid mali vtraque patiatur pars, verba ipſa declarant; eademq́; ad regium & ſacerdotalem ordinem relata, quibus illi vitiis laborarint, ſignificant.* Ad languorem, HHOLI *Hebraicum nomen membri læſionem vſuſq́; veri & legitimi defectum ſignificat, quæ ſi ad caput referatur, inſania, phreneſis, ac dementia dicitur; atque ex hac*

*ex hac ſententia illud apud Eccleſiaſten eodem verbo pronunciatum eſt. Eſt* Eccleſ.6.
"*& aliud malum quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines, vir*
"*cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ*
"*ſuæ ex omnibus quæ deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem Deus vt commedat*
"*ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud. hoc vanitas & miſeria magna;*
*quod interpres apud Eccleſiaſtem vertit, miſeria, idem hoc loco vertit, languorem. Conſtat autem dementiæ & inſaniæ genus à Salomone fuiſſe deſcriptum, iuxta illud: Danda eſt Hellebori multo pars maxima auaris.* Horat.lib.2. Sat.3.

Omne cor mœrens. *Omne idem hoc loco nobis eſt quod totum: namque reſpublica omnis vnum cunctis ordinibus corpus conſtituit, quod & vates noſter obſeruat, ait enim; A planta pedis vſque ad caput. Itaque omne caput, cunctum regium ordinem & magiſtratum, omne cor ſacerdotalem ordinem, hoc eſt, ſacerdotes cũctos notat. Quod verò nos mœrens legimus, Hebraicè eſt* DAVAI, *quæ cordis infirmitas, & debilitatio, & ad exercendum munus ſuum debilitas maxima exponi rectè poteſt. Plerumque enim hoc verbum ad cor, atq; ad interiorum membrorum debilitatem, vt in puerperis ſacri ſcriptores vſurpant, vt ex illis locis notatur. De excelſo miſit ignem* Thren.1.
"*in oſſibus meis, erudiuit me, expandit rete pedibus meis, cõuertit me retror-*
"*ſum, poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam. & rurſus: Propterea* Thren.4.
"*mœſtum factum eſt cor noſtrum, ideo contenebrati ſunt oculi noſtri. Atq; præcipua corporis huius membra hoc modo ſe habere dicuntur, quale verò reliquum corpus ſit, audiamus;* A planta pedis vſque ad caput non eſt in eo ſanitas. *Nullum huius populi ordinem, munus, officiumq; ſuum conſeruare ac præſtare, ſed omnium in vniuerſum rationes conturbatæ vniuerſali hac & illuſtri complexione ſignificantur. Nouimus namque tum ex alienis, tum maximè ex noſtris libris rempublicam vnam, corporis vnius ſimilitudine deſcribi, in quo varia membra cùm ſint, ſingula ſuum munus exercent, quæ ſi bene conſtituta ſanaq; fuerint, eundem omnia finem ſpectant, hoc eſt, corporis totius ſalutem & conſeruationem. Hanc rationem D. Paulus ſcripta ad Epheſios epiſtola ſapientiſſimè eſt proſecutus. Oſten-* Epheſ.3.
*ditur verò miſerabilis & pudendus huius publicæ rei ſtatus, in quo principum partium debilitatio & inutilitas, & ceterorum membrorum corruptio eſt maxima.* Non eſt in eo ſanitas. *Hebraicum verbum* METHOM, *compoſitionis formam quandam habet ex* MA, *quod idem cum Latino, quid, &* THOM, *quod* integrum *ſignificat. Nihil, inquit, in toto corpore integrum eſt, nihil quod ſuam integritatem tueatur. Huius interpretationis locus ille eſt: Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ. Neque verò vno tantùm mali genere omnia laborant membra, vt curandi rationem vnam inſtituere poſſis; ſed vario & complicato morborum & corruptionũ agmine ſingula etiam obſeſſa ſunt, alia tument, alia putreſcunt, alia ſaniem remittunt, quando cordis & capitis conſilio & opera, quæ oportuna ad curationem ſunt, deſtituuntur: Neque enim ſatis eſt medicum ſeſe præſtare &*

opportuna facientem, ſed ægrotum ipſum, & eos qui circa ſunt, &c. ſicut
Prou. 14. ſcriptum eſt ad verbum: Cor lætum perficit ſanitatem. Difficillimam au-
tem curationem eſſe eius corporis, aut partis, quæ vario & complicato lan-
guore afficitur, medici omnes prodidere; quandoquidem variis remediis, cu-
randiq; rationibus vti neceſſe ſit: quas omnes quamuis fortis atque conſtãs
virtus, quia diuiſa tamen eſt, non rectè valet iuuare; nedum ſi languida im-
becillaq; ſit, qualis in hoc corpore notatur. Huiuſmodi autem affecta corpo-
ris huius membra vates indicat. Vulnus, & liuor, & plaga tumens. Vul-
nus, PESZAGH Hebraicè grauiſſimum vulnus & duriſſimum ſignificat,
Geneſ. 4. quale ſe homini cuidam, à ſe occiſo, intuliſſe Lamech apud vxores confite-
tur. hoc genus, maximè cùm inflammatum fuerit, difficillimæ curationis
Prou. 20. eſſe Salomon teſtatur, ait enim: Liuores vulneris abſterges in malo, &c.
Liuor, plagam graui aliqua re ac dura factam ſignificat, ad quam ſanguis
doloris vi euocatus, confluit & putreſcit, qui tamen exteriùs non emanat.
Plaga tumens Hebraicum adiunctum tabidum, vel tabeſcens propriè ſi-
gnificat, cuiuſmodi maxillam carne iam corrupta inueniſſe, ac in Palæſtino-
rum infeſtam turmam exercuiſſe Samſon dicitur. Iam verò quàm varia
horum malorum natura, & quàm difficilis curatio ſit, ſatis apparet. Vul-
nera enim recentia conſolidatione præcipuè & exſiccatione; Tumores com-
preſſione, & humorum defluentium deriuatione, & conſpiratione; Plagæ
verò, putreſcentes defluxionum correctione curantur. Omnibus autẽ tri-
plex cura eſt adhibenda; Compreſſio, Ligatio, Vnctio, quibus partes coniun-
guntur, continentur, & fouentur. Nullam verò harum curationum tantis
tam malè varieq; affectis populi huius partibus adhibitam fuiſſe vates ait:
Non eſt circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo.
Oleum genus eſt, vſurpaturq; pro quouis medicamento, ſiue ſimplici, ſiue
compoſito, qualia liquida quædam, alia etiam cerata ſunt, dummodo reſina
aliqua, vel gummi, vel aliàs pingui ſucco, cuiuſmodi oleum eſt, conſtet. Atq;
huius etiam ſignificationis illud eſt, quòd Chriſtus de Samaritano refert:
Lucæ 10. Curauit, inquit, vulnera eius, infundens oleum & vinum; aliàs oleũ idem
quod odoratum vnguentũ ſignificat. Sunt autem & in olei generibus quæ-
dam ſimplicia, & ad medicinam vtiliſſima, cuiuſmodi Balſamum verum
celebratur; quædam compoſitione & artificio parata, vt quæ à veteribus de-
Inogerius. Eubonius. ſcripta ſunt, atque in noſtros etiam vſus ab Inogerio, Eubonio, & Holle-
Hollerius. rio relata, qualiaq; præceptor in Chirurgia meus Franciſcus Arcæus piiſ-
Arcæus. ſimus vir, feliciſſimusq; medicus inuenit, atque in ſuis libris deſcripſit. Igi-
tur hunc populum tum malorum multitudine & grauitate, tum medicinæ
defectu, grauiter & periculosè laborare Ieſaias ait. Medicinæ autem defe-
ctum ipſa totius corporis grauis imbecillitas, & principum membrorum in-
ſania, atque impatiens remedij ægrotatio effecere. Quam rem apertè Hie-
Hier. 5. remias declarauit: Domine oculi tui reſpiciunt fidem, percuſſiſti eos, &
„ non doluerunt; attriuiſti eos, & noluerunt accipere diſciplinam; indura-
uerunt

*uerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti. Ego autem dixi,* "
*forſitan pauperes ſunt & ſtulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei* "
*ſui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis; ipſi enim ignorauerunt viã Do-* "
*mini, iudicium Dei ſui. Et ecce magis hi ſimul fregerunt iugum, ruperunt* "
*vincula. Hic illius reipublicæ ſtatus, iam tum conuelli & labefactari cæ-* "
*ptus, tamen eò tandem prauitatis ſecundùm Chriſti tempora deducendus ab Ieſaia videbatur; videbantur etiam & præſentes Chriſtianæ Eccleſiæ calamitates, quas ſi ad hanc imaginem referre in animo eſſet, longum nobis texendum foret opus, quod tamen ipſa ſignificatione non obſcurè indicatur, tantùm qui legerit intelligat. Duo autem nobis hoc loco breuiter obſeruanda ſunt. Alterum eſt præcipuorum membrorum morbos in ipſis ſua ſponte natos, ab Ieſaia notari,* Omne caput, *inquit,* ad languorem, & omne cor mœrens. *Populi verò ægritudines & miſerias, corruptiones aliunde aduectas, nimirum ex principum corruptela. Namque principes vbi corrumpi cœperint, & ſibi ipſis pariter & aliis, vel exemplo, vel imperio, & auctoritate nocent.* Liuor, & vulnus, & plaga manans, *non innati, ſed allati mali genera ſunt. Alterum verò eſt; populum vbi ſemel corrumpi cœperit, non vno tantùm vitio laborare, ſed alios, aliis, quoſdam etiam omnibus ſceleribus cooperiri & affluere; atque ita multis modis difficilem curationem euadere. Poſſemus hîc nomina ipſa & genera adnotare, niſi & doctioribus & breuiter hanc commentationẽ parare inſtituiſſemus. Iam verò quíſnam tam perditi ſtatus expectandus exitus foret, apertè vates noſter declarauit, eiuſq; prædictionis fidẽ euentus ipſe bis iam confirmauit; tertiò autẽ confirmandam cũ magno animi noſtri dolore expectamus, & deprecamur. Sed iam myſteriũ iniquitatis, vt Apoſtolus ait, operatur. Præterea illud breuiter exponẽdũ, triplici plagarũ genere, quæ magnitudine & grauitate amplificãtur, peccatorũ præcipua capita metaphoricôs indicari, quorũ Hebraica nomina ſunt* HHATH, GHAVON, PESSAGH, *Latinè Error, prauitas, tranſgreßio. Triplici autẽ medicãdi officio tres pœnitentiæ partes indicari, quæ ſunt; contritio, confeßio, & deteſtatio, ſiue correctio.*

Terra veſtra deſerta: ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili.

I N *omni hoc capite tria ſemper tempora cogitanda ſunt, illa Ieſaiæ, ceterorumq; vatum, vſque ad Babylonicam tranſmigrationem, & Chriſti etiam ſeculum, noſtramq; hanc extremam ætatem, ad quam temporum omnium antiquorum rationes pertinent; nam ſeculorum fines in nos deueniſſe Apoſtolus ait: Prædicit autem Iudæis Ieſaias Iſraëliticam regionem fore propediem coram ipſis ab Aſſyrio hoſte vaſtandam, ſolamq; Iudæam relinquendam interim eſſe, dum matura erit omnino illius iniquitas & malitia; eius verò gentis nomen & monimentum aliquod ad futuræ reſtitutionis ſpem fore conſeruandum in ipſa Babylonica captiuitate, atque in Ieruſa-*

*ruſalem, nonnullas tametſi exiguas reliquias ſuperfuturas. Hoc ad prima illa tempora ſpectat; Illud verò ad ſecunda, Iudæam gentem, totamq; illam rempublicam Euangelij repulſi, & maieſtatis imminutæ damnandam eſſe, & à Deo reijciendã, paucis tantùm relictis, quibus Euangelij lux placuit, & probata illuxit, & illucens profecit. Ad tertia autem, hoc eſt, ad noſtra, & futura ſecula, quemadmodum hæc non temporalibus, & carnalibus rationibus, vt prima tempeſtate; nec mixtis, vt ſecunda; ſed ſpiritualibus referantur, horreſcimus profectò cogitãtes. Qui habet aures audiendi, audiat & cognoſcat. Nos autem ſimplicem duorum temporum ſententiam exponamus;* Terra veſtra deſerta, *&c. Hoc miſerandum ſpectaculũ quod propediem per Senacheribum edendum erat, Iudæos commotos ſibi ipſis cauere & proſpicere oportuiſſe vates monet, & indicat; vidẽtes ſuas regiones habitatoribus abductis & occiſis, partim vaſtatas, partim ab illorum religione, vitæ, morumq;, ac conſuetudinis, atque omnino amicitiæ communitate alienis gentibus in vſum cedere, atque in his ſpectaculis & miſeriis ſuam tantùm rempub. ſatis debilem & adflictã, ſupereſſe.* Regionem veſtram coram vobis. *Etiam ante Samaritanam cladem illorum regio à finitimis & longinquis hoſtibus nullo vindice vaſtabatur, & diripiebatur. Idem etiam paſſi ſunt Iudæi ſecundi templi temporibus, & maximè ſecundum Chriſti ſeculũ, dum à Romanis aliisq; gentibus preſſi, indies omnibus tum terrenis, tum cæleſtibus commodis paulatim expoliati, magis atque magis contererentur. Quid autem nobis acciderit, quis non videt tot ac tantis veritatis, publicæ tranquillitatis, & Chriſtianæ pacis ſimplicitatisq; hoſtibus exſtantibus?* Sicut in vaſtitate hoſtili. *Hebraicè vaſtitate diſpergentium. Crudeliſſimum & inhumaniſſimum hoſtium genus indicat hæc vox, qui nullis perſonis, nullis rebus parcant, ac perinde vtilia, frugifera, atque infrugifera diſſipent.*

Et relinquetur filia Sion vt vmbraculũ in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicuti ciuitas quæ vaſtatur.

SIMILITVDINES *hæ facilè declarant qualis rerum Iſraëliticarum ſtatus poſt Samariæ cladem futurus eſſet, nimirum tenuiſſimus & humillimus, isq; quàm maturrimus, quoad, vt diximus, tempus adeſſet, quo & Iudæi etiam, in quos iam ferebatur ſententia, producendi eſſent ad pœnam, atque Babyloniam abducendi. Sicut & Hoſſeas his etiam temporibus dixit:*
Hoſeæ 6. *Sed & Iuda pone meſſem tibi cùm conuertero captiuitatẽ populi mei. Itaq; populi huius humilitatem, ſolitudinem, & breuem durationem aptiſſimè indicauit vates. Non domum, aut caſtrum, aut diuturnius aliquod ædificium, ſed vmbraculum in vinea, & tugurium in cucumerario, indicans. Namque huius generis quæ cõſtruuntur, omnia & exigui, & anguſti operis, & breuiſſimi temporis, quæ vnum aut alterum cuſtodem capiant, tamdiuq; à diurno æſtu, & nocturna cæli iniuria defendãt, quoad fructus omnis matureſcat, & colligatur poſthac deſerenda & deturbanda. Nihil aper-*

*apertius, nihil ſignificantius ad rempub. quam vates prædicabat indicandam, dici potuit. Qualis enim Iudaicus populus, ac quantus poſt Samaritanam cladem relictus fuerit, nemo eſt qui neſciat; quàm exigua etiam Iudæorum & Iſraëlitarum copia ad Euangelij & populi Dei regnum ſelecta fuerit, ceteris, ob infidelitatem & incredulitatem relictis, apertè ſatis ex Apoſtolorũ actis & ſcriptis oſtenditur; cùm ex tanto olim illius populi numero duodena tantùm milia ex ſingulis tribubus delecta, addito frontibus ſigno, recenſeri Ioannes Euangeliſta viderit. Idq́ adeò ex clementia & miſericordia illius contigiſſe, qui tunc populum longa expectatione, multis ac varijs modis monere, aduocare, retinere, atque hortari voluit; atque ita effectum eſt vt aliqui ſaltem crederent, & non ſubitò omnes perirẽt; id quod ſingulari gratiæ & beneficio eſt adſcribendum. Placuit namque Domino ea ſigna & virtutes cum magno & diligenti nunciandi Euangelij ſtudio, & contentione in illo populo oſtendere; quæ ſi in Sodoma & Gomorrha facta fuiſſent, fortè manſiſſent vſque in diem hunc. Aliàs autem quid de illis futurum eſſet, apertè vates oſtendit.*

Apoc.7.

Matth.11.

Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.

DVPLEX *Dei erga Iſraëliticum populum cura, duobus etiam appellatis nominibus à vate oſtenditur: Altera miſericordiæ, quæ prior atq́ antiquior eſt apud Dominum: Altera vltionis ac vindictæ, quæ poſterior ſemper eſſe ſolet; neque adeò niſi inſtante iudicij ratione ſuſcipitur. Etenim Deus vltrò miſeretur, punit nunquam, niſi ſceleribus hominũ prouocatus. Nomen* Dominus, *ex Hebraico* IEHVEH *conſtantes, & perpetuas miſericordiæ rationes præcipuè adnotãdas indicat. Cognomen verò* SZEBAOTH *potentiam, & facultatem ad vlciſcendum, puniendum, liberandum, eripiendum, & ſeruandum ſignificat, vt in libro de arcano ſermone docemus. In argumentis autem quorum ratio miſericordiam pariter & iudicium ſpectat, commodè vtrumque verbum vſurpatur Dominus exercituum. Sic Hanna Samuelis mater ſuæ ſterilitatis miſeriam graue contubernalis ſuæ opprobrium deprecatura, atque optatam prolem poſtulatura, ab his verbis prima omnium orationis exordium duxit; Itaq́ hoc ſignificat vates noſter, Deum etiam iratum & vlciſcentem, tamen miſericordiæ fuiſſe recordatum, atque eadem potentia & facultate qua Iſraëlitas puniebat, ne repentè omnino perirent, quoſdam ex illis conſeruaſſe ad ſuam ipſorum ſalutẽ, aliorumq́ etiam tum ſpem, tum reſtitutionem futuram; aliàs enim nihil aut mitius, aut leuius paſſuros quàm Sodoma & Gomorrha, principes olim vrbes, quæ ob iniuriam, noxam, & ſcelus de cælo tactæ, ac ſubitò exuſtæ, demerſæq́ fuerunt; quando neque maioribus viribus Iſraëlitæ ad propulſandum malum valerent, neque minori quàm Sodomitæ culpæ fuiſſent affines, vt ſtatim à Deo arguti, notantur:* Audite principes Sodomæ, &c. *Cæterùm diuinæ miſericordiæ conſilio & beneficio effectum eſt, vt abductis*

decem

*decem tribubus in diſperſionem, Iudææ & Ieroſolymorum habitatores ſupereſſent, qui Iſraëliticum nomen tuerentur, & propagarent. Deinde & iidem quoque capti, & Babylonem migrare coacti, reſtituerentur: Tandem omnibus iam ob Euangelium repulſum, repudiatis, quidam tamen ex illis deligerentur, qui Chriſtum recipientes, diuinorum promiſſorum, & donorum teſtes eſſent locupletiſsimi, atque aliis ad eorundem promiſſorum fidem, expectationem, ac demum vſum auctores, & miniſtri grauiſsimi. Atque adeò ad ipſa Euangelij tempora vaticinium hoc pertinere D. Paulus apertè docuit. Qui & hunc locum in hanc ſententiam exponens, nomen quoque* SEARITH *ea, quam nos indicauimus ſignificatione interpretatus eſt. Verbum verò,* reliquiſſet, *Hebraica coniugatio ſignificantiùs efficit,* relinquere feciſſet, *vt non caſu, nec hominum voluntate, aut hoſtium; ſed diuinæ miſericordiæ conſilio, decreto, atque imperio euenerit, vt cùm aliàs cuncti perdi ſubitò poſſent, tamen reliquiæ quædam ſeruarentur, quæ in longum tempus durantes, copioſæ ſegetis ſpem facerent: futurum namq; eſt,*
Rom. 11. *vt Iſraëlitis omnibus diuinæ miſericordiæ beneficium cõmunicetur. Nolo*
" *enim vos ignorare fratres myſterium hoc; (Paulus ait) quod cæcitas Iſra-*
" *elitis ex parte contingit, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſ-*
" *raël ſaluus fieret, &c. Quemadmodum autem hæc omnis ratio ad noſtra ſecula, & Chriſtianæ Eccleſiæ anguſtias (quo verè pertinet) referri poſsit, facilè ſapiens lector intelliget, cui illud indicaſſe operæpretium fuerit: Filiam Sion non tam arcanè Ieruſalem illam terrenam, quàm Chriſtianam Eccleſiam antiquæ Synagogæ appellari; vt nos cùm aliàs commodiori loco, tũ in arcani ſermonis interpretatione docebamus. Iam verò Deus cauſſam quam aduerſus Iſraëlitas agit, ipſorũ defenſionis redargutione confirmat.*

Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem victimarum veſtarum, dicit Dominus? Plenus ſum. holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui.

E A *hominum peruerſitas eſt, vt iis rebus quæ ad pietatem & honeſtatem ſpectant, maioribus & potioribus ac minora atque leuiora genera anteponant, atque neglectis, aut etiam contaminatis illis, quæ, cùm ſimpliciora & rectiora ſint, magis ad honeſtatis conſolidandam rationem faciunt: illa cũ magno apparatu & perſuaſione vſurpentur, quæ virtutis minus, ambitionis & oſtentationis plus habent; & eo pacto non homines modò, ſed Dominum ipſum ſapientiſsimum, atque omnis mendacij & ſimulationis inimiciſsimum eludere ſtudeat. Priores certiores atque probatiores omnino pietatis & diuini cultus partes ſunt, animorum recta inſtitutio, & ſimplicitas, puritas & ſanctitas, morum præterea integritas, & actionum omnium humanarum probata ſecundùm diuinum iudicium & decretum ratio atque exercitatio. Hæc res Hominem ad Dei amicitiam & conſuetudinem*

nem

nem aptum reddit, & parat: Ita vt maximum & præcipuum ſtudium in
ipſa hominis optima totius vitæ compoſitione ponendum ſit. Si quid verò
interea humanæ imbecillitatis cauſa vitij fortè irrepſerit, id protinus dete-
ſtatione, correctione, atque plena pœnitentia emendatum, conſequenti &
pœnam deprecanti, ſacrificio legitimo tandem expiari ſolet. Atque hac ra-
tione antiqua illa naturæ & veteris legis ſacrificia inſtituta ſunt: non
quòd ea primam & præcipuam cultus ſui partem Deus delegerit. Nam ſi
ſacrificium præcipuè delegiſſet, peccata hominum, quorum cauſa ſacrificia
inducta ſunt, præoptaſſe videretur. Nihil autem Deus magis auerſatur, &
odit, quàm peccata, ex quo fit vt nihil poſterius requirat, quàm ſacrificia pro
peccatis. Cùm autem Iſraëliticam gentem ab Ægyptiaca ſeruitute libera-
tam, ſibi in peculiarem populum, atque aliarum gentium exemplum, noſtro-
rumq́; temporum figuram delegiſſet, nullum de ſacrificiis pro peccato ver-
bum fecit; ſed voluntatem ſuam cognoſcendam, atque optimi illius cultus,
qui fide, charitate, ceteriſq́; virtutis & pietatis partibus abſoluitur, docuit.
S.S.E. Ibi conſtituit ei præcepta atque iudicia; atque ibi tentauit eum, di- Exodi 15.
cens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt coram eo fece- “
ris, & obedieris mandatis eius, cuſtodieriſq́; omnia præcepta illius, &c. Et “
tamen fuêre qui diuinæ relligionis cultum & obſeruantiam non ſic inter-
pretarentur, ſed illud ſatis ad pietatem præſtandam eſſe putarent, ſi ſacrifi-
cia frequentarent; quamquam peccare numquam deſiſterent, & dummodo
illa externa templi & ſacrorum celebritas vel augeretur, vel certè non re-
mitteretur: cetera omnia, quemadmodum haberent, non nimium ſolicitè eſ-
ſe curandum. Si quiſpiam verò de his externis rebus & cultibus quicquam
demeret, vel negligeret, eum impium, profanum, ſacrilegum, & omnibus
vindicandum ſupplicijs, omnium probris exagitandum iudicabant. Eos ve-
rò qui omnibus vitiis & ſceleribus cumulati eſſent, ceterorumq́; mores tur-
pes conſuetudine & exemplo, publicè & priuatim corrumperent, ferendos
tamen eſſe arbitrabantur: quod nihil ea ex re detrimenti religioni inferri
exiſtimarent: ſalua tamen omnia eſſe, dum ille externorum ſacrorum cul-
tus maneret. Ex hac opinione illa falſa quorumdam fiducia fuerat, qui pro-
pter templi ſartatecta curata, ſua ſibi ſcelera perpetuò impunita, ſuaſq́; vo-
luptates & flagitioſa ſtudia à Deo diſſimulanda, vel etiam permittenda fo-
re promittentes, illud iactabant, Templum Domini, templum Domini eſt. Ierem. 7.
Horum autem ſtultam fiduciam, & peruerſam de Deo diuinaq́; natura &
voluntate exiſtimationem Deus ipſe redarguit; cùm principes ipſos pri-
mùm, deinde populum appellat, non minorum culparum reos, quàm Sodo-
mæ & Gomorrhæ gentes olim fuerant; quæ ad ſceleris & iniuriæ faciendæ
ſtudium, diuinorum etiam monitorum Lothi pientiſſimi viri flagitia de-
hortantis auctoritatem contempſerant. Commune autem iam eſſe oſtendit
vtriuſque partis, & nobilitatis, & populi crimen, vt in Sodomorum exem-
plo commune etiam fuiſſe narratur: Viri ciuitatis vallauerunt domum, à Gen. 19.

» *puero vſque ad ſenem omnis populus ſimul. Non leuiori ergo nomine Iudæi appellantur, qui non leuioris culpæ infamia apud Deum cognitorem & Iudicem notati, atque impietatis & iniuriæ ſcelere communiter contaminati eſſent. Audite verbum Domini, audite verbum Domini principes Sodomæ. Regiam familiam, magiſtratum & ſacerdotum ordines, & ceteros qui populo reliquo duces ſunt, verbum Domini audire iubet, quòd cum illis, vt maiorem rerum cognitionem profeßis, cauſa ipſa rationibus collatis diſputanda erat, cum populari verò & imperita multitudine, quæ honeſtũ à turpi, verumq́ à falſo obſcurißimè diſcernit, & dignoſcit: omnisq́ à maiorum arbitrio & ſententia pendere ſolet: non erat diſputatione, ſed diuinæ legis denunciatione agendum. Hæc enim populo non diſputanda, ſed veneranda, colenda, & exercenda proponitur. Ita cum principibus & publicis hominibus non lege ſolùm, ſed legum etiam rationibus, cum plebe verò lege tantùm agitur: ſatis autem fuit plebi cognoſcere, in lege nullum de frequentando ſacrificiorum pro peccatis ritu præceptum; nullam etiam frequentiæ commendationem inueniri. Sed omnia hæc ſub conditione dici, & modum*
» *tantùm, ac formulam ſacrificiorum deſcribi, hoc genus, Anima ſi peccaue-*
» *rit, &c. offeret, &c. Huiuſmodi autem verba non ſignificant ſacrificium à Deo expoſci & poſtulari, ſed ad admißi aduerſus diuinum præceptum peccati expiationem poſt cetera pœnitentiæ ſtudia poſtremò requiri. Cùm verò rationem non omnibus peccatis communem eſſe; ſed iis tantùm quæ vel errore, vel ignorantia admitterentur: iis verò flagitiis quæ conſultò, & deliberata malitia ſuſcepta forent, nullam huiuſmodi expiationem conſtare,*
» *ſed dentem pro dente, oculum pro oculo, animã pro anima, vulnus pro vul-*
» *nere, liuorem pro liuore ſine vlla miſeratione pœnam eſſe propoſitam. Itaq́ de ſacrificiis nullum verbum in hunc modum, de pietatis verò virtutis atq́ honeſtatis ſtudio & exercitatione frequentißima, clarißima, & apertißima præcepta ſine conditione, ſine exceptione ſimpliciter data, & perpetuò*
Deut. 5. *commendata. Audi Iſraël, Deus tuus Deus vnus eſt, Diliges Dominum*
» *Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua,*
» *& ex omnibus viribus tuis, &c. Igitur populo legis formula tenenda, ac diligenter obſeruanda fuit; etiam ſi à principibus ſuis vel non doceretur, & exponeretur; vel contrariis præceptis contaminaretur. Tamen illa omnino primùm fuerat colenda, hæc enim illi certa doctrina, certa diſciplina, certaq́ conſtabat conditio. Quamobrem ait: Auribus percipite legem Dei veſtri populus Gomorrhæ: de lege enim quid illis agendum, curandumq́ foret, ſatis liquebat. Principes autem verbo rationibusq́ collatis & agitatis, meliùs id cognoſcere potuerunt & debuerunt, quippe qui legem accipere, intelligere, colere, aliosq́ ad colendum docere iubentur. Iam verbum ipſum, hoc eſt, ſententia & conſilium Domini, quod vtrique parti communiter, ſed principibus viris magis propriè cognoſcendum eſſet; ita temperatè exponitur, vt cognoſci ab vtriſque poßit.* Quo mihi multitudinem victimarum

rum veſtrarum, dicit Dominus. *Humani iudicij error peruertendis rerum rationibus creatur. Cùm vniuſcuiuſque generis laus ſecus definitur, quàm veritas ipſa exigat: vt ſi, quæ virtus in qualitate ſpectāda eſt, à quantitate & copia petatur. Duo ſacrificiorum genera ſunt antiqua, vel naturæ, vel legis ætatibus factitata, & noſtro, id eſt, noui Teſtamēti tēpore à Chriſti morte inchoatum, & abſolutum, atque ad nos vſque deductum ſacrificium. Neque enim nos illud ſacrificium offerimus, ſed illud ipſum Chriſti repræſentamus, & referimus; incruento (vt dicitur) modo repetimus id, quòd Chriſtus cruentum obtulit: de quo aliàs plura, & cognitu digniſſima explicanda ſunt. Sacrificium Chriſti ipſa rei ſacrificatæ natura præſtantiſſimum & gratiſſimum etiam Deo Patri eſt; vt in commentariis Hoſeæ docuimus; atque ex hac parte efficaciſſimum eſt, & ſalutiferum iis, qui vel dignè, vel legitimè curauerint, vel factitauerint: contrà verò iis, qui indignè vtrumque, vel alterutrum præſtiterint; non natura ipſius oblatæ rei, ſed illorum culpa, & impuritate vel inutile, vel incommodum euadit: iudicium enim ſibi manducat & bibit is qui indignè vtitur. (Loquimur autem de animorum ſalute, & de veris bonis; non de ceteris imperfectis, aut exiſtimatis tantùm fructibus.) Antiqua verò ſacrificia ipſius rei natura, neque bona, neque mala erant; ſed omne laudis nomen ab inſtitutione, & factitantium affectu atque animo adipiſcebantur. Inſtitutionis præcipua & prior ratio in ſignificatione erat Chriſti ſacrificandi, quam illa imperfectiſſimè quidem, vtcumque tamen referre & adumbrare potuerunt, quoad illa veteris legis & temporis vmbra durauit; poſterior verò ratio in modo & ritu faciendi verſabatur; quam ad priorem partem referri oportuit; vt aliàs nobis exponendum Deus (vt ſpero) dabit. At verò offerentium & factitantium affectus, præcipuè in illis antiquis, requirebatur. Idemq; in noſtris non poſtremum locum debuit habere: affectus autem ex pietatis in primis cultura & ſtudio, hoc eſt, recta in Deum fide, diuinorum præceptorum exercitatione, peccatorum deteſtatione & fuga; deinde ipſius, quæ agebatur rei, legitima cognitione & obſeruatione iniri debuit; vt hoc modo ſacrificium non ex quantitate, ſed ex qualitate, vnde verè laudē colligere poterat, probaretur. Itaque maxima illorum ſacrificiorum probatio, ex ſacrificantium animis oriebatur; ex re verò ipſa ſacrificata præter ſignificationē nihil laudabile obſeruabatur. Atque etiam hæc ipſa ſignificatio ad offerentis quoque animi rationem referenda erat. hæc ſacrificiorum qualitas fuit, quam vnam præcipuè cogitare curariq; diligenter oportuit. Quantitas autem in rerum ſacrificandarū numero, copia, & habitu conſiſtit: vt quod rariores, vel frequentiores; plures, vel pauciores; pinguiores, vel tenues & macilentæ magis animantes, vel inanimatæ ſacrificentur. Hanc autem partem vel poſtremam & minimam, etiam in iis qui vel ex debito, vel ex voto ſacrificare deberent: non ex neceſſitate, ſed ex facultate & arbitrio definiendam Deus permiſit. Si quis vitulum adferre non potuiſſet, is vel*

Ecclesia & nos etiam nunc illud offering.

*agnum, vel hœdum, vel turtures, aut columbarum pullos, vel ſimplicem & parabiliſsimam molam pari cum fructu afferebat. Summo autem hominum errore, eo tandem peruerſitatis hæc res deducta fuit, vt qualitate omnino ſpreta & neglecta, quantitas prælata, ſumma cum ambitione, & fiducia curaretur: quam quidem Deus ſimpliciſsimus, optimus, maximus, incorporeus, animum vnum appetenti ſibi offenſioni magis ac tædio, quàm iucun-*
1 Sam. 11. *ditati eſſe affirmat. S. S. E. Numquid vult Dominus holocauſta, & victi-*
Pſal 49. *mas, & non potiùs vt obediatur voci Domini. & illud: Audi popule meus,*
» *& loquar, Iſraël, & teſtificabor tibi: Deus Deus tuus ego ſum, non in ſa-*
» *crificiis tuis arguam te, & quòd holocauſta tua in conſpectu meo ſint ſem-*
Ierem. 7. *per. Idem & apud Ieremiam Deus obteſtatus dixit: Quia non ſum locutus*
» *cum patribus veſtris, & non præcepi iis, in die qua eduxi eos de terra Ægy-*
» *pti, de verbo holocauſtorum & victimarum, ſed hoc verbum præcepi eis, di-*
» *cens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus,*
» *& ambulate in omni via quam mandauit vobis Deus, vt bene ſit vobis.*

Plenus ſum. *Hebraicè, ſatiatus ſum. faſtidio quodam, & ſatietate abalienari ſeſe Deus dicit, ab iis, qui hoc modo illis pecorum & armentorum frequentibus hoſtiis, poſthabito ſolido pietatis officio, ſibi ſatis factum iri exiſtimabant. Quid enim vel ineptius, vel importunius excogitari & dici poteſt, quàm Deum, qui ſpiritus eſt, carne & ſanguine, omentisq́ paſci &*
Pſal. 11. *delectari. Numquid manducabo carnes taurorũ, aut ſanguinem hircorum*
» *potabo; ait ille apud Pſaltem. idemq́ hoc loco confirmat:* Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. *Maximam curam & cogitationem, atque exquiſitam diligentiam poſtremis & minimis rebus adhibere ſolent homines aliquando, & maioris ad pietatem momenti præcepta negligere: id autem quantum vitium ſit, cùm Prophetæ omnes, tum Chriſtus & Apoſtoli ſæpè oſtendũt. qui antiquas Iudæorum Deuteroſes, hoc eſt, Miſnaioth libros legerit, apertam huius loci ſententiam aſſequetur: mira enim illis in libris diſputatio de huiuſmodi externarum rerũ circunſtantiis; mirabiles collationes & comparationes dignitatũ & æſtimationũ; ibidem ſcrupuloſæ diſtinctiones ætatũ in animalibus. Huiuſmodi magnam curam illa enumeratio indicat, arietũ pinguiũ, hoc eſt, iuuencorum maiorum, vitulorum, & hircorũ, & agnorum, &c. quarum rerum curandarum diligentia ſuperuacanea Deo cenſetur, ſi vero pietatis & maximorum mãdatorum ſtudio deſtituta ſit. Nam ſi hoc non deſideretur, illud alterum genus non improbatur. hoc eſt, ſi exterioris cultus diligẽti cura internæ pietatis perfectæ rationi, & morum compoſitioni reſpondeat: quòd verò iſtis in illa verſatis vmbra dicebatur, id ad nos maximè pertinet, in quos ſeculorum fines deuenerunt. Sunt qui hoc loco antiquorum ſacrificiorum finem prædici interpretentur, iuxta il-*
Pſal 39. *lud: Holocauſtum pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi quæ ſecundùm*
» *legem offerebantur, &c. Sacrificium autem Chriſti futurum vtiliſsimum,*

*ſigni-*

*ſignificari. vt illud: Tunc dixi, Ecce venio: atque res ipſa ſic habet quidem, & aliis in locis planè prædicta, & apertè explicata eſt. Verùm ſimplex huius loci ſententia reprehenſionem peruerſitatis & abuſus improbationem magis, quàm aut infirmitatis oſtenſionem, aut defectionis prædictionẽ habet. Neque enim ſacrificia, quæ infirma aut non perpetua arguentur, cùm defectura prædicuntur, vel defeciſſe oſtenduntur, in reprehenſionem adduci obſeruamus; vtpote quæ legitimè curata, ſuos vſus, quamuis exiguos & tenues, fuerint ſortita; vt ſcriptum eſt: Et odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, &c. neque quiſquam propterea reprehenſus eſt, quòd ſacrificarit, dum illis modis agi liceret; ſed laudatus, ſi ritè & purè feciſſet. At verò hæc apud vatem noſtrum ſacrificiorum improbatio, & ſacrificantium ipſorum duriſſima appellatio, Principes Sodomæ, populus Gomorrhæ, non debilitatem, & imperfectionem; ſed abuſum pro ſumma pietate ab illis definitum & vſurpatum arguit. Hi autem, quoniam improbationem illam,* Quo mihi multitudinem, *&c. diuinæ legis præcepto & ſententia excipere, & refellere viderentur: quæ iubebantur certis ſtatiſq́ diebus Dei templum petere, & non apparere in conſpectu eius vacui, &c. (quod ab ipſis præceptum viſitationis appellatur) perperam definiti, & præpoſterè ſeruati præcepti à Deo deinceps redarguuntur.*

Gen. 8.

Cùm veniretis ante conſpectum meum: quis quęſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atriis meis?

VISITATIONIS *præceptum non rectiùs ab illis accipi, & teneri, quàm ſacrificiorum vſum affirmat; hoc eſt, omnia quæ purè, ſanctè, ſpiritualiterq́ definienda & tractanda inſtituta eſſent, ad ieiunam & aridam ceremoniam, & ad vulgarem & inanem conſuetudinem, quodq́ deterius multo eſt, ad prophanam licentiam fuiſſe tranſlata. Namque viſitationis præceptis illis, Dei in primis beneficiorum commemoratio, laudum celebratio, veniæ petitio, legum & voluntatis cognitio, mutuæ inter homines coniunctionis, ſocietatis, charitatis, exhortationis, conſolationis, & omniũ denique officiorum redintegrationis ratio cõtinebatur: vt apertè patet iis qui præcepta ipſa attentè legunt, quæ hîc repetere nobis non vacat: argumento autem expoſito, indicare ſatis fuerit. hæc illius viſitationis ſumma ratio eſt. ab iſtis tamen quadam frequentiæ & deambulationis atq; tumultuoſa popularis concurſus conſuetudine definiebatur & agitabatur, quaſi Deus illa frequentia delectetur, quæ præter tumultuoſam pauimentorum conculcationem, & arearum templi atriorumq́ ſordidationẽ, nullum præterea pietatis officium præſtet: cùm multo ſatius eſſet, ſi huiuſmodi fatuis & ſtultis atque vitioſis frequentiis templi pauimenta, & ſola vacua ac libera eſſent, minus profectò pulueris & luti, ac ſordium contractura. hæc huius verſus ſententia eſt, Cùm veneritis, &c. Hebraicè ad verbum.* Quòd veniatis ad videndum facies meas, quis quæſiuit hoc de manibus veſtris, calcare atria mea. *Quòd veniatis ad videndum facies meas, præ-*

*cepti ab illis cogitatione vſurpati, & obiecti Anthypophora, & relatio eſt.*
Exodi 34. *Tribus temporibus anni apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu*
„ *omnipotentis Domini Dei Iſraël,&c. Huiuſmodi prophanos planè ſacrorum abuſus execratus etiam apud Malachiam Deus perſonali oratione ac-*
Malach. 1. *cuſat: Quis (inquit) eſt etiam in vobis qui claudat oſtia, & incendat altare*
„ *meum gratuito? non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum,*
„ *& munus non ſuſcipiam de manu veſtra: nec verò victimas & holocauſta ſolùm, quæ non niſi à locupletioribus tractari poterant, ſed oblationem ipſam, tertium videlicet genus illud ſimplicius quod Minha dicitur, ac diuitibus & pauperibus eſt commune, ac facilè offerentium ipſorũ culpa corruptum & prophanatum, diſplicere ſibi Deus affirmat; atq; adeò hæc ſententia omnium hominum improbitatem arguit.*

Ne offeratis vltrà ſacrificium fruſtra.

HOC *ſacrificium* MINHA *dicitur, de quo nos aliàs. appellat autem ſacrificium fruſtra, quod Latinè dicemus inane & ſuperuacaneum. namque Hebraicè eſt* MINHAH SAVEH, *oblationem vanitatis; ſic à Deo nuncupatam, propterea quòd vera & legitima offerendi ratione vt ſignificatione deſtitutam, atque ſpirituali illo offerentium affectu inanem, inutilem tandem iis, qui offerrent, fore conſequeretur. Nihil igitur ex omni hoc genere ſibi probari Deus ait, quod vel ieiuno & ſterili ritu, vel ambitioſo & inani tantùm exhiberetur apparatu; non holocauſta, non victimas, non ſacrificium, ſed neque quod & natura ſua iucundius & gratius eſt, atque ſpiritualem ſimplicitatem propriùs ſignificare videtur, vt Thymiamatum, & cetera eius generis, quæ ſuffita & incenſa fumos remittunt ſuauiores, & qui ſubtilitate ſua, & ſuffiendi arte, cælum rectiùs petere, & citiùs pene-*
Pſal. 140. *trare putantur, vt ſcriptum eſt: Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incen-*
„ *ſum in conſpectu tuo. Tamen hoc etiam genus non minùs quàm cetera hominum malitia corruptum vehementer ſibi diſplicere Deus ait,* Et incenſum abominatio eſt mihi. *In omni ſacrificiorum & oblationum materia præcipuum locum tenet incẽſum; nam cùm cetera genera in prima templi, & aperta parte ſub dio ac ſuper æneam aram factitarentur, incenſum tamen in ipſo ſecretiori templo, quod* HECAL *dicitur, atque in aureo altari adolebatur: id quod ſingulari ac præſtanti myſterio & ſignificatione fuerat inſtitutum. Præterea cùm & huiuſmodi ſuffituum mentio fieret; illud continuò ſubiũgebatur, in odorem ſuauitatis. Omnes autem res ab illis corruptas, & illa qua abundare oportuit ſanctitate & virtute vacuas & inanes redditas, atque adeò ſibi inuiſas & faſtidioſas eſſe Deus apertè dicit; neq; verò in ceteris quæ ad religionis colendæ ornamentum, commoditatem, atque vſum inſtitutæ ſunt partibus, aut puriorem, aut integriorem rationem eſſe conſeruatam, aut quidquam præter nomen vanum & inane, vel omnino etiam rebus ipſis, & actionibus contrarium, apertéque repugnans relictum eſſe.*

Neo-

Neomeniam, & ſabbathum, & feſtiuitates alias non feram, calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens.

RERVM *omnium quæ ſub cælo ſunt rationem & vſum Deo ad homines referri ſolere, & ex illorum vel probatione probari, vel improbatione reÿci: atque hoc modo de rebus ipſis interpretari & ſtatui oportere pluribus diuinæ doctrinæ præceptis atque exemplis docemur, ex quibus illud eſt: Sabbathum propter hominem, & non homo propter ſabbathum.* Marc. 2. *Non rarò autem Iudæi à Spiritu ſancto reprehenduntur, quòd hanc veram rationẽ non intelligentes, nimis craſsè definirent, vt hoc loco cùm ſacrificiorum vſum duplici nomine improbari audirent, & quòd non eſſet ea res à Deo poſtulata vt præcipua aliqua pietatis pars, & quòd etiam certis conditionibus ad peccatorum expiationem procurandam deſcripta & informata eſſet, quamuis non legitimè curaretur: tamen illud verum præſidium, quod occuparent ſibi reliquum eſſe putare poterant; videlicet feſtorum vſum manere, nõ modò Deo probatum, ſed inſtitutum; & certis rationibus, atque illuſtribus elogiis commendatum; Sabbathi, quòd in eo quieuiſſet Dominus ab omni opere quod patrarat; menſis vel calendarum, quòd in iis gubernationis & prouidentiæ argumentũ renouata luna inſtauraretur, atque ex ea re menſis Hebraicè* HHODES *diceretur, oſtendit Deus, non magis hæc ſibi deinceps quàm cetera placere, vt quæ apud illos omni iam antiquata & obſoleta colendi legittimè obſeruatione, nomen tantùm vel vanum, vel vſibus contrarium retinerent.* Neomeniam, & ſabbathum, & feſtiuitates alias non feram: *Hebraicè ad verbum,* Neomeniam, & ſabbathum vocare vocationem non potero, vanitas & concurſus. *His verbis feſtorum etiam dierum abuſus Deo inuiſus declaratur. Neomeniæ, inquit, & ſabbathum, vocabulo tenus vſurpantur; ceterùm de vera illorum ratione ac definitione nihil iam ſupereſt; ita vt ego ſumma virtus & veritas iſtam tantam vanitatem & perturbationem ferre, & iſtam celebrem ac frequentem prophanationem ampliùs tolerare non poſsim,* Vanitas & concurſus. *nomẽ Hebraicũ* AVEN. *Cõtrariæ omnino ſignificationis eſt nomini diuino* EL, *quod virtutem & fortitudinem, veritatem & conſtantiam ſignificat: Vnde nomen* BETHEL *in* BETHAVEN *mutandum eſſe Hoſeas dixit. Significat ergo hoc nomen feſtorum vſum à veritate ipſa, rectaq́ obſeruatione ac definitione ad meros abuſus, vanitatemq́ & idololatriam, atque popularem voluptatem & inutile otium eſſe traductum, idq́ cum magna frequentia & celebritate, vt maiorem Deo concitet offenſionem. Et quoniam hoc celebritatis genus à Dei conſilio & inſtituto longè alienum erat, qui feſtiuũ corporis otium ad pium mentium negotium & exercitium indixerat, ſubiungitur ſtatim:* Calendas veſtras, & feſtiuitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens. *Feſtos dies non improbabat Deus vt à ſe magna myſteriorum ſignificatione, & cum magna*

*ritè obſeruantium vtilitate inſtitutos. Improbabat autem feſtos hominum, hoc eſt, ab hominibus, ab antiqua obſeruatione ad luxus & voluptatis prophanationem traductos, atque aliorum ſcelerum & vitiorum oportunitatem excogitatos: quos, quamuis Dei & religionis nomine ornatos, tamen non vt ſuos feſtos Deus agnoſcit: ſed vt prophanorum hominum reiicit. Cuiuſmodi ille feſtus ac celebris dies fuit, qui conflato & conſecrato in ſolitudine vitulo indictus eſt eiuſmodi,* Cras ſolemnitas Domini eſt. *Itaq; huiuſmodi feſta vel abuſu, vel inſtitutione prophanata odit Deus, ob eámque rem non ait:* Calẽdas & feſtiuitates odiuit anima mea, *ſed* Calendas veſtras, & feſtiuitates veſtras, *hoc eſt, à vobis vel prophanatione corruptas, vel ſuperſtitioſè inſtitutas. Multos enim ab iſtis feſtos dies in ſolis, lunæ, aſtrorum, aliorumq́; vanorum numinum honorẽ celebratos fuiſſe, ex antiquis hiſtoriis Regum, Prophetarumq́; libris cognoſcimus.* Laboraui ſuſtinens. *Sæpiſſimè in ſacris præceptorum & inſtitutionum libris homines monentur, ne Dei potentia ad extremum vſque abutantur: cuius finem*
Pſal. 49. *ſi experiri contendant, grauiſſimum tandem ſentient. Hodie ſi vocem eius*
" *audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm*
" *diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerũt,*
" *& viderunt opera mea. Quadraginta annis offenſus fui generationi huic,*
" *& dixi, ſemper hi errant corde: ipſi verò non cognouerunt vias meas, vt*
" *iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Huiuſmodi ſententiam hic locus habet, qua indicat Deus, illius ſuæ ſatis ſuperq́; ſpectatæ patientiæ finem iam inſtare; quippe quam ipſi nimium nimiumq́; tentauerint, adiunctis quotidie nouis ſceleribus & ſacrilegis feſtorum vel prophanationibus, vel inſtitutionibus & celebrationibus contra ius & fas excogitatis, & cultis. Atque hoc loco de ſabbatho non agit, de cuius prophanatione & abuſu iam ſuperiùs egerat; ſed de ſuperſtitione, inſtitutis, & luxurioſè ac ſceleratè celebratis ſolemnitatibus aliis: cuiuſmodi feſtum à Roboamo menſe*
3. Reg. 12. *octauo inſtitutum legimus: Quintadecima die menſis, quem fecerat de cor-*
" *de ſuo, & fecit ſolemnitatem filiis Iſraël, in ſimilitudinẽ ſolemnitatis quæ*
" *celebratur in Iuda. talia, inquit Deus, feſta odiuit anima mea: neque iam vlteriùs feram.* Laboraui ſuſtinens. *Repudiatis ergo ob abuſum & prophanationem tum ſacrificiis, tum feſtis diebus, illa ſupererat religionis certiſſima & perpetua exercitatio, quæ nulla legis mutatione, nullo rerum ſucceſſu & euentu, nullis denique vel proſperitatibus, vel aduerſitatibus oblatis, abolenda, prætermittenda, aut intermittenda erat. Hæc eſt precatio & ſupplicatio, omnibus hominibus, peccatoribus, & iuſtis neceſſaria: quam etiam iſtis ſua ipſorum culpa & malitia inutilem eſſe Deus declarat, eiusq́; rationem rei continuò indicat.*

Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam.

PIETATIS *& omnium mentis affectuum indices ſunt membra ipſa*

corpo-

*corporis, quæ varios animorum motus, vario etiam habitu & geſtu repræſentare ſolet. Quamquam autem lingua ſermonis vſu, affectus omnes internos explicet, tamen cetera membra priùs aliquando ac meliùs quàm lingua referunt, vt oculi, ſupercilia, totumq́ corpus: præcipuè autem brachia, & manus, quarum vſus multiplex eſt, & ad ſignificandam etiam remotis accommodatus. de quo toto genere in Rhetoricis noſtris, & in libris de arcano ſermone multa docemus. Igitur manus, & cetera membra ſacras hominum ad Deum preces & præcedit, & comitatur vario habitu: vna autem forma eſt extenſio, ſiue expanſio manuum; quæ optionem, deſiderium, petitionemq́ indicat. vt: Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra* Pſal. 142.
*ſine aqua tibi. Petitiones itaque & vota eorum irrita fieri Deus ait. Quæ* «
*quamquam multiplex ſequatur oratio, tamen fruſtra ab iis ſuſcipi affirmat, qui ſeſe indignos qui exaudiantur effecerunt: orationis autem fructum & vtilitatem charitatis integritas confirmat; defectus verò infirmat, & aufert. S. S. E. Cùm ſtabitis ad orandum, dimittite priùs ſi quid habetis ad-* Mar. 11.
*uerſus fratres veſtros, &c. Quòd ſi charitatis defectus precationis vtilita-* «
*tem impedit, quidnam in manifeſto fraudis iniuriæq́ faciendæ ſtudio fuerit expectandum?* Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. *Eſt autem ingratiſſimum, & vehementer inuiſum Deo ſpectaculum hoc manuum ſanguinis ab homine per iniuriam fuſi plenarum. S. S. E. Sanguinem enim* Gen. 9.
*animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de ma-* «
*nu hominis. Atque hoc loco iniuriæ faciendæ genus omne per iſtos frequen-* «
*tatum ſibi inuiſum eſſe Deus declarat. Fit autem iniuria vel in perſona, vel in re; eaq́ vel vi, vel calumnia, vel fraude admittitur. Omnia autem hæc nomen ſanguinis Hebraicum ſignificat, vt ſcriptum eſt: Ex vſuris & iniqui-* Pſal. 71.
*tate redimet animas eorum, & pretioſus ſanguis eorum in oculis eius. ſic* «
*verſus ad verbum Hebraicum: pretium namque rerum, ſanguines Hebraicè dicitur; & leuis ſanguis, & grauis ſanguis, idem eſt quòd Latinis vile & carum. Itaq́ eorum qui peccata & ſcelera ſua retinere volunt, neque ſacrificia, neque ſolemnitates, neque orationes & preces, aut Deo grata, aut ipſis vtiles ſunt; & qui aliter interpretantur, quid dicant, neſciunt. Hæc enim omnia ex animorum pietate oriri, & diuinorum præceptorum notitia informari oportet. Animorum autem pietas quam Iacobus Apoſtolus deſcribit, huiuſmodi rationibus initur, Viſitare pupillos & viduas in tri-* Iac. 1.
*bulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. Quam rem hoc in loco à Deo docemur, qui, quò minùs oblationes noſtræ & preces vtiles nobis euadant, noſtra culpa euenire ait; & quemadmodum id corrigatur, declarat, & monet; hoc eſt, pœnitentia, & declinatione à malo, atque boni officij exercitatione & ſtudio.*

Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruersè: diſcite bene facere: quærite iudiciũ, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduã.

VITIORVM & *virtutum exempla in animo, vt prima & propria ſede inſunt, materiam tractant variam: ſubiecta verò in quibus verſari ſolent, duo ſunt: aut enim erga ſeipſum aliquis bene vel malè agit, vel erga alterum. Prioris generis ratio puritate vel impuritate; poſterioris beneficentia vel iniuria definitur: vtrumque autem genus in iſtis corruptum corrigi iubet Deus: primum, vt anteactæ vitæ pœnitentiam ſcelerum deteſtatio comitetur; deinde vt officij exercitatio ſequatur, quamobrem ſacerdotes ſuos non tantùm lotos, verùm etiam candidis, puris, & elegantibus veſtimentis indutos, miniſtrare ſibi Deus voluerat.* Lauamini, mundi eſtote. *Ad priuatos mores, & ad vniuſcuiuſque puritatem pertinet hæc pars. Quæ ne ab iſtis ſimplici & indocta tantùm aquæ elementaris ceremonia definiretur, continuò explicatur.* Auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis. *Non verba & externa opera tantùm hypocritarum more corrigi, ſed vnde hæc omnia proficiſcuntur, ipſum cogitationum fontem purgari abſtergiq́ iubet; ita vt diuinis oculis, qui interiora penetrant, nihil quòd diſpliceat, offendatur. Deinde illud quòd ad alterius offenſionem ſpectat, diſſuadet.* Quieſcite peruersè agere. *Hebraicè deſinite, ſiue deſiſtite malignari. Neque tamen integra pœnitentiæ virtus mali deteſtatione tantùm, ſed officij quoque & beneficentiæ ſtudioſa exercitatione præſtatur.* Diſcite bene facere. *Alienatum à Deo ab illis beneficientiæ officium arguit, vt diſcendum denuo ſuadeat; deinde quo animo, qua mente, quo affectu denique ineundum ſit, docet, nimirum diſcentis affectu, qui non niſi cognitione & exercitatione perficitur. Neceſſaria enim in diſciplina omni tum præcepta, tum etiam vſus, exercitatioq́ ſunt. Atque ita* diſcite bene facere. *Antitheſis illius orationis, quieſcite peruersè agere.* Quærite iudicium. MISPAT, *vt in aliis commentariis definitum à nobis eſt, æquitatem & iuſtitiam atque rationem ſignificat; quam qui ſequatur ducem, numquam aberrabit, maximè cum totis ſacrorum præceptorũ libris expoſita ſit. Summum autem beneficentiæ ſtudium poſtulatur, quod non ſolùm in benemeritos, aut in eos qui bene mereri poſſunt, ac rependere, ſed in miſerrimos etiam & humana ope deſtitutos impeditur; in quos calumnia, fraus, oppreſſio ob vlciſcendi inopiam ſæuire licentiùs ſolet: vſqueadeo verò integrum officium poſtulat Deus, vt infirmiorum cauſis vltro ſuſcipiendis ſpectari velit.* Subuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam; *atque ex hoc loco docemur pietatis rationem, fide erga Deum, appetendarum fugiendarumq́ rerum cognitione & recto vſu definire. In his autem rebus morum puritatem, & virtutum ſtudium priorem locum obtinere, quibus cùm religionis exercitia accedunt, vtiliſſima ſunt; aliàs verò, ſi veræ virtutis ratione deſti-*
» *tuantur, non ſunt ad ſalutẽ vtilia, ob eamq́ rem Chriſtus docebat, hæc opor-*
» *tuit facere, & illa non omittere.*

Venite, arguite me, dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.

CON-

CONSILIVM ſtudiúmque ſuum vates apud Iudæos exponit, eóſque à temeraria aliqua & deſperata cogitatione ad certam pœnitentiæ ineundæ, & pietatis exercendæ viam aduocat; quod reprehenſionis hactenus relatæ grauitatem, & illorum nominum, principes Sodomæ, & populus Gomorrhæ, duram appellationem non rectè interpretaturos videbat: neque enim id eo conſilio vel à Deo mandatum, vel à vate expoſitum eſt, vt tam duro ſermone perturbati, propter conſcientiam ſcelerum veniæ deſperatione occuparentur: immo magis, vt à tam periculoſo vitæ ſtatu ad anteactæ vitæ deteſtandæ, atque ad pœnitentiæ ſtudium, & ad miſericordiæ ſpem reuocarentur. Atque hanc ſententiam Hebraica oratio indicat, qua vates, vt populi illius curator & conſultor quid in communi cauſa cogitandum agendumq́; ſit monet. Venite,& arguite me,dicit Dominus. Hoc vates conſulentis perſonam ſuſtinens, ait: Agendum, inquit,id omnes curemus. Cuius ego cauſa vobis Dei mandatum tã acriter expoſui;vt videlicet nos noſtræ culpæ pœnitentes, vitam de cetero corrigamus. Hebraicè ad verbũ ſine coniunctione eſt, Venite,arguamur,dicit Dominus. ſi fuerint,&c. Se ipſum vt populi partem, quamquam bonum & pium communi culpa inuoluit vates, & ceteros ad commune conſilium & ſtudium exhortatur. Arguemur, Hebraicum verbum NOKHHAH, reprehenſionem cum correctione in poſterum ſignificat. Hoc verbo Abimelech vſus, Abrahami vxorem Saram,ne ſibi atque aliis periculũ de cetero conflaret,obteſtabatur: Ipſe,inquit,eſt tibi velamen oculorũ. & omnino NOKAHHATH, id eſt arguere, vel corripere. Iam poſthac ne eiuſmodi vt hactenus conſilio vtare. Igitur vates hortatur ſuos, vt ſecum ad anteactæ vitæ reprehenſionẽ, deteſtationẽ, & correctionẽ conuertãtur, quã alioquin ipſe ſolus ſequi decreuerat, vt aliàs dicit: Hæc enim ait Dominus ad me, Sicut in manu forti erudiuit me, ne irem in via populi huius. Hoc autẽ conſilium diuinæ miſericordiæ & promiſſionis auctoritate illis cõfirmat, Dicit Dominus, Hebraicè,dicet Dominus. Futuræ certæ ſentẽtiæ ſignificationem obtinet, vt ſæpe aliàs indicauimus. Certum eſt, inquit, Dominum hæc dicturum, quæ iam olim ſæpe verè & legitimè pœnitentibus dixerat: Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, quaſi nix dealbabuntur. In colorum genere albus ſimpliciſſimus, ruber verò vehementiſſimus, & maximè perſpicuus eſt; vterque longè proſpicitur, ſed ruber difficillimè à veſtibus diluitur, præſertim ſecundò infectis, quas dibaphas antiqui dicebãt. hæret autem tenaciſſimè hic color, vt neque veſtium vetuſtate tolli, neque fullonis opera elui poſſit, vt ille dicebat: Nec amiſſos colores lana refert medicata fuco. Erat autem ſimplex & duplex tinctura, Duplicem SENI Hebraicè, hoc eſt, ſecundam vocant: Simplicem tantùm THOLAGHATH, hoc eſt, vermiculum. Non hîc de purpureo colore agitur, qui à rubro in nigrum declinat, quem puniceum etiam Latini dicunt; ſed de illo ardentiſſimo rubro, qui vermiculis quibuſdam formatur, quos certum arbuſti genus apud

Gen.20.

Eſa.8.

Horat.car. lib.3.

nonnullas regiones folliculis concluſos, & ſtipiti, vel foliis adhærentes producit; cuiuſmodi κόκκους Græci vocant (vnde coccinus color) Hiſpani granam, aliæ Occidentales linguæ cum Italis Scarlatam dicunt: colligitur ineunte æſtate maxima copia in Hiſpania Hiſpalēſi agro, apud Mariani montis ramenta, quæ ad Bethicam pertinent; in quibus nos etiam rupem habemus proſpectu amœniſſimo Virgini Matri ſacrā, ex qua pueros & puellas coccum non procul colligentes aliquando proſpicimus. Eſt & in Gallia Narbonenſi, & in Polonia, & in Græciæ regione quæ Phocenſis dicitur, & in Aſia apud Galatas. At qui Iudæorum ſcelera ac peccata, quòd plurima & grauiſſima eſſent, ſanguinis nomine notauerat Deus, quòd coccineum
4. Reg. 3. colorem, ſanguinis ſpecie candentē, etiam procul referat; vt ex Moabitarum hiſtoria docemur, quibus rubentis aquæ proſpectus ſanguinem retulit. Eandem igitur tranſlationem ſecutus hoc loco vates, integram ſcelerū omnium expiationem, verè & legitimè pœnitentibus deinde promittet. Quod opus ſolus Deus efficit: duo enim exempla ad hanc rem afferuntur, quæ nulla humana arte præſtari poſſunt: alterum, vt coccinum bis tinctum eluatur; alterum, vt veſtis eluta ad niueum candorem reddatur; qualem nullus fullo
Mat. 9. ſuper terram, vt Euangeliſtæ affirmant, facere poteſt. Atque hæc ſimilitudo apertiſſimè nos docet, caput hoc ad Chriſti vſque ſecula pertinere; neque enim ante Chriſti mortem & reſurrectionem, vllus homo à peccati corpore & fœditate ita lotus fuit, vt ad niuis puritatem & candorem euaderet. (ſingularia priuilegia Virginis, &c. ſemper excipimus.) Non enim id poterant antiqua ſacrificia, quæ non ſua, ſed Chriſti ſacrificij virtute & ſignificatione illud præſtabant: cùm non poſſent iuxta conſcientiam perfectū facere, ſolummodo in cibis & potibus, & variis baptiſmatibus, & iuſticiis carnis, vſque ad tempus correctionis impoſitis. Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculū, non manu factum, id eſt, non huius creationis; neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum; ſed per proprium ſanguinē introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti. Hoc admirabile Dei per Chriſtum opus nondū experti, antiqui illi ſancti viri maximo cum deſiderio expectabant. Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam, &c. Hoc diuinæ miſericordiæ ſolidum & perfectum donum optandum, ſperandum, atque expectandum populo ſuo. Deus hoc loco per vatem prædicebat, fore, vt pœnitenti, & miſericordiam imploranti, non ſolùm peccatorum expiatio & remiſſio concederetur, ſed puritas, & inte-

quæ sic [illegible] disputat auctor de extinctione belli, quo caro concupiscit adversus spiritum, ne quæpiam offendant, quasi velit in justis, et piis novi testamenti — Heb. 9. extingui peccati fomitem, intelligenda sunt eo modo, quo idem auctor loquitur in comment. Ioelis. 2. in enarratione illius loci, Et eum qui ab aquilone est etc pag. 227. ad medium, illis verbis, De quo domestico bello et perpetuo hoste, etc. atq. adeo omnia exigenda ad normam eorum quæ docet S. Thomas 1. 2. q. 81. a. 5. in corp. ad finem.

*integritas admiranda, per Spiritum ſanctum ſuum reſtitueretur: vt ſi fuiſſent rubra vt vermiculus ipſe, qui quoniam ruborem veſtibus inducit, magis etiam quàm ipſa veſtis rubet; immo ipſius rubedinis corpus & origo eſt: tamen Dei miſericordia, & Chriſti Filij eius virtute & efficientia, quaſi lana dealbabuntur. Sic Hebraicè. Lana, vt in ſacris obſeruauimus, purum vellus dicitur, antequam vllis coloribus vel fucis infecta, vel ſordibus affecta ſit. Itaque ipſa tantùm pura ſimplici candore materia, lana dicitur. Vt ex illo verſu liquet: Qui dat niuem ſicut lanam. Cetera verò vellera poſtquam infecta ſunt, nomen à colore ſortiuntur. vt Argaman.* SENI. THOLAGHATH. *Reſtitutionis igitur hominum ad innocentiam, & ad puerorum ſimplicitatem oratio hæc promittit; ſine qua ſimplicitate non intrabimus in regnum cælorum. Neque verò ſolùm ſanitas, & ſecuritas, ac prædictarum calamitatum declinatio illis promittitur, qui fide ac pœnitentia inſtructi fuiſſent; ſed maximorum quoque bonorum, & ſuauiſſimæ felicitatis vſus in promiſſis etiam vltro additur.* Pſal 147. Mat. 18. "

Si volueritis, & audieritis, bona terræ comedetis: quòd ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.

BONVM, *ſalus, pax, felicitas, Dei dona ſunt cunctis hominibus propoſita; nemini negata, & interdicta, niſi iis, qui ſua ipſorum culpa, ac vitio ſe indignos, qui vtantur, reddiderunt. Nemo profectò in iuſtiſſimo illo, & ſanctiſſimo tribunali, vel prædeſtinationem, vel præſcientiam diuinam, vel humanam imbecillitatem, & impotentiam, vel difficultatem, vel ignorantiam, vel obſcuritatem, vel aliquid aliud rectè excuſare poterit: cùm omnibus, quamuis ſceleratis, quamuis vehementi criminum nota conſpicuis, quamuis vt vermiculus rubentibus, prædictum ſit:* Si volueritis, & audieritis, bona terræ comedetis. *Habet autem terræ nomen Hebraicè articulum indicationis; qui ſub ea imagine terram aliquam inſignem ſignificat, cuius magna cura Deo ſit, quæ fructus producat ſuauiſſimos. Itaq; ſub terræ promiſſæ figura, humanæ naturæ inſtaurationem plurimis & præſtantiſſimis commodis refectum interpretamur; de qua ſcriptum eſt: Benedixiſti Domine terram tuam, &c. Huius terræ poſſeſſio, & vſus fructus, diuina efficientia & liberalitate conſtat: ſed hac lege,* Si voluerimus, & audierimus. *hoc eſt, Si voluerimus audire & obedire diuinis præceptis: promiſſorum enim euentus fidem & obedientiam à nobis exigit. Eſt autem hoc illi ſuperiori oppoſitum:* regionem veſtram coram vobis alieni deuorant. Quòd ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis. *Nunquam Deus iraſcitur niſi inobedientia & pertinacia hominum, poſt longam expectationem, & multam patientiam tandem prouocatus. Tum demum ſi quis perit, ſua ipſius culpa perit; qui eò vſque contumax fuit, quo ad periculum ſibi prædictum, denunciatum, indicatum, ac diſſuaſum, tamen molitus eſt.* Gladius deuorabit vos. *Eadem oratione tranſlatio & antitheſis fit: quam Latini in gladio aciem, Hebræi os dicunt. Atque ita* Pſal. 84. "

*illud frequenter vſurpatur, Occiſi ſunt in ore gladij: hanc tranſlationem ſecutus, dixit:* deuorabit. *Deinde Antitheſi vſus eſt: nam dixerat, bona terræ comedetis: ſin ſecus verò, vos comedemini: atque hoc loco gladij nomen ex ſimplici ad arcanam ſignificationem quoque transfertur; vt eos perdendos eſſe dicat, non ſolùm gladio illo ferreo ab hoſte externo, quo Iſraëlitæ, Iudæi & Ieroſolymitani occiſi, capti, & diſsipati ſunt; ſed gladio alio arcano efficaciſsimo, quale Euangelium fuit in mortem & reprobationem iis qui non*
Heb. 4. *crediderunt & obedierunt verbo Dei: S.S.E. Feſtinemus ergo ingredi in*
» *illam requiem, ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum: viuus*
» *eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Eſt autem hoc in loco nomen gladius Hebraicum* HHEREB, *quod exſiccationem, abſciſionem, perditionem, diſsipationem, exterminationem, & quidquid denique ex ſiccitate accidit, ſignificat.*

Quia os Domini locutum eſt. ORATIO *hæc tum auctoritatis, & certitudinis pondus, tum etiam prædictionis & ſuaſionis, vel diſſuaſionis momentum habet. Neque enim fruſtra Dominus os aperit ad loquendum, ſed certo ſemper conſilio & iudicio, atque certa cauſa. Quòd verò locutus fuerit, vel ab hominibus non eſt contemnendum, vel ſi contemnatur, tamen ipſe tuebitur, & confirmabit, ratumq́; faciet.*

Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.

IVRIS *tum priuati, cùm publici pondus & grauitas duplici nititur fundamento, legiſlatoris primùm auctoritate, deinde legum æquitate & ratione, quæ etiam in barbaris populis, etiam in impiis & Deum non timentibus, leges & inſtitutiones commendatas obſeruãdasq́; reddit. Oſtendit autem vates noſter vtramque iuris diuini ſacrarumq́; legum rationem & dignitatem fuiſſe à Iudæis & impugnatã, & omnino violatam. Namque diuinam auctoritatẽ, cuius nomine ſanctiſsimas illis leges fuiſſe oportuit, imminutam fuiſſe hactenus, oſtenſum erat. Dereliquerũt Dominum,*
» *blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum. Id autem quemadmodum admiſſum eſſet, partitione & expoſitione fuerat indicatum. Omne caput ad languorem, &c. Huius ergo partis concluſio admiratione & exclamatione à vate colligitur.* Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis. *Fidem optimo & maximo Deo ſummo iure, vt viro ſanctiſsimo, & bene merito debitam, & aliquando præſtitam, iam nunc flagitioſè proditam, atque mirandum in modum fractam & violatam, hæc exclamatio ſignificat: cuius figuræ vſus in maximis, & monſtro ſimilibus mutationibus apud vates eſſe ſolet: vt,* Quomodo ſedet ſola ciuitas plena popu-
Thren. 1. Pſal. 72. lo. Quomodo obſcuratum eſt aurum: *quomodo facti ſunt in deſolationem.*
Eſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris. Obſeruanda autem ſemper eſt in ſacrorum librorum oratione & ſententia figurarum ratio, vtpote quæ breui verborum tractu magnam ſignificationẽ contineat.*

*Igitur*

*Igitur diuinam auctoritatem, quam primi & maximi ponderis ac momenti apud iſtos eſſe oportuit, imminutam atque contemptā fuiſſe primùm ait, & debitæ fidei ſanctitatem turpi & quæſtuario flagitio, meretricū more, fuiſſe mutatam. Ex duobus autem Hebræis nominibus, quibus hæc feminarum conditio ſignificatur, alterum notanter hîc vſupatur* ZONAH, *quod meretricem ſignificat, ea ratione qua quæſtum facit, non ſolùm qua ſeſe amatoribus proſtituit. Namque hoc nomine* KEDESSAH *dicitur. eſt autem omnis* KEDESSAH, ZONAH; *ſed non omnis* ZONAH *eſt* KEDESSAH. *De quibus rationibus multa dicere poſſemus cognitu vtilia, quæ tamen huius loci anguſtiæ nō capiunt. Illud autem obiter adnotamus, iudicari à Deo ciuitatem eam quæſtus, & priuatorum commodorum cogitatione fidē violaſſe. Namque hoc venenum omnia quæ rectè apud homines inſtituta ſunt, tentat; & vbi inuaſerit, vehementer corrumpit. Deinde oſtenditur nullam non ſolùm Dei, & legiſlatoris, ſed neque æquitatis ipſius legum, & publicæ vtilitatis rationem ab iſtis fuiſſe habitam, cuius apud impias quoque gentes, & apud eos qui prouidentiam negant, maxima tamen obſeruatio eſt. Namque hanc matrem iuſti & æqui quidam eſſe putauerunt.* Plena iudicij iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. *Antitheſi & comparatione magnam & portentoſam illius reipub. declinationem & peruerſitatem ſignificat: nam ſi illa antea ignoratione rerum barbarè ac ruſticè aliquando vixiſſet, vt de antiquis hominibus nationes aliæ & poëtæ fabulantur; tamen vbi æquitatis imaginem ſibi oblatam cognouiſſet, amare & amplecti, colereq́ debuit; vt quorundam hominum ingenio & perſuaſione apud nonnullos curatum & præſtitum fuiſſe fertur.*

ZONAH. זונה

קדשה

*Silueſtres homines ſacer interpreſq́ Deorum*
*Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus:*
*Dictus ob hoc lenire tygres, rapidoſq́ leones.*
*Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis*
*Saxa lenire ſono teſtudinis, & prece blanda*
*Ducere quò vellet. Fuit hæc ſapientia quondam,*
*Publica priuatis ſecernere, ſacra prophanis;*
*Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,*
*Oppida moliri, leges incidere ligno.*

Hor. Poetica.

*Mirandum igitur foret ſi populus hic ex ruſticitate ad cultiorem, & humaniorem vitam vocatus, non tranſiret; quoniam æquitas per ſe ipſa amabilis probabilisq́ eſt: illud verò ſtupendum omnino eſt, quòd Reſpub. hæc plena iudicij cùm fuerit, & iuſtitia habitauerit in ea; nunc illis virtutibus eiectis, homicidas alat, & foueat. Eſt autem iudicium ex Hebraico verbo* MISPAT; *idem quod apud Latinos æquitas. Quæ videlicet nulla perſonarum, ſed ſola veritatis ratione & auctoritate ducitur. Iuſtitia verò cum æquitate miſericordiam adiunctam habet; verſaturq́ maximè in iis partibus ſuſcipiendis, quæ non iure ipſo & cauſa, ſed opibus & potentia debiliores*

משפט

res

*res & infirmiores exiſtunt: exemplo res cognoſcetur meliùs. Iudicium exercetur in cauſa ipſa legitimè ac iuſtè examinanda ac iudicanda, & reddendo vnicuique quod ſuum eſt, tam pauperi, quàm diuiti. S. S. E. Non accipies perſonam pauperis in iudicio: iuſtitia autem eſt ſeruata æquitatis ratione in cauſa ipſa viduarum, pupillorum, pauperum, & huiuſmodi infirmorum hominum partes iis circunſtantiis adiuuare, quas illis ob inopiam minùs integræ ſolent eſſe, vt tẽpore, hora, & voce, aduocatione, & ceteris:*

צדקה *atque ob eam cauſam nomen* SZEDACHAH *hîc vſurpatur, quod & iuſtitiam & miſericordiam ſignificat. Atque ipſum etiam nomen Latinum Iu-*

Math. 6. *ſtitia eandem ſignificationem in noſtris Bibliis conſeruat. vt, Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. vbi pro miſericordia & eleemoſyna iuſtitia eſt. His officiis & virtutibus quibus olim abundaſſe ciuitas illa dicitur, eiectis ac depulſis, quænam vitia ſuccreuerint, comparatione vates exponit.* Nunc autem. *Cùm virtutum illarum incrementum maximum ſperandum erat,* Homicidæ *contraria omnino res iudicio & iuſtitiæ ſpectantur; quamquam verò hoc ad certa quædam cùm in alios innocentes viros, tum in Prophetas, & tandem in Chriſtum ipſum homicidia perpetranda referri poterat; nos tamen ſimpliciùs & communiùs ad omnem affectum, ſtudium & actum ex charitatis defectu productum, & illis virtutibus, iudicio & iuſtitiæ contrarium referimus ex illa ſententia:*

1. Ioan. 11. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. quoniam hoc in populo inopes à potentioribus non ſolùm deſerebantur, ſed vel fraude, vel vi, vel calumnia opprimebantur. Atque iudicij & iuſtitiæ vſus aut defectus, vel publicè, vel priuatè ſpectatur. Priuatè autem in illo populo vtrũque deſiderari iam oſtendit, cùm non ſolùm cuique ius ſuum negari, ſed iniuriam paßim factã, impunè graſſari affirmauerit. Nunc verò eadẽ publicè quoque ita vagari ait, vt nemo ſit qui in ſuo malo ac damno experiatur, & ſentiat.*

Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum mixtum eſt aqua. COMMVNIS *omni populo, tam diuitibus quàm pauperibus fraus, moneta adulterando creatur. Quamambrem hoc ſcelus ſæuißimo ſupplicio puniri ſolet. Prima autem fraus in pretio ipſo cõmittitur, quòd argẽtum, ſcoria, & inferioris notæ metallis additis corrũpitur, magnumq́; hoc modo rebus domeſticis, & publicis detrimentum fit. Deinde verò illud corruptis, & auaritia perditis rebus publicis damni accidit, vt merces etiam ipſæ, & quæcumque ad vſum neceſſaria ſunt, calliditate, & ingenioſa fallacia inficiantur, & ad vendentium tantùm compendium, non ad ementium vſum parentur. Id autẽ cùm in omni materia fiat, nullibi magis communi damno & fraudi committitur, quàm in cibo & potu: quorum vt neceſſarius vſus, ita quoque publica eſt fraudatio. namque aliæ peregrinæ merces quæ vel ad voluptatem, vel ad delitias comparatæ chartis, linteis, & vitro deferuntur, quanquam maiori pretio vendantur, cùm tamen ditioribus tantùm conſtent, à quibus & negligi eiuſmodi res poſſunt, vt non neceſſa-*

*ceſſariæ, minùs communi fraude & damno corrumpuntur: vt ſunt Balſama, thura, aromata, & multa peregrina medicamenta. Deinde telæ ſericæ, lanæ delicatiores, foliata, & quidquid ex alienis regionibus ad luxum magis quàm ad vſum aſportare mercatura nouit. Præterea in iis non modò occultior, & diſsimulatior; ſed ſumptuoſior, & fucus, & fallacia, quam neq; omnes deprehendere, neque cauere ſciant. Cùm verò communiſsima quæq; & ad vſum neceſſaria corrumpuntur; idq; non ſumptu, non arte, non calliditate & diſsimulatione; ſed ſimpliciſsimè & apertiſsimè, atque adeò viliſsimè fit; præter ingens damnum, magnam quoque publicæ rei corruptionem, flagitioſam & ſupinam principum, & magiſtratuū arguit negligentiam. Vt quòd argentum non cupro ingenioſè tranſmutato, neque hydrargyro ſolidato, neque eiuſmodi chymica arte fucato; ſed additis ſcoriis, adulteratum. Vinum etiam aqua rerum viliſsima dilutum auctumq; fit, quod vitium magno audentum compendio, magno vtentium damno, maxima impudentia, ſummo iuris, legum & æquitatis contemptu admittitur. His autem duobus cōmuniſsimis & apertiſsimis generibus, cetera omnia arguuntur. Atque verbum illud* eſt, *quod in Latina interpretatione eſt additū explicationis cauſa, interiectum ab interprete videtur. Hebraicè autem ſic locus habet,* Argentum tuum fuit ad ſcorias, *hoc eſt, nouis ſubinde additionibus eò redactum eſt, vt nihil planè iam ſi denuo fundatur, præter ſcorias futurum ſit.* Vinum tuum aqua mixtum. *Hebraicum verbum miſcere, & augere ſignificat. Atque hanc tantam corruptelam, tam apertā & communem publicæ rei, & communis ſocietatis fraudem; tam abominabilem Deo fallaciam (de qua ſcriptum eſt: Lapis & lapis in ſacco vno abominatio apud Deum) quemadmodum principes & magiſtratus vlciſcantur, & prohibeant, continuò vates indicat.* Prou. 20. "

Principes tui infideles, ſocij furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.

V T I N A M *horum omnium locorum ex noſtris moribus non eſſet adeò aperta explicatio, quam ideo verbis tantùm indicatis, percurremus. Magiſtratuum conſilia infidelia, artes & actiones, tum erga Deum ſtudio, tum erga homines animo oſtenſo arguuntur infideles. Hebraicè* ZZOKEKIM, סוֹקְקִים *proprè de iis dicitur, qui nulla diſciplina, nullis legibus ipſi regi volunt; ſed ſuo tantùm arbitrio & libidine feruntur; cuius exemplum eſt: Si fuerit alicui filius* ZZOKEK. *Latinus interpres contumacem vertit. & apud hunc vatem Deus: Expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur in via non bona: poſt cogitationes ſuas populum, qui ad iracundiam prouocat me ante meam faciem ſemper. hæc eſt expoſitio verbi, infideles, ſiue* ZZOKEKIM. *Neque enim vno tantùm Latino, aut Græco vocabulo huius verbi ſignificatio reddi poteſt, quam, vt commodiùs explicaret D. Paulus, duobus reddidit: Ad populum, inquit, non credentem, & contradicentem mihi. Quo animo erga Deum, quo cultu, qua reuerentia principes iſti ſint,* Deut. 21. " Eſa. 65. " " Rom. 10.

*ex hoc vno verbo ſatis clarè arguitur. Quemadmodum verò ſeſe erga publicā rem habeant, ex priuatarū rerū ſceleratiſsimo ſtudio indicatur,* Socij furum. *habent ſingularem ſignificationem verba Hebraica omnia, cùm ex origine ſua, tum ex delectu & vſu Spiritus ſancti, quæ longiſsimis cōmentariis vix exponere paſsimus: ex quibus nos plurima conſultò percurrimus; quædam tantùm indicamus: vt hoc loco* ſocij, & furum *nomina plus etiam ſignificāt, quàm Latina: quæ tamen prætermittimus, ſuadentes eruditis & candidis, vt vel magno labore Hebraicam linguam diſcant; magnum profectò operæpretium facturi; neque ad hanc rem eorum qui nunquam didicerunt inuidia, ſed eorum potiùs qui intelligunt, teſtimonio vtantur. Tredecim, aut fortaſſe plurium linguarum notitiam, diuino beneficio, ſine vllo ceterarum facultatum detrimēto, aſſecuti ſumus, (abſit eruditionis iactantia puſillo & tenui homini, atque omnia Deo accepta referenti, ad illiusq́; laudem exponenti.) Nulla tamen tantùm ad ſolidam eruditionem, quātum Hebraica adiuti ſumus: ſed ad rem redeamus.* Socij furum, *non fures apertè nominat, ſed ſocios furum; ita vt ſtudio, re, ratione, exercitatione atque vſu, nihil inter illos & fures diſtare, nomine tamen diſcrimen eſſe affirmet; ſed hos eo potentiores, quo auctoritate & potentia maiores ſint: vtpote qui principes, alij autem ignobiles, tenues, & humiles ſunt; obſcureq́; & latenter propter metum furantur, vnde nomen Hebraicum ſortiuntur;*
גנבים GANABIM, *hoc eſt, occultatores, & celatores, vel occulti & tecti; ſed hi eidem ſtudio & negotio, potentiam, operam, & facultates addunt. Deinde cùm ceteri, vel qui alienas res occultè rapiunt, vel furto & fallacia defraudant; vt ſuperiùs dictum eſt, omnes fures ſint ac dicantur, tantùm abeſt, vt ab his reprimantur, & vetentur, vt tamquam vtiliſsimi ſibi foueantur, & impunitate data augeantur. Namq; deprehenſi & accuſati, non pœna, ſed direptarum rerum parte quadam damnantur, atq; id certis quibuſdam temporibus ac nominibus perſonarum in codices redactis repetitur, ita vt eius rei certum vectigal non conſtitui ſolùm, ſed & redemptoribus locari ſoleat. Neque verò hoc in loco reges, ſed principes non ſine inſigni notatione*
שר *appellantur. Nomen enim* SAR, *omnes reges, principes, præfectos, denique magiſtratus omnes quocumque in negotiorum genere præſint, ſignificat; horum demum aliud audiamus elogium.* Omnes amantes munera. *Quotus enim quiſque eſt, qui pietatis tantùm & reip. cauſa publica munera obeat; quiſnam ex hoc hominum genere adeò integer, vt publica munia ſuis fortunis & pecuniis vſus gratis exequatur? vel ſaltem qui publicè decretis ſtipendiis contentus, cetera commoda, & compendia non modò auerſetur, ſed*
Exodi 17. *oderit. S. S. E. Prouide autem de omni plebe viros ſapientes & timentes*
» *Deum in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam: ſi igitur aliquē hac*
» *mente & ingenio quæras, nullum profectò inuenies, inquit vates. Immo omnes amantes munera: hoc conſilio, hac ſpe magiſtratus ambiunt, ineunt, & gerunt, non vt munus ſuum Deo probent, ſed vt munera accipiant.*

*Quorum*

*Quorum rationes iam in omnibus locis certas habent, augeriq́ ſinguli cupiunt. Neque verò oblata vltrò accipiunt, ſed vt amantes venantur, expiſcantur, & diſquirunt. Atqui munerum amor & cupiditas ad omnem iniquitatem, iniuriam, & fraudē impellit. S.S.E. Non accipies munera, quæ* Exodi 23.
*etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum, ex antecedenti* "
*autem conſequens arguitur. Sed quæ hîc munera dicuntur, Hebraicè* SOHHAD *vocantur, ea propriè ſunt quæ à litigantibus iudici, ſcribæ, notariis,* סחד
*& ceteris vel iuris ſui redimendi, vel alieni euertendi cauſa, dantur. non enim omne munus eſt* SOHHAD; *ſed hoc tantùm à nobis deſcriptum, Latini captam pecuniam dicebant, de qua repetundarum lex à Piſone primùm* Cice. declar. orat.
*lata eſt. Hiſpani eodem ferè nomine, quo Hebræi, cohecho, vocant. Eſt autem eiuſmodi munus accipere criminoſum & ſceleſtum magiſtratibus: tamen iſti diligunt, tantùm abeſt, vt oderint.* Sequuntur retributiones. *Omne iudicum & magiſtratuum corruptum & ſceleratum ſtudium duobus verbis complexus eſt.* Sequuntur. RADAPH *accuratè & ſtudioſè magno conſilio & conatu quærere eſt.* retributionis *verò nomen eſt multiplex, cuius* רדף
*omnem ſignificationem principibus iſtis quadrare Deus affirmat. Mulcta in legibus quæ pœnales dicuntur, conſtituta, hoc verbo Hebraicè dicitur, vt: Reddet Dominus ciſternæ pretium iumentorum. & paulo inferiùs: Red-* Exodi 21.
*det bouem pro boue. & iterum in furtis: Quinque boues pro vno boue reſti-* Exodi 22.
*tuet. Harum verò mulctarum iudicis arbitrio vel in fortunis, vel in corpore nocentum inferēdarum genera notare voluit: facilis enim eſt apud auaros iudices pœnæ in mulctam commutatio: huiuſmodi autem arbitrationes ditare ſolent, & iudices, & delatores, quos plurimos eſſe aliquando contingit, qui aliena maleficia non vindicandi aut arcendi, ſed deferendi, atque mulctæ cauſa obſeruāt. Hoc eſt,* ſequi, *ſectari, & venari.* Retributiones. *præterea & mutuum officium, & mutuas operas hoc verbum ſignificat. Siue in commodum, ſiue in offenſionem res cadat. vt, Si reddidi retribuen-* Pſal 7.
*tibus mihi mala. Hoc etiam principum & magiſtratuum ſtudium fuiſſe,* "
*par pari inter ipſos referendi. & hic illius, ille huius principis & magiſtratuum petitiones, familias, clientelas, atque omnes denique cauſas foueret, aliusq́ ab alio vel ſimilia beneficia, vel paria omnino ſtudia, etiam aduerſa, expectaret: quas ad res vbi magiſtratus attentus fuerit, ſua tantùm agit, nihilq́ minùs quàm aliena negotia, maximè miſerorum, & omni humana ope deſtitutorum, curat.* Pupillo non iudicant, cauſa viduæ non deſcendit ad eos. Pupilli cauſa *miſerabilior eſt adhuc quàm viduæ; illam autem cùm iſti negligant, efficiunt, vt neque vidua quidem eos etiam adire audeat: vtpote quæ nihil melius ſperare poſſit. Atque hoc pacto non ſolùm publicæ rei damnum & iactura, ſed pietati etiam maxima fit contumelia. Nam qui pupillum & viduam deſerit, Dei Patris orphanorum, & Iudicis viduarum numen, auctoritatem, & nomen lædit. non paſſuri diu tantum ſcelus, tantamq́ filiis atq́ clientibus ſuis factam iniuriam, inultam manere.*

Propter hoc ait Dominus Deus exercituum, fortis Iſraël: Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.

MEMINIMVS *in Commentariis Ioëlis & Amoſi vatum indicare Deum ſuam religionis violatæ cauſam, quam publicam iniuriam diutiùs tolerari, & pati, & omnium ſcelerum cumulum; quo diuina ira ad vlciſcendum irritari ſolet, iniuriam eſſe in populis publicè graſſantem, quæ Hebraicè* HHAMAZZ *dicitur. Eadem autem illa hoc loco repetenda ratio eſt.* חמס *Vidimus namque Deum multis religionis ac fidei violatæ criminibus enumeratis, Iſraëlitas arguentem, hoc extremo de publicarum rerum peruerſa ratione, ac de miſerorum, quorum ipſe patrocinium ſuſceperit, neglecta cauſa, vt grauiſsima moleſtia & offenſione affectum exclamare, dolere, & de vltione cogitare: atque eas animi perturbationes oratione exprimere, quibus optimi & pientiſsimi viri in eorum, quos charos habent, tueriq́ debent, ſpectandis iniuriis cōmouentur. Atque hoc ſic à nobis explicatum, tota ipſa oratione obſeruandum eſt.* Propter hoc. *Quia his ſceleribus completa eſt iniquitas populi huius, ait Dominus Deus exercituum vltor ſcelerum potentiſsimus.* Fortis Iſraël. *nomen* ABIR *Hebraicum vnà cum illius coniugatis, fortem, potentem, defenſorem, protectorem, dominatorem ſignificat. Pertinetq́ ad Deum, Angelos, homines, armenta, & greges, in quibus qui potentiſsimi & robuſtiſsimi, atque ceteris ducendis, & protegendis idonei ſunt, dicuntur* ABIRIM. אביר *Huiuſmodi patronum, protectorem, & defenſorem ſeſe Deus Iacobo, humili quondam viro profeſſus præſtitit, atque ad Iſraëlis dignitatem prouector ſemper exhibuit. S. S. E. Et diſſoluta ſunt* Gen 49. *vincula brachiorum illius per manus potentis Iacob. Iudæ paſtor egreſſus* Pſal. 131. *eſt, lapis Iſraël, Deus patris tui erit adiutor tuus; & hic etiā Deus à Pſal-* Eſa. 40. & 60. *te appellatur* ABIR IAACOB. *& per hunc etiam vatē redemptor tuus* ABIR IAACOB. *ait verò ſeſe in Iſraële tuendo, & ab improbiſsimorum hominum iniuriis & contumeliis vindicando eundem patronum, quem à principio profeſſus fuerit, præſtiturum: idq́ non ſine gemitu & exclamatione pronunciat; quæ res & magnam Dei erga ſuos curam ac ſolicitudinem, & grauem futuram in aduerſarios vltionem oſtendit.* Heu conſolabor de hoſtibus meis. *Hoſtes appellat à ſe cultuq́ ſuo ad vana numina deſciſcentes; eoſq́ hoſtes tantùm dicit, vt qui alienas partes ſequantur: poteſt autem hoſtis eſſe, qui inimicus non ſit: namque hoſtilitas ſtudiorum, inimicitia verò animorum contentione definitur, itaque leuiùs tulit, leuioriq́ nomine appellauit Deus, priùs violatæ religionis, ſcelus, quāuis grauiſsimum natura & obiecto eſſe conſtat. Tamen cùm ad iniuriæ faciendæ ac vindicandæ rationem reſpicit Deus, aliis imbecillioribus præſertim factam iniuriam & contumeliam ſuam interpretatur.* & vindicabor de inimicis meis. *Hebraicè,* de anguſtiatoribus meis. *Primum illud ſcelus fuit, à Deo ad alios cultus deſciuiſſe, ſeſe verò angi & oppugnari, Iſraëliticum populum opprimi, & in miſeros contumelioſè agi: eſt autem vltio eius, qui vlciſci-*

*eiſcitur, conſolatio, qua nemo fortis & maximus vir, vti ſolet, niſi in grauiſſima & moleſtiſſima re, & quam alio modo infringere non poſſit, ex quo manifeſtum eſt, grauiſſimam eſſe charitatis violatæ & iniuriæ miſeris factæ offenſionem. Quæ Deum ad exclamationem, & ad vltionis cogitationem prouocat. S. S. E. Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante* Exodi 22.
*ſolis occaſum reddes ei. Nam ſi clamauerit, exaudiam eum: quia miſericors* "
*ſum. Iam verò quemadmodũ Iſraëliticæ rei & dignitatis ratio vindicãda, inſtauranda, fouenda, & tuenda ſit, ſubiunctis verſibus declarat Deus.*

Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam: & auferam omne ſtannum tuum.

VIOLATÆ *relligionis publicæ rei corruptæ, & priuatarum rerum ſtudiis poſthabitæ rationem omnem fucato & fallaci argento aſſimilauerat, quamobrem eandem tranſlationem perſecutus de corrigendo, & purgando populo decernit, quem non vna tantùm calamitate, ſed pluribus afficiẽdum prædicit, quo ad purũ & purgatũ, inq́ eum quem decet nitorẽ reſtitutum eſſe contingat. Solent aurifices, & qui metalla perpurgãt, argentũ plumbo, aliisq́ inferioris notæ mixtionibus infectum iterũ atq́ iterũ igni cõflatum examinare, quoad ſecretis omnibus ſcoriis purum putum probatumq́ reddant. Hoc ergo eſt quod Deus ait:* & cõuertam manum meam ad te, *extendere manũ, rem aliquam facere eſt, quã vt ſæpe repetas, manũ conuertere, ſiue, vt Hebraicè eſt, opus iterare dicemus. Illam verò ſcoriarũ exactionem, & ſtanni remotionem ex ipſa propoſiti argumenti ratione, facile eſt interpretari: ſignificat enim illos non vna tantùm clade penitus abſumendos, ſed paulatim premendos affligendosq́ fore, quoad improbioribus, & impurioribus de medio ſublatis, ceteri ſupereſſent: quibus miſericordiæ beneficium diuina benignitate daretur. Atque hæc purgatio, hæc inquam improborum reiectio ab ipſis Achaz regis temporibus cœpta, ad extremam vſ-* 2. Par. 28.
*que per Titum allatam cladẽ, variis renouatis calamitatibus, protracta eſt.* "
*Namque Achaz non fecit rectum in conſpectu Domini, ſicut Dauid pater* "
*eius: ſed ambulauit in viis regum Iſraël, & cætera, quæ de illo memoriæ* "
*prodita ſunt. ac deinde ſubiungitur: Tradiditq́ eum Dominus Deus eius in* "
*manu regis Syriæ: qui percuſſit eum, magnamq́ prædam cepit de eius impe-* "
*rio, & adduxit in Damaſcum; manibus quoque regis Iſraël traditus eſt, &* "
*percuſſus plaga grandi, occiditq́ Phacea filius Romeliæ: de Iuda centum vi-* "
*ginti millia in die vno, omnes viros bellatores; eo quòd reliquiſſent Domi-* "
*num Deum patrum ſuorum. Eodem tempore occidit Zechri vir potens ex* "
*Ephraim Maſiam filium regis, & Ezricham ducem domus eius, Elca-* "
*nam quoque ſecundum à rege. Ceperuntq́ filÿ Iſraël de fratribus ſuis du-* "
*centa millia mulierum, puellorum, & puellarum, & infinitam prædam:* "
*pertuleruntq́ eam in Samariam. Tempore illo miſit rex Achaz ad regem* "
*Aſſyriorum poſtulans auxilium, veneruntq́ Idumæi, &c. Quæ, quantæq́* "
*tempeſtates à diebus Achaz vſque ad templi ſecundi euerſionem commotæ*

*Iudæis fuerunt, ex temporum & hiſtoriarũ obſeruatione manifeſtæ ſunt. Quid verò ceteris Iſraëlitis qui in decem tribubus cenſentur, acciderit; non minùs cunctis qui ſacros libros legerint, eſt notum. Hanc autem improborũ reiectionem, reliquorũ delectum, & probationem ſecutũ ire ait: id quod Eccleſiæ naſcentis tempore cœptũ, in nouiſſimis diebus abſoluetur.*

Et reſtituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & conſiliarios ſicut antiquitus. Poſthac vocaberis ciuitas iuſti, & vrbs fidelis.

APOSTOLOS, *Epiſcopos, doctores, principes, & magiſtratus, non modò antiquis pares, ſed tanto preſtantiores, quanto melioris teſtamenti, & perfectioris legis miniſtros, reſtituturum, & inſtauraturum ſeſe Deus pollicetur. Quod verò dicit,* vt fuerunt priùs, *non humana gratia & plebeio ſtudio, ſed diuino ſpiritu, & manifeſta virtute legitimè creandos eſſe iudices, magiſtratus, & conſiliarios illos: vt olim Moſes, Aron, Ioſue, & Septuaginta illi quos Moſes cooptarat; atque alij etiam de quibus in antiquis libris ſit mentio, creati fuerunt.* Vt fuerunt priùs *Hebraicè.* Vt in
Num. 11. prima, *videlicet creatione, cùm dictum eſt: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, quos tu noſti, quòd ſenes populi ſint, ac magiſtri; & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſq́ibi ſtare tecum, & deſcendam, & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamq́; eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris. Hoc modo creatos, & diuino ſpiritu auctos Chriſtianæ Eccleſiæ miniſtros, in actibus Apoſtolorum*
1 Cor. 12. *legimus, & apud Paulum: Ipſe quoſdam quidem poſuit, primò Apoſtolos,*
" *ſecundò Prophetas, tertiò doctores, deinde virtutes, exinde gratias curatio-*
" *num, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, &c. Huiuſmodi miniſtros vbi ſortita eſſet Hieroſolyma ciuitas illa à Prophetis decantata, meritò vocanda erat ciuitas Iuſti, hoc eſt, iuſta ciuitas, quæ iuſtitia diuina abundet, & gubernetur. Itaque iuſti in neutro genere pro iuſtitiæ dicitur, & vrbs fidelis, per fidem quæ reuelanda erat; de qua multa apud Apoſtolos, maximè verò apud Paulum: quæ nondum ſatis ab expoſitoribus explicata*
Gal. 3. *ſunt. Illa enim fides, quam diuinus ſpiritus iis quos afficit, infundit, non modò fideles, ſed etiam conſtantiſſimos reddit homines: cuius rationes nos pluribus & exactiùs commodiori loco, & præſenti ſermone, Deo dictante, indicabimus. Rarum enim huius diuini doni vſum his miſerrimis tempori-*
Lucæ 17. *bus eſſe ſuſpicamur. De quo ſcriptum eſt: Veniens autem Filius hominis,*
" *putas inueniet fidẽ in terra? Atq; huius feliciſſimæ vſum reſtitutionis, vel potiùs perfectionis euentum certiſſimum fore Deus prædixerat. Eúmque certis legibus & conditionibus expectandum propoſuerat, hoc eſt, æquitatis, ſiue iudicij & pœnitentiæ ſtudio.* Sion in iudicio redimetur, & reducẽt eam in iuſtitia. *Quid iudicium, quid iuſtitia ſit, iam expoſuimus: igitur improbis & contumacibus ſublatis atque reiectis, ceteri qui officij pœnitentiæ & iudicij legibus & conditionibus vti voluerint, liberationis & iuſtitiæ diuinæ cõmunicandæ participes erunt;* reducent eam in iuſtitia.

*Pœni-*

*Pœnitentiæ ſtudium & euentum hæc oratio ſignificat, quam Chriſtus & eius Apoſtoli poſtulant ab eſurientibus & ſitientibus Euangelicam iuſtitiam, atque ita verbum reducent, exponimus. quod Hebraicè eſt conuertentes, ſiue conuerſi, ſiue pœnitentes eius. Manifeſtè namque ad pœnitentiam pertinet Hebraicum verbum. Hunc locum Chaldæus Paraphraſtes ita exponit:* Sion quando fiet in ea iudicium, redimetur, & qui fecerint legem, reuertentur ad eam in iuſtitia. *his enim legibus diuinũ beneficium in filiis Abrahæ ponendum erat. S.S.E. Et cuſtodiet viam Domini ad faciendum iuſtitiã & iudicium, vt venire faciat Dominus ſuper Abraham, quæ locutus eſt ſuper eum. Atque prior & proprior effectus hic eſt, vt credentibus & pœnitentibus redemptionem adferat. Alter verò in improbos, & contumaces euentus, eſt reiectio à Deo atque interitus. S.S.E. Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum. De hoc autem altero euentu, illud à vate ſubiungitur.* Gen. 17. Lucæ 2.

Et conteret ſceleſtos & peccatores ſimul, & qui dereliquerunt Dominum, conſumentur.

*Verbum enim abbreuiatum faciet Dominus, verbum abbreuians & conſumens in æquitate, ait Paulus, de hac re verba faciens. de qua etiam Malachias: Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi, & facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens.* Rom. 9.

Confundentur enim ab idolis, quibus ſacrificauerunt: & erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis: cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus abſque aqua.

VT *ad Iudæos & Iſraëlitas quos primùm ſpectat ſententia referatur, Iudæorum res paulatim conterendas prædixit. Iſraëlitarum verò quos ob diſceßionem à vera religione factam dereliquiſſe Dominum, & ob plurima admiſſa ſcelera, ſceleſtos & peccatores eſſe dixerat; non paulatim, ſed celeriter, atque vno ferè impetu perdendos, & abducendos vaticinatur. vt apud Hoſeam: Et ero domui Iſraël vt tinea, & domui Iuda vt caries. Omnes enim Iſraëlitæ in diebus Hoſſeæ, filij Elach, capti, abducti, ac diſperſi ſunt; huius autem vtriuſque populi cladem propter hanc cauſam fore ait, quòd inutili idololatriæ ſtudio intenti, & iis rebus fidentes, quæ iuuare non poſſunt, à vero Deo deſciuerint, qui ſolus iuuare, prodeſſe, & beare poteſt; à quo qui ſeparantur, quamquam omnibus rebus in ſpeciem florentes viſi ſint, tamen vlmis, quarum folia decidunt, & hortis quos aquæ deficiunt, redduntur perſimiles: his enim & fructus omnis, & decoris atque amœnitatis vſus perit, atque ex hac ſpecie omne genus arguere licebit. Namque omnis vanus cultus, omniſq́; violatæ religionis, & pietatis proditæ culpa ad hæc genera, quæ à vate indicata ſunt, aptè referuntur. Iam verò diximus hoc vaticinium viſionem, ſiue Hhazon eſſe, qua non vnum tantùm tempus, ſed antiqua omnia, & noſtra etiam perſpecta ſint. Neque verò dubitandum eſt hoc vaticinij caput ad Chriſtianorum corruptos mores pertinere;*

*nere; ab illis præcipuè verbis:* Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis plena iudicio, iuſtitia habitauit in ea. *Nam quamquam omnes omnium temporum annales euoluamus, nunquam inueniemus Ieroſolymam illam terreſtrem plenam iudicio fuiſſe: neque antiquis Iudicum, neque poſterioribus Dauidis, Salomonis, & Ioſaphat ætatibus: Namq́; iſtis, quamuis laudatiſsimis regibus, non parum tamen ad menſuram plenitudinis iudicij defuit. Primis autem Chriſtianæ pietatis diebus nihil ad perfectum*

Act. 3. *iudicium deſideratum eſt. Multitudinis enim credentium erat cor vnum,*

» *& anima vna: illa verò perſonarum mutatio,* Quibus ſacrificauerunt, & quos elegeratis, *quamquam ſolemnis in ſacro ſermone ſit, tamen ratione certa non caret, quam ſcrutari & inueſtigare ſemper diligentis erit expoſitoris: & vel ignotam ſibi potiùs fateri, quàm ad tautologiæ vitium referre oportuerit. Nihil enim ſuperuacaneum à Deo dictum eſt, ſed omnia diuinarum orationum verba ſuam ſignificationem, quanquam nobis occultam, habent. Hoc in loco ſermo Iſaiæ cum Iudæis, de ipſorum, & Iſraëlitarum cauſa erat. Iſraëlitas ait primò punitos confuſum, hoc eſt, pudefactum iri idolis, quos coluerunt: eodemq́; exemplo Iudæos hortorum, quos ad Iſraëlitarum imitationem elegerant, atque ita oratio ad ſecundam & tertiam perſonam aptè refertur: vtrumque autem populum & reipub. ornamentis, & fructibus omnibus cariturum, ſterilemq́; tandem reddendum, vt pro hortis ſterilitas, pro lucis & ſplendore ornamentorum deformitas reponatur. Atque in eum locum Iſraëlitarum & Iudæorum, totiusq́; ſynagogæ res deueniſſe nemini obſcurum eſt. Neque verò quemquam de illis, qui vel ex Iſraël, vel ex Iuda impiè aut ſceleratè egiſſet, quamuis potentiſſimum & opulentiſſimum, hanc pœnam euaſurum, immo potentem potenter tormenta paſſurum eſſe, prædixit vates.*

Erit fortitudo veſtra vt fauilla ſtupæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla, & ſuccendetur vtrumque ſimul, & non erit qui extinguat.

HVNC *locum Chaldæus Ionathas optimè interpretatus fuiſſe videtur, qui non ad idola, de quibus iam ſatis dictum fuerat; ſed ad capita, principeſq́; factionum ipſarum, & ad giganteas illas potentias hominum à Deo alienatorum refert: quos omnes cum ſtudiis, conatibus, & operibus ſuis perditum, conſumptumq́; iri vates prædicit. Idq́; illis neque ſua virtute & potentia, neque aliorum miſericordia euaſuros affirmat. Itaque fortitudo veſtra, pro forti & potenti aliquo ponitur: pronomina* veſtra *in Hebraico non ſunt. Sed ſic:* Erit fortis, ad ſtupam, & opus eius ad ſcintillam. *Stupa leuiſsimis ſcintillis ignem recipit, quo facillimè & breuiſsimè abſumitur. Chaldaica Paraphraſis hoc modo habet:* Et erit fortitudo ipſorum impiorum ſicut ſtupa lini, & factum manuum eorum vt ſcintilla ignis. Quemadmodum admotum hoc ad latus lucis flagrat vtrumque ſimul ſic finientur impij ipſi, & facta eorum mala, & non erit ſuper eos extinguens. *Atque hactenus primi vaticinij explicatio eſt, in qua vates*

*quid*

*quid paulo pòſt ſua tempora Iudæis & Iſraëlitis euenturum eſſet, annunciauit: quis præterea illorum reipub. finis tandem futurus, quid demum his nouiſsimis temporibus expectandum ſpectandúmque foret, à ſe proſpectum prædixit. Duarum autem ſuperiorum partium ſpectata exempla, tertiæ fidem atque expectationem certam probāt, vt in omnibus aliis multiplicibus vaticiniis fieri ſolet, de quibus iam dictum à nobis eſt.*

## ARGVMENTVM VATICINII II.

*EX reprehenſa Iudæorum & Iſraëlitarum improbitate commodè vates inductus eſt, vt gentium omnium, quæ olim à Deo alienæ fuerunt, vocationem, & fidem erga Euangelium prædiceret. Cognouerat enim fore, vt repudiatis à Deo ob infidelitatem Iudæis, Gentes ad veram pietatis lucem euocatæ diuinæ legationi credentes, obtemperarent; atque variorum Deorum cultu, & antiquo errore depoſito, veram ac certam ſalutis viam inirent. Cùm contrà Iudæi, qui tot ac tantis Dei beneficiis, muneribus, doctrina, præceptis, & inſtitutis ornati & aucti, pietatis rationes magis & officium præſtare potuiſſent, & debuiſsent; tamen, paucis ex magno numero exceptis, omnino deſerentes, alienati, reiectíque, ac reprobati eſsent. Atque hunc terræ tam grauem, tamque horribilem caſum vel auertere à ſuæ gentis hominibus cupidus auctor, diuina auctoritate prædictum, ſui conſilij ratione commodata, vitare in primis, vel adhibita diligentia, & opportuno ſtudio releuare ſuadebat.*

## CAPVT II.

VERBVM quod vidit Iſaias filius Amos ſuper Iudam & Ieruſalem.

SVNT *qui dicant, Verbum apud Prophetas id eſſe, quòd ex viſis in ſomno ſpectris & imaginibus cognoſcitur, & explicatur. Atque ita verbum imaginis per quietem viſæ interpretationem vel definitionem, non autem imaginem ipſam definiunt. Volunt enim ij verbum ad ſomnum tantùm ſpectare, neque tamen à dormientibus audiri expreſsè: ſed ex viſis imaginibus colligi, & pronuntiari; ſed neque huiuſmodi ratio perpetua, neque huic loco accommodata eſt. Namque verbum non ſolùm ad ſomnum pertinet, ſed in aperta & vigili ratione expreſsè audiri poteſt. Sicut ab Abrahamo auditum eſt: Et ecce verbum Domini ad eum dicens: non erit hic hæres tuus,* 

Moſes Ægyptij parte. 2. cap. 45. de gradibus propheticæ.

Gen. 15.

*ſed qui egredietur de vtero tuo. Ex quo loco, atque ex aliis cognoſcimus, verbum non ad ſomnũ modò, ſed ad viſiones etiam vigilantium referri; idq́ expreſſe audiri ab ipſis Prophetis. Atque hoc modo verbum, quod vidit Iſaias eadem ſententia eadémque oratione auditum illi eſt, & relatum. Quòd verò additum eſt,* Vidit, *eò pertinet, vt longè pòſt ſuum ſeculum res euentura intelligatur. Namque non vulgare & commune videndi, ſed illud arcanum proſpiciendi verbum* HHAZAH *hîc vſurpatur. quod autem indicatur* ſuper Iudam & Ieruſalem, *eò ſpectat, vt diuinum promiſſum nunquam excedere intelligamus. Nam ſi maximè Deus Iudæorum gentem & Ieroſolymitanos illos ciues ob ipſorum improbitatem, incredulitatem, & ſcelera reprobaturus eſſet, tamen Iudam, & ciuitatem ipſam, veram Ieruſalem ſpiritualem, non modò foturus & ornaturus, ſed maxima multorum*
Rom. 11. *ciuium frequentia & celebritate fuerat amplificaturus. S.S.E. Numquid*
" *Deus repulit populum ſuum, abſit; Nam repulit Deus plebem ſuam, quam*
" *præſciuit, &c. Itaque hoc vaticinio Ieroſolymam, quamuis multis ex Iudæis reiectis & repulſis, tamen iis deterioribus ciuibus purgatã, multa bonorum ciuium acceſſione & frequentia augendam, ornandamq́ eſſe docet.*

Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domini in vertice montiũ, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eũ omnes gẽtes.

I L L V D *in primis obſeruatione & explicatione dignum viſum fuit, quod idem hoc vaticinium eadem ſententia, verbis non valde variatis, ampliori tamen, & explicatiori oratione apud Michæam Moraſtitem legitur,*
Mich. 4. *hoc modo: Et erit in nouiſſimo dierum mons domus Domini præparatus*
" *in vertice montium, & ſublimis ſuper colles: & fluent ad eum populi, &*
" *properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem do-*
" *mus Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de viis ſuis, & ibi-*
" *mus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieru-*
" *ſalem. Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes vſque*
" *in longinquum: & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in*
" *ligones. Non ſumet gens aduerſus gentem gladium, & non diſcent vltrà*
" *belligerare: & ſedebit vir ſubtus vineam ſuam, & ſubtus ficum ſuam, &*
" *non erit qui deterreat. Quia os Domini exercituum locutum eſt: quia om-*
" *nes populi ambulabunt vnuſquiſque in nomine Dei ſui. Nos autem ambu-*
" *labimus in nomine Dei noſtri in æternum & vltrà. In die illa, dicit Do-*
" *minus, congregabo claudicantem, & eam quam eieceram, colligam, & quam*
" *afflixeram, &c. Itaque vnum vtriuſque vatis de hac re vaticinium eſt ſententia eadem, verbis tamen nonnullis diſtinctum, magisq́ apud alterũ explicatis. Eſt autem illud in hoc genere obſeruatũ, eandem ſententiam duos aut plures vates aliquãdo percipere, tamen non eodẽ modo excipere. Quanquam enim idem argumentum illis oſtendatur, tamen verba quibus pronuntietur, non eadem omnibus ſuggeruntur. Sed quibuſdam rem vnà cum verbis commonſtrari, aliis autem rem ipſam eandem, ſed aliis verbis explicari,*

cari,"

*cari; aliꝰ verò rem omnem quidem exhiberi, verba tamen non adiungi: ſed quæ ex iis qui eam antè præuiderint, & dixerint, mutuare ſolent. Atque ita hoc vaticinium Iſaiæ, qui Micheam tempore præceſſerat, non ſolùm viſum; ſed iis, quibus pronunciandum erat, verbis expoſitum eſt; ob eámque rem in ipſa inſcriptione fuit expreſſum.* Verbum quod vidit Iſaias filius Amos. *Neque enim rem tantùm ipſam, ſed verbum vidit Iſaias. At verò Micheas idem argumentum quod Iſaias viderat, ipſe vidit; ſed verba quibus exponendum fuit, cùm non vidiſſet, ex Iſaia mutuauit; atque id cauſæ eſt, quam ob rem apud Micheam non audiamus,* Dixit Dominus: *neque verbum quod fuit ad Micheam, vt in aliis eiuſdē vaticiniis legimus. Quippe Verbum ipſum Iſaiæ dictum priùs fuerat, quod Micheas mutuatum expolitius & amplificatius reddidit. Atque ita Dauid quamquam Propheta fuerit, & alia multa ſibi diuinitùs inſpirata, propriis verbis, vel ſibi à Deo dictatis, cecinerit: nonnulla tamen eadem demonſtratione omnino expoſuit, qua apud eos vates, qui ſe præceßiſſent, edidicerat, vt illud à Moſe cantatum. Quia iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis miſerebitur.* Deut. 32. *Eandem namque ſententiam ad verbum retulit Dauid. Multa* Pſal. 134. *præterea in ſacris libris huiuſmodi obſeruantur exempla. Eſt autem huius vaticinij ſententia illa: Promiſſa Iudæ & Ieroſolymæ facta euentu ipſo conſtantiſsima fore, quamquam multi ex Iudæis & Ieroſolymitanis habitatoribus propter ſuam culpam reiecti & abdicati fuerint: atque ita gloriam illam Iſraëlitis promiſſam, vt ex illorum gente, familia, & loco non modò publicæ hominum ſalutis negotium expediretur; ſed illuſtris omnibus gentibus veritatis doctrina, & lux communicaretur. S. S. E. Nunc dicit* Eſaiæ 49. *Dominus, formans me ex vtero ſeruum ſibi, & reducam Iacob ad eum, & " Iſraël non congregabitur: & glorificatus ſum in oculis Domini, & Deus " meus factus eſt fortitudo mea. Et dixit: Parū eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſ- " citandas tribus Iacob, & fæces Iſraël conuertendas. Ecce dedi te in lucem " Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus " redemptor Iſraël, ſanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam " gentem, ad ſeruum Dominorum: Reges videbunt, & conſurgent principes, " & adorabunt propter Dominum, quia fidelis eſt, & ſanctum Iſraël qui " elegit te. Hoc igitur eſt quod ait:* Et erit in nouiſſimis diebus. *Veteris Te- " ſtamenti finis, & mundi atque hominum renouatio per Chriſtum allata, Nouiſsmi dies in ſacro ſermone dicuntur: cùm peccato ſuperato, & principe huius mundi victo atque reiecto, regnum Dei in hominum animis confirmatum eſt. Atque ita propriè hic ſermo ad auream noſtram Chriſti & noui Teſtamenti ætatem pertinet: vt apertè à Michea vate iudicatum eſt. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam, quam eiece-* Mich. 4. *ram, colligam, & quam afflixerā. Et ponam claudicantem in reliquias: & " eam, quæ laborauerat, in gentem robuſtam. & regnabit Dominus ſuper eos " in monte Sion, ex hoc nunc & vſque in æternum. Quod verò metonymicè "*

 *addi-*

additũ eſt, *Præparatus mons domus Domini in vertice montiũ*; illud erat Chriſtianæ religionis diſciplinæ, doctrinæ, cultui; omnes alios totius orbis vel diſciplinæ, vel religionũ, vel ſuperſtitionũ cultus ceſſuros, poſtquã Chriſtus Ieroſolymis primùm ipſe docẽs, deinde doctrinam ſuã Spiritus ſancti cõmunicata hominibus virtute confirmans, per orbem omnẽ propagandam curauerit. Eſt autem arcanæ huius orationis methonymica ratio: cæteris namque omnibus gentibus publica religionum, ſuperſtitionum, & doctrinarum ſuarum loca in montibus erant: vt è ſacris & prophanis libris cognouimus. Atque ob eam rem celeberrima & illuſtriſſima templa, phana olim appellabantur: atque adeò antiqua lex in Syna monte Iſraëlitis data fuit. Erat autem & Ieroſolymis mons Moria, in quo templum illud ædificiis magnificum, relligione celeberrimum, & cultu frequentiſſimum, magis autem ob Chriſti docentis auctoritatem, & præſentiã ſanctum & illuſtre fuit. Quoniam verò non de ipſo materiali templo, ſed de doctrinæ, & veri cultus illo in loco initiationibus & exercitationibus agebatur. Non dixit præparata erit domus Domini; ſed præparatus erit mons domus Domini. Iam enim ex quo Spiritus ſanctus in diſcipulos illapſus eſt, templum illud cum ſuis ceremoniis veteris legis antiquatum fuit: & noua Domino domus
1 Corinth.3. in ipſis diſcipulorum animis eſt conſtructa. S. S. E. Templum ſanctũ Do-
2 Cor.6. mini quod eſtis vos. Itaq; de loco ipſo vbi noua & perfecta domus primùm ædificata Euangelicæ doctrinæ fundamentum iactum eſt. Atque adeò de ipſa doctrina vates loquitur, Præparatus in vertice montium, præſtans victor, & ſuperior omnibus aliis montibus, cui omnia aliorum montium
נכון capita cedãt: nam verbum Hebraicum, ſiue participium, NACHON, certum, firmum, deſtinatum, paratum, & ratum ſignificat, ex cuius rationibus intelligimus Chriſtianam doctrinã omnibus aliis cultibus & doctrinis, non modò ſapientia, virtute, certitudine, & maieſtate, atq; auctoritate præſtare; ſed perpetuam æternamq; fore. Dicitur etiam Chriſtus mons domus Domini, ſupra quem ciuitas Ieruſalem in Eccleſia ipſa fundata eſt; atque ita eadem omnino ſententia hæc omnia myſteria, hac oratione indicantur; ſed nos ſimpliciorem, & apertiorem rationem ſemper ſequi ſtudemus; cætera breuiter indicare contenti. Itaque hîc non de altitudinis, quantitatis, & molis; ſed de auctoritatis & ſplendoris conſpicua gentibus omnibus magni-
» tudine agitur: atque hoc eſt quod ſubiungit; & confluent ad eum omnes
» gentes. Quo die Chriſtus, Chriſtianiq; Euangelij ſermo Ieroſolymis Spiritu ſancto in diſcipulos miſſo clarificatus eſt, (vtimur libenter familiari-
Act.2. bus ſacræ Scripturæ verbis) ciuitas ipſa magna omnium gẽtium & nationum quæ ſub cælo ſunt, celebritate florebat: per quos viſo miraculo, rei fama cùm litteris & rumoribus, tum certis nũtiis ad omnes habitabiles Orbis partes emanauit, qua multi ex omnibus gentibus permoti, diuinam illam diſciplinam & felicitatem optare, ſperare, quærere, atque expectare cœperunt: atque ab Apoſtolis Apoſtolorumq; diſcipulis & ſociis orbẽ peragrantibus

*tibus imbuti & inſtructi, magno cum fructu acceperunt. S. S. E. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonē confirmāte ſequentibus ſignis. Neque verò rarò, vel paucos ex ſingulis gentibus, ſed frequentes turmas, & integras familias Chriſtianæ diſciplinæ iugo colla ſubdituras eſſe vates noſter præcinit.* Mat. vlt. " "

Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.

MAGNVM *& commune ſtudium, certumq́; omnium gentium in ſuis erroribus damnandis, & veritate Chriſtiana optanda, quærenda, atq; amplectenda conſenſum, mutuamq́; hortationem vates deſcribit, conformationis figura vſus.* Venite, *excitantium ad commune ſtudium & officiū verbum eſt. vt, Venite, & faciamus lateres, & coquamus eos igni, &c.* Gen. 11. Aſcendamus ad montem Domini. *Relictis montibus, collibus, phanis, & erroribus ſuis communi conſenſu montem Domini, hoc eſt, diuinæ & veræ religionis ac diſciplinæ cultum ſubibunt: neque verò eò tantùm accedere, ſed vlteriùs etiam pertingere optabunt.* Ad domum Dei Iaacob, *non hic de templo illo ex lapidibus à Salomone conſtructo, & Zorobabele reſtituto, atque ab Herode amplificato; tandemq́; à Romanis diruto, ſermo eſt: ſed de domo Dei Iacob myſterium magnum, & maiori ingenio quàm noſtro, atque ampliori loco quàm hoc explicandum indicat vates. Spectat enim oratio hæc ad ſcalam illam quam Iacob, antequam Iſraël appellaretur, viderat multis partibus conſtantem, magna Angelorum commeantium frequentia celebratam, ſtantē ſuper terram, & ad cælum pertingentem, cuius ſummitati Deum innixum, huiuſmodi oraculo ſeſe compellantem audiuit: Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac; terram in qua dormis tibi dabo, & ſemini tuo. Erit ſemen tuum quaſi puluis terræ, & dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem; & benedicentur in te, & ſemine tuo cunctæ tribus terræ. Sacramentū hoc magnum eſt, ego autem dico, in domo quam ex multis gentibus, & nationibus, & hominibus, in vnum corpus Chriſti myſticum conſtructam, angeli frequentant, Deus fouet, regit & gubernat, capitis officio functus. Nam caput Eccleſiæ Chriſtus, caput Chriſti Deus: hanc viſionem cùm euigilaſſet Iaacob de ſomno, ſic eſt interpretatus: Verè domus Dei eſt in loco iſto, & ego neſciebam; quàm terribilis eſt locus iſte, non eſt aliud hîc niſi domus Dei, & porta cæli. Hæc nunc ſatis ad myſterium hoc indicandum, cuius exactiorem explicationem, vnà cum aliis arcanis antiquisq́; imaginibus ad noui Teſtamenti expoſitionem, Deo votis annuente, reſeruamus. Hanc domum petituras gentes Eſaias præuidebat: ad quam eaſdem etiam pertinere ex diuino reſponſo accepimus.* Et dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem, &c. *Atque in illud has gẽtes conſilium, deſiderium, & ſtudium incumbere vates vidit. Vt abnegantes* Gen. 27. " " " " " "

Tit. 2. impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuant in hoc ſe-
» culo. Non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis, ſed ſecundùm
» eum qui vocauit vos ſanctum: & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis.
Hoc eſt quòd ex illarum ſtudio & ſermone vates refert: Et docebit nos
vias ſuas, ambulabimus in ſemitis eius. Multi enim fuerunt, qui vias
Domini edocti, tamen deſeruere: vt Iſraëlitæ olim. alij autem doceri cu-
Psal. 117. pientes, & edocti, libenter vixerint & ambulauerint. Non enim qui ope-
» rantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt. Tu mandaſti mandata tua
» cuſtodiri nimis. Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificatio-
» nes tuas. Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis.
Hoc eſt ambulare in ſemitis Domini, quod vates expoſuit, Proſpicere in
omnibus mandatis, etiam minimis, etiam anguſtiſſimis & exactiſſimis.
Huiuſmodi perfectam & ſanctam vitam noui Teſtamenti homines inſti-
tuere, & obſeruare iubentur: quibus pluſquam Scribis & Phariſæis iuſti-
tia abundare expedit, aliàs non intraturis in regnum cælorum. Hoc multi
ex nouo Teſtamento diuini ſpiritus Chriſti in ipſis habitantis, virtute
præſtiterunt. Itaque vniuerſam Euangelicæ legis doctrinam, incipiente à
baptiſmo Ioannis, vſque ad diem qua Chriſtus in cælos aſſumptus eſt; vias
Domini; præcepta verò & mandata ſingula, atque ea præcipuè, quibus per-
fectiores exercentur homines, à vate ſemitæ dicuntur. Illud etiam magni
myſterij plenum eſt, quòd ſignificatione vates indicat, gentes omnes dictu-
ras, Venite, & aſcendamus ad montem Domini. Nomen enim illud ſa-
crum Dei magnis miſericordiæ rationibus interpretabile, quòd Iſraëlitis
tantùm olim, idq; vmbra quadam notum erat, fore, communicata ſua virtu-
te & auctoritate, gentibus omnibus noui Teſtamẽti aurea ætate cognoſcen-
dum; ita vt ab omnibus appellaretur. de quo nomine nos in libris de arcano
ſermone multa expoſuimus, & plura etiam ex eiuſdem nominis beneficio
Soph. 3. exponere cogitamus. de hac autem re dictum eſt per Prophetam: Quia tunc
» reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, &
» ſeruiant ei humero vno. Cauſam verò quamobrem omnes gentes ſuis quæ-
que erroribus relictis, Euangelium Chriſti recepturæ eſſent, ad veritatem
ipſam & perfectionem à gentibus perſpectam vates refert. Quòd omnes
aliæ gentium doctrinæ, ſectæ, ſuperſtitiones inutiles & ſuperuacaneæ, aut
etiam noxiæ tandem deprehenſæ fuerint: atque adeò ipſa antiqua Moſaica
lex nihil ad perfectum adduxerit; ſola verò Euangelica doctrina rectè per-
cepta atque obſeruata, ſapientes, probatos atque perfectos cultores ſuos fece-
Ephes. 4. rit. S.S.E. Hoc igitur teſtificor in Domino: vt iam non ambuletis, ſicut &
» Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes in-
» tellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæci-
» tatem cordis ipſorũ, qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in
» operationem immũditiæ omnis, in auaritiam. Vos autem non ita didiciſtis
» Chriſtum: ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, (ſicut eſt veritas

in

*in Ieſu) vos deponere ſecundùm priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris. Itaq; cætera omnia quæ toto orbe celebrabantur & exercebantur dogmata, vel vana, falſa, & inutilia, vt Gẽtium inſtituta, vel imbecilla & infirma, vt antiqua lex fuerũt: ſola autẽ Euangelij doctrina eos qui crediderunt & ſuſceperunt maximorum Dei promiſſorũ virtute & efficientia auxit. hoc eſt quod ſubiungitur:*

Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.

LEGEM *illam ſpiritualem à Chriſto per Spiritum ſanctum in tabulis cordis carneis ſcribendam ſignificat; quam qui experirentur ſancti, iuſti immaculati euaderent, liberati à maledicto veteris legis, & à lege peccati, & mortis. Hanc legem omnibus Chriſto credentibus, & verè obedientibus inſcribendam fore vates prædixere. Dabo legem meã in viſceribus eorum,* Hier. 31.
*& in corde eorum inſcribam eam. Antiquior illa lex in monte Sinai data, atque ab Iſraëlis filiis accepta, nũquam tamen ſatis rectè obſeruata fuit. Numquid, ait Deus, obliti eſtis mala patrum veſtrorum, & mala vxorum* Ierem. 44.
*veſtrarum, quæ fecerunt in terra Iuda, & in regionibus Ieruſalem: non ſunt mundati vſque in diem hanc, & non timuerunt, & non ambulauerunt in lege Domini, & in præceptis meis, quæ dedi coram vobis, & coram patribus veſtris. Hanc verò nouam legem à Sion cæptam, ad vniuerſum Orbem peruenturam eſſe diuinis oraculis eſt declaratũ: cuius auctoritatem & virtutem Prophetarum etiam reſponſa & teſtimonia fuerant conſecutura. Vt enim olim lex illa Prophetas multos ſuarum rationum expoſitores, commendatores, & procuratores habuit; ita etiam noua hæc lex multis quoque Prophetis, virtutis ſuæ teſtibus & prædicatoribus erat exornanda. S.S.E. Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt* Ioel. 2.
*filij veſtri, & filiæ veſtræ; & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. Hoc eſt verbum Domini quod ex Hieruſalem primum exiturum erat, atque ad omnes gentes perferendum. Qua de re diuus Petrus in illa celeberrima ad Iſraëlitas concione teſtatus, dicebat: Dextera Dei exaltatus Chriſtus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à* Act. 2.
*Patre, effudit hoc donum, quod vos videtis & auditis. & paulo pòſt, eam rem à Ieroſolymis cæptam, ad omnes etiam nationes pertinere exponit. Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quoſcumque aduocauerit Dominus Deus noſter. Atque hæc diuina dona ex Sion & Ieruſalem initium ductura vates omnes prædixerunt, non ideo vt loci ipſius naturalem dignitatem commendarent, ſed magis vt hominibus certam expectationem & obſeruationẽ facerent, docerentq; munus hoc non à natura, ſed à Deo vnico, optimo, maximo eſſe, cuius notitia olim erroribus hominũ per orbem turbata, apud Iſraëlitas conſeruata eſt. Ex illo demum certo notato loco in omnẽ Orbẽ deintegro propagãda. Nam quæ futura certo loco, tẽpore, annotatisq; ſignis aperta oratione prædicta ſunt, ad ſingularem prouidentiam, & certum conſiliũ referuntur. Itaque hæc oratio vnitatem,*

*tatem,& ſingularitatē Dei ſpectat: à quo vno omnia condita & gubernata, tādem reſtituenda & inſtauranda, atq; amplificanda erant; qui, vt certam hominibus iam turbatis, notitiā denuo præberet, gentem, & regionē quandam ſibi ſuæ tantùm gratiæ beneficio delegit. S.S.E. Notus in Iudæa Deus,*
Pſal. 75. *in Iſraël magnum nomen eius: & factus eſt in Pace locus eius, & habitatio*
„ *eius in Sion. Ibi confregit potentias, arcum, ſcutum, gladium, & bellum.*
„ *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, &c. Neque enim loci natura egregium aliquid habet, quam ob rem inde magis quàm ex alia orbis parte ſalus hæc propagaretur. Sed ex Dei conſilio & voluntate dignitatē illam ſortita eſt. Quoniam elegit Dominus Sion, cui electioni certa, & ad myſterium accommodata ſignificatio adiuncta eſt, de qua aliàs, ipſo aſpirante Deo, agemus. Nūc verò illius maximæ & ſanctiſsimæ Dei legis, & Euangelij, ac verbi diuini ſigna, & efficientia, & euenta obſeruāda oſtenduntur.*

Et iudicabit gentes, & arguet populos multos.

*Hebraicè eſt, & iudicabit inter gentes. Maximum & manifeſtiſsimum diſcrimen ſignificat, futurum inter eos qui Euangelio recepto, virtutis illius diuinæ & ſpiritualis legis compotes facti fuerunt: & inter cæteros qui vel Euangelium repulerint, vel non ita ſanctè & purè coluerint, vt ad illum perfectionis gradum perueniant; inter eos enim ita Euangelium iudi-*
Eſa. 61. *cabit, vt omnes qui viderint, primos illos cognoſcant eos, & dicant: Iſti*
„ *ſunt ſemen cui benedixit Dominus. Ceteros verò ipſum verbum Domini*
Ioan. 16. *vel incredulitatis, vel negligentiæ reprehendet & arguet. S.S.E. Cùm ve-*
„ *nerit ille Spiritus ſanctus, arguet mundum de peccato, de iuſticia, & de iu-*
„ *dicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; de iuſtitia verò, quia*
„ *ad Patrem vado, & iam non videbitis me: de iudicio autem, quia princeps*
„ *huius mundi iam iudicatus eſt. Atque hoc modo populi multi ſua ipſorum culpa & negligentia pereuntes arguentur. Quando lex iam de Sion exierit, & verbum Domini de Ieruſalem, quo qui initiati & docti, & rectè in-*
Philip. 2. *ſtructi fuerint, manifeſtè inter ceteros diiudicabuntur. Omnia facientes*
„ *ſine murmuratione & hæſitatione, vt ſint ſine querela, & ſimplices filij*
„ *Dei, ſine reprehenſione in medio nationis prauæ & peruerſæ; inter quos lu-*
„ *cent ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Sed de omni hoc genere plura aliàs, & cognitu digniſsima nos expoſituros ex diuino beneficio ſperamus: quæ neque hic locus capere, neque lectores portare modò poſſunt: opportunas autem ad huius loci expoſitionem arbitramur eſſe diſtinctiones, & definitiones verborum, quas & in his, & in aliorum vatum commentariis docemus. Nulla enim in rebus ipſis confuſio & perturbatio offunditur iis, qui Spiritus ſancti propriam orationem, & conſtantem ſermonem obſeruant: quam ob rem nos in commentariis, quantum poſſumus, ſatagimus, vt eadem verba, eadem etiam ſententia explicemus; & quæ in aliis locis latiùs expoſuimus, in aliis breuiùs indicemus. Hoc loco iudicare,*
שפט SAPHATH, *Hebraicum, iure æquitateq; agere eſt: atque vnamquamq; rem*

*nomine*

*nemine ſuo diſtinguere: itaque duo diuini verbi munera indicantur. Alterum eorum qui non acceperint, vel non rectè acceperint, reprehenſio & redargutio. Quia viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ atq; ſpiritus: compagum quoque ac medullarum & diſcretor cogitationum, & intentionũ cordis. Alterum verò munus eſt eorum qui rectè ſuſceperint, ſanctificatio, & proſperatio, & pia quædam vera ac perpetua pacificatio.* Heb. 4. " "

Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltrà ad prœlium.

NVLLVS *namque belli vſus erit iis, qui neque aliena appetent, neque proprium quidquam, & à communi fratrũ vtilitate & commoditate alienum putabunt; nec res ſuas petentibus negaturi, neque per vim auferre volentibus, vi etiam defenſuri, aut repetituri ſunt: ſed ei qui pallium auferre contenderit, tunicam quoque potiùs concedent, quàm malum aut damnum inferant, aut charitatis communicationem denegent. Nulla rixæ, nulla diſcordiæ, nulla contentionis occaſio iis optabitur, qui inimicos diligẽt ſuos, inuidos beneficio, perſecutores & aduerſarios precatione pia proſequentur. Qui ſuarum iniuriarum vltionem vel ad ſe non pertinere exiſtimabunt, vel nullam optantes, huiuſmodi precibus deprecabuntur: Domine accipe ſpiritum meum, & ne ſtatuas illis hoc peccatum. Igitur huiuſmodi qui fuerint, pacem amabunt, ſectabuntur, & colent; pacem verò ſibi à Chriſto datam, & relictam, non quomodo mundus dat; iiſq; artibus, muneribus exercebuntur: per quas cum ſumma puritate & ſimplicitate nocere nemini, prodeſſe quàm plurimis poſſent, vt agricultura, quam ex deſtinatis vates deſcribit. Namq; inſtrumentorum ratio ſtudij definitionem indicat. Nulla verò res maiora ad diſcordiam, diſſenſionem, & bellum (quàm diuerſa religionis obſeruatio) inter homines momenta habet. S.S.E. Vos ſcitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei fecimus pro legibus, & pro ſanctis prœlia, & anguſtias quales vidimus, &c.* Act. 7. " 1 Mach. 13. " "

*Inter finitimos vetus, atq; antiqua ſimultas,* Iuu. Sat. 15.
*Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus.*
*Ardet adhuc Combos, & Tentyra, ſummus vtrinque*
*Inde furor vulgo, quòd numina vicinorum*
*Odit vterq; locus, cùm ſolos credat habendos*
*Eſſe Deos, quos ipſe colit.*

*Nulla etiam aut commodiora & firmiora veræ & perpetuæ pacis conciliandæ, & confirmandæ fundamenta eſſe exiſtimantur, quàm mutua conſpiratio & concordia omnium hominum & ordinum ad eandem religionis fidei & pietatis probandam, ineundam, retinendamq; rationem. S.S.E. Deus autem patientiæ & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecũdùm Ieſum Chriſtum, vt vnanimes vno ore honorificetis Dominũ, & Patrem* Rom. 15. " "

» *Domini noſtri Ieſu Chriſti. Itaq; in religione ſectarum diuerſitas occaſionem quidem, ſed cupiditas & ambitio humana initium contentionibus, rixis, & bellis præbet. S.S.E. Vnde bella & lites in vobis? nónne hinc? ex*

Iac. 4.

» *concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? concupiſcitis; &*
» *non habetis; occiditis, & zelatis; & non poteſtis adipiſci; litigatis, & belli-*
» *geratis. Nulla igitur in iis gentibus, quæ veram & ſimplicem Chriſti doctrinam tenere & ſequi decreuerint bella, nulla bellica arma, nullæ bellicæ diſciplinæ, aut exercitationes, aut ſtudia fore vates confirmat, vtpote quibus contentis ſimplici & frugi vitæ modo, & vſu; nulla alienarum rerum appetentia eſſet. Atque hanc eandem ſententiam Micheas vates apertè expoſuit, futurum videlicet vt vnuſquiſque rebus ſuis contentus, atque diuini verbi præceptis obtemperans, ſua modeſtè coleret, aliena iuuaret, magis quàm vel attingeret, vel cuperet. ſic enim ait: Et non diſcent vltrà bellige-*

Mich. 4.

» *rare; & ſedebit vir ſubtus vineam ſuam, & ſubtus ficum ſuam; & non erit*
» *qui deterreat: quia os Domini exercituum locutũ eſt.* Et non exercebun-
» tur vltrà ad prœlium. *Filiorum Adam crudelitas obiter notatur, quæ nocendi cauſa non ſolùm bellum gerere, ſed etiam militiæ artes, armorũ vſus varios inuenit, cura, ſtudio, atq; exercitatione auxit. Atq; ea in re excellere pulchrum duxit, omnibúſque aliis artibus & muneribus, quæ ad iuuandum mortale genus excogitata ſunt, prætulit. Cùm tamen nihil magis ferum & horrendum, nihil ab humanitate magis abhorrens fuerit, quàm rationes & modos ad perdendũ homines quærere, inuenire, diſcere, & exercere. Quaſi verò ſine his infiniti penè mortis modi & formæ non extarent. Fuit autem hoc impij Caini inuentum, à gygantibus ante diluuium propagatum, & amplificatum, à Nimroto inſtauratum, ad noſtra vſque tempora omnibus nationibus exercitatum, & à monſtroſis, atque adulatoribus ingeniis laudatum, & paci ipſi non rarò antepoſitum; cùm tamen bellum nunquam ſine peccato oriatur, vel ſine vitio exerceatur. Naſcitur enim bellum ſemper ex iniuria vel illata, vel accepta, vt D. Iacobus apertè notat. hic locus ad verbum Hebraicè habet;* & non diſcent vltrà bellum. *Sicvt apud Micheam eſt. Solet autem belli diſciplina in pace iniri, ita vt pax ipſa à belli meditatione vacua non ſit. Magnus ſeſe hîc aperiebat campus ad humanas miſerias deplorandas.*

Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini.

COMMODISSIMA *contentione vſus vates ad Iſraëlitas, ſermonem conuertit, eoſq; ad officium faciẽdum cohortatur. Oportunam enim cauſam ex vaticinio de gentibus, ad veram religionem cõſpiraturis accepit. Id quod alij ſacri auctores facere ſolent. vt Paulus, Vobis, inquit, dico Gentibus,*

Rom. 11.

» *quamdiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum hono-*
» *rificabo, ſi quando ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos fa-*
» *ciam aliquos ex illis. Eſt autem huius loci ex Apoſtrophe inducti eiuſmodi ſententia: Nónne pudet vos tantis diuinorum beneficiorum muneribus,*

*tanta*

*tanta diuinæ legis & oraculorum luce vſos, veſtra culpa, & proprio vitio à veritate & pietate deſciuiſſe. Cùm in nouiſſimis diebus futurum ſit, vt gentes omnes alienatæ à Deo, ſine lege, ſine promiſſione, & populi multi fluant, & dicant: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem, & iudicabit gentes, & arguet populos multos: & quamquam variæ gentes ſint, & variis ingeniis, & corporũ naturis atq; complexionibus præditæ, tamen non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltrà ad prælium, & vos domus Iacob nunc tantis aucti muneribus, tanta olim imbuti ſapientia, non ſolùm Dominum deſeruiſtis in non cuſtodiendo, ſed magis inter vos diſcordiis excitatis, diſſidetis, bellumq; Iſraëlitæ Iudæis, Iudæiq; Iſraëlitis infertis, ex eadem familia & domo Iacobi orti, & ad eandem Iſraëlis dignitatem pariter euecti cùm ſitis, oportuerit autem magis de religione & pietate retinenda & obſeruanda contendere cum gentibus, vti decet filios Iacob, ſi modò patri veſtro ſimiles eſſe vultis, qui cum fratre ſuo Eſau de huiuſmodi publicæ dignitatis obtinendæ primatu, ſecundò etiam contendit, & compos factus ipſe nomen impoſitum ſibi Iacob, hoc eſt, inſidiantis ſupplantatoris confirmauit.* Ambulemus in lumine Domini. *vitæ ineundæ & inſtituendæ ratio. Lumen in ſacris libris dicitur, quæ ſi ſolùm humano iudicio, & diuina illa gratia omnibus hominibus cõmuni conſtet, lumen tantùm dicitur. vt, Vide ne lumen quod in te eſt tenebræ fiant. hoc lumen à Deo naturæ hominum eſt conceſſum, & gratia etiam amplificatum Dei, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Itaque quamuis homini quodammodo adſcribatur, tamẽ Deo omnino acceptum referri debet. Sed quoniam hoc lumen ob noſtram imbecillitatẽ variis erroribus turbari accidit, addidit quoque Deus legem puram & ſimplicem, ac lucidam, verbo ſuo apertè pronũciatam, de qua S. E. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Hoc eſt quod magis etiam propriè lumen vocatur. Eſt & aliud lumen quod à Deo omnino porrigitur, magis etiam admirandum: quod lux magna, & lumen diuinum excellentiùs dicitur, vt S. E. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Atq; de hoc tertio genere arcano prorſus aliàs nobis ipſo Deo oſtenſore, plura aperire continget. Hoc in loco de eo lumine vati ſermo eſt, quod filiis Iacob temporibus illis conſtabat, hoc eſt, de lege & Prophetia. In hac autem re non ſolùm conſiliũ, ſed officium ſtudiumq; ſuum teneri à ceteris vates optat. ait enim:* Venite, & ambulemus in nomine Domini. *Id enim ſanctiſſimis vatibus ſolemne eſt, vt publicam cauſam omnem ad ſe etiam pertinere putent, vt Moſes dicebat: Obſecro vt gradiaris nobiſcũ, populus enim duræ ceruicis eſt; & auferas iniquitates noſtras, atque peccata noſtra. Atque hoc modo ambulantibus Iſraëlitis, certiſſimum fore ſalutis illius publicæ vſum, indicare voluit vates, vtpote quibus promiſſa maxima, ea de re præter ceteras*

Gen. 27.
Mat. 18.
Ioan. 1.
Pſal. 117.
Eſa. 7.

*gentes, iam olim facta conſtarent; & diuinorum beneficiorum gratiæ vſus antiquus fuiſſet, quamquam poſtea rarior & obſcurior, non ipſius Dei mutatione, ſed eorum culpa atque perfidia. Quamobrem oportere illos, vel ipſarum gentium, quas in malis conſiliis imitati fuerant, æmulatione etiam in bono conſilio ad eandem viam capeſſendam duci.*

Proieciſti enim populum tuum domum Iacob: quia repleti ſunt, vt olim, & augures habuerunt, vt Philiſtiim, & pueris alienis adhæſerunt.

HORVM *verſuum explicationem variè interpretes omnium linguarum inierunt, quod perſonarum, & numerorũ alterationem aliter atque aliter interpretati eſſent. Nam cùm interdum tertiam perſonam, interdum ſecundam, nonnunquam ſingularem, aliquando pluralem numerum vſurpet vates: quam rem ex linguæ Hebraicæ phraſi definiendo, non tam quid oratio exigeret, quàm quid ſententiæ fieret, quærendum putauerunt. Eſt autem nulla ferè inter eos ſententiæ, orationis autem nonnulla diſcrepantia. Quorum nos explicationes omittẽtes, quod cuiuis peruias eſſe arbitramur, rem ipſam ſimpliciter, ſine orationis & perſonarum mutatione dilucidè exponamus. Atque loci huius eiuſmodi apud nos ſententia eſt, hortatus fuerat vates gentem ſuam, vt aliarum gentium contentione lucem Domini peteret, & ſequeretur. Eo quòd deceret maximè Iacob in his ſtudiis, quæ ad diuinam felicitatem pertinerent, fratri ſuo Eſau; nedum aliis gentibus omnibus palmam præripere: turpe enim eſſet Iacobi domum ab aliis hac in re ſuperari, & anteuerti. Quòd ſi hic locus, qui dignior illis fuerat, deſereretur; illum tamen alterum inferiorem, atque ab eorum ipſorum conſilio non alienum teneri maximè oportebat. Nimirum vt ſi gentiũ imitatores, quàm duces eſſe mallent (ſicut re ipſa oſtenderant) tamen ex earundem æmulatione id quod vates conſulebat, agere deberent: hoc eſt, ſequi lucem Domini, vt gentes tandem repudiatis & damnatis antiquis conſiliis & ſtudiis, atq; cultibus & erroribus erant ſecuturæ. Itaque orationem hanc,* proieciſti populum tuum domum Iacob: *ad ipſos Iudæos à vate directam interpretamur: Vos, inquit, quando prauo gentes imitãdi ſtudio adeò exarſiſtis, vt populum veſtrum, domum inquam Iacob, eiuſdemq; familiarem diſciplinam & conſuetudinem deſerentes, aliorum populorum vitia, errores, & ſuperſtitiones imitati, ac nimium etiam diligenter eſtis ſecuti: ſequimini etiam illarum gentium melius conſilium, & pænitentiam, qui maiorum ſuorum errorem agnoſcentes, & confeſſi, vnicum Dominum Deum cæli, & terræ principem, communis omnium ſalutis verum auctorem ſecuturi ſunt. Illa cõmuniter prolata ſententia quæ apud Micheam ex ipſa gentium perſona refer-*
Mich. 4. *tur: Quia omnes populi ambulabunt; vnuſquiſque in nomine Dei ſui. Nos*
2 Reg. 17. *autem ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in æternum, & vltrà. Obſeruanda eſt autem in hoc loco ſignificatio verbi* proieciſti. *Nam He-*
נטש *braicè eſt* NATAS, *quod propriè ſignificat eam rem deſerere, quam curari opor-*

*oportuerat. Sic Eliab Dauidem fratrem obiurgans, Quare inquit, veniſti,* 1 Sam. 17.
*& quare dereliquiſti pauculas illas oues in deſerto. Atque hæc horum ver-* cc
*ſuum ſententia eſt, Iudæos omnibus in rebus & ſtudiis gentium rationem fuiſſe ſecutos & imitatos; id verò expoſitione deinceps confirmatur.* Quia repleti ſunt vt olim. *Hebraicè, ab olim, vel ab antiquo. Duo ſtudia gentiũ indicat, quorum alterum ex altero conſecutum eſt. Prius fuit, omnes gẽtes auaritiæ & cupiditati, diuitiis & opibus comparandis iam olim à principio nimium intentas, deditasq́; fuiſſe: atq; hac ex re diſcordias inter eos, rixas, lites, bella fuiſſe orta. Deinde illud alterum poſterius vitium fuit, quod abundantia & plenitudine diuitiarum non ad Dei cultum, & hominũ vtilitatem, ſed ad ſuperſtitionem & vanitatem fouendam atque alendã accommodata fuit.* Et augures habuerunt vt Philiſtiim. *Verbum habuerunt, ab interprete explicationis cauſa eſt additum. Augures ſpeciem pro genere interpres poſuit. Hebraicum nomen omnem huius generis diuinandi, coniectandi, & auſpicandi rationem ſignificat.* GONENIM, *Latinè obſeruatores dici poteſt.* גוננים *Fuere autem in eo genere Philiſtiim ſtudioſiſſimi, vel ſuperſtitioſiſſimi potiùs, vt ex Chana orti, improbarum artium & ſortium profeſſores. Atq; hoc omnibus Chananæis commune vitiũ fuiſſe, hiſtoriæ ſacræ teſtantur, ſed ceteris è regione illa pulſis, Chananæorum nationibus Palæſtini tãtùm ſuperfuere, qui antiqua ſtudia & exempla tuerentur; ab his ad Græcos & Latinos totum hoc genus vel diſciplina, vel imitatione deductum fuit. Fatentur enim Latini & Græci Aſiaticos homines has artes primùm inſtituiſſe, & exercuiſſe. Nam Aruſpicinam à Chaldæis ad Græcos, à Græcis ad Hetruſcos veniſſe aiunt. Pertinent enim ad hoc genus multæ artes, quæ cùm cæleſtium, tum inferiorum obſeruatione rerum expediuntur. vt, Aruſpicina, Speculatoria, Onirocritica, Phyſiognomica, Metopoſcopia, Chiromantia, Geomantia, Pyromantia, Necreomantia, & omnis denique illa ſuperſtitioſa magia, quam præternaturalem dicunt. Horum autem mores & ſtudia imitatum fuiſſe Iſraëliticum populum, & vates omnes oſtenderunt, & Eſaias apertè accuſat, quem alterius illius conſilij, quo gẽtes vſuræ ſunt, imitatorem quoque eſſe deſiderat. Vt quemadmodum alieni homines relictis prioribus ſtudiis, Dei lucem & vias optabunt, ſic etiam Iſraëlitæ* Deut. 32.
*ſibi ipſi conſulentes, alienorum exemplorum, quorum ipſi duces eſſe debuerunt; ſaltem diſcipuli ſint. S. S. E. & à diuo Paulo in hanc ſententiam relatum: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentẽ inſipientem; hoc eſt quòd vates noſter dicit,* Et pueris alienis adhæſerũt. *Verbum* Rom. 10.
*hoc futuri tẽporis eſt apud Hebræos, quod pro imperatiuo & optatiuo vſurpatur. Sic, Et pueris alienis adhæreant. Optat hoc vates, vt Iſraëlitæ, qui gentium mores imitati ſunt, ſapientiam quoque imitẽtur, qua Gentes vſuræ ſint. Locus autem ſic ad verbum ex Hebraico verti poteſt cõmodiſſimè:* & in natis alienorum ſatis fiant. *Nam verbum* SAPHAR, *ſufficere, &* ספר
*ſatisfacere Latinè eſt: nomen autem filiis natis vertimus: quia hîc non ea*

 *ratione*

*gentes, iam olim facta conſtarent; & diuinorum beneficiorum gratiæ vſus antiquus fuiſſet, quamquam poſtea rarior & obſcurior, non ipſius Dei mutatione, ſed eorum culpa atque perfidia. Quamobrem oportere illos, vel ipſarum gentium, quas in malis conſiliis imitati fuerant, æmulatione etiam in bono conſilio ad eandem viam capeſſendam duci.*

Proieciſti enim populum tuum domum Iacob: quia repleti ſunt, vt olim, & augures habuerunt, vt Philiſtiim, & pueris alienis adhæſerunt.

HORVM *verſuum explicationem variè interpretes omnium linguarum inierunt, quod perſonarum, & numerorũ alterationem aliter atque aliter interpretati eſſent. Nam cùm interdum tertiam perſonam, interdum ſecundam, nonnunquam ſingularem, aliquando pluralem numerum vſurpet vates: quam rem ex linguæ Hebraicæ phraſi definiendo, non tam quid oratio exigeret, quàm quid ſententiæ fieret, quærendum putauerunt. Eſt autem nulla ferè inter eos ſententiæ, orationis autem nonnulla diſcrepantia. Quorum nos explicationes omittẽtes, quod cuiuis peruias eſſe arbitramur, rem ipſam ſimpliciter, ſine orationis & perſonarum mutatione dilucidè exponamus. Atque loci huius eiuſmodi apud nos ſententia eſt, hortatus fuerat vates gentem ſuam, vt aliarum gentium contentione lucem Domini peteret, & ſequeretur. Eo quòd deceret maximè Iacob in his ſtudiis, quæ ad diuinam felicitatem pertinerent, fratri ſuo Eſau; nedum aliis gentibus omnibus palmam præripere: turpe enim eſſet Iacobi domum ab aliis hac in re ſuperari, & anteuerti. Quòd ſi hic locus, qui dignior illis fuerat, deſereretur; illum tamen alterum inferiorem, atque ab eorum ipſorum conſilio non alienum teneri maximè oportebat. Nimirum vt ſi gentiũ imitatores, quàm duces eſſe mallent (ſicut re ipſa oſtenderant) tamen ex earundem æmulatione id quod vates conſulebat, agere deberent: hoc eſt, ſequi lucem Domini, vt gentes tandem repudiatis & damnatis antiquis conſiliis & ſtudiis, atq; cultibus & erroribus erant ſecuturæ. Itaque orationem hanc, proieciſti populum tuum domum Iacob: ad ipſos Iudæos à vate directam interpretamur: Vos, inquit, quando prauo gentes imitãdi ſtudio adeò exarſiſtis, vt populum veſtrum, domum inquam Iacob, eiuſdemq; familiarem diſciplinam & conſuetudinem deſerentes, aliorum populorum vitia, errores, & ſuperſtitiones imitati, ac nimium etiam diligenter eſtis ſecuti: ſequimini etiam illarum gentium melius conſilium, & pœnitentiam, qui maiorum ſuorum errorem agnoſcentes, & confeßi, vnicum Dominum Deum cæli, & terræ principem, communis omnium ſalutis verum auctorem ſecuturi ſunt. Illa cõmuniter prolata ſententia quæ apud Micheam ex ipſa gentium perſona refertur:* Mich. 4. *Quia omnes populi ambulabunt; vnuſquiſque in nomine Dei ſui. Nos* 2 Reg. 17. *autem ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in æternum, & vltrà. Obſeruanda eſt autem in hoc loco ſignificatio verbi* proieciſti. *Nam Hebraicè eſt* NATAS, *quod propriè ſignificat eam rem deſerere, quam curari* נטש *opor-*

*oportuerat. Sic Eliab Dauidem fratrem obiurgans, Quare inquit, veniſti, & quare dereliquiſti paucul as illas oues in deſerto. Atque hæc horum verſuum ſententia eſt, Iudæos omnibus in rebus & ſtudiis gentium rationem fuiſſe ſecutos & imitatos; id verò expoſitione deinceps confirmatur.* Quia repleti ſunt vt olim. *Hebraicè, ab olim, vel ab antiquo. Duo ſtudia gentiū indicat, quorum alterum ex altero conſecutum eſt. Prius fuit, omnes gētes auaritiæ & cupiditati, diuitiis & opibus comparandis iam olim à principio nimium intentas, deditasq́; fuiſſe: atq; hac ex re diſcordias inter eos, rixas, lites, bella fuiſſe orta. Deinde illud alterum poſterius vitium fuit, quod abundantia & plenitudine diuitiarum non ad Dei cultum, & hominū vtilitatem, ſed ad ſuperſtitionem & vanitatem fouendam atque alendā accommodata fuit.* Et augures habuerunt vt Philiſtiim. *Verbum habuerunt, ab interprete explicationis cauſa eſt additum. Augures ſpeciem pro genere interpres poſuit. Hebraicum nomen omnem huius generis diuinandi, coniectandi, & auſpicandi rationem ſignificat.* GONENIM, *Latinè obſeruatores dici poteſt. Fuere autem in eo genere Philiſtiim ſtudioſiſſimi, vel ſuperſtitioſiſſimi potiùs, vt ex Chana orti, improbarum artium & ſortium profeſſores. Atq; hoc omnibus Chananæis commune vitiū fuiſſe, hiſtoriæ ſacræ teſtantur, ſed ceteris è regione illa pulſis, Chananæorum nationibus Palæſtini tātùm ſuperfuere, qui antiqua ſtudia & exempla tuerentur; ab his ad Græcos & Latinos totum hoc genus vel diſciplina, vel imitatione deductum fuit. Fatentur enim Latini & Græci Aſiaticos homines has artes primùm inſtituiſſe, & exercuiſſe. Nam Aruſpicinam à Chaldæis ad Græcos, à Græcis ad Hetruſcos veniſſe aiunt. Pertinent enim ad hoc genus multæ artes, quæ cùm cæleſtium, tum inferiorum obſeruatione rerum expediuntur. vt, Aruſpicina, Speculatoria, Onirocritica, Phyſiognomica, Metopoſcopia, Chiromantia, Geomantia, Pyromantia, Necreomantia, & omnis denique illa ſuperſtitioſa magia, quam præternaturalem dicunt. Horum autem mores & ſtudia imitatum fuiſſe Iſraëliticum populum, & vates omnes oſtenderunt, & Eſaias apertè accuſat, quem alterius illius conſilij, quo gētes vſuræ ſunt, imitatorem quoque eſſe deſiderat. Vt quemadmodum alieni homines relictis prioribus ſtudiis, Dei lucem & vias optabunt, ſic etiam Iſraëlitæ ſibi ipſi conſulentes, alienorum exemplorum, quorum ipſi duces eſſe debuerunt, ſaltem diſcipuli ſint. S.S.E. & à diuo Paulo in hanc ſententiam relatum: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentē inſipientem; hoc eſt quòd vates noſter dicit,* Et pueris alienis adhæſerūt. *Verbum hoc futuri tēporis eſt apud Hebræos, quod pro imperatiuo & optatiuo vſurpatur. Sic, Et pueris alienis adhæreant. Optat hoc vates, vt Iſraëlitæ, qui gentium mores imitati ſunt, ſapientiam quoque imitētur, qua Gentes vſuræ ſint. Locus autem ſic ad verbum ex Hebraico verti poteſt cōmodiſſimè:* & in natis alienorum ſatis fiant. *Nam verbum* SAPHAR, *ſufficere, & ſatisfacere Latinè eſt: nomen autem filiis natis vertimus: quia hîc non ea*

1 Sam. 17.

גונגים

Deut. 32.

Rom. 10.

ספר

*ratione qua filius, ſed qua aliud ex alio naſcitur & concluditur, interpre-*
ילד *tamur; id quod Hebraicum* IALAD, *apertè docet. Eſt enim* IALAD *quid-*
*quid ex alio oritur & conſequitur: vnde in diſputationibus, & argumẽta-*
ילדה *tionibus conſecutio & concluſio,* IALDAH *dicitur; atq; ita hæc erit huius lo-*
*ci ſententia: Gentes diuitiis & ſuperſtitioni operam dederunt; Iſraëlitæ ex*
*aliorum, hoc eſt, Gentium conſequentia & imitatione ſibi ſatisfieri cura-*
*uerunt. Atque vtinam in cæteris quoque rebus bonis idem perſequantur.*
1 Sam. 5. *Huius autem rei, quam vates indicat, multa ſunt argumẽta ac teſtimonia:*
*vt illud: Conſtitue nobis Regem, & iudicet nos, ſicut vniuerſæ habent na-*
Pſal 10. *tiones. & illud: Et commixti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorũ.*
*Iam verò collatio ipſa à vate explicatur: namq; hactenus altera pars compa-*
*rationis, vel ſimilitudinis expoſita fuit; ſcilicet, quæ ſtudia, qui mores Gen-*
*tium à principio fuerint: nempe diuitiarum cupiditas, & vſus redundans;*
*& deinde vanitatum & ſuperſtitionũ magnus cultus. Nunc verò quem-*
*admodũ hæc etiam in populo Iſraëlitico fuerint, ſubiũcto verſu exponitur.*

Repleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis theſaurorũ eius: & repleta eſt terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius.

H ÆC *prior Iſraëlitarum ad alias Gentes comparationis pars, cuius ex-*
*plicationem nobis Salomonis, & poſterorum Regum tempora abundè ſatis*
2. Paral. 1. *indicabunt. S. S. E. Præbuitq; rex argentum & aurum in Ieruſalem, quaſi*
" *lapides; congregauitq; ſibi currus & equites, & facti ſunt ei mille quadra-*
" *ginta currus, & duodecim millia equitum. Atque hunc locum ſine perſona-*
*rum & numerorum tranſlatione, ſed ſimpliciter, vt iacet, explicamus; ſin-*
*gularem numerum ad Iſraëliticam domũ, quam vates alloquitur, pluralem*
*ad Gentes, de quibus ſermonem habet, referendo. Quòd verò ad poſterio-*
*rem comparationis partem pertinet, illud eſt:*

Et repleta eſt terra eius idolis, opus manuum ſuarum adorauerũt, quòd fecerunt digiti eorum.

*Hebraicè numerus ſingularis ad Iſraëlem relatus obſeruatur,* opus manuum eius, & quòd fecerunt digiti eius. *Verbum autem adorauerunt, ſiue plurali, ſiue ſingulari nomini adiungatur; formam pluralis perpetuò Hebraicè ſeruat. Eſt enim vt frequentiſsimum, ſic etiam irregulare admodùm. Oſtendit itaq; vates Iſraëlitas omnibus in rebus Gentium mores & ſtudia fuiſſe imitatos. Oportere igitur eorum quoque mutatum in melius conſilium imitari, atque illorum poſteritatis ſapientem rationem ſequi; vt dixerat ſuperiùs:* & in natis alienorum ſatis fiant. *Futurum enim eſſe vt frequentes Gentium populi omnium ætatum atque ordinum, verum Dei cultum, & Euangelij iugum inſolentia, temeritate, ſuperbia & proteruitate omni depoſita ſubeant.*

Et incuruauit ſe homo, & humiliatus eſt vir, ne ergo dimittas eis.

P OTENTIA, *vel ſapientia præcipuos ex Gentibus* Viros, *reliquos humiliores & obſcuriores* homines *appellat vates, ex linguæ Hebraicæ pro-*

*prietate*

*prietate & vſu; vt apud ſapientem: O viri, ad vos clamito, & vox mea ad* Prou.7.
*filios hominum. & in Pſalmo, vbi noſtra verſio habet: Quique terrigenæ,* Pſal.47.
*& filij hominum; Hebraicè eſt: Etiam filij hominis, etiam filij viri. Omnes igitur omnium ordinum & fortunarum mortales ſeſe Deo ſubmittent: dicturi enim ſunt, Docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ſuis. Atq. etiam non leuabit gens contra gentem gladium, & non diſcent vltrà prælium. Omnes enim cognoſcent Dominum, & voluntatem eius, quàm libenter à minimo vſque ad maximum obſeruabunt. Itaq. has vniuerſales orationes nos eadem ſententia definire volumus, quam vates ipſe voluerat: qui omnes gentes Euangelium ſuſcepturas præuidit. Verba autem,* Incuruatus eſt, & humiliauit nos futuro tempore, *ita vt Hebraicè ſonat, exponimus: à qua ſignificatione etiam præteritum apud Prophetas alienũ non eſt: propter oraculorum certitudinem, vt aliàs docuimus: huius autẽ argumentationis illa peroratio à vate Iſraëlem hactenus allocuto, concluſa eſt:* ne ergo dimittas eis. *Secunda perſona, & ſingularis numerus ad Iſraelitas refertur, vt hactenus domus Iacob.* Venite, & ambulemus, *&c.* Proiecisti enim populum tuum, *&c. Tertia verò pars plurali numero gentes indicat. Igitur inquit vates: O domus Iacob, quando rerum & diuitiarum ſtudio, atque errorum imitatione Gentes ſecuta es: in bonis etiam Gentium conſiliis propoſitum vrgere ne deſiſtas. Indignum enim & abſurdum eſt, eoſdem quos ambitione, cupiditate, & ſuperſtitione non modò imitatus fueris, ſed viceris etiam, pœnitentia, demiſſione, & obedientia diuinæ voluntatis longè quoque non ſuperare. Quamobrem,* Ingredere in petra, & abſcondere in defoſſa humo à facie timoris Domini, & à gloria maieſtatis eius. *Magnæ demiſſionis, & fracti iam, atque verecundia affecti animi eſt ſignum abſconſio & occultatio ſui ipſius, & quæ ad huiuſmodi habitus referuntur actiones & geſtus, vt illud: Tu ipſe videbis in die illo, quando ingreſſus fueris cubiculum de cubiculo, vt abſcondaris: de quo genere nos plura in libris de Arcano ſermone docemus.* 2.Par.18 *In petra autem, & in defoſſa humo abſcondi amplificationem & exaggerationẽ timoris & pudoris interpretamur, quam vehementiſſimè Genti ſuæ vates ſuadebat, cupiens pœnitentiæ ſtudium ardentiſſimũ perſuadere: ita vt nihil illis vel ſuperbiæ, vel arrogãtiæ publicè priuatéve ſupereſſet. Sed ſi quis contumax, elatus, vel improbus eſſe pergeret; ſiue is paruus, ſiue magnus foret, omnino exulare cogeretur: hoc eſt quod ſubiungit:*

Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt, & incuruabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa.

HÆC *vatis, populo ſuo conſulentis, adhortatio & ſententia eſt; vt nihil illis humanæ arrogantiæ & ſuperbiæ, nihil denique elationis, tam paruis quàm magnis ſupereſſe optandum fuerit. Sed vt ſuperbia & arrogantia minorum hominum, cuius nota maxima in oculis eſſe ſolet, ſicut eodem verbo à Pſalte expreſſum eſt: Superbo oculo, & inſatiabili corde. Itaque ab* Pſal.100.

*humi-*

*humilioribus ſuperbiam, ab illuſtrioribus arrogantiam & potentiam quàm longiſsimè ſemotas vates optat.* & incuruabitur altitudo virorũ. *Vtrumque verbum humiliati ſunt, & incuruabitur imperatiuè, aut optatiuè. ex Hebraico legimus, humilietur, & incuruetur. Altitudo, proceritas, exaltatio, erectio, elatio, qualis magnatum eſſe ſolet; niſi religione, & virtute temperetur: atq; ita demùm fiet, vt exaltetur Dominus ſolus, cuius propria*
Pſal.94. *exaltatio eſt. S. S. E. Dominus regnauit, decorẽ indutus eſt. Quo loco idem verbum eſt, vbi decorem legimus, pro quo hîc ſublime interpres vertit. At verò homo nullam habet exaltationem propriam, ſed ſi quam ſibi vſurpet, & arroget, eam Luciferi exemplum ſecutus arrogat. Quo quidem vitio, quicumque tenentur, ab exaltatione Dei, & Diuini ſpiritus in ipſis inha-*
Eſa.66. *bitatione longiſsimè abſunt. S. S. E. Super quem requieſcet Spiritus meus,*
" *niſi ſuper contritum & humilem corde, & trementem ſermones meos.* In die illa, *eadem ſententia eſt; ſiue diem illam referamus ad eandem diẽ qua homo, arrogantia & ſuperbia penitus depoſita, ſeſe Deo per pœnitentiã ſubiicit, ac totum tradit; ſiue ad eam qua Deus humanum faſtum Euangelij victrice modeſtia deijciet. Facilis autẽ, & conſequens horum verſuum, hoc modo explicatio eſt, quæ aliàs difficilis, & parum cohærens eſſe videbatur.*

Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum: & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur.

VELIM *ego maximè eos, qui noſtris in vates commentariis legendis fortè delectabuntur, duodecim vatum, quos minores vocant, commentaria prælegiſſe; quæ, vt nos prima conſcripſimus, multorum argumentorum tum ad res ipſas, tum ad orationem pertinentium copiis inſtruximus, quæ in poſterioribus libris vel non repetere, vel breuiſsimè ſignificare breuitatis cauſa decreuimus; cuius generis ea ſunt, quæ de Dei nominibus hoc loco occurrunt, communi ferè omnium vatum argumento & oratione pertractata, & in ſermonis ratione, quæ à nobis de Domini exercitibus ſæpiùs aliàs fuerunt explicata: vt verò noſtrum opus vrgeamus, atq; præſentem locum cum ſuperioribus coniungamus, aduertendum eſt, vaticinium hoc tribus periodis totum conſtare. Quarum prima eſt:* Et erit in nouiſſimis diebus. *Secunda verò:* Domus Iacob. *Tertia autem:* Quia dies. *In prima igitur Euangelij Chriſti futura virtus, ad ſalutem omni credenti indicata eſt; cuius occaſione populum ſuum vates ad illius ſalutis optandam expetendamq; facultatem in ſecunda hortatur, ex hac porrò ianua quoque ad tertiã aperitur; ex qua eiuſdem Euangelij vim atq; efficaciam futuram, vates duplicem prædixere, & fuiſſe perſpectam Apoſtoli teſtati ſunt. Alteram quidem piorum & credentium, atque obedientium illuminationem, ſanctificationem, & diuinum planè ornamentum, quod proprium Euangelij Chriſti opus eſt, vt ſolis lucere, ac præeſſe diei. Alteram verò impiorũ & contumacium ſuperborum, ac denique ſæculi huius filiorum improbationem, & conſequentem reiectionem: quæ omnibus miſeriarum numeris cumulatur.*

*Illius*

*Illius alterius vſum pauperes ſpiritu, mites, lugentes, eſurientes, & ſitientes iuſtitiam, miſericordes, mundo corde, pacifici, perſecutionū & laborum patientes percipient. huius verò poſterioris vim iȷ experientur, & ſentient, qui potentia, ſapientia carnis, ſuperbia, & obſtinato ſui ipſorum amore aduerſus veritatem, & ſimplicitatē contenderint: hæc autem vitia vates Gēti ſuæ cauenda & vitanda ſuadebat. Quæ illis, & omnibus aliis gētibus cùm ſemper aliàs, tum maximè Euangelij tempore incommodiſſima, immo nocentiſſima fore cognouerat; ob eam cauſam proximè dixerat: Oculi ſublimes humilientur, & incuruetur altitudo. cuius orationis explicatio omnis ad pœnitentiam referenda eſt. vt: Rectas facite vias Domini, rectas facite ſemitas eius: omnis mons & collis humiliabitur; & omnis vallis implebitur: & erunt praua in rectum, & aſpera in vias planas. Hîc verò ſubiunxit, quid futurum eſſet iis, qui vias Domini rectas facere nollent. Atq; ita huius loci aperta ſententia & cohærentia fuerit. Reliquum autem eſt, vt vitia ipſa, quæ partim apertis & propriis, partim tranſlatis verbis à vate notantur, indicemus. Superborum & arrogantium duplex genus eſt. Alterum eorum qui vanitatem & ambitionem publicè iactant, & oſtentant. hos vates ſuperbos & excelſos nominat, verbis Hebraicis eius rei ſignificantiſſimis. Alterum verò eorum qui humilitatem & modeſtiā ſpecie quidem fictæ ſimulationis perferunt, re autē ipſa mente ac moribus omne apertum ambitionis exemplum longè ſuperant: quos Hebraicus ſermo* NISA, *&* VESAPHEL, *Latinus interpres arrogantē, & humiliabitur, vertit. Eſt autem Hebraicè vtrumque nomen participij Latini formā obtinens. Qui, inquam, interiùs arrogans eſt, & exterius humiliatum ſe oſtendit: cuiuſmodi ex Phariſæis multi, & hypocritæ omnes fuerunt. Vocabulum autem,* & humiliabitur. *quod mediam inter nomen & verbum naturam obtinet reciprocam, habet ſignificationem more Hebraico: nam partim reſpōdet ſuo adiuncto, partim omnem orationem complectitur. Significat enim eiuſmodi quos notauimus, ſiue apertè ſuperbos, ſiue occultè arrogantes, & ſpecie humiles fore, tamen re ipſa, & certo euentu humiliandos, vel inuitos & repugnantes; habetq; coniunctio duplicem vim, copulandi & affirmandi. Atque hæc ſententia omne in vniuerſum hominum, his vitiis inquinatorum, vulgus comprehendit, cùm dicat: ſuper omnem aquam, vt nullum genus exceptum putetur. Vates omnem ordinē conditionemq;, etiam eorum quod faſtus & ſuperbia decere maximè exiſtimatur, concludi & comprehendi docet oratione à ſimplicitate modò ad figuram tranſlata.*

Matth. 3.

נשא

Et ſuper omnes cedros Libani ſublimes & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan, & ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles eleuatos.

CEDROS *Libani ſublimes, & quercus Baſan. arbores præ ceteris cùm proceritate & ſpecie, tum firmitudine primas, in omni plantarum genere tenēt, vt S. E. A Cedro quæ eſt in Libano, vſq; ad hyſſopū qui eſt in pariete,*

*potentiſſimos reges, atque his paulò inferiores principes ſignificant: id quod*
Ierem. 22. *in illa Ieremiæ argumẽtatione apertè indicatur: Nũquam regnabis, quoniã*
" *confers te Cedro. atque ita Chaldæus paraphraſtes vertit.* Et ſuper omnes reges gentiũ fortes & robuſtos, & ſuper tyrannos regionum. *Horum autem nullam vim, nullam potentiam, nullam denique artem tantam fore ait, quam dies illa Domini non vincat facillimè, frangat, atque peſſundet. Solet autem humana regum & tyrannorum potentia, vel vrbium & artium ſitu & natura munitiſſimarum præſidio niti, vel claſſium & naualium rerum peritia, qua & diuitiæ ſimul & opes augeri creduntur, facultate fidere: Ea verò nihil aduerſus Euangelij vim valitura docet vates, non etiam ſapientiam humanam, non calliditatem, non generis ſplendorem & nobilitatem, non denique quidquid magnum pulchrumq́ putatur.*

Et ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles eleuatos, & ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper omnem murum munitum, & ſuper omnes naues Tharſis, & ſuper omne quod viſu pulchrum eſt.

HIS *locorum & apparatuum argumentis demoliendis oſtenditur, nullam Euangelij oppugnatoribus euaſionem terra maríve futurã, quo minùs*
Rom. 1. *diuina vltionis vis ſentiatur. S. S. E. Non erubeſco Euangelium. Virtus*
" *enim Dei eſt ad ſalutem omni credenti. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur*
" *ex fide in fidem. Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem*
" *& iniuſtitiam hominũ, eorum qui veritatẽ Dei in iniuſtitia detinent, &c. Ne verò diuinam huiuſmodi vim in montes, colles, turres, naueis, ædes, & cæteras res inanimes tantummodo exercendam interpretari quis poſſit, oſtendit expoſitione vates, quorſum hæc dicta ibi fuerint, quorſúmque pertineant: nimirum ad hominum potentiam, ſuperbiam, & arrogantiam frangendam & contundendam.*

Et incuruabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum: & eleuabitur Dominus ſolus in die illa.

NEQVE *enim montes terræ, naues, &c. vllo vitio ſuo Deum offendunt, aut irritant; ſed hominum his rebus fidentium culpa euenit, vt illa*
Gen. 6. *quoque cum hominibus ipſis deturbentur, & perdantur. S. S. E. Repleta eſt*
" *terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra. Qui verò homines, qui viri appellentur, iam docuimus. Superatis autem euerſisq́ rebus, quibus vtrique fidunt, eorum quoque ſublimitatem incuruatum, & altitudinem humiliatum iri conſequitur. Ex hac autem Euangelij victoria, Dei gloriam, & notitiam publicam, eiuſdémque virtutis admirationem conſecuturam eſſe vates affirmat.* Et eleuabitur Dominus ſolus in die
2 Cor. 2. illa. *S. S. E. Deo autem gratias, qui triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odo-*
" *rem notitiæ ſuæ manifeſtat per vos in omni loco: quia Chriſti bonus odor*
" *ſumus, in iis qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt. Neque verò hac in oratione, vel verborum, vel ſententiarũ otioſa eſt repetitio: nam quòd ſuperiùs*

*dictum*

*dictum fuit :* Et incuruabit ſe homo, & humiliatus eſt vir, *ad Gentes pertinet, quæ ſua ſponte ſeſe Euangelio tradentes ſubmittunt. Quarum exemplum vt ſequerentur Iſraëlitæ, moniti à vate ſunt, ſecunda illa oratione quam imperatiuo pronunciatã indicauimus. Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt, & incuruabitur altitudo virorum. Hæc verò tertia, & poſtrema prædictionem continet eorum qui vel inuicti Euangelio credere, & ſuccumbere cogentur; alteram diuini verbi vim experturi. Quòd autem vates explicat,* Eleuabitur Dominus ſolus. *ſiue, vt Hebraicè eſt,* ad ſingularitatem ſuam. *eò pertinet vt victoriam hanc diuinam non bello, non armis, non externo aliquo impetu; ſed admiranda & arcana virtute fore pariendam declaret. Nullum enim bellum, aut prælium humanis viribus & artibus geſtum iniri ſolet, in quo non aliqui ex vtriſque occumbant: hoc autem, in quo omnes aduerſarij cadent, procident, incuruabuntur, & humiliabuntur; neque vllus præter Dominum ſolum erit, qui ſtet, & attollatur, diuina virtute gerendum eſſe conſtat. Eſt autem in hoc vaticinio admirabile myſterium de Chriſti & Euangelij doctrina ac victoria. Porrò iis, qui humanas opes, potentiam, & ſapientiam in grauiſſimis diſcriminibus fruſtra fuerint experti: vnum reliquum eſſe ſolet religionis perfugiũ, & præſidium, vt quiſque ſuos quos vel habet, vel putat Deos, in extremis anguſtiis inuocet. S.S.E. Et timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum* Ioan. 2.
*ſuum, &c. Verùm hoc quoque propugnaculũ aduerſus Euangelij virtutem & efficacitatem vanum expertas gentes, peſſundaturas tandem atque abiecturas fore vates confirmat. Namque vtilitatis opinio, quæ Deos conſecrauerat, vbi reapſe, & periculo facto, vana eſſe argueretur, Deos ipſos abijciendos decerneret. hoc eſt quòd vates ſubiungit :* & idola penitus conterentur. *Hebraicè, penitus, eſt, omnino : verbum verò, conterentur, eſt,* יחלוף
IAHHALOPH, *quod tranſire, facere, abſcindere, exſcindere, & remouere ſignificat. Ita vt non idola ipſa ex hominũ conſpectu modò, ſed ex cogitatione, & opinione amouẽda fore confirmet. Ex corde, inquam, in quo iſtorum idolorum cùm cogitandorum, tum ſacrandorum officinas & aras antiquus hoſtis, mendacij pater, fabricauit. Magnum verò timorem, magnamq́; perturbationem hominum illo tempore fore oſtendit, diuini verbi potentiã & vim trementibus, pauentibus; adeò vt præ timore, pudore, & conſilij inopia, obſcura loca ad latendum quærantur.*

Et introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini; & à gloria maieſtatis eius, cùm ſurrexerit percutere terram.

HANC *terræ percuſſionem, atque mundi redargutionem, expugnationem, & ſubiugationem à Deo, verbo oris ſui faciendam, indicauimus : Sapientia illa cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij.* Lucæ 21.
*Eius autem rei periculum non ſemel factum eſt illuſtri admodum ſucceſſu. Surrexerunt enim quidam de ſynagoga, quæ appellatur Libertinorum, &* Act. 6.

 *Cyre-*

„ *Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Aſia,*
„ *diſputantes cum Stephano; & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui*
„ *qui loquebatur. Eadem autem tempeſtate fiebat omni animæ timor.* Cùm ſurrexerit percutere terram, *Hebraicè*, ad præualendum terræ, ad ſu-
1 Ioan. 5. perandum. *S.S.E. Omne quòd natum eſt ex Deo, vincit mundum; & hæc*
„ *eſt victoria quæ vincit mundum fides noſtra. Tantum autem metum hominum mentibus ex Euangelij veritate, & efficacitate incutiendum eſſe ait; vt in abiiciendis ſimulachris nulla non formæ & artificij modò, ſed neque pretioſæ materiæ periturae ratio habeatur.*

In die illa proiiciet homo idola argenti ſui, & ſimulachra auri: ingredietur ſciſſuras petrarum, & in cauernas ſaxorum, à facie formidinis Domini, & à gloria maieſtatis eius, cùm ſurrexerit percutere terram.

ARGENTI *ſui, & auri ſui, quæ fecerat ſibi vt adoraret. Multa argumenta breuibus verbis ſignificantur: Primùm, quòd argentum ſuum, & aurum ſuum, cuius & cupidiſsimi, & tenaciſsimi ſolent homines eſſe, maioris vtilitatis opinione ſimulacra ſibi adoranda ipſi effingant, libenterq́ impendant, atque eò vſque inſaniant, vt abiectiſsimarum etiam rerum, vt talparum & veſpertilionum effigies conficerent. Eſt enim ſpeciei vſurpatio pro genere; ſed ex ea re, quid euenturũ tandem ſit, exponitur. Nimirum vt qui talpas & veſpertiliones ad colendum effinxerint, ſimiles illis fiant, qui faciunt ea: vt omnes qui confidunt in eis, ipſi abiectis nulla clementia idolis, neq́ vllam in ipſis vtilitatem & virtutem experti, materiæ quoq́ vſum minimè cogitantes, talparum & veſpertilionum more, cauernas & foramina rupium ex diuinæ lucis formidine ſubeant. Atque hæc deſcriptio timorem, perturbationem, & magnum pudorem ex redargutione collectum, & conſilij inopiam ſignificat. Eſt autem duplex timoris diuini ratio. Altera reprehenſionis & pœnæ metu: altera maieſtatis Dei obſeruatione & reuerentia definitur. ſunt qui altero genere, ſunt qui vtroque afficiantur: ingenui autem & probati magis, qui poſteriori aguntur. vtrumque à vate eſt indicatum illis verbis:* Formidine Domini, & gloria maieſtatis eius.
Iob 31. *Sic etiam Iob de vtraque timoris ratione, Semper, inquit, quaſi fluctus tu-*
„ *mentes, timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Atq́ verbi, ſurrexit, rationem haberi operæpretium fuerit, cuius obſeruatio decretum & certum expediendæ rei conſilium & ſtudium, atque adeò efficaciſsimum conatum ſignificat. Eſt enim ſtudij habitus huiuſmodi. Nam qui, cùm antea ſederit, ad pugnandum ſurgit & ſtat, præterquam quòd propoſitum ſuum firmare,*
Iob 31. *vires etiam validiores adhibere videtur. Sic etiam Iob: Et quid faciã, cùm*
Pſal. 117. *ſurrexerit Deus. & apud Pſaltem: Propter miſeriam inopũ, & gemitum pauperum num exurgam, dicit Dominus? Quibus ex rebus & rationibus oſtenditur, quanto Dei conſilio, quanto ſtudio, quanta virtute & efficacia ſacrum Chriſti Ieſu Euangelium inſtructum adornatumq́ ſit. Hactenus*
*igitur*

*igitur ſecundum vaticinium ab Iſaia apud Gentem ſuam peroratum eſt; in quo omnium gentium illuminatio, ſalus, & publica liberatio continetur. Id autem magnis noui Teſtamenti myſteriis refertum eſt, quorum pars à nobis eſt exponēdo indicata. Omnem autem orationem hāc eò vates inſtituit, vt Iſraëlitas ſuos vel contentione, vel æmulatione, vel etiam imitatione Gentium ad illam ſalutem optandam, procurandam, expectandamq́; exhortaretur: cuius tanta futura erat efficientia & virtus, vt homines, quibus illa ſuſciperetur, à veteri iſta filiorum Adami generatione & imbecillitate ac vera miſeria, ad illam viuam, & diuinam filiorum Dei regenerationem, & perfectionem omnibus hominibus expetendam traducantur. Cuius ſacroſancti myſterij ſignificatio ad totius vaticinij perorationem à vate ſubiuncta eſt.*

Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt: quia excelſus reputatus eſt ipſe.

QVANTVM *huius loci explicatio interpretes vexarit, argumento ſunt variæ, nec ſibi conſtantes, neque cum reliqua oratione cohærentes in omnibus linguis expoſitiones; quas neque referre vacat, neque improbare conſilium nobis eſt; ſed eam afferre, quæ ſi probetur, diuino beneficio, non noſtro ingenio, aut cogitationi accepta referenda ſit. Igitur Deus Adamum illum primum ex terra terrenum à ſe creatum, quanquam plurimis & magnis donis ac beneficiis affecerit, non tamen altiori gradu, quàm humanitatis (vt ita loquamur) poſuit. Humanitatem autem hoc loco ex verborum inopia dicimus naturam humanā ex terra fictam, quæ ſpiraculo vitæ in naribus per Deum ſpirato, quo ad imaginem tantùm & ſimilitudinem Dei effecta euaſerit. Atqui creato homine, dignitas etiā illa à Deo conditore vltrò conceſſa eſt, vt præeſſet piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis terræ. Atque adeò hæc omnis antiquæ hominis præſtantiæ ſumma eſt, ad quam omnis de prima hominum natura & cōditione diſputatio referri poteſt. Cùm autem homo propria culpa ſeſe ab illa prima dignitate & libertate abdicaret, atque in peccati & mortis ſeruitutem daret, præter multam virtutum iacturam, imaginem illam Dei in ſe obſcurauit: atq; ita homo quidē, ſed multis quàm antea nominibus minor, imò & deterior manſit: neque enim homo iuſtus, amicus, ſeruúſve Dei, neque ſapiens dictus eſt, ſed homo: verùm iniuſtus peccati ſeruus, iræ filius, & cæteris vel obſcuris, vel turpibus notis infamis, quales multæ ex ſacris libris obſeruari à theologis ſolent. Atq; ad hunc locum redactus eſt homo per peccatum, vnde nūquam per ſe emergere potuiſſet, niſi diuinæ miſericordiæ infinito & admirando beneficio ad alium ſublimiorem quàm antea obtinuerat, gradum euehendus ſuſciperetur; hoc eſt, ad Filij Dei dignitatem, & diuinæ naturæ participationem inenarrabilem; quam per Chriſtum Dei Filium communicatam hominibus fore, & antiquæ legis oraculis, & omnium vatum reſponſis annunciatum fuerat. Eam verò communicatam (reapſe) fuiſſe, eſt ab omnibus Apoſtolis & Euange-*

Ioan. 1. *angeliſtis teſtatum & confirmatum. Quotquot autem receperunt eum, de-*
» *dit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex*
» *ſanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo*
» *nati ſunt. Iam cæleſtes, & ſpirituales, & diuini effecti per lauacrum rege-*
*nerationis, & renouationis Spiritus ſancti. Huius dignitatis magnitudi-*
*nem nullus humanus animus cogitare, nedum explicare, & ſuis partibus*
*deſcribere, neque deſcriptam intelligere poſſit; niſi idem diuino ſpiritu au-*
1 Corinth. 2. *ctus & ductus, eum locum obtinuerit. S. S. E. Quod oculus non vidit, nec*
» *auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui*
» *diligunt illum; nobis autem reuelauit per Spiritum ſuum. Spiritus enim*
» *omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt*
» *hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt; ita & quæ Dei ſunt nemo co-*
» *gnouit, niſi Spiritus. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed*
» *ſpiritum qui ex Deo eſt: vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ &*
» *loquimur. Non in doctis humanæ ſapieniæ verbis, ſed doctrina ſpiritus: ſpi-*
» *rituales ſpiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ*
» *ſunt ſpiritus Dei. Nulla autem eſt vtriuſque hominis dignitatis compara-*
*tio: eius, inquam, qui nondum illa Adami veteris natura exuta, animalis*
*tantùm homo dicitur, & eius qui nouum hominem indutus fuerit, qui ſe-*
*cũdùm Deum creatus eſt, in iuſtitia, & ſanctitate, & veritate, vſqueadeò*
*vt quicumque huius maximæ dignitatis compotes euaſerint: totius prioris*
*conditionis etiam non improbatum vſum, etiam laudatam conſuetudinem*
*præ poſterioris præſtantia & magnitudine ſtatus contemnant, & parui-*
Philip. 3. *pendant. S. S. E. Secundùm iuſtitiam, quæ ex lege eſt, conuerſatus ſine que-*
» *rela: ſed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtũ de-*
» *trimenta. Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminen-*
» *tem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei: propter quẽ omnia detrimentum*
» *feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo;*
» *non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt; ſed illam quæ ex fide eſt, Chri-*
» *ſti, quæ ex Deo eſt. Iuſtitia ex fide ad cognoſcendum illum, & virtutem re-*
» *ſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionũ illius. Hanc autem admirabilem*
*veteris in nouum hominem mutandi conditionem, & ſanctiſſimi illi Pa-*
*tres & Prophetæ expetiere, & mortalibus ſummè expetendam ſuaſere, vt,*
Eſa. 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas, &c. & ſuadebo tibi emere à me aurum*
Apoc. 3. *ignitũ & probatum, vt locuples fias, &c. Hic Prophetarum omniũ maxi-*
*mus & præcipuus in vaticinandi officio ſcopus eſt: quem intuitus hoc loco*
*Iſaias, aliis omnibus humanæ conditionis rationibus, vt longè minoribus*
*poſthabitis, petendum eſſe demonſtrauit; vt iam, ſcilicet homines, maiora*
*humanis, hoc eſt, diuina cogitarent, ea cuperent, ea expeterent, ea medita-*
*rentur: ea denique ex Deo poſcerent, & expectarent, ad ea accipienda ſeſe*
*pararent. Cætera verò quæ nihil vlteriùs homine filio Adam eſſent, vt*
*imperfecta, & minùs felicia faſtidirent. Atque huius verſus videmur à*
*nobis*

*nobis iam explicuiſſe ſententiam, verba verò nunc ſimpliciter, Hebraicè*
*verſa exponemus.* Deſinite vobis ab Adam, qui ſpiraculũ in nare eius,
nam in quo reputatus ipſe. *Apertè docet atque ſuadet vates, eum homi-*
*nem qui primus creatus fuit, cui nihil magis diuinũ erat, quàm ſpiraculum*
*à Deo in nare inſufflatum, iam mortalibus eſſe faſtidiendũ. Quid enim in*
*huiuſmodi hominis conditione magnum & felix exiſtimabitur; præſertim*
*poſt illum primum publicum caſum, quid tam egregium in illo cognoſcitur,*
*vt non deponi, & in nouam creaturam mutari, hoc eſt, in Dei filium opte-*
*tur. Nam primus ille homo non Dei filius, ſed ad Dei imaginem ex terra*
*factus eſt. Id quod ſignificãtiſſimè fuit à Moſe indicatũ: Et creauit Deus* “
*hominem ad imaginem ſuam, quem ne Deum, vel Dei filiũ quis interpre-* “
*taretur, apertiùs indicauit auctor. Subiũxit enim continuò: Ad imaginem*
*Dei creauit illum, maſculũ & feminam creauit eos. Ex quibus qui propa-*
*gandi eſſent, non Dij, non Dei filij, ſed omnes maſculi & feminæ filij; non*
*vltrà humanam ſortem nobiles naſcerentur. S.S.E. Et vocauit nomen eo-* Gen. 18.
*rũ Adam in die qua creati ſunt. Vixit autem Adam centũ triginta annis,* “
*& genuit filium (quamuis probum, & primum) tamen ad imaginem & ſi-* Gen. 15.
*militudinem ſuam.* Deſinite vobis. *verbum Hebraicum* HHADAL, *deſi-* “
*tionem, & finis impoſitionem ſignificat; vt, Deſierant ei eſſe muliebria; de-*
*ſierant ædificare vrbem. & illud apud Iob, eadem cum hoc loco conſtructio-* Iob 16.
*ne: Dimitte me, nihil enim ſunt dies mei. & multa alia finẽ faciendi exem-*
*pla, hoc verbo expreſſa.* Ab homine. *Hebraicè nomen Adam, cum indi-*
*cationis articulo. Vt non omnem hominem hac ſententia excipi, & contem-*
*ni interpretamur, ſed quẽdam Adam, nempe illum primum; quem conti-*
*nuò ſuis notis indicat:* Qui ſpiraculum in nare eius. *Eadem verba à va-*
*te noſtro, quæ à Moſe in primo homine deſcribendo vſurpata ſunt. Forma-* Gen. 2.
*uit igitur Deus hominem de limo terræ, & ſpirauit in naribus eius ſpira-* “
*culum vitæ: & factus eſt homo, non in Deum, ſed in animam viuentem;*
*quem eundem animalem hominem Apoſtolus nominat; de quo idem ait:*
*Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem; nouiſſimus Adam in*
*ſpiritum viuificantem. Sed non priùs quòd ſpirituale, ſed quòd animale, de-*
*inde quòd ſpirituale: primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cæ-*
*lo cæleſtis.* Nam in quo reputabitur. *Sic ad verbum ex Hebraico, hoc eſt,*
*quanti enim fiet ille homo cum nouiſſimo collatus. Namque vt idem Paulus*
*ait: Qualis terrenus, tales & terreni; qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Igi-*
*tur ſicut portauimus & imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.*
*Hoc autem dico, fratres, quia caro & ſanguis regnũ Dei poſſidere non poſ-*
*ſunt; neque corruptio in corruptelam poſſidebit. & alio in loco de nouiſſimi*
*hominis perfectione ad primum collata: Quicunque enim in Chriſto bapti-* Gal. 3.
*zati eſtis, Chriſtũ induiſtis: non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt ſeruus,* “
*neque liber: non eſt maſculus neque femina. Omnes enim vos vnum eſtis* “
*in Chriſto Ieſu. Igitur Adam ille primus in quo reputabitur ipſe. Videlicet* “

*hæc*

*hæc propria & germana Hebræorum verborum tranſlatio eſt. Quòd ſi cui Latinæ communis verſionis, in hanc ſententiam explicatio deſideretur: eam indicabimus eſſe, ſi ex admiratione locus legatur:* Quia excelſus reputabitur ipſe. *Ac ſi dicatur, nihil minus quàm excelſus reputabitur. cui ſolùm illa conditio manet, vt Adam ſit cuius ſpiraculum in nare eius.*

## ARGVMENTVM VATICINII III.

IVDÆORVM *Gentem duplicis pernicioſi exempli pœnas laturam vates prædicit, propter corruptam in primis magiſtratuum omnium conſuetudinem, & feminarum faſtum atque impobitatem: vtraque enim res, magiſtratuum videlicet peruerſum officium & mulierum maximorum in Repub. vitiorum cauſa eſſe ſolet. Deinde verò quid illi Reip. iam purgatæ & expiatæ, boni ac felicitatis, Deo auctore, continget, in fine vaticinij indicat: habet autem contextus ipſe, & ſententiarum cohærentia nonnullas difficultates, quas explicandis locis ipſis, Deo docente emolliemus.*

## CAPVT III.

ECCE enim dominator Dominus auferet à Ieruſalem & à Iuda validum & fortem: omne robur panis, & omne robur aquæ.

IN *antiquiſsimis vatum & ſapientiſsimorum ſcriptis non rarò illud obſeruauimus, vt cùm de ſceleribus & vitiis, horumq́; punitione agitur; nonnunquam cauſa ipſa priùs, deinde euentus; nonnunquam verò euentus priùs, deinde cauſa indicetur. Prioris formulæ exempla plurima paſsim legentibus occurrunt, vt in ſuperioribus capitibus:* (Eſaiæ 1.) *Cognouit bos poſſeſsorem*
» *ſuum, &c. & deinde: Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ, &c.*
(Prou. 1.) *Poſterioris verò non rara ſunt exempla, vt apud Salomonem: Cùm irrue-*
» *rit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando ve-*
» *nerit ſuper vos tribulatio & anguſtia, eò (inquit) quòd exoſam habuerint*
» *diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint, & detraxerint vniuer-*
» *ſæ correptioni meæ. Sic Iſaias hoc loco calamitates & pœnas Iudæis ferendas priùs indicat:* Ecce enim dominator Dominus auferet à Ieruſalem, &c. *Deinde verò cauſam & culpam coarguit illo verſu:* Dominus ad iudicium veniet cum ſenibus populi ſui, &c. *Culpam verò exponēs, Et vos (inquit) depaſti eſtis vineam, &c. hæc igitur cauſa eſt, quamobrem omne, tam bellicorū quàm vrbanorum magiſtratuum genus à Deo abdicandum eſſe vates obnuntiat. Atque hæc ſententiarū cohærentia eſt, orationem*

*verò ipſam verbis definiendis explicabimus: munera & perſonæ quibus rerum publicarũ vita fulcitur & alitur, magiſtratus, atque magiſtratuũ officia præcipuè ſunt: ex quo fit, vt qui Latinè regere, & rectores dicuntur: paſcere, & paſtores in Hebræa lingua ſacrisq́; ſermonibus dicantur. vt, Paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hæreditatem ſuam. &, Pauit eos in innocentia cordis, &c. Vnde etiam vſus ipſe, quem Reſp. ex adminiſtratoribus capit, paſtus, fortitudo, ſiue ſuſtentatio, ac fulcimen dicatur. vt hoc loco,* Pſal 77. "
Validum & fortem, *Hebraicè eſt* MISGHEN, MISGHENAH. משען
*Quæ Latinè (ſi linguæ ratio id ferret) ſubſtentaculũ & ſubſtentaculam. Namque maſculino genere validior præſidij & fulciminis ratio, feminino autẽ minus valida & firma ex linguæ arcanæ more & obſeruatione ſignificatur. Non modo, inquit, validum & præſentem, certumq́; magiſtratuum vſum; ſed etiam minùs validum (qualis eſſe eorum ſolet, qui præter magiſtratuum nomen & ſpeciem quandam, vel vmbram potiùs, nihil præterea magiſtratuum dignitatis & virtutis tuentur) illis eſſe adimendum, atque eius differentiæ indicandæ cauſa additũ eſt :* Omne robur panis, & omne robur aquæ. *Nomen quòd validum & fortem verterat, idem vertit robur & robur; cuius explicandi cauſa vates addidit,* Panis & aquæ. *Nam panis robur præſtantius eſt, & maſculinum; aquæ verò robur infirmius multò, femininumq́; prorſus eſt. Cibus enim (vt medici aiunt) vitam hominis alit, corpusq́; nutrit. S. S. F. Et panis cor hominis confirmat: potus autem, ex aqua præcipuè, quanquam nutritionem adiuuet, non nutrit tamen. S. S. E. Et introibit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius. Oleum, quod nutrit, in oſſa intrat, & ex conſequenti in omnem corporis partem; aqua verò in interiora tantùm intrat. Quamobrem Chaldæus Paraphraſtes rectè vertit: Suſtentaculum cibi, & adiumentum potus. Eſt autem duplex eorum hominũ genus, qui cùm Reipub. vtiles eſſe exiſtimentur, in magno apud omnem populum honore pretioq́; ſunt. Alterum eorum eſt, qui vel ex naturæ munere, vel ex diſciplinæ & ſtudij vſu, & conſuetudine virtutis, & facultatis alicuius compotes eſſe dicuntur: Cuius generis ſunt, fortes, pij, ſancti, & ſapientes, ac docti: hi omnes quãquam nullo munere publico fungantur, tamen vtiles eſſe creduntur, ac maximè ſunt. Alterum verò genus eorum eſt, qui quanquã nulla eximia vel naturæ, vel ſtudij & diſciplinæ virtute præditi ſint; tamẽ quia rebus & dignitatibus publicis præfecti fulgent, ſuſtentaculum, & præſidium populi putantur eſſe. Prius illud genus robur panis, poſterius hoc aquæ robur vates nominauit. Namque re vera illud alterum validius & certius robur eſt, quòd virtute aut natura conſtat: hoc verò infirmius & incertius, quòd auctoritate tantùm fulcitur. vtrumque verò genus per partes diſtributum vates expoſuit, prius illud ſic:*

משענה

Pſal. 16.

Pſal. 108.

Fortem, & virum bellatorẽ, iudicem & Prophetam, & ariolum, & ſenem. *Poſterius verò genus ſic:* Principem ſuper quinquaginta,

& honorabilem vultu, & conſiliarium, & ſapientem de archytectis, & prudentem eloquij myſtici.

גבור INTER *fortem & virum bellatorem illud diſtat, quod* GIBOR, *naturæ robore, & virium animiq́ magnitudine præſtat, etiam ſi nondum ſeſe in bellicis rebus exercuerit. At verò vir belli, ſiue prælij is eſt, qui militari etiam diſciplina atq́ exercitatione valet. Quem verò iudicem Latinus in-*
שופט *terpres vertit, Hebraicè vates* SOPHET, *nominat: eúmque virum iudicio pollentem, & diuinæ legis peritiſſimum definire poſſumus: qui inter lepram & non lepram, inter ſanctum & prophanũ, inter pietatem & impietatem,*
שפט *inter hypocriſim & ſimplicitatem diſcernere ſciat. Eſt enim verbum* SAPHAT. *Facultatis magis iudicãdi quàm muneris. Namque ad munus pro-*
דן *priè pertinet verbum* DVN. *& iudex ipſe dicitur* DIN. *Itaque hoc loco iudicem pro iudicatore accipimus. Propheta verò is hoc loco dicitur, qui diuino Spiritu auctus & inſtructus de diuinis humaniſq́ rebus verba facit. Sed Chaldæus interpres ſcribam vertit: qui Prophetarum officio & munere populum docendo fungitur. Neque enim hic de mendacibus, & falſis prophetis agitur: namq́ his omnibus hominum & ordinum Reip. vtilium, partibus Iudæos mulctandos eſſe vates prædicit in pœnam ſcelerum. Nulla autem pœna, immo maxima potiùs vtilitas populo accideret, ſi falſi prophetæ de medio tollerentur. Igitur ratio pœnæ vtile & commodum, aliqua ex parte genus hominum & ordinum ſubtrahendũ indicat. Quem verò La-*
כוסם *tinus vertit* hariolum, *Hebraicè legimus* KOZZEM. *Eſtq́ verbum indifferens, ad bonam & malã diuinationem; ſed cuius multò plura exempla in bonam, quàm in malam partem obſeruentur. Atque propriè* KOZZEN, *dicitur, qui ex diligenti rerũ obſeruatione, & cauſarum, euentuũ, ſignorumq́ adnotatione de rebus vel præſentibus, vel futuris ita iudicat, vt diuinare apertè videatur. Cuius rei vera facultas & virtus, tametſi non eadem cum prophetia ſit, Dei tamen munus & donũ eſt, quale Salomoni contigiſſe, atq́ multis periculis factis perſpectum fuiſſe ſcribitur: vt iudicium erga duas feminas de viuo & mortuo infantibus litigantes. Hæc virtus & facultas Reip. vtiliſſima in quorumcunque hominũ genere, maximè verò in prin-*
Prou. 16. *cipibus commendatur. S.S.E. Eodem verbo diuinatio in labiis regis, in iu-*
» *dicio non errabit os eius. Senem autem hic prudentem, & conſiliis ineundis ferendiſq́ idoneum intelligit vates. Ita vt prudentia magis quàm ætate de-*
Pſal. 118. *finire conueniat. vt ſuper ſenes intellexi. & apud Iob: Commutans labium*
» *veracium, & doctrinam ſenum auferens. Hactenus prius genus hominum, reapſe & naturæ virtute, vel conſilio vtilium, hoc eſt, robur panis, deſcripſit. Nunc verò deinceps alterum eorum, quorum auctoritas magis quàm vera virtus obſeruatur, hoc eſt, robur aquæ exponit: id autem nominibus & titulis variis, pro varia populorum & ciuitatum conſuetudine conſtat.* Principem ſuper quinquaginta. *Vt Centumuiri, decemuiri, & duumuiri apud Romanos, atque apud alias gentes alij ordines; ſic apud Iſraëlitas*

raëlitas erant quinquagenarij, & decani, vel decuriones, & alij aliis numeris & muneribus præfecti. Ex maiori numero minor etiam arguitur; atq; digniori amoto, inferius etiam remouetur: ex loco qui à Contentione dicitur, Honorabilem vultu, Hebraicè Sublatum faciebus. Erat hominum ordo honeſtiſsimus ad ciuitatum ornamentum, auctoritatemq́; rebus agendis adhibendam inſtitutus; quos ciuitatis ſeptem bonos appellatos fuiſſe apud antiquos Hebraicarum rerum ſcriptores legimus. Et conſiliarium. Hoc virorũ genus indicat; qui principibus à conſilio ſunt, quorũ ſententiis res geri adminiſtrariq́; ſolent. Ex quorũ collegio Ionatham patruus Dauid fuit, quem eodem conſiliarij titulo ſacra hiſtoria ornat. Et ſapientem de architectis. Eum magiſtratũ ſignificat, cuius curæ & prouidentiæ officiorũ omnium artes & rationes cognoſcendæ, & gubernandæ commiſſæ ſunt. Huiuſmodi namq; magiſtratus in bene conſtituta Rep. neceſſarij ſunt, atq; huius ædiles olim apud Romanos fuere, hos autem earũ, quibus præſunt artium, non imperitos eſſe oportere docet. Nomen ipſum ſapiens de architectis, ſiue de artibus. Et prudentem eloquij myſtici. Oratores, qui cauſis apud iudicem agendis, vel concionibus ad populum habendis adhiberentur, quorũ maxima olim apud Græcos & Latinos, apud Hebræos etiam non infrequens copia fuit. Verbum Hebraicum LAHHAS. orationis vim & efficaciam vbique ſignificat. vt, Et vidit Dauid ſeruos ſuos MITLAHHASSIM, hoc eſt, meditantes quemadmodũ morte filij indicata, dolorem minuerent. Hanc autem bonorum & ſapientum vtiliumq́; virorũ ſubductionem alia incõmoda diuini iudicij ſententia & decreto conſecutura dicuntur, hoc eſt, temerariorũ & ſtultorum magiſtratuũ ſucceſsio, & effrenata vulgi licentia, qua nihil pernitioſum aut peſtiferũ magis publicis rebus accidere poteſt.

MISNAIOTH C. de DINIM

לחש

2. Reg. 14.

Et dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.

NON ætate, ſed imprudentia, ſtultitia, & moribus pueritia hæc definienda eſt; ſunt enim iuuenes prudentes aliqui, & ſenili ſapientia atque prudentia ſpirituq́; præditi, & ſunt pueri centum annorum: qui non plus quàm lactentes, aut infantuli ſapiant. Summotis igitur bonis & cordatis viris à Reipub. gubernaculis tractandis, huiuſmodi facultatibus inſtructi, principes & magiſtratus ſuccedent, idq́; diuino conſilio in populi ſtulti & corrupti pœnam. Et apud Iob legimus: Qui regnare facit fictum propter peccata populi. Et effeminati. Hebraicum nomen. THAGHALVLIM. Ludicra & puerilia ſignificat. Eſt enim adiectiuo ſimile nomen. ſignificat irriſiones & inſultationes. In ſuperioribus autem verſibus duo genera hominum annotata fuerunt; eorum videlicet qui virtute, & eorum qui auctoritate valerent: his opponuntur duo etiam genera puerorum & irriſorum, ſiue ludicrorum principum, quales effeminatos interpres noſter vertit. Sed cùm nomen THAGHALVLIM, tam rebus quàm perſonis conueniat, non modò perſonas ipſas pueriles & effeminatas, ſed artes & rectiones, quibus res ab illis gerẽdæ ſunt, ludicras, ridiculas, & leuiſsimas fore indicat. Neque

Iob. 34.

"

תַעלולים

*que enim diuinis legibus & præceptis, neque recta aliqua ratione & cõſuetudine; ſed temeritate, libidine, & ſtultitia; luſibus, iocis, & delitioſis ſpectaculis ac ludis populus detinebitur; aut ex odio, gratia, ira, inuidia omnia agentur. Ex quo tandem ſummã rerum, perſonarum, & negotiorum peruerſitatem atque confuſionem expectari neceſſe eſt.*

Et irruet populus vir ad virum, vnuſquiſque ad proximum ſuum; tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem.

PASTORIBVS *bonis & grauibus amotis, pecudum varius error atque temeritas conſequitur: vnuſquiſque quod rectũ in oculis ſuis eſt, quódque libet, id conatur & agit: tum variæ opinionũ, ſtudiorum, & actionum contentiones & facultates: tum diſcordiæ, iræ, rixæ: tum nulla maiorum dignitas & reuerentia, nullaq́ ſeniorum grauitas, iuniorum nulla ſupereſt verecundia: maxima rerum omnium ordinum & perſonarum contemptio, maxima & inſolentiſſima pietatis & religionis violatio eſt. Huius rei pudenda profectò & dolenda exempla noſtra tempeſtate ſæpiùs vidimus: in iis regionibus & locis, vbi quorundam corruptiſſimorum hominũ perſuaſione Pontificum & paſtorum Eccleſiaſticorũ auctoritas & maieſtas imminuta eſt: quam improbitatem, quia & præſentes plurimi ſpectant: & plurimi etiam editis libris narrantes deplorant, demonſtrare hoc loco ſuperuacaneũ fuerit: exſecrari autem, damnare, & deprecari ſemper fuerit opportunum. Chaldæus Paraphraſtes ſatis breuiter & commodè hunc verſum explicat:* Et concitabuntur illa. *quare binenturq́ populus: vir in virum, & vir in ſocio ſuo imperabunt: iuuenes in ſene, & qui vilis in pretioſo. Illam verò tantam licentiam, & inſolentiam ipſi eidem populo tædio tandem fore ait, vſque adeò, vt vnaquæq́ familia principem, ducem, aut caput aliquod ſibi conſtituere exoptet: cuius auctoritate & opera graſſantes impunè iniurias propulſare poſſit. Nemo tamen inueniatur qui vel oblatũ ſibi munus & honorem, vel potiùs onus ſuſcipere audeat, vel ſuſceptum ſuſtineri ſibi poſſe ſperet. Tanta omnium rerum incertitudo, tam turbulenta & immoderata tempeſtas futura eſt.*

Iud.28.

Apprehendit enim vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui, veſtimentum tibi eſt: tu princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tua. APPREHENDET enim, *coniunctio, enim, conſequentiam & aſſeuerationẽ magis quàm cauſam hoc loco ſignificat. Eſt enim* CHI, *particula Hebraica, varij in oratione vſus. vt* Igitur *apud Latinos,* maer *apud Belgas, quarum officia ipſa locorum & ſententiarum indicat ratio.* Domeſticum patris ſui. *Cùm populus iiſdem legibus ſub æquo & graui principe vtitur, ſocietatem colit, ſanctam, & ſalubrem, atque communem viuendi rationẽ ſumma concordia tenet. Ab hac ratione poſtquam deſciuerit vnuſquiſque ſibi cauere & proſpicere cupiens, cùm neminem ex iis, quos alienos putat, non ſuſpectum habeat, ad propriam familiam recurrit: ex qua eum ſibi præfici optat, quem non ſapientia & conſilio, ſed potẽtia aliqua*

כי

*aliqua præſtare arbitratur.* Veſtimentum tibi eſt. *Ex ſplendidioris veſtimenti vſu & facie facultas ad principatum arguitur. Quaſi verò veſtes animum & facultatem adferant hominibus. Attamen hoc eſt vulgare imperitorum hominum iudicium.* Tu princeps eſto noſter. *Hebraicum nomen* KESZIN, *Ducem & rectorem ſignificat, vnaquæque autem familia ſuum* KESZIN *optabit. Cuius auctoritate & ipſa ſeſe in concordia & pace tueri, & ab aliarum familiarum iniuriis defendi poſſe putet. Aliàs vel domeſtico odio & diſſidio peritura, hoc eſt quod ſubiungitur:* Ruina autem hæc ſub manu tua. *Hebraicum verbum ruinam, decedētiam, offenſionem ſignificat eſt autē ſententia: Familiam tot tantisq́ domeſticis & externis offenſionibus petitā, planè ruiturā eſſe, niſi illius quē ſibi optauerint, manu, hoc eſt, potentia & induſtria retineatur, & conſeruetur. Chaldæus Paraphraſtes ſic expoſuit. Nam apprehendet vir in fratre ſuo de familia domus patris ſui, ad dicendū, Palliū eſt tibi, magnus eris ſuper nos, & mulcta hæc erit ſub manu tua. Tanta verò Iſraëlis calamitas futura eſt, vt præfecturam omnem, quam vel maximi & locupletiſſimi homines ambire aliàs ſoleant; vel minimus, & pauperrimus, atq; abiectiſſimus quiſque repudiet.* קצין

Et reſpondebit in die illa, dicens: non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum: nolite conſtituere me principem populi.

SI *ſimplicem & cohærentem huius loci ſententiam ſequamur, nomen* medicus *nulla ſignificatione inductum videtur; ſi verò indulgere ingenio velimus, multa philoſophari ex hoc nomine poterimus. At verò inſtituti noſtri non obliti, locū ex Hebræo ſic reddimus.* Et tollet in die illa, non ero ligator. Tollet, *idem quòd reſpondebit, vel iurabit exponimus. Iurabit autem ſe lictorem eſſe nolle: vtpote cui, quamuis palliū illud foris geſtetur, domi tamen neque panis quidem quo ſe ſuoſq́ alat; neque veſtis qua frigus repellat, ſuperſit: pauperrimum autem hominem, quamuis ſapientem & prudentem, tamen magiſtratu & principatu indignū vulgò haberi. Nil enim habet infelix paupertas durius in ſe, quàm quòd ridiculos homines facit. S.S.E. Fratres hominis pauperis deſerunt eum, inſuper amici receſſerunt ab eo. Itaq; rogatus hic vt familiæ ſuæ regendæ curam ſuſcipiat, negabit ſe ſuſcepturū duobus nominibus: & quod illis propter ſcelera admiſſa, & iniurias inuicem illatas, non rectorem, ſed vindicem ſe eſſe oportere intelligat; & quòd interim dum eiuſmodi aliena & importuna negotia curabit, eſurire, & ſumma inopia laborare cogatur; vtpote cui neque panis neque ſupellex alia domi ſit. Eſt igitur illa huius loci ſententia: Vos optatis me in principem veſtræ familiæ, atq; ruinæ, ſiue cōmunis iniuriæ propulſatorem. atqui hoc eſt, me lictorem conſtituere, & carnificem veſtrū: adeò enim vos omnes ſcelere & iniuria flagratis, vt neminem non comprehendendum, & ligandū puniendumq́ eſſe exiſtimem. Ita dum vobis nūc vtilitati & decori fore credor, pœnæ & ignominiæ contra animi veſtri ſententiā futurus ſum.*

Iuu. Sat. 15.

Prou. 19.

 *Si id*

*Si id quòd vultis rectè fuerim executurus, vnde neque vobis commodus, & mihi ipſi inutilis ero, cùm domi nec panẽ habeam quo me alam, neque veſtimentũ, quo vendito victũ emere poßim. Et tandem non expediet vobis me eſſe iudicem, & vindicem, vtpote à ſingulis pœnas pro ſcelerũ ratione repetiturũ. Moneo igitur vos ab iſto conſilio deſiſtere, cuius tandem futurum eſſe vt pœniteat, certò ſcio. Atq; ita conſilij ac ſententiæ loco illud ſubiungitur:* Nolite conſtituere me principem populi. *Tantam autẽ illis temporibus, tamq; communem egeſtatem fore, ait vates, vt nemo etiam honoris cauſa ſeſe diuitem putari, aut vocari patiatur. Quàm verò certum hoc vaticiniũ Ieroſolymitanis extiterit; apertè Ioſephus & Ægeſippus docẽt; cùm omnia loca iniuriis, rapinis, contumeliis, & grauißimis ſceleribus publicè priuateq; redundaſſe affirment. Cauſam autẽ quam ob rem ille, qui vt princeps eſſet, rogabatur; ſe grauem principem, immo ſeuerum vindicem futurum indicaret, continuò exponit.*

Ruit enim Ieruſalem, & Iuda concidit: quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maieſtatis eius.

C o m m v n i, *& grauißimo impietatis, iniuriarum, & improbitatis ſcelere omnes obligatos eſſe affirmat: eodemq; non leuitate, vel errore, vel repentina temeritate, ſed ſponte, & conſultò, & data opera, concepto, ſermonibus, verbis, & factis de induſtria conflato aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtum eius.* Vt prouocarent oculos maieſtatis eius. *Apertè & conſultò improbeq; admiſſam culpam, hæc oratio ſignificat: nimirum quæ ante Deum, qui maximus cognoſceretur, tamen impudentißimè contracta eſſet peccantibus illis in Spiritum ſanctum verum apertißimè dictantem, & confirmantem. hoc eſt prouocare oculos maieſtatis eius, cuius delicti crimen tantũ abeſt, vt effugere, vel depellere iſti poſſent: vt etiam ſua ipſorum impudentia, & inſolentia, improbitate, & pertinatia oſtentare, & defendere, ac tueri palàm pergant; atq; commeritarum pœnarum cũmulũ ſibi indies augeant: quas nõ in corpore ſolùm præſente calamitate & exilio, ſed in anima quoq; æterno ſupplicio luẽdas ſubituri ſunt. hoc eſt quod ſubiũgitur:*

Agnitio vultus eorum reſpondebit eis, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. væ animæ eorum quoniam reddita ſunt eis mala.

N o n *ſolùm diuino iudicio, ſed hominũ etiam oculis iſtorum ſcelus ab ipſis eſſe teſtatißimum, malitiam, improbitatemq; ſuam, Sodomitarũ more iactantibus, & reprehenſionem omnem repellentibus, quæ ſumma in omni ſcelere improbitas, & flagitioſißima impudentia eſt. Sodomitarũ concepto ſceleri, improbitatem, impudentiam, atque obſtinationem additam, oſtendit*

Gen. 19. *ſcriptura. Huiuſmodi ad Lotum reſponſo relato. at illi dixerunt: Recede il-*
" *luc, & rurſus ingreſſus eſt, inquiunt, vt aduena, numquid vt iudices: te er-*
" *go ipſum magis quàm illos affligemus.* Væ animæ eorum, quoniam red-

dita

dita ſunt eis mala. *Hebraicè ad verbum ſic,* quoniam retribuerunt ſibi
malum. *ſibi inquit ipſis malum moliuntur, & parant: neque enim ſua iſta
pertinacia & improbitate Deo quicquam nocere, vel obſiſtere poſſunt, ſibi
ipſis nocent, ſibi pœnas accumulant, nũquam tandem effugiendas; quas hîc
ſi nonnulli fortè euaſerint, animæ tamen pœnas declinare non valebunt.
Hanc eandem ſententiam aduerſus Iudæos Diuus Paulus illa oratione ex-
preſſit. Exiſtimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & fa-* Rom. 2.
*cis ea: quia tu effugies iudicium Dei. An diuitias bonitatis eius, & patien-* "
*tiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœ-* "
*nitentiam te adducit. Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor* "
*tuũ, theſaurizas tibi iram in diẽ iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei: qui* "
*reddet vnicuique ſecundùm opera ſua. Atq; hactenus vates perſonarũ in-* "
*ductione Iudæorum ſcelera & flagitia indicauit: retulit enim orationẽ &
ſententiam boni illius viri, qui oblatum ſibi vltrò à ſuis gubernandi & de-
fendendi munus, tum ambitionis odio, tum illorũ communis culpæ, & im-
probitatis faſtidio recuſauit; aſſerens ſe, ſi ſuſciperet, in omnes communiter
iure animaduerſurum eſſe. Atq; hanc ſententiam, orationem, & mentem,
vates vehementer probandam, ipſumq; ſententiæ auctorem, vt iuſtum atq;
rectum, laudandum docet.*

Dicite iuſto quoniam bene: quoniam fructum adinuentionum
ſuarum comedet.

LAVDATE, *inquit vates, huiuſmodi iuſti hominis conſilium & ſen-
tentiam. Bene enim illud prædixit, & aperuit, illos ſi ſe populi principem
conſtituerent, non fouentem, ſicut exiſtimabant, aut protectorem; ſed ſeue-
rum ſcelerum vltorem pro meritis experturos fore.* Quoniam fructum
adinuentionum ſuarum comedent. *Sic pluraliter Hebraicè & Chal-
daicè verbum eſt, referturq; ad illud ſuperiùs expoſitum.* Quia lingua eo-
rum, & inuentiones eorum contra Dominum, &c. *Harum adinuen-
tionum fructum, quamuis ob iudicis humani defectum non percipiant, di-
uino iudice pœnas repetente, grauiſſimas capient. Neque enim effugient
iudicium Dei. hoc eſt quod ſubiungitur:* Væ impio in malum: retri-
butio enim manuum eius fiet ei. *Hebraicè ad verbum* væ impio ma-
lo. *cuius verſus cohærentia & ſententia expoſita nobis eſt: verba autem ex-
plicanda breuiter ſunt.* Impium, *Latini interpretes reddere ſolent ex He-
braico verbo* RESSAGH: *cuius vſum nos diligenter obſeruantes, oportu-
nam definitionem adnotauimus. Igitur* RESSAG, *is dicitur, qui ſcelus vel* רשע
*aduerſus Deum, vel aduerſus homines prudens ſciensq; ſuſcepit, & impu-
denter vrget, ac perficit. Propriè autem in iudiciis forenſibus, is qui dam-
natur, & cauſa cadit, hoc verbo notari ſolet: cuius exẽpla Hebraicè ſcien-
tibus, paſſim occurrunt. Eſtq; verbum oppoſitũ* SZADIK, *quod Latinè iu-* צדיק
*ſtum vertimus. vt, Numquid perdes iuſtum cum impio? abſit à te, vt hanc* Gen. 18.
*rem facias; vt occidas iuſtũ cum impio, fiatq; iuſtus ſicut impius: nõ eſt hoc* "

*tuum,*

Deut. 21. " *tuum, qui iudicas terram. &, Si fuerit cauſa inter aliquos, & interpellauerint iudices, quem iuſtum eſſe perſpexerint, illi iuſtitiæ palmam dabunt: quem impiũ, condemnabunt impietatis. Ex his locis etiam Latinè apparet, impij nomine conſultò & dedita opera, ſceleratum, & ſcelus defendentem, vel vrgentem ſignificare. Quòd nos aliquando non æquali omnino verbo, ſed tamen non multum diſsimili, improbum, improbitatem, & improbare vertimus. Eſt enim hæc vox certæ etiam ſignificationis apud Latinos, quæ non ſcelus modò, ſed audaciam & impudentiam quoque adnotat, vt:*

Horat. 2. Serm. Sat. 5.

*Magna minórve foro ſi res certabitur olim,*
*Viuet vter? locuples ſine gnatis, improbus vltrò*
*Qui meliorem audax vocet in ius:*

*Itaque impium Deo hominibusq́; improbandum interpretamur; nam hæc Latinis impietatis definitio eſt. Ait autem Iſaias improbum hominem, hoc eſt, ſcelerum machinatorem, impudentem, & obſtinatum, grauiſsimas flagitiorum ſuorum pœnas tandem ſubeundas, ipſum ſibi moliri, & parare.* Væ impio in malũ. *Væ, inquit, improbo, qui conſultò malè agit, malumq́; fouet. Sunt enim aliqui mali, ſed qui malũ deuoueant, & deteſtati abiiciãt: his per fidem, & pœnitentiæ exercitationem ſpes veniæ propoſita à Deo eſt. Sunt verò alij impij mali, hoc eſt, improbè, & perſeueranter mali: ſed iſta ſeges quid pariat, continuò indicatur.* Quia retributio manuum eius fiet ei. *Fiet, inquit, naſcetur profectò, & efficietur ex eius malitia & improbitate; quamquam ille id facere ſibi non cogitet, aut velit, fiet tamen ei. Atque vtraque hæc ſententia, quamquam ſingulariter ad hoc inſtitutum & argumentum pertineat; tamen Catholica eſt, & perpetua, vt multæ aliæ in ſacris libris obſeruantur: veriſsimum enim & indubitabile in omni argumento illud eſt,* Dicite iuſto, quòd bene. *Namq; iuſtorum, & iuſtitiæ ratio Deo, hominum gubernatori & ſeruatori optimè conſtat. &,* Væ impio in malum, quia retributio manuum ſuarum fiet ei. *Hunc verſum vertit Chaldæus*, Væ improbis, quorum opera mala: quia retributio manuum ſuarum dabitur eis. *Iam verò huius propoſiti, & denunciatæ Iudæis animaduerſionis ac pœnæ cauſam aperit Deus opportunè admodum: cùm mirari auditor poſſet, quid cauſæ eſſet, quamobrem Ieroſolymitanis & Iudæis vtilium principum, magiſtratuum, & virorum vſus adimendus foret: nimirum quòd nulla iam, nec ipſis ciuibus, nec magiſtratibus, officij pars integra & ſancta maneret.*

Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt, & mulieres dominatæ ſunt eis. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.

SVMMAM *rerum tum publicarum, tum priuatarum corruptionem, omnium ordinum & munerũ peruerſitas arguit; cùm neque rerum ciuilium, neque domeſticarũ integra ratio conſtet. Sed publicè qui rectores, gubernatores, & iniuriarum vindices eſſe deberent, prædones, ſpoliatores, graſſa-*

*graſſatoreſq; ſint: priuatè autem feminæ viris imperent, contra quam S. E. Et conuerſio tua ad virũ tuum. propterea quòd vnicum rebus pereuntibus reliquum erat humanum remedium: vt ſenes, ſapientes, Prophetæ, & cæteri qui magiſtratum & populũ conſilio, & exhortatione adiuuare, vel reprehenſione, & increpatione à vitiis reuocare debent: ipſi, vel adulatione decipiant, vel falſa docendo & monendo, morũ & vitæ inſtituendæ, ac ducendæ viam corrumpant. Verba nonnulla exponemus.* Exactores ſui ſpoliauerunt. *Exactores dicuntur, qui tributis aut vectigalibus exigendis præfecti ſunt; huiuſmodi alij à principibus & magiſtratibus eſſe ſolent. Ex ſignificatione autem vocis indicat Deus, nullos iam ſupereſſe in populo nec duces, nec principes, nec magiſtratus; ſed omnes in exactores fuiſſe mutatos: vtpote quos non publicæ vtilitatis cura, ſed priuati commodi ſtudio & compendio Remp. ſuſcipere, & gerere conſtet. Hi autem non regunt & adminiſtrant, ſed expoliant. Hebraicum verbum* MEGOLEL, *iuueniliter, temere, pro impetu & libidine agentem puerum incommodantem, ſiue incommodis afficientem, & racematorẽ ſignificat; hoc eſt, eum qui ad ſanguinem vſque pauperum res emungit. Atque hoc vno ſignificante verbo, iſtorũ magiſtratuum & principum conſilia, ſtudia, ac mores plenè indicauit Deus.* Et qui te beatum dicunt. *Hebraicè,* beatores tui. *Eadem orationis figura vſus, conſiliarios, Prophetas, & cæteros qui conſilio, prudentia, doctrina iuuare populum deberent: vno adulandi & applaudendi ſtudio teneri ait: vt quidquid populus, vel princeps, vel magiſtratus agat, aut faciat, id probetur, laudetur, & ſummis præconiis admirationibusq; extollatur. Hoc eſt populum & principem ex ſtulto inſanum reddere. Chaldæus interpres hunc locũ doctè expoſuit.* Popule mi, quem exactores eius diripuerunt, & racematores vineæ, & antiſtites delicti poteſtatem exercuerũt in eo. Popule mi, laudatores tui errare fecerunt te: & viam ſemitæ tuæ corruperunt. Stat ad iudicandum Dñs, & ſtat ad iudicandos populos.

מגולל

OMNIS *huius orationis argumentatio duobus ex locis petita eſt. videlicet ex Catholica ſententia & contentione dialectica, cuius illud argumentum eſt, Deus populum Iſraëliticum iudicaturus, atque iis quas commemorauimus pœnis affecturus eſt. Deinde in principes ac ſenes, cæteróſque publicos homines grauiter ob deſertum & violatum officium eſt animaduerſurus, vt dixit; idq; optimo iure, & maxima æquitate fiet. Nam cùm Deus omnium gentiũ & populorum cauſas agat & iudicet, vt populo etiam ſuo, obiurgando, corrigendo, atq; iudicando, caſtigandoq; proſpiciat; æquum, conſentaneumq; eſt. Itaq; hic primus verſus Catholicam ſententiam continet.* Stat ad iudicandum Dominus. *Ille, inquit, Deus, cuius notitia admirabili illo & arcano nomine* יהוה*, Iſraëlitis ſingulariter eſt tradita, & communicata; populis verò cæteris non ita clarè & apertè fuit hactenus facta. Ille, inquam, ſtat ad iudicandum. Hebraicè duo verba ſunt.* RIB, *&* DIN. *Alterum litigantium, maximè verò accuſantium, alterum cauſas* cognoſcen-

ריב
דין

*cognoſcentium, & iudicantium eſt. Sunt etiam duo verba, quæ Latinus*
נצב *vertit, ſtare,* NISZAB, *&* GHAMAD. NISZAB, *de eo dicitur, qui ad rem*
עמד *agendam, atq; ad contentionem cum aliquo paratus eſt. vt, Vidit aſina An-*
Num 22. *gelum ſtantē in via. atque ita propriè interpretari poſſumus* Paratus. *Ver-*
*bum verò* GHAMAD, *conſtanter & certè, ac manifeſtè ſtare, apparereque*
*ſignificat. Conuenitq; iudicibus maximè, quos conſulto, ſeriò, maximáque*
*cum maturitate, ſeueritate, & firmitudine cauſas cognoſcere, & iudicare*
עמוד *oportet. Ex quo verbo nomen* GHAMVD *deriuatur, quod ſignificat colum-*
*nam eminentem, atq; ſtantē firmiſſimè. Quòd ſi huiuſmodi perſonas acto-*
*ris & iudicis magna cura, diligentia, ac ſedulitate, vt ex verbis ipſius appa-*
*ret, erga cæteras nationes, populos qui ſe minùs nouerunt, & qui nomen*
*ſuum non inuocauerunt, agit atq; tuetur Deus; dignitati, æquitati, nomini*
*denique illius conſentaneum eſt, vt populū eum, quem domeſticum ac fa-*
*miliarem ſibi præ cæteris eſſe voluit, ac tuendum, ornandū, amplificandumq;*
Leuit. 10. *ſuſcepit, in primis arguat, iudicet, & caſtiget. S.S.E. Sanctificabor in iis*
» *qui appropinquant mihi. Quamobrem altera argumentationis pars, hoc eſt*
*concluſio, à vate ſubiungitur.*

Dominus ad iudicandum veniet cum ſenibus populi ſui, & principibus eius.

ÆQVITATIS *enim & iuſti iudicis eſt, vt familiam ſuā diligentiùs etiam iudicet, in eaq; illos in primis arguat & caſtiget, quorū in officio vel obſeruando, vel deſerendo grauius exemplū eſt. Indignum namq;, atq; omni ſeueritate animaduertendū facinus admittitus, qui cùm aliis damna & iniurias inferēdas propulſare, vel illatas vlciſci debeat; ipſe tamen grauiſſimarum iniuriarū reus peragi poſſit: cuiuſmodi crimen vnà cū argumentatione Deus cōtinuò iudicibus his ſenibus & principibus appellatis offert.*

Vos enim depaſti eſtis vineam, & rapina pauperis in domo veſtra.

VINEARVM *cuſtodes ea cauſa creari conſtituiq; ſolent, vt ne quid damni detur, diligentiſſimè caueant & curent; qui ſi improbi ſint, & damnum ipſi grauiſſimū ac detrimentū non fructibus modò, ſed vitibus etiam ipſis afferant, non ſolùm proditi, ſed violati etiam officij, ſcelerisq; ex legum & iuris auctoritatisq; abuſu admiſſi pœnas meritò perſoluere debent. Eſt autem aduerſum huiuſmodi ſatis apertum argumentum, omniq; teſtimonio maius vt vuæ & palmites in eorū domibus deprehendantur, quæ, ſiue à furibus eò delata, quod raro accidat; ſiue ab ipſis cuſtodibus, quod veriſſimum fuerit; apportata dicantur, eodem in crimine ponenda ſunt. Vineā autem,*
Eſa. 5. *Dei populum familiarem eſſe, Eſaias inferiùs apertè docet: Vinea Domini*
» *exercituū domus Iſraël eſt; vites verò, ipſi populi ciues, vt idem ipſe expo-*
*nit, & plantatio delectationū eius, vir Iuda. Grauiſſima autem iniuria per*
*auaritiam & fraudem à potentioribus magiſtratibus & ſenatoribus illata,*
*illa oratione ſignificatur:* Vos autem depaſti eſtis vineā. *Non modò vin-*
*demiaſtis fructus, verùm etiam depaſti eſtis. Verbum Hebraicū* BAGAR,

*ſignifi-*

*ſignificat comburere, atque eo modo abſumere, vt credas ignibus actum: eſtq́; communis omnium linguarum tranſlatio ab igne ad depopulationem. Porrò verbũ ipſum ſecũdam coniugationem obtinet; quæ res exaggerari vehementer ſolet. At verò cauſa ipſa manifeſtiſsimis rebus teneri, ac firmiori etiam argumento quàm teſtium confirmari oſtenditur: ſimul & tranſlatio aperta oratione exponitur.*

Et rapina pauperis in domo veſtra. Res *potentiorum, iudicum, & magiſtratuum in domo pauperis inuentæ, donationem, vel munus, vel eleemoſynam indicare & probare poſſent: res verò pauperum in domo iudicum & principum rapinam apertè arguere Deus ait. Neque enim pauperis & miſeri, quales Hebraicũ nomen ſignificat, res ſuas potentioribus donare commodè poſſunt; ſed per calumniam, fraudem, vel metũ auferentibus, vel exigentibus, concedere inuiti ſolent: rapinam verò propterea appellat, quòd non de iuſtis, legitimis, & æquis tributis, ſed de iniquis exactionibus agat; quas non leuiori nomine quàm rapinæ notat, ex multis prædarum rapinæ, & direptionis nominis* GEZEL, *hoc in loco vſurpatũ eſt, quod vim imbecillioribus ex potentia illatam propriè ſpectat, cui exponendo nomen* GHANIIM, *oppreſſos & afflictos ſignificans, oppoſuit. Ex quo illud argumentando, indicatur potentioris hominis proſperitatem, & familiaris rei abundantiam, multorum oppreſſorum ſpoliis & rapinis conſtare. Neque enim vnius pauperis fortunæ tantæ auaritiæ, tantæ, inquam, rerum copiæ ſufficiendæ idoneæ eſſe poſſunt.* in domo veſtra. *Hebraicè, in domibus veſtris. Indicat autem hæc omnis figura pauperem vnũ non ſemel, neque ab vno, ſed ab omnibus exſpoliari ſolere, cùm pauperem ſingulari, domos multitudinis numero pronunciet. Atq; de ſignificatione ſingulorum verborũ, & de argumentatione ex ſimplici ad multiplicem orationem nos aliàs plura, neq; tamen vſquam ſatis indicauimus: quippe diuina elocutio plus habeat in ſingulis verbis ſententiæ, plus in verborum collatione myſterij & ſignificationis, quàm vel magnis voluminibus exponi poſsit; maximè verò in Hebraica lingua, quam qui ignorauerit, incredibili in diuinorum librorũ lectione, multarum commodiſsimarũ rerum vſu fructuq́; carebit; niſi aliàs diuino Spiritu ſit edoctus: à quo tamen ſi non linguam ipſam, at verborũ rationes doceatur oportet. Id quod ego apud barbarum quidem & imperitum ſermone, ſed ſcientia diuinitus auctum virum, multis periculis factis, agnoui. Qui veritatem Hebraicam, cùm neque Latinè rectè ſciret, ſcitandis ſacrorum librorũ, & verborum ſententiis, aptiſsimè referebat. Is autem ſæpe auditus eſt dicere, nihil ſe humanorũ ſtudiorum, niſi vnicam Hebraicæ linguæ facultatem deſiderare; in qua ea, quæ ipſe diuino munere cognoſceret, myſteria laterent. Quòd verò ad argumentationis dicendæ vim ſpectat, indicandum nobis eſt. Argumentis à contrario, vel ab oppoſita ſententia, conſuetudine, lege, vel præceptione illa dicendi, & incipiendi formula familiaris eſt,* Tu autem; vos autem; ego autem; ille autem. *ſiue, vt Hebraicè*

גזל
ענים

*ſonat.* & ego, & tu, &c. *in quibus coniunctio* Et, *ad oppoſitionem, contentionem, & aſſeuerationem facit: vt in Pſalmo ſecūdo: Ego autem conſtitui*
Pſal 2. *regem meum ſuper Sion montem ſanctum meum. & alio in loco: Tu au-*
Pſal 49. *tem odiſti diſciplinam, proieciſti ſermones meos retrorſum. Atq; factum ipſum ex quo crimen conflari poſſet, iam manifeſtū fuit, ex rebus & ſignis quantum ad coniecturalem cauſæ ſtatum attinet. Nunc verò res ipſa in definitiuo ſtatu ponitur. vt quantum ſcelus admiſſum ſit, apertè intelligatur.*

Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? dicit Dominus exercituum. *Hebraiſmi germanū idioma ſic habet:* Quid vobis atteritis populum meum? & facies pauperum commolitis, effatum Domini Dei exercituum.

PRO *definitione & circunſtantiis crimen ponderatur primùm, deinde auctoritate res omnis, & cauſa confirmatur. Non rarò principes & magiſtratus in eum errorem, vel in eam potiùs inſaniam cùm ſua ſponte, tum adulatorum impulſu incidere ſolent: vt populos, quibus præſint, ſua cauſa & natos eſſe, & viuere arbitrati; tamquam bruta & iumenta, ſuis tantùm cōmodis ac libidinibus ſeruire cogant. Nihil enim eſt, vt Satyricus ait, quòd non credere de ſe non poßit, cùm laudatur, Diis æqua poteſtas. Huiuſmodi igitur opinionibus inducti potentes homines, erga priuatorum & imbecilliorum non modò fortunas, ſed etiam perſonas, legibus, & munerum ſuorum maieſtate, ad quæſtum, atq; ad libidinem abutuntur. Quam tamen iniuriam & offenſionem ad ſe pertinere Deus declarat. Atque grauißimæ expoſtulationis formula expoſitam, ſeuerè ac potenter vlciſcendam ſignificat. Namque ex illata alieno ſeruo iniuria, Dominus ipſe non leuiter offenditur, ad quem & ſeruus, & ſerui res & fortunæ pertinent. Hactenus igitur principes rapinæ in pauperes factæ, accuſati fuere. Nūc verò nepharij ſacrilegij rei conſtituuntur, cauſa autem ex definitione arguitur: nā quos illi ſibi ſubditos, ſibi natos, ſibi ſeruire ad libidinem, ambitionem, & auaritiam cogendos arbitrabantur, Deus in cauſa liberali aſſertor, propriū populum eſſe dicit; vtiturq; ad eam rem oratione tum conciſa & vehementi,* Quid vobis? *tum explicata & graui,* atteritis populum meum? *Quid, inquit, vobis eſt proprium atq; certum in iſto populo, quo pro libidine veſtra abutimini.* Meum populum, meum, *inquam, non veſtrū atteritis, non modò rebus, ſed perſonis ipſis nocendo: atque, quod grauißimum & indignißimum eſt, miſeros & pauperiores homines per potentiam peſſundatis, & commolitis. Atq; ad ambitionem veſtram, inſolentiam, & ſuperbiam, quam maieſtatem, vel dignitatem falsò dicitis, amplificandam, contemptionem, deſpectionemq; pauperū adhibetis, ſupercilioſo geſtu & inſolenti ſermone, vſi certis excogitatis verbis, vt quos velitis alio atque alio modo compellatis: ita vt ſæpenumero eos, qui vos audiunt, illis veſtris exceptionibus & appellationibus; atq; vt vno verbo explicem, inſolentibus conſuetudinis excogitationibus perturbetis; atq; hoc modo pauperū non ſolùm fortunis, ſed perſo-*

*perſonis, & dignitati debitis; nulla virtutis & æquitatis, ſed ſolùm potentiæ, vel imbecillitatis ratione habita; cùm tamen in diuina lege Regibus minimè ſuper fratres ſuos inſoleſcere fuerit cautum.* Effatum Domini Dei exercituum: *effatum, certam orationem, atq; conſilio ſtudioq́; magno pronunciatam, eamq́; opportuna auctoritate confirmandam ſignificat.* Domini, *nomen poteſtatis, auctoritatis, & dictionis eſt: Dei verò nomen illud eſt arcanum, quòd miſericordiæ rationibus interpretamur.* Exercituum, *auctoritatem, & facultatem ad res gerendas indicat. Opportunè autē hæc omnia nomina appellata ſunt: in aſſerēda populi ſui cauſa, & pauperiorum hominum iniuriis ex miſericordiæ conſuetudine ſuſcipiendis, ac tādem vlciſcendis. Effatum, inquit, miſericordis & vindicis, & potentiſſimi. Omne autem contemptionis, & deſpectionis, atq; ſeruitutis genus, facierū commolitio ſignificat. Eſt enim facies nobiliſſima corporis totius pars; quam qui lædit, neque reliquis membris abſtinebit. Atque hactenus illa propoſitio explicata eſt,* Populum meum exactores ſui expoliauerunt. *Nunc verò deinceps feminarum cauſa agitur; quæ, relicto & contempto modeſtiæ & pudicitiæ decore, libidini & petulantiæ ſtudentes, populo imperitare dictæ ſunt. Harum verò artes & ſtudia indicantur; earumq́; exitus qualis ex diuino iudicio ſit futurus, exponitur.* Et dixit Dominus. *Eadem actione qua principum ſtudia accuſauit, feminarum quoque mores & negotia ad populi corruptelam diligenter curata, in crimine quoque poſuit; ſimili itaque animaduertendi conſilio adductus*

Dominus Deus dixit, Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant, & pedibus ſuis cōpoſito gradu incedebāt.

FEMINARVM *honeſtatem & pudorem, geſtus & habitus in primis, deinde cultus modeſtia hominibus probare, impudicitiam verò aut arrogantiam, & improbos mores inſolens & affectata, tum habitus & geſtus, tum ornamentorū adnotatio arguit. De Gentium feminis non eſt nūc ſermo nobis.* Filias Sion, *hoc eſt, eas, quæ ad Dei populū pertinent, olim Iſraeliticas, nunc Chriſtianas notabimus: quibus quidquid modeſtiæ, & ſimplicitatis fines prætergreditur, in crimine à Deo ipſo ponitur; ob eamq́; rem vates non ſuam, ſed Dei orationem referre ſe affirmat. Solent enim mulieres immoderatū illum ſuum cultus appetitum & ſtudium, nominibus, neſcio qualibus, defendere; ſibiq́; dum modò nihil turpius (vt aiūt) obijciatur, quàm exterior cultus & comptus, atq; conſuetudo illa, quam vocant liberalem, ignoſcere ac indulgere nimium. Atqui turpitudo alia, & dedecus propterea nō defenditur ab illis, quòd eiuſmodi defenſio, neque apud impudentiſſimos quidem homines admittatur. De hac igitur, vt damnatiſſima, non eſt modò ſermo; ſed de illo genere quod ab illis etiam expetitur, quæ honeſtiſſimæ, & Chriſtianiſſimæ haberi volunt. De quibus* Dixit Dominus, Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion. *Hebraicè, Ideo quòd eleuatæ, & cet.*

*hoc ipſum in crimine ponitur filiabus Sion: quòd illæ à crimine alienũ eſſe contendere volunt. Non ſolùm adulteria, fornicationes, & immunditiæ filiabus Sion vitanda ſunt; ſed omnis nimius, & exquiſitus cultus, omnis elegantiæ præter naturalem & ſimplicem munditiam affectatio fugienda eſt. Denique ſtudiũ illud comptus, quo vno præcipuè feminæ perpetuò agi-*
1. Pet. 3. *tari ſolent: eſt deponendum iis, quæ ſe Deo probari optauerint. S.S.E. Qua-*
» *rum non ſit extrinſecus capillatura, aut circũdatio auri, aut indumenti ve-*
» *ſtimentorum cultus; ſed qui in abſcondito eſt cordis homo in incorruptibi-*
» *litate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres, ſperantes in Domino, ornabant ſe, ſubiectæ propriis viris. Neque verò ea ſolummodo quæ à vate hîc deſcribuntur, feminarum ornamenta improbari, cætera autem, cuiuſuis generis permitti putandum eſt. Nam cùm varia variis gentibus, regionibus, vrbibus, & populis veſtium & cultuũ genera ſint; vnum verò commune feminis omnibus ornatus & comptus nimij ſtudium; hanc ipſam curam leuiſſimæ rei, neque valde probanda cauſa ſuſceptam, improbat Deus: ſiue illud hoc, ſiue illo materiarum, & figurarum genere conſumatur. ob eam rem illa ſolùm vſurpata ſunt ornamenta, quibus eiuſmodi affectatæ ad laſciuiam oſtentationis voluntas arguitur.* Quòd eleuatæ ſunt. *Vtebantur olim feminæ Græcæ nobiliores cothurnis, ſub ære corio inducto factis, quò ſtaturæ procerioris modum mentirentur. Huiuſmodi vſum Iſraëliticis feminis exprobrat Deus, quacumq; arte aut ratione excogitatum: cui ille qui proximus eſt oſtentationis geſtus adiungitur:* Et ambulauerunt extento collo. *Namque hæc, & quæ ſequuntur omnia, feminarum lenocinia ſunt, ad virorum oculos in ſe conuertẽdos, animoſq; pelliciendos excogitata.* & nutibus oculorum. *Pudet vehementer noſtrarũ morum dum hæc legimus, numquam enim maiorem feminarum procacitatem à diluuij ſeculis, quàm nunc in Chriſtiano populo fuiſſe arbitramur; iamq; eadem pariter ſummis minimiſq; libido.* Ibant, & plaudebant; ambulabant. *Sic diſtinguendus eſt verſus. Hebraicè, ad verbum ſic eſt:* Ambulare, & infantire, ambulabãt. *Molli, inquit, & breui atq; frequenti pedũ motu, infantum greſſum imitantur. Id enim ad eam quam ipſæ venuſtatem, vel gratiam; Poëtæ veriùs Venerem vocant, facere etiam exiſtimant: adeò omnibus in rebus, actionibus, & motibus ad procacitatem ſeſe effingunt, exercentq;; idq; magnis magiſtris & exemplis diſcunt, matribus ipſis, à quibus à teneris (vt aiũt) vnguiculis, nihil aliud diligentiùs docentur, quàm formæ & geſtuum curam gerere.* Et pedibus ſuis compoſito gradu incedebant. *Hebraicè, & pedibus ſuis conſonabant. Certis numeris conformatũ greſſum ſignificat, qui ſaltum magis, quàm ſimplicem ambulationem efficiat; idq; conſultò, & ſtudioſè compoſitum, ad ſtimulãdos virorum affectus. Indicat autem verbum ipſum Hebraicum orbiculos aliquos, aut ſimile quid in cruribus geſtare ſolitas feminas illas, quibus illa greſſus petulãtia meliùs argueretur. id quod*

*paulo inferiùs etiam declaratur. Chaldæus hunc locum ex euentu ipſo interpretatus eſt rectiſsimè.* & in pedibus ſuis irritantes. *Atque omnium iſtarum artium & curarum improbationem, quam neque iurantibus credere feminæ volunt, certiſsimum eſſe euentu ipſo Deum oſtenſurum, vates ſingulis partibus ſua pœna indicata, confirmat: nam pro illa ſtaturæ proceritate, & colli erectione*

Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.

DECALVABIT, *verbum Hebraicum, decaluare, ancillare, & percutere, tum ex proprietate, tum ex tranſlatione ſignificat. Calamitate igitur & duriſsima ſeruitute, vſque ad capillorũ defluuium illas afficiendas eſſe ait. quod cùm ex onerum portandorũ conſuetudine, aut aliàs ex miſeria vel morbo feminis accidit, turpiſsima extremæ afflictionis nota eſſe ſolet. Non facilè enim aliàs mulieres caluæ fiunt, vt in antiquorum medicorum obſeruationibus eſt.* Hippocr. Aphoriſmi. *Quamobrem cùm à natura id rariſsimè euenire ſoleat, mulieribus nudari, aut decaluari turpe eſſe Paulus docet. Hoc igitur modo af-* 1 Cor. 11. *fectæ filiæ Sion, neque ſtaturam ſuam augere, neque caput attollere, aut crinem iactare, & oſtentare poterunt. Chaldæus Paraphraſtes, more ſuo, hæc omnia ex euentu interpretatur.* Et humiliabit Dominus gloriationem filiarum Sion, & Dominus gloriam earum tranſire faciet, & Dominus crinem earum nudabit. *Hebraicè, Et Dominus partem, ſiue buccellam earum effundere faciet. Turpem rem Hebraicus ſermo honeſtiſsimis verbis enunciat. perpetuo defluuio laboraturas ait feminas: quo fœdo malo crura infecta, non illis ampliùs motibus ad illecebram compoſitis, exerceantur; quæ res odibiles illas viris, nedũ importunas, reddet: partem, ſiue buccellam earum os vteri appellat; Latinus interpres crinem vertit, eandẽ rem ſignificare volens. Namq; hoc nomine etiam verenda apud Hebræos honeſtè deſcribuntur, vt aliàs exponetur. Tantam igitur filiarũ Sion miſeriam omnem ornatus, & comptus negligentiã vltrò conſecuturam vates docet.*

In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra.

IN die illa, *cùm filiæ Sion ærumnis prementur grauiſsimis,* Auferet Dominus. *Hebraicè, Auferre faciet Dominus. Nam vel ipſæ magno dolorum ſenſu afflictæ, ſponte à ſe abijcient; vel ab hoſtibus & victoribus deſpoliatæ, carere cogentur illis tam multis ornamentis, quæ otioſè à feminis excogitata, & numerantem laſſare, nedum explicantem & deſcribentem exercere, ac tædio afficere poſſunt.* Ornamentum calciamentorum. *Hebraica verba, Elegantiam ſtrepitulorum ſignificant: ſiue illa orbiculi, ſiue tintina-*

*tintinabula exigua, ſiue ſcamulæ, aut ſimile quid fuerint, ad indicandũ inceſſus numerum & artem excogitata. Atq; hæc omnia tædioſè magis quàm curioſè ab Eſaia enumerata ſunt: vt quantum mulierũ mores ab illa ſimplici munditiæ & cultus neceßitate ad luxuriem prolapſæ fuerint, argueret. Etenim veſtitus etiam ſimplicis cura importuna admodum, atq; ad ſollicitudines poſt primam humani generis labem ſtructas, addita eſt. Quam ne nimiam ſuſciperemus, indumento ex pellibus facto, & parentibus noſtris adhibito, temperare Deus docuerat. Sed cùm hominum auctis vitiis, hæc quoque luxuries vſque adeò excreuit, vt vel nominibus veſtium, vel ornamentorum cognoſcendis negotium curioſißimis iſtarum rerum indagatoribus fiat. Atque hæc ratio nimium hominum, præcipuè autem feminarum, in ſuperflua & pœnitenda re ſtudium prodit, atq; improbat. Nos autem aliàs de iis veſtibus & ornamentis diſſeremus, quæ in ſacris libris adnotare potuimus.* & lunulas. *Hebraicè, circumcluſiones, capitis ornamentum fuit, reticulato opere, vt fieri ſolet, compoſitum ad cohibendos crines, idq; arte & elegantia colligatum. Huiuſmodi verò, vt antè diximus, ab ipſis qui geſtare, vel qui circumferre ſolent, ex tranſlatione, vel adhibito effectu, adeò priuatam rationem obtinent, vt perſæpe apud vnius eiuſdemq; linguæ, & eiuſdem etiam loci homines non conſtet. Quam ob rem, qui ex aliis linguis hæc communicare volunt, niſi ita vt ſonant, reliquerint, multum diuerſa ab illis reddunt: vel ex verborum interpretatione obſcuriori multò, quàm verba ipſa fuerint: vel ex propriorum nationis ſuæ indumentorum, ornamentorumq; collatione, vt in hoc ornamento accidit, quod alij fibulas, alij vittas, Chaldæus Hebraicum Chaldaica inflexione expoſuit* SEBIZZAIA, *Græcus* κοσύμβους lunulas. *Solent feminæ aureas, vel argenteas, aut etiam alia materia conſtantes ornamentorum figuras ex vario ſignificationum genere comparare, vel ad ſuperſtitiones Aſtrologiæ, vel ad affectionum animæ rationem id petatur. Atq; ita* Murenulas, *nunc ſoles & ſtellas, nũc alias naturæ formas, quandoq; corda, oculos, capita, manus, &c. effingũtur: ex quo genere lunulæ iſtæ ſunt otioſis cogitationibus efficæ.* & torques. *Satis nota res hæc Latinis eſt, niſi quòd Hebraicum nomen vnguentum in torquis cauo ad fragrantiam incluſum indicat.* Monilia. *Chaldæus Paraphraſtes interpretatur monilia manuũ, quæ brachialia aliàs dici poſſunt.* Armillas, *Hebraicum nomen, velatoria ſignificat, capitis velum, quo facies velatur. interdum occultandi, interdum pulueris aut caloris vitandi cauſa.* Mitras, *Capiti additum indumentum, vt galerus, pileus, petaſus, quibuſdam ornamentis inſignitum; nam verbum ipſum ornatũ ſignificat.* & periſcelidas, *Græcum nomen eſt, & tibialia ſignificat, Hebraicũ nomen à gradiendi, & incedendi verbo deriuatum eſt; ex quo vel veſtium fimbrias inferiores, quæ ingreſſu ipſo vndantes moueantur, vel ad pedes cruráque pertinens ornamentum hoc eſſe apparet. Græci* περιπόρφυρα, *hoc eſt, purpureas fimbrias, Chaldæi monilia pedum expoſuere.* & murenulas. *tenias, vel tenuia cingula,*

*gula, ex ſerico, vel alia elegãti materia ad crines innodandos, ex Hebraico nomine interpretamur.* & olfactoria. *Hebraicè, domus animæ, ornamenta aurea, argenteáve inter mamillas pendentia, quibus cura, amor, cupiditas, aut ſimilis affectio indicatur ex conſuetudine.* & inaures, mutatoria. *nomen Hebraicum commune eſt, pretioſarum veſtium omnium.* Palliola. *Ex Chaldaica expoſitione docemur, veſtem eſſe lineam tenuiſſimã, qua facies tegitur.* Linteamina. *Hebraicum,* MITPAHHOTH, *velaminis genus eſſe conſtat magnum, quo caput, & totum corpus amicitur, qualis Latinis palla fuit. huiuſmodi enim iuſſa eſt expandere* Rhutha Boghazo, *quo ſex hordei modios dono datos acciperet.* Acus, *ſuſpicor in Latinis libris mendum eſſe librariorum ingenio, vel vitio admiſſum, qui pro ſaccos, acus repoſuerunt: nomen namq́ʒ* HHARIT, *Hebraicè & Arabicè ſaccum ſignificat, cuiuſmodi marſupia, & peras ornatus etiam cauſa mulieres geſtare conſueuere.* & ſindones. *Sudaria collo adhiberi ſolita.* Vittas. *redimicula arte contexta, aut acu picta capiti addita.* Theriſtra. *velamen etiam, à capite ad humeros pendens. quod diuus Paulus, de decenti mulierum habitu diſputãs, ἐξουσίαν poteſtatem à verbo ipſo eſt interpretatus. his autem ornamentis vnguentorum, odorumq́ʒ fragrãtiam ad delitias feminæ addebant; atque ad corporis firmitatem, quam medici vnctionibus etiam parari tradunt: pro quibus tamen rebus & curis contrarios omnino ſuccos habituras mulieres, vates denunciat.*

מטפחות

Ruth 3.

חרית

Et erit pro ſuaui odore fœtor, pro zona funiculus, pro criſpante crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium.

מק

FOETOR, *Hebraicum nomen* MAK, *tabem, & fœtorem vnguentorum effectibus contrarios affectus ſignificat, quo nomine illarũ caro ad fœtorem vſque tabefactam iri indicatur.* Pro zona funiculus. *pro cingulis, & teniis aliis elegantibus, conſtrictoriis vittis, vulnerum & plagarum ligamenta. Sic Hebraica verba ſignificant. Vbi autẽ crinis criſpatus, vel vndatus ſpectabatur, erit caluitium,* criſpanti, *Hebraicè,* pro opere preſſionis. *magnam enim curam & operam feminæ crinibus variè aptandis & componendis impendunt. Id autem compreſſionibus certis fit.* Pro faſcia pectorali cilicium. *Culpam verò quam ob rem feminæ tot ærumnis premendæ, totq́ʒ miſeriis afficiendæ ſunt: nimiam formæ curam eſſe, vates indicat: cui illæ, inter cætera vitæ ſtudia primas dare ſolent. Neque verò ſibi vitio vertendum ducunt; quòd pulchritudinem ament, atq́ʒ affectent: quandoquidem pulchram eſſe feminam, laudem potiùs quàm vituperationẽ ſpectet. Atqui Deus qui Spiritus eſt, & ſpiritus formam non autem carnis amat, vehementer ſeſe iſta quærendi decoris cura offendi declarat; atque id exactis pœnis teſtaturum ſeſe confirmat, illa concluſione quam in Hebraico exemplari expreſſam, in Chaldaico verò paraphraſi explicatam legimus; in Latina noſtra verſione deſideramus. Eſt autem concluſio illa;* Quia pro pulchritudine. *quam Chaldæus ſic exponit.* Hæc pœna pendetur ab eis.

Quia errauerunt in pulchritudine ſua. *Particula autem illa* quia *affirmationẽ cauſæ addit ex Hebraicæ linguæ idiomate. Tandem verò hæc, quæ dicta ſunt omnia ad Ieroſolymitanam cladem illam poſtremam, quæ à Romanis edita fuit; atque demum ad Iudæorum reprobationem, captiuitatem, & diſperſionem referenda eſſe, vates ipſe extremis capitis huius verſibus declarat.*

Pulcherrimi quoque viri tui in gladio cadent, & fortes tui in prœlio: & mœrebunt, atque lugebunt portæ eius.

OMNEM *illam quærendi decoris, & ornandæ, augendæq́; formæ curam, diligentiam, & ſolicitudinem in contrarios habitus feminis conuertendam eſſe vates prædixerat; tandemq́; omnẽ pompam & apparatũ in ſaccum deſituram denunciauerat. Nunc iam cauſam quamobrem hoc euenturum ſit, exponit. Quòd, videlicet, viri pulcherrimi, quorũ tum cauſa, tum ſumptibus feminæ nimiis illis cultibus, & comendi ſeſe ſtudiis operam dare ſolent, in bello perituri: ipſæ autem captiuæ abductæ, miſerrimam vitam acturæ ſint.* Pulcherrimi viri tui. *Sic Hebraicè ſine coniunctione legimus; quæ lectio ad præcedentis orationis expoſitionẽ accommodatur: ob eam rem, inquit, ſaccum indues, & caluitium capillis in luctu euulſis tibi induces. Quòd pulcherrimi viri tui, tum mariti, tum fratres, filij, amatores, in bello cæſi, occumbent. Eſtq́; apoſtrophe ad ipſam Sion, cuius filias iis, quos expoſuimus modis, afficiendas dixit: quam viris tum prudentibus, tum fortibus orbatam, magna ſolitudine & mœſtitia inuoluendam eſſe confirmat.*

Et mœrebunt, & lugebunt portæ eius.

*Solitudinem ſignificat portarum vrbis, quas antiquitus ob fora & iu-*
Pſal.72. *dicia, celeberrimas fuiſſe legimus. S. S. E. Vt annuntiem prædicationes*
» *tuas in portis filiæ Sion. Lugere portæ dicuntur, quæ conſuetam olim fre-*
Ierem.11. *quentiam deſiderant. vt, Viæ Sion lugent, eo quòd non ſit qui veniat ad ſo-*
» *lemnitatem.* Et deſolata in terra ſedebit. *Hieroſolymæ vaſtatio ex viduæ & orbatæ feminæ ſimilitudine indicatur. Hebraicè.* Et vacua in terra ſedebit. *Habitum viduarum, & orbatarum filiis mulierum depingit,*
Thren.1. *qualem etiam ex tranſlatione Ieremias indicauit: Quomodo ſedet ſola ci-*
» *uitas plena populo: facta eſt quaſi vidua Domina gentium. Sic Iudas ad*
Gen.38. *Thamarem nurum: Sede, inquit, vidua in domo patris tui. Quanta autem Iudeæ vaſtitas, quàm magnum virorum deſiderium ex Ieroſolymitano excidio futurum eſſet, ſubiuncto capite vates ex euentu indicauit.*

## CAPVT IIII.

ET apprehendent ſeptem mulieres virum vnũ in die illa, dicẽtes: Panem noſtrũ comedemus, & veſtimẽtis noſtris operiemur: tantũmodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobriũ noſtrũ.

CVM *omnes mundi dies à principio ad finem ſeptenariis repetitis conſtent, accidit, vt ſeptenarius numerus pro multiplici (vt iam ſæpè aliàs docuimus)*

*cuimus) vſurpetur: magnum autem virorum deſideriũ in illa vaſtitate fore oſtendit; vſque adeò, vt mulieres plurimæ, opprobrij declinandi cauſa, vnum virum cupidiſſimè ſolicitent, quò ſe illarum maritum gratis, & ſine vllis ſumptibus appellet; quando ignominiæ loco feminis ducitur, virorum ſocietate & auxilio carere; quippe cùm aliàs vtile, tum ad petulantiũ hominum audaciam vitandam, oportunum admodum mariti nomen ſit. Ex lege autem viri vxoribus in victus & cultus ſumptum, quoad poſſint, ſuppeditare tenentur. qua cura illum quem plures optarent feminæ, ſolutum eſſe volent, ipſæ ſibi in ſumptus proſpecturæ.* Tantùm, *inquiunt,* vocetur nomen tuum ſuper nos. *honeſtum enim mariti nomen feminis, & apud alias feminas, & apud viros eſt. S.S.E. Iam morieris propter mulierem quam tuliſti, habet enim virum. & illud: Perſpicuum eſt, quòd vxor tua ſit. Nullo igitur alio officio, præterquam mariti appellatione, iuuari poſtulant; idq; ſine vlla inuicem inuidia, quæ res rarò in feminis ſpectari ſolet, anguſtiſſimam & afflictiſſimam illarum conditionem fore arguit; quæ multæ ſimul virum vnum habere cupiant, ſimulq; rogent. Atque in huiuſmodi locum Iudaicas res, & antiquam ſynagogam ob ſcelera, & repulſam Chriſto datam, deuenturas eſſe vates obnũciauit. At verò Euangelij, & Eccleſiæ Chriſti initia, & progreſſus cuiuſmodi per idem tempus futura eſſent, vates arcana & ſignificantiſſima oratione præcinebat.*

Gen. 20.
Gen. 26.

In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio iis qui ſalui fuerint de Iſraël.

In die illa. *Præterquam quòd ex ſuperiori lectione idem tempus vario euentu inſigne Iudæis & Chriſtianis fore ſignificatur; tamen ex familiari vatibus dicendi conſuetudine hæc oratio,* In die illa, *omnium ferè interpretum ſententia, atq; rerum ipſarum adnotatione, ad noui Teſtamenti, ad Euangelij, inquam, dies pertinet. Quid autẽ Iudæis, & iis, qui ſecũdùm carnem tantùm Iſraëlitæ dicerentur, & eſſent, accideret, iam ſuperiùs vates expoſuit. Nimirum carnalem ex Adami primùm contage, & ipſorũ deinde cultorum culpa corruptum, ſtatum antiquatum, & obſoletum, reprobandum tandem, abijciendumq; à Deo fore. Rurſus verò egregiam quãdam humanarum rerum faciem admirando, arcanoq; modo diuinitus renouandam & ſtabiliendam eſſe per Chriſtum: qui, quamquam altera ſua natura homo futurus eſſet, tamen quòd non humanæ, ſed diuinæ virtutis efficientia conceptus, & natus, humanæ omnino labis & imperfectionis expers, etiam quatenus homo Dei filius dicendus erat. S. S. E. Ideo quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Hunc igitur Chriſtum Filium Dei, ex muliere quidem natum, ſed mirabili & diuina virtute conceptum, penitusq; ſanctum, & à communi naturæ conſuetudine egregiè ſeiunctum, germen Domini vates appellat. Namq; vt olim diuini verbi virtute, terra ſine vllo ſemine primas generum omnium plantas protulit, quæ deinde diſtinctis, & vtilibus fructibus productis & amplificatis, magno vſui ani-*

Lucæ 1.

Gen.1. *mantibus omnibus fuere. S.S. E. Et ait Deus, germinet terra herbam
» virentem, & facientem ſemẽ, & lignum pomiferum faciens fructũ iuxta
» genus ſuum, & factum eſt ita. Sic ex audito, & per fidem admiſſo, atq; penitus accepto verbo Dei. Ecce concipies, & paries filium. Virgo illa ſanctiſſima Ieſum, cognomento Chriſtum, germinauit; concepit, & peperit. Cuius virtute & efficientia maximo tum decore, tum fructu humana natura deinde aucta, renouataq; eſt; quæ antea ſterilis effecta, ac maledicta ſquallebat. S.S.E. Maledicta terra in opere tuo; ſpinas & tribulos germinabit*
Gen.1.
» *tibi; & in ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Nemo verò miretur nos arcanas & reconditas interpretandi rationes, ad arcani argumenti explicationem adhibere. Etenim quamquam omnia aperire non valemus, tamen tantorum myſteriorum partem non indicare non poſſumus. Namque aliàs nec vatis cõſilio, nec noſtro officio ſatisfacturi eſſe videmur. Igitur vt terra, vel quæ nihil omnino, vel quæ ſpinas & tribulos producit, deſerta, horrida, & ſquallida, demum inutilis, & ingrata exiſtimatur: ſic rurſus illa pulchra, vtilis, & grata habetur; quæ variarum plantarum genere veſtita,*
Gen.1. *ac fructuum abundantia aucta conſpicitur. S.S.E. Et vidit Deus quòd eſ-*
» *ſet bonũ. Eandem autem ſimilitudinem à terra iſta communi, animantium ſede, ad humanam naturam transferens, vates oſtendit. Magnam & illuſtrem, atque adeò gratiſſimam & commodiſſimam hominũ renouationem germinis illius diuini virtute efficiendam fore. Erit germen Domini in magnificentia & gloria. Germen quòd germinabit Dominus ad ſaluandũ, renouandumq; mundum, erit efficax ad iucundum aſpectum, & decorem terræ noſtræ inducendum: ita vt humana natura pulchra, decens, atq; grata reddatur. S.S. in myſterio eſt: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni,*
Gen.17.
» *cui benedixit Dominus. Duo nomina* Magnificentia & gloria. *Hebraicè*
צבי SZEBI, & KABOD. *Alterum iucunditatem aſpectuſq; gratiam: alterum ho-*
כבוד *norem & grauitatẽ, leuitati & dedecori contrarias res ſignificant. Quantam verò, & qualem humanæ naturæ mutationem & renouationẽ Chriſtus effecturus eſſet re ipſa, & non per imputationem, ſed virtute & efficacitate admirabili iam aliàs in noſtris vatum commentariis indicauimus. eamq; pleniùs & commodiùs in noui Teſtamenti expoſitione explicaturos nos, Deo ſuggerente, ſperamus. Atque ex huiuſmodi Chriſti Ieſu hominibus & dediti, & cõmunicati magnificentia & gloria; quidnam demum expectandum eſſet, vates ſubiunxit:* Et fructus terræ ſublimis, & exaltatio iis qui ſaluati fuerint de Iſraël. *Hebraicè,* Et frater ad gloriationem & ad decus euaſioni Iſraël. *Admiranda illa, & gratiſſima Dei opera, officia, atque exercitia ſignificat vates; quibus iis, qui exuto veteri homine, Chriſtum Spiritus ſancti virtute induerant, vacant; & cum ſumma ſpe-*
Matth.5. *ctantium admiratione, ſummaq; Dei laude perpetuò incũbunt. S.S.E. Sic*
» *luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glori-*
Ioan.15. *ficent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Et illud apertiſſimè: Manete in me, & ego*

*& ego in vobis: ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi man-* "
*ſerit in vite; ſic & vos, niſi in me manſeritis. In hoc clarificatus eſt Pater* "
*meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. hoc eſt* "
*quod Eſaias inquit:* Et fructus terræ ſublimis, & exaltatio. *Qua de re*
*aliàs ſcriptum fuerat: Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra no-* Pſal. 84.
*ſtra dabit fructum ſuum. Quod verò vates dicit* Exultatio, *decus, &* "
*laudationem ſignificat. Sicut alio in loco S. E. Omnes qui viderint illos,* Eſaiæ 61.
*cognoſcent eos: quia iſti ſunt ſemē cui benedixit Dominus. Huius verò tan-* "
*tæ dignitatis & gloriæ participes primùm eos fore, qui de Iſraëlitis Euan-*
*gelio crediderint, & obedierint, & Eſaias prædicit, & Paulus, cæteríque*
*Apoſtoli factum confirmant.* His qui ſaluati fuerint de Iſraël. *Hebraicè,*
Euaſioni Iſraël, *eos ſignificat, qui in diuina electione permanentes, Iſra-*
*elis nomen verè & ſanctè tuentur: Iſraëlis autem nomen ex pugna & per-*
*ſeuerantia in fide diuinis verbis habita, impoſitum eſt; vt nos ſæpè aliàs in-*
*dicauimus, & ſuo loco abundè, ſi Deus eò deduxerit, docebimus. Atq; hunc*
*locū optimè expoſuit Chaldæus Paraphraſtes:* In tempore illo erit Chri-
ſtus Domini ad gaudium, & ad decorem, & facientes legis ad magni-
ficientiam, & ad laudem euaſioni Iſraël. *Omnia autem quæ deinceps à*
*vate ſubiuncta ſunt, ad præcedentis argumenti expoſitionem pertinent.*

Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Ieruſalem, ſanctus vocabitur, omnis qui ſcriptus eſt in vita in Ieruſalem.

DVPLICEM *Euangelij euentum eſſe aliàs oſtendimus: alterum eo-*
*rum qui credere & obedire purè & legitimè voluerint regeneratione, &*
*ſanctificatione. Alterum eorum qui non crediderunt, reprobatione ac dam-*
*natione definiri, de quo S. E. Non erubeſco Euangelium; virtus enim Dei* "
*eſt ad ſalutem omni credenti: Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur, ex fide in* "
*fidem. Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſti-* "
*tiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. Igitur qui* "
*Chriſtum receperunt, ex Iudæis primùm ij ſunt, qui relicti fuerūt in Sion,*
*& ſcripti ſunt in vita in Ieruſalem, de quibus ſcriptum eſt: In propria ve-* Ioan. 1.
*nit, & ſui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis* "
*poteſtatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius. Hos autē ſanctos* "
*ſanctitate vera & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus ſuis præditos vocan-*
*dos eſſe apertè vates præcinit. Apoſtoli ac diſcipuli factum eſſe confirmāt.*
*vt Ananias: Domine, inquit, audiui à multis de viro hoc, quanta mala* Act. 9.
*fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem. & Paulus: Nunc igitur proficiſcar in Ie* Rom. 15.
*ruſalem miniſtrare ſanctis: probauerunt enim Macedonia & Achaia* "
*collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Ieruſalem.* "
*Quid verò ſanctitudo hæc, quid iuſtitia & iuſtificatio ſit; quid inter anti-*
*quæ legis, & nouæ ſanctitudinem interſit, aliàs diximus.* Omnis qui ſcri-
ptus eſt in vita in Ieruſalem. *Qui oblatam ſibi à Chriſto vitam accipere*
*libenter voluit; & acceptam, in timore & tremore, diuiniq; cultus ſpiri-*

*tuali exercitatione conſeruauit. Namque hos ſolùm ſalutis diuinæ partici-*
» *pes fore diuino conſilio decretum fuerat. S.S.E. Ego lux veni in mundum,*
» *vt omnis qui credit in me, non pereat; ſed habeat vitam æternam. Cætero-*
*rum autem qui credere & obedire noluerint, pars deleta eſt de libro vi-*
*tæ: in quo per Deum omnes homines ſcripti fuerunt, nunquam delendi, niſi*
*multi ſe ipſos indignos reddentes, quamobrē deſererentur, commiſiſſent.*
Apoc. 3. *Sicut ſcriptum eſt: Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis: & non de-*
Exodi 32. *lebo nomen eius de libro vitæ. &, Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro*
Apoc. 21. *meo. & rurſus: Quicumque minuerit de verbis prophetiæ huius, auferet*
» *Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta. quibus autem hæc*
*pars ablata, & deleta fuerit, certam mortem eos manere conſequitur.*
Ioan. 8. *S.S.E. Dixi ego vobis, quia moriemini in peccatis veſtris: ſi enim non cre-*
» *dideritis quòd ego ſum, moriemini in peccato veſtro.*

Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit de medio eius, in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris.

IVDÆORVM *publicam rem tum magiſtratuum præuaricationibus, tum feminarum moribus corruptam & perditam arguerat in ſuperioribus vates; eandemq́; ſecuris in vtrumq; genus animaduerſionibus expiandam prædixerat. Deinde magna quadam mutatione per Chriſtum facta, omnia in melius conuertenda eſſe indicauerat: ita vt ſanctitatis & iuſtitiæ Chriſti, ſpirituali ac vera communicatione terra noſtra fructū ſuum datura eſſe diceretur. Nunc verò quónam modo, & quo ordine hæc res agenda explicandaq; fuerat, diſtinctè docet: cuius rationis ſummam breuiter priùs repetere operæpretium fuerit. Chriſtum hominum Pontificem ſalutis, ad eam rem, cuius cauſa ille in mundum venerat, expediendam, duo præſtare oportuit: alterum, vt ſuam ſanctitatem & virtutem cum hominibus communicaret: alterum verò, vt ipſe hominum peccata, culpas, & vitia deleret, ſuſceptis in ſe lāguoribus noſtris, & infirmitatibus noſtris, vltrò ad diſciplinam pacis noſtræ ſubeundam, ſuſtentatis: ita vt ille debitorum omnium perſonam induens, quod ſatis dare debuerat, iuſtitiæ diuinæ ſolutum relinqueret; deinde verò nos ex communicata corporis & ſanguinis illius virtute & præſtantia, in nouas creaturas, nouosq́; homines euaderemus. Neceſſe enim erat veterem priùs, & impurū hominem commori Chriſto, vt nouus homo, qui ſecundùm Deum in iuſtitia, ſanctitate, & veritate creatus eſt,*
Ioan. 3. *renaſceretur. S.S.E. Niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnū*
» *Dei. Alterius autem regeneratio, alterius interitum ſequitur: niſi enim vetus homo moriatur, nouus nō reſurget; & niſi nouus reſurgat, vetus fruſtrà moritur. Vtramq; autem rem à Chriſto adornatam, procuratam, atque præſtitam fuiſſe, admirandis rationibus exponemus, cùm ad eum locū opportunè fuerimus adducti, vbi de corporis & ſanguinis Chriſti ſacramento in illa arcana & ſacratiſſima cœna inſtitutis diſſerere, ipſo Chriſto præſide, poſſimus. Oportuit itaq; Chriſtum ſuorum peccata priùs expiare, & lauare;*

*uare; deinde verò, lotis & expiatis, virtutem ſanctitatemq́; ſuam præberet: cuius vi, ij, qui ſuperiùs indicati ſunt fructus gignerentur. Id autem in illo rubri maris tranſitu, velut in expreſſa quadam imagine oſtenſum fuerat: vbi hoſtibus & inimicis extinctis ac deletis, populus Dei cùm liber euaſiſſet, iugi & placidiſsima nube interdiu, iucundiſsima autẽ ſplendentis ignis luce nocte vſus, & quid faceret, videre, & cognoſcere; & operum laborem leniter ferre potuit. Sunt hæc omnia arcana, magnisq́; argumentis referta, quæ nobis nunc explicare non vacat, tantùm ad vatis exponendam ſententiam indicare contentis. Igitur vates cùm in præcedentibus humanarũ rerum ſtatus cuiuſmodi ſub veteris hominis conditione eſſet, tum publicis magiſtratuum, tum priuatis populi totius, & feminarum moribus deſcribẽdis expoſuiſſet; quanta, quamq́; illuſtris earumdem rerum mutatio, Chriſto procurante & præſtante, futura eſſet, ſtatim ſubiungit: vt oppoſitione conditionum ratio ipſa omnis redderetur illuſtrior. Nunc verò quo ordine efficienda agnoſcendaq́; res fuerit, exponitur: nempe magnam & illuſtrem Dei erga ſuos prouidentiam & efficiẽtiam ſpectandam fore, vbi vitiorum expiatio & abolitio fuerit in ipſis effecta. Verba autem ipſa ſuperiorẽ ſententiam omnino ſpectant: nam quas munditias & elegantias feminæ exiſtimantes, ſtudiosè colebant; à fine ipſo & conſilio, vt vitij & petulantiæ cauſa, quæſitas ſordes appellat vates.* Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion. *Quas verò calumnias, præuaricationes, oppreſsiones, & iniurias adinuentionum nomine magiſtratibus obiecerat; eas nũc ſanguines in plurali numero dicit, grauiſsimasq́; iniuriarum culpas nos interpretamur. vt illud: Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ. Hæc autem vitia, quòd altiſsimas radices in hominum animis egerant; quoniam extirpari & euelli humana vi, & harum ſordium & macularum infectio penitùs ab hominibus citra diuinam virtutem elui non poterant; quo auctore, & quomodo auferenda eſſent, apertè docet vates: auctorem enim Deũ fore ait,* Si abluerit Dominus: *modum verò ſic oſtendit,* In ſpiritu. *Diuina virtute & efficientia ad eam rem opus eſſe ait. Et quoniã varia diuini ſpiritus efficientia eſt, pro varia rerum efficiendarum oportunitate ac ratione. S.S.E. Diuiſiones verò gratiarum ſunt: idem autem ſpiritus, &c. exponit vates cuiuſmodi efficientia alterum atq́; alterũ corruptionis genus expiandum ſit: reſpondet autem prius orationis membrum poſteriori, & poſterius priori.* Sanguinem Ieruſalem ſpiritu iudicij. *ſic vt qui magiſtratus propriorum commodorum cauſa & compendio gerebant, in ſpiritu iudicij de cætero adminiſtrent; & quæ libidine, petulantia, & ſtultitia corruptæ feminæ ſordebant,* In ſpiritu ardoris *expiatæ, ſeſe Deo dedicent, ardentiſſimo virtutis & pietatis ſtudio flagrent: de quo S. E. Ille vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni. Hebraicè,* In ſpiritu incenſionis & expiationis. *Hoc enim ſignificat verbum* BAGHAR; *quod in domibus à fermento expurgandis legitimè vſurpatur: virorum autem ſanctitatem & puritatem, ex femi-*

Pſal. 51. · 1 Cor. 12. · Mat. 3. · בער · Deut. 26.

*feminarum comparatione arguere licet. Nam ſi feminæ, quæ imbecilliores, & magis deiecti animi natura ſunt, expiatæ, ſtudia in melius mutent, viros in ea re præſtare conſequitur?*

Et creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion: & vbi inuocatus eſt, nubem per diem, & fumum, & ſplendorem ignis flammantis in nocte: quia ſuper omnem gloriam protectio.

NOVAM *quandam rerum faciem, non ſecundùm communem naturæ curſum, ſed ſingulari Dei gratia & benignitate, atq; prouidentia illis temporibus ſpectandam fore vates huiuſmodi oratione ſignificat.* Et creabit Dominus. *Eſt enim creatio eorum, quæ antea neque re ipſa, neque ſimili*
Gen. 1. *naturæ exemplo fuerint. vt, In principio creauit Deus cælum & terram. Neque verò huius creationis vſum eundem omnibus fore vates ait; ſed iis tantùm, qui fide & pœnitentia ad eiuſmodi accipiendum beneficium parati fuerint. Id autem Hebraicis verbis apertè oſtenditur: namque vbi Latinè dicitur:* Super omnem locum montis Sion. *Nomen illud locum, Hebraico Etymo paratum, & idoneum, ſiue (vt Philoſophi loquuntur) diſpoſitum ſignificat: ij autem diſpoſiti dicuntur, qui per fidem & pœnitentiam*
2. Tim. 2. *ſanctificationi diuinæ accipiendæ ſeſe coaptabunt. S. S. E. Quicumque*
„ *emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domi-*
„ *no ad omne opus bonum paratum. Quam ob rem rectè mihi Chaldæus Paraphraſtes vertiſſe videtur:* Et creabit Dominus ſuper omnẽ ſacrum montis Sion. *Id autem non ad Sion illius terreni terminos tantùm; ſed ad omnem aliam regionem, vbi eadem pietatis ratio colatur, pertinere, Vates declarat.* Et vbi inuocatus eſt. *Hebraicè,* Et ſuper vocationem, *apertè gentium vocatio indicatur. Chaldaicè ſic:* Et ſuper locum domus habitationis eius. *Scimus templum Domini vnum tantùm concordia, & animorum coniunctione eſſe, ſitu tamen terreno quacumque hominum genus de-*
Act. 10. *git, quàm latiſſimè patere poſſe. S. S. E. Templum ſanctum Domini quod*
„ *eſtis vos. & illud, In veritate comperio, quòd non eſt acceptor perſonarum*
„ *Deus; ſed in omni gente quæ timet Deum, & operatur iuſtitiam: hic acce-*
„ *ptus eſt illi. Namq; vt olim nubes & ignis Iſraëlitis tantùm, & iis, qui Iſraëlitarum partes ſequuti fuerant; non autem Ægyptiis, & diuini verbi hoſtibus vſum ſuum præbuerant: ſic noua hæc prouidentiæ gratiæ & tutelæ diuinæ,* Nubes & ignis. *Lux eos tantùm iuuabit, qui paratos & idoneos ſeſe fide & obedientia præſtiterint: atque diuini ſpiritus virtute ſanctificati euaſerint, hoc eſt quod ſubiungitur:* Super omnem gloriam
כבוד protectio. *Hebraici, nomen gloriæ* CHABOD *eſt, quod grauitatem, amplitudinem, maieſtatémque ſignificat. Chaldaicè ſic,* Quia augebit à gloria, quam dictum eſt, venire ſuper eam maieſtas, erit protectio ſuper illam in thalamum. *optimè verſum eſt nomen, quod Latinus protectionem reddidit:* Erit protectio in thalamum. *namque hæc omnia Hebraicè vnico verbo ſignificantur.*

Et

Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluuia.

PERSECVTIONES, *ærumnas, & iniurias, quibus ij, qui Chriſtianum nomen purè & ſanctè profeſſuri erant, infeſtarentur; æſtus turbinis & pluuiæ, atq; harum tempeſtatum imaginibus vates depingunt. Hæc autem incommoda omnia diuina Spiritus ſancti charitate & gratia, tum fortiter toleranda, tum facilè ſuperanda fore Vates confirmat. S. S. E. Propter quòd ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me (angelus Sathanæ) &* 2. Cor. 12.
*dixit, ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. & illud: Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* Rom. 8.

## ARGVMENTVM VATICINII V.

REPROBATIONIS *& Iſraëlitarum, & Iudæorum, Euangelij tempore futuræ; tum rationem & modum, tum etiam cauſam ſibi diuinitus monſtratam, & præuiſam, hac Elegia Vates denunciauit: cuius teſtes & iudices eoſdem ipſos, quorum res agitur, conſtituit. Id autem vt liberiori examinetur iudicio, figurato, hoc eſt, allegorico dicendi genere ſapientiſſimè peroratur. Tandem autem conſtituta cauſa, allegoriæ ſignificatio opportunè aperitur.*

## CAPVT V.

CANTABO nunc dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuę. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filij olei.

PRINCIPIO *operæpretium lectoribus facturi videmur, ſi cauſam, quam ob rem vaticinium hoc cantici nomine inſcriptum fuerit, quàm breuiſſimè exponamus. quandoquidem non rerum tantùm, ſed verborũ omnium diuinorum magnam rationem in ſacris libris habendam eſſe, ſæpiùs edocti ſumus. Vt autem res meliùs accipi, & teneri poßit, Hebraici carminis generum ſumma quædam paulo altiùs repetẽda eſt. Tria in vniuerſum carminum genera apud Hebræos obſeruauimus: quæ cantici, ſiue illorum lingua* SIR *nomine inſcribuntur. Ex quibus primum & ſecundum, verborum comparandorum: tertium verò, ſententiarum & rerum dicendarum forma ac modo, à libera, ſimplici, & ſoluta oratione differt. Liberam autem & ſimplicem orationem eam dicimus, quæ apertis verbis, nulláque numerorum aut pedum exquiſita lege conſtrictis, propoſitum argumentum enunciat. Iam verò quæ vel numeroſo verborum ductu, vel arcana ſententiarum elocutione conſtant, canticum nominamus. Primum autem cantici genus eſt, cuius verba certa ſyllabarũ numero & modo compoſita, in ſimiles* שיר

 *verſuum*

*verſuum cadentias deſinant. Quale genus in orationis membris, homiopto-
ton Rhetores nominant. Atque huius generis vſus rarus apud antiquos
Hebræos fuit: cuius quædam in nonnullis Pſalmis veſtigia apparent, vt in
Pſalmo, Cùm inuocarem, &c. & aliis. Frequentior autem apud recentio-
res auctores obſeruatur; ex Iſmaelitarum, & Arabicæ linguæ imitatione
expreſſus, quamquam maiori elegantia ab Hebræis poſtea perpolitus fuerit.
hoc genus Græci Rythmon dicunt, antiquis, Græcis, & Latinis ignotum; à
proximis noſtro ſeculo hominibus parum feliciter Latinè tentatum, vul-
gariter autem ferè per omnem Europam non iniucundè frequens. Secun-
dum verò carminis genus apud Hebræos oratione conſtat clara & perſpi-
cua, certis tamen pedibus & numeris aſtricta, certiſq; canendi modis adap-
tata. Nulla alia ferme re à ſoluto ſermone diſtans, niſi quod ad memoriam
iuuandam, atq; mentem vehementiùs excitandam, ſyllabarũ menſura con-
ſtructum clauſularum terminis cohibitum, muſicarũ fidium, & tibiarum
concentũ ſeruare poteſt. Cuiuſmodi canticum apud rubrum mare à Moſe
editum fuit: vt populus verſuum obſeruatione, & cantici iucunditate ad-
iutus, diuinas laudes cõmodiùs ediſceret, ac retineret. S.S.E. Tunc cecinit*
Exodi 5. *Moyſes & filij Iſraël carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domi-
no, &c. Orationem claram atq; perſpicuam verbum, dixerunt, indicat. Eam
tamen memoriæ & publicæ excitationis cauſa, cantando habitam, & pro-
nunciatam; deinde à feminis etiam exceptam fuiſſe, verbũ, cecinit, oſten-*
,, *dit, & illud etiam quod in fine ſubiunctum eſt: Sumpſit ergo Maria Pro-*
,, *phetiſſa, ſoror Aaron tympanum in manu ſua: egreſſæq; ſunt omnes mu-*
,, *lieres poſt eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: Cante-*
,, *mus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem proie-*
,, *cit in mare. Atq; hoc etiam genus frequentiſsimũ apud Hebræos, in Pſal-
mis aliiſq; argumentis obſeruatur. Apud Græcos verò & Latinos non mi-
nùs frequens in omni diſciplina & argumẽto genus hoc fuit. Namq; Tra-
gediam, & Comediam, atque adeò ad Satyram ſcribendam & recitandam
carminis ratio pertinuit, quæ tamen non tam propriè carminis, quàm ver-
ſus nomine dicta fuit, vt quod Horatius ait: His ego, quæ nunc,*

Hor. 1. Ser. Sat. 4.

*Olim quæ ſcripſit Lucilius, eripias ſi*
*Tempora certa, modoſq;, & quod prius ordine verbum eſt,*
*Poſterius facias, præponens vltima primis:*
*Non (vt ſi ſoluas, &c.*

*Tertium autem cantici genus eſt, cui ad numerorum & pedum obſeruatam
& à communi ſermone diſtinctam legem, magna quoque verborum & ſen-
tentiarum ſublimitas accedit, ac toto ferè orationis tractu figurarũ, maxi-
mè autem tranſlationũ & allegoriarum exquiſita ratio initur. Ita vt cùm
de rerum laude vel vituperatione agatur, aliud verba ſonent, aliud argu-
menti ſententia indicet; quæ non ſimplici verborum ſignificatione, ſed arca-
no ſenſu poſtulet explicari. Atq; huius cantici vis tum ad ſui cognitionem,*

*tum*

*tum ad memoriam conſeruandam, hominum animos excitare magis, afficereq́; ſolet. Atque hoc genus cantici nomen, rationemq́; omnem præcipuè obtinet, quòd argumenta quibus adhibetur, omnino idonea reddat, vt canantur; neque aliter quàm canendo dignè recitari permittat: quippe quæ conſuetudinem communem ſermonis, non modò verborum menſura & modulis, ſed ſignificatione & ſententia longè lateq́; ſuperet. Atque huius exemplum illud eſt: Tunc cecinit Iſraël carmen iſtud: Aſcendat puteus. concinebant: Puteus quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis, in datore legis, & in baculis ſuis. Manifeſtum enim eſt, aliam eſſe huius orationis ſententiam, ab ea quæ verbis indicatur: neq́; enim legiſlator Moyſes, neque duces alij, puteum baculis aut calamis foderant. Igitur hoc genus propriè à noſtris poëma dicitur, cantici genus ad vtilitatē & delectationem ſimul inuentum: cuius ratio orationum & ſententiarum figuris, excogitatisq́; parabolis tractatur, de qua Ariſtoteles librum compoſuit, cui titulū fecit Poëtica, ſatis obſcurum, ſed elegantiſſimum. Atque hæc ars fabulis omnium poëtarum initium olim dedit, quas aliud in receſſu habere, aliud in fronte promittere, conſtans auctorū omnium ſententia eſt; atque hoc genus propriè, vt diximus, canticum, ſiue poëma vocatur. Alia autem quamquam carmina, vel cantica dicantur, non tamen poëmatis merentur nomen,*

Num 21.

*quod acer ſpiritus ac vis*
*Nec verbis ne rebus ineſt, niſi quod pede certo*
*Diſtat ſermoni ſermo merus.* *vt ille inquit.*

Horatius.

*Ex hoc genere canticum illud fuit, quod in parabolis à Salomone compoſitis editum eſt. Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas, & fuit canticum eius quinque & mille: ſic ad verbū locus ille habet; vbi canticum illud ex parabolarum genere fuiſſe indicatur. Atque hanc rationem quoque tenet Canticū Canticorum, propterea ſic appellatum, quòd ex tribus generibus ſupremum illud obtineat gradum, in quo omnia quæ canuntur, non ſolùm numeris aſtricta, ſed etiam figuris, & tranſlationibus recondita & occultata ſunt. Atque ita cantici nomen apud Eſaiam vſurpatum, ad hanc rationem referendum eſt: non tantùm quòd pedibus & numeris conditum carmen, ſed quòd parabolis etiam & imaginibus pronuntiatum arcani argumenti ſenſum celet. Sic etiam illud alterum hoc eodem libro exemplū vates propoſuit: In die illa cātabitur canticum iſtud in terra Iudah, vrbs fortitudinis noſtræ Sion, ſaluator ponetur in ea murus, & antemurale, &c. Hoc etiam quod nunc interpretamur, ob eandem rationem canticum eſt appellatum, quòd vineæ & cultoris allegoria diuini erga Iſraëlitas conſilij & iudicij rationes contineat. Rationem verò quam ob rem Eſaias cæteras à ſe pronunciatas parabolas cātici nomine non inſcripſerit, aliàs Deo auxiliante exponemus. Illud præterea ad huius cantici explicandam rationem indicandum duximus, quid inter prophetiam, & Spiritus ſancti orationem interſit. Cuius adnotationis præceptum apud doctiſſimū Moyſen cognomento*

Eſa. 26.

More nebu-chim.45. *Ægyptium legitur. Quamquam enim omnia quæ à vatibus ſcripta ſunt, Spiritu ſancto auctore & dictata, & literis exarata fuerint: non tamē omnia prophetiæ, ſiue vaticinij nomen propriè habent. Namq; ex his quæ à vatibus dicuntur, quædam ſunt, quæ ipſis omnia oſtenſa & commonſtrata, atque imaginibus & ſpectris certis propoſita: & nonnunquam verbis ipſis ad eloquendum idoneis & propriis audita ſunt; ſiue ea videntibus & ſentientibus: ſiue in exſtaſim raptis, ſiue per quietem admonitis & edoctis contigerint: quocumque modo id fiat, prophetia illa propriè dicitur; quæ vatis non tam exterioribus ſenſibus obiicitur; quàm internæ menti illuſtratæ atq; excitatæ ſuggeritur; ſiue id Deus ipſe immediatè, ſiue per viri vel Angeli allocutionem, vel per aliud ſpectrum expediatur. Atque hoc genus eodē modo, eademq; oris figura, qua excipitur, referri à vatibus ſolet: ſine vlla vel rerum, vel verborum mutatione, aut propria aliqua detractione, vel additione. Totum enim vatis ſtudium eſt in iis fideliter proferendis: quæ ipſe non ſecum agitauerit, & inuenerit, ſed diuini ſpiritus influxu & efficientia acceperit. Sicut quidam ex his vatibus, nempe Iſaias, confeſſus cōfirmabat.*

Eſa.21. *Quæ audiui à Domino Deo exercituum annuntiaui vobis. Quædam verò à vatibus dici ſcribiq; ſolent, quæ quamquam diuini ſpiritus excitatione, impulſu, auxilioq; edita ſunt; tamen neque dormientibus viſa, neque raptis, & à ſenſuum officio remotis oſtenſa fuere: ſed ab ipſis vatibus videntibus & ſentientibus cogitata, conſultoq; ſuſcepta, atq; ad arbitrium elocutionis genere delecto pronunciata. Quibus tamen diuini ſpiritus virtus & efficacitas non ſolùm adfuerit, ſed etiam præfuerit. Quæ verò huiuſmodi ſint, Spiritus ſancti auctoritate, & nomine quidem gaudent: non tamē eodem cum prophetia gradu eſſe dicuntur, quòd prophetia non ex loquētis, ſed ex dictantis perſona cenſeatur. Nam quamquam ſententia ipſa, vel argumentum ex diuino conſilio profectum fuerit; dicendi tamen tum voluntas, tum modus & forma ex ipſius dicentis arbitrio ſpiritu Dei adiuto & euecto inita eſt. Atque hic gradus non prophetia propriè, ſed Spiritus ſanctus vocatur. Tres enim gradus diuinorum verborū olim fuiſſe dicuntur. Summus quo Deus ipſe, ſiue Dei perſonam ſuſtinens Angelus verbis certis & viſionibus, apertaq; oratione egit. Vt cum Abraham, Iſaac, Iaacob, & cum Moyſe actum fuiſſe legimus. Secundus, quo Deus cum hominibus per Prophetas, qui demandatam ſibi legationem fideliſſimè eiſdem vel rationibus,*

Heb.1. *vel verbis, quibus acceperant, obierunt. De quibus S. E. Multifariam multiſq; modis olim Deus per Angelos locutus eſt ad patres, & in Prophetis. Tertius verò quo Prophetæ, aliiq; ſancti viri proprio conſilio diuini Spiritus efficientia inflammato, gratia & ope adiuto atq; aucto multa dixerunt, & ſcripſerunt: quibus Spiritus ſancti auctoritas quidem accedit, nomen verò prophetiæ non tribuitur. Neque enim Prophetæ à ſpiritu ſemper rapiuntur, ſed nonnunquam id agunt, & ſæpiùs ad alias res agendas diuertuntur. hoc enim modo quoſdam longo, quoſdam breui tempore, nonnullos*

ſemel

ſemel tantùm aut bis prophetico munere functos legimus: qui tamen aliàs aliquid egerint, quod pios ſanctosq́; viros deceat: ſic multa ab his & dicta, & ſcripta fuiſſe cognoſcimus: quæ Spiritus ſancti conſilio & voluntate, auctoritateq́; conſtent; prophetiæ tamen rationem non ſequantur, ſed dicendi genus ineant; pro vatis ipſius ingenio & arbitrio, Spiritus ſancti gratia aucto. Illud autem nō infitias ibimus, verbum NABA, Hebraicum, quod Latini prophetare vertunt, omnibus ſacris vatum ſermonibus eſſe commune; ſiue oratio ipſa diuinitus dictata, ſiue argumentum tantùm datum; oratio verò libera illis fuerit permiſſa; ſed tamen illud confirmamus, varios reapſe agendi & dicendi gradus & modos verbo NABA, contineri: de quibus nos pleniùs aliàs, Deo præſide diſſeremus. Nunc illud ſatis fuerit, indicare eas rationes, quæ in vatum libris cantici nomine inſcribuntur: quantum ad dicendi genus ſpectat, ipſorum vatum proprias eſſe, quibus ex oportuna argumenti cuiuſpiam ſibi diuinitus demonſtrati conſideratione ſententiam carmine, & figurato verborum genere pronuntiare placuerit diuino ſpiritu ad eam rem excitatis & adiutis, vt opus ipſum elegantiùs & meliùs multo proderit; quàm ſi ſolum ſuo ingenio & cōmuni illa gratia, qua Deus omnibus bonis hominum actionibus conſulit, conſtaret. Eſt enim in his ſingularis quædam gratiæ auctoritas ab illa communi diſtincta, cùm tamen ea quæ dicta ſunt, nondum ad ſupremum prophetiæ gradum peruenerint. Itaq; canticum nō idem cum prophetia, aut prophetica viſione eſſe dicimus; ſed orationis genus à vate certi argumenti cauſa delectum, Spirituq́; ſancto adiuuante factum & ornatum: ob eam rem non Dei, ſed vatis nominibus inſcriptum. Quod, quamquā Deum auctorem, adiutoremq́; (vti diximus) habeat, non tamen eo modo, quo viſio aut Prophetia propriè dicta; quæ non ſolùm rerum & ſententiæ, ſed verborum atq; dicendi figuræ auctorem dictatoremq́; Deum agnoſcit. In his enim referēdis nihil vates præter obedientiam & fidelitatem, in illis verò etiam & dicendi genera ex proprio conſilio delecta præſtat; quæ tamen Spiritus ſancti auctoritate, eo quo diximus modo innituntur, & valent. Sic enim Samuel quem Prophetam fidelem Domino fuiſſe legimus, præter ſuum illud prophetandi munus, quo certis temporibus ac locis eſt functus, ſuum, & Iudicum librum Spiritus ſancti auctoritate ſcripſit. In quo nonnunquā meras prophetias inſeruit. Idem autem hiſtoriam Ruth, ſine prophetia, Spiritus ſancti auctoritate conſcripſit. Sic etiam Ieremias ſuum & Regum ſcripſit libros, in quibus vaticinia multa; & multa etiam ſunt, quæ prophetiæ nomen non obtinent. Idem quoque Threnorum volumen non tam ex prophetiæ ratione, quàm ex proprio affectu, & animi dolore propter præuiſam, aut etiam expectatam patriæ, religionisq́; ſuæ calamitatem ſuo nomine per Spiritum ſanctum tamē edidit. Sicut & ipſe apertè indicat, Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Ex quo effectum eſt, vt Ruth & Threnorum volumina non inter prophetias, ſed inter ſanctos libros ab antiquis numerentur; quā-

[margin: נבא] [margin: Thren. 3.]

*quam illi libri Iudicum, Samuel, & Regum, Prophetarum priorum titulo, ob eam quam indicauimus cauſam inſcribantur. Hæc igitur cauſa quamobrem iis, quæ inter vatum ſcripta inueniuntur, canticis ipſorum auctorũ nomina adſcribantur: vt in cantico maris rubri: Tunc cecinit Moyſes, & filij*

Exodi 5.

» *Iſraël canticum hoc Domino, & dixerunt: Cantabo Domino, quia magni-*
» *ficè fecit. Nam Moyſes & filij Iſraël compoſuerant carmen illud, in quo ſalutem illam ſuam diuinitus allatam, Dei bellatoris & triumphantis allegoria celebrauere. In cantico etiam Putei apertè dictum eſt: Tunc cecinit Iſraël canticum hoc. Canticum præterea, Audite cæli, Moyſem auctorẽ apertè indicat, Locutus eſt ergo Moyſes audiente vniuerſo cœtu Iſraël verba cantici huius, & ad finem vſque compleuit. Argumentum quidem Deus*

Deut. 31. 32.

» *vati ſuggeſsit, & carmine memoriæ cauſa ſcribi iuſsit. Nunc igitur ſcribi-*
» *te vobis canticum iſtud, & docete filios Iſraël vt memoriter teneant, & ore*
» *decantent carmen iſtud pro teſtimonio filiis Iſraël. Verba verò cãtici Moy-*
» *ſes ipſe locutus eſt. Venit ergo Moyſes & locutus eſt omnia verba cantici*
» *huius in auribus populi, ipſe, & Ioſue filius Nun: cõpleuitq́ omnes ſermo-*
» *nes iſtos; loquens ad vniuerſum Iſraël. Ponite corda veſtra in omnia ver-*
» *ba quæ ego teſtificor vobis hodie, &c. Atq; ipſa verba eſſe Moyſis manife-*
» *ſtè oſtenduntur. Audite cæli & loquar, audiat terra verba oris mei; con-*
» *creſcat vt pluuia doctrina mea; quia Dei nomẽ inuocabo. Date magnificen-*
» *tiam Deo noſtro, &c. Huius etiam exempli illud eſt, & cecinit Deborah &*
» *Barah filius Abinogham. Atq; ex hac ratione quoque multa in Pſalmis cantica explicantur; quæ vel Laudes Dauid, vel Canticum, vel Carmen Dauid inſcribuntur: in quibus non prophetiæ, ſed priuatæ orationis argumentum, diuinitus tamen, & Spiritus ſancti gratia adiuuante, decantatum obſeruatur. Hanc verò noſtram de Canticorum generibus & auctoribus adnotationem plurimum ad eiuſmodi argumenta, quæ paſsim in ſacris libris inueniuntur, exponenda; lucis allaturam eſſe arbitramur. Quòd perpetuam huiuſmodi, & conſtantem rationem obſeruauerimus, quam Iſaias noſter ſecutus quoque cantici edendi conſilium & voluntatem, atque modum ſibi adſcripſit.* Cantabo nunc dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ. *Qua oratione ſignificauit ea, quæ de Deo cum Iſraëlitico populo rationibus accepiſſet; atq; aliàs iam à Deo excepta, iiſdem quibus exceperat verbis, expoſuiſſet (vt in ſuperioribus vidimus) velle ſe nunc breuiter repetita, carmine cõplecti, idq́ cantici genere allegorico, nempe inductione amici ſui, cuiuſdam de vinea ſua agentis; in cuius gratiam ipſe canticum componeret, perpetuò recitandum. Denique verò oportunas ſermonis anſas dedit; quibus recõditos eius ſenſus tenere poſſemus. Atq; hæc cauſa eſt, ob quam principio cantici huius nulla eiuſmodi inſcriptio addita ſit,* Verbum quod vidit Iſaias, *aut* Viſio Iſaiæ, *aut quippiam aliud quod ad ſingularem prophetiæ definitionem pertineat. Namque huius generis ſcripta, quamquam Spiritus ſancti auctoritate conſtent; non tamen prophetiæ vel gradum, vel nomen*

*men obtinent. Verùm cetera omnia parabolarum & allegoriarũ apud Prophetas exempla propterea non appellantur Cantica; quòd in proprio prophetiæ genere collocentur, vtpote quæ vatibus non ſolùm oſtenſa ac viſa, ſed eodem ſententiæ & orationis genere ad referendum mandata ſint. vt, Sume* Eſaiæ 14.
*tibi parabolam iſtam contra regem Babylonis. Quomodo cecidiſti de cælo* "
*Lucifer? qui manè oriebaris, &c. Quamquam verò canticũ hoc ſit ab Iſaia* "
*proprio conſilio conditum, tamen parabolæ inſtituendæ ratio de ſacrorũ librorum lectionibus mutuata. Iam enim Dei erga Iſraëlitas conſilium, ſtudium, & cura vineæ plantatæ & cultæ ſimilitudine à vatibus decantata fuerant. Inprimisq́; à Moyſe, de vinea Sodomorum, vinea eorũ, & ſuburba-* Deut. 32.
*nis Gomorrhæ: ab Hoſea, Sicut vuas in deſerto inueni Iſraël. Horum itaq;* Hoſ. 9.
*rationẽ Iſaias, & alij poſt eum vates, vſq; ad Chriſtum Scripturarũ ſacrarum interpretem, & Pontificem ſummum ſecuti ſunt. Ieremias enim de eadem re illud dixit, Hæc dicit Dominus exercituum, vſque ad racemũ col-* Hier. 6.
*ligent quaſi in vinea reliquias Iſraël, conuerte manum tuam quaſi vindemiator ad Carthallum. Aſſaph quoque cecinit: Vineam de Ægypto tranſtu-* Pſal 76.
*liſti. &, Aſpice de cælo, & viſita vineam iſtam, quam plantauit dextera tua. & Chriſtus illuſtres illos ſermones de vinea, & operariis, & locatori-* Mat. 12. Lucæ 20.
*bus habuit. Quoniam verò omnis quæ in ſacris libris vel plenè traditur, vel ſignificãter indicatur, artis cuiuſque exactiſſima ratio eſt; vt nos aliàs, modò Deo conſilia noſtra probentur, latiùs docebimus. Omnem plantandæ & colendæ vineæ artem, quam vates hîc exactè perſequitur, priùs cognoſcere operæpretium fuerit. Vt enim vitis plantarum omnium fœcũdiſſima vtiliſſimaq́; eſt; ita multas ad ſui exactum cultum oportunitates & curas exigit, quas vbere certo, & commodo fructu perſoluere poſſit. Prima autem oportunitas, & regionis ac ſoli ſitu deligendo ſpectatur. Multa enim in orbe loca, prouinciæ multæ ſunt, quæ vel vitem non ferant; vel ſi tulerint, vel ſterilem reddant, vel immaturo ingratoq́; fructu onerent, vt Anglia, omnisq́; Ibernia, & Belgica hæc regio: atque magna etiam Germaniæ, & Galliæ non exigua, & nonnulla etiam Hiſpaniæ pars.*

*Nec verò terræ ferre omnes omnia poſſunt* Vir. Geor. 2.
*Fluminibus ſalices, craſſiq́; paludibus alni*
*Naſcuntur: ſteriles ſaxoſis montibus orni.*
*Littora myrtetis lætiſſima, denique apertos*
*Bacchus amat colles.*

*Amat autem hoc plantæ genus cælum vel mitiſſimum, vel calidum, potiùs quàm frigidum; ſolo autem gaudet, non ſterili, ſed pinguiori & dulci, ſituq́; liberiori & aperto, vt collibus & montibus non nimis aſperis, ſed temperato terræ humidæ commodis atq; vento expoſitis, à ſubſolani tamen iniuria liberis. S. S. E. Operuit montes vmbra eius. & alibi, In terra bona ſuper* Pſal. 79.
*aquas multas plantata eſt, vt faciat frontes, & portet fructum, vt ſit in vi-* Ezech. 17.
*neam grandem. & paulo inferiùs: Non ne cùm tetigerit eam ventus ſub-* "
*ſolanus*

Georg.1. ſolanus ſiccabitur; & in areis germinis ſui areſcet. Deniq; apertos Bacchus amat colles, vt Poëta canebat. Huic proxima nec minus neceſſaria ad vinearũ vſum oportunitas, cura, & cultura eſt, quæ pro plantarũ ætate, atq; temporũ horis ac momẽtis varia eſſe ſolet; cuiuſmodi lapidũ detractio, limitatio, paſtinatio, plãtatio, repaſtinatio, foſsio, occatio, ablaqueatio, ligatio, innodatio, putatio, truncatio, & plura alia quæ cæterarũ arborum & plantarũ ſpectant curam. Tertia autem oportunitas plantarum delectus eſt. Non enim omne genus aut advinũ, aut ad fructus cõmoditatẽ in omni terra laudatur. Neque verò vlli alij quàm vitium generi magis varia natura eſt; neque vllum aliud vel arboris, vel arbuſti genus eſt, quòd minus certum atque præſcriptum creſcendi modum habeat. Ex aliis namq; plantis quædam breuiſsimè, quædam altiſsimè, ad certum tamen modum creſcunt. Sola vitis neque breuitatis, neque proceritatis modum certum habet; quippe quæ rem omnem cui innitatur, tandem æquat & ſuperat: ita vt non ſolùm ad ſumma arborum tabulata, ſed ad altiſsimarum etiam turrium tecta perueniat: quæ tamen niſi vel palum, vel arborem, vel turrim habeat, cui inniti poſsit, humilis adeò manet, vt terra vix ſurgat, immo ſepentibus palmitibus obrepat. Has autem oportunitates omnes, & naturam in vitium genere ſpectatam vates à planta ipſa ad populum Iſraëliticum transferens, apertè indicauit. Namque illi genti collocandæ terram omnium orbis regionum feliciſsimam

Deut.32. delectã primùm fuiſſe ſacrorum librorũ teſtimoniis eſt notiſsimũ. Quando diuidebat altiſsimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſraël. Pars autem Domini

Deut.11. populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius, &c. & illud: Terra enim ad quam ingrederis poſsidendam, terra montoſa eſt & campeſtris, de cælo exſpectans pluuias, quam Dominus Deus tuus ſemper inuiſit, & oculi eius in ea ſunt, à principio anni vſque ad finem eius. Quamobrem Abraham

Gen.12. ex alia, in qua natus fuerat regione, in hanc terram migrare iuſſus eſt. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram quã monſtrauero tibi, & faciã te in gentẽ magnã. hoc igitur vates noſter ſignificãs ait: Vinea fuit dilecto meo. Appellat autẽ Deum dilectũ ſuum; quoniam digniſsimus fuit ſemper Deus; qui ab Iſraëlitis amaretur vt pater, quos ille præter communẽ illum amorem, quo cæteros homines vt Deus

Malach.1. eſt, proſequitur, ſibi dilectos fuiſſe teſtatur. Dilexi vos, ait Deus, quam ob

Exodi 22. rem illis huius amoris primum & maximum præceptum tradidit: Et diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & in omnibus viribus tuis. In cornu filio olei. Totius noſtri hemiſpherij editiſsimã partem Iſraëliticam terram eſſe indicat, omnia Scripturarum loca, quæ terræ ſitum ſpectant. Namq; ex quocumque loco regionem illam quis petat, aſcendere, atq; ex eadem profectus, deſcendere dicitur. Quam ob rem regio illa ſummum in terra locũ, vt cornu in animalium capite obtinet, quæ quoniam ferociſsima eſt, lactis & mellis manans,

cornu

*cornu filius olei vocatur. Olei autem nomine Hebraicè,* SEMEN, *pinguedo, & fertilitas dicitur. Ex quo fit vt idem ad oleum ſignificandum transferatur: cùm oleum præ ceteris rebus omnibus pinguiſsimum perpetuò ſit. Atq; hac dicendi figura ſumma rerum omnium fertilitas illi regioni tributa eſt; quam non abſimili imagine exterarum quoque gentium poëtæ olim pinxerunt celeberrimo illo* τῆς ἀμαλθείας κέρατε *deſcripto. Quæ verò ad alteram oportunitatem, hoc eſt, ad colendi curam & diligentiam pertinent, ſic vates noſter indicauit.*

Et ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular exſtruxit in ea.

Et ſepiuit eam, *verbum Hebraicum,* GHAZAK, *vt ex antiqua lectione obſeruauimus, & fodere, & ſepire, ſiue circumuallare ſignificat, atque ita vtramque culturam vineæ à Deo adhibitam, vates vno verbo indicauit. Hæc autem foſsio & vallatio legis compoſitione præſtita fuit, cuius obſeruatio & fructibus ferendis idoneos, & timore pœnæ ſibi cauentes efficeret. S. S. E. Et erit tanquam lignum quòd plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet; & omnia quæcunque faciet, proſperabuntur. & , Homo qui fecerit, viuet in ea: atque vinearum foſsioni lapides remouendi coniuncta cura eſt: cui etiam Deum ſatisfeciſſe vates confirmat. Etenim lex tum cauēdarum, tum agendarum rerum præceptis conſtat. Cauendi lapides fuerunt, quos amouere oportuit. Atq; huius legis auctorem non hominem, ſed Deū ipſum fuiſſe vates ait duobus verbis in ſecunda coniugatione Hebraica pronunciatis: cuius coniugationis vi certa auctoritas, & vehemens efficacitas indicatur.* Et ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa. *Lex namq; non hominis fuit, ſed Dei immaculata, conuertens animas; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Ad hoc etiam arcanum illud in Canticis canticorum carmen pertinet: Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos, tradidit eam cuſtodibus, vir afferet pro fructu eius mille argenteos. Ne verò vineam vel aliis auctoribus conſtare, vel in aliorum vſus tradi quis exiſtimaret, additum eſt ab auctore cantici: Vinea mea mihi coram me eſt. Ad hoc verò quantum & conſilij, & ſtudij in deligendis plantis poſitum fuerit, exponitur.* & plantauit eam electam. *Quod* electam *Latinè legimus, Hebraicè eſt,* SOREK, *ſignificatq; hoc verbum palmitem vitis ad ferendum fructum electiſsimum; quales qui periti vinearum ſunt, inter putandū ſeponere ad plantationem conſueuere. S. S. E. Ego plantaui te* SOREK, *omne ſemen verum, quomodo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena. Atque hac imagine antiqui patres indicantur magno conſilio à Deo electi ſanctiſſimis præceptis imbuti, multis beneficiis ornati, dignitatibus amplificati: quorum ingenia & mores à poſteris exemplo & imitatione referri oportuit. S. S. E. Reſpicite ad petram, vnde exciſi eſtis: & ad cauernam laci vnde effoſſi eſtis. Reſpicite ad Abraham patrem veſtrum; & ad Saram quæ*

[Margin notes: In Miſnaioth. עזק — Pſal. 1. — Rom. 10. — Pſal. 18. — Cant. 8. — שורק — Ierem 2. — Iſa. 51.]

*peperit vos. Ex his enim paucis & ſelectiſsimis maioribus Abrahã, Iſaac, & Iaacob, Iſraëlitas ortos in magnum numerum excreuiſſe Bilgham diuinator miratus laudabat: De ſummis ſilicibus videbo eum; & de collibus*
Num. 23. » *conſiderabo illum; populus ſolus habitabit, & inter gentes non reputabitur.*
» *Quis numerare poſsit puluerem Iacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſraël? His præterea additum fuiſſe ait, diuinum auxilium, cuius ope innixi Iſraelitæ ad magnam virtutis proceritatem excreſcere, & augeri poterãt. Sicut & vites augentur, quæ turribus in vinea adhærent. Ob eam autem rẽ turrim in medio vineæ constructam fuiſſe ait, vt & loco, & ſitu, & magnitudine ædificij diuini auxilij, tum protectio, tum præſens in omni tempore ad creſcendum vſus cognoſceretur. S.S.E. Turris fortiſsima nomen Domini,*
Prou. 18. » *ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur. Deinde verò torcular in eadem effoſſum narrat, id quod in vinea non tam neceſſarium, quàm commodũ eſſe ſolet: vt minus laboris & diſpendij vuis ad proximum locum, quàm ad longiùs diſtans torcular conuehendis accedat. neceſſarium enim eſt vuis ad calcandum torcular; ſed an in ipſa vinea, an in vrbe, an alio paretur loco, commoditatem hoc magis quàm neceſsitatem ſpectat. Ob eam rem vates ad verbum ſic ait.* & etiam torcular ſtruxit in ea. *Illud,* etiam & in ea, *non neceſsitatem, ſed commoditatem indicat. Huius autem torcularis ſignificatio illa placet, quæ prophetiæ vſum, habentibus legem, non tam neceſſarium, quàm commodiſsimum & oportuniſsimum indicat: namque Prophetæ ad hoc creati & mandati fuerunt, vt conſilio, exhortatione, & ſedulitate, reliquum populum ad officium faciendum excitarent, & vrgerent. Atque hæc explicatio opportuna cùm argumento ipſo, tum verbo inducto oſtenditur,*
חצב HHASZAB *enim, quod hîc vates vſurpauit; idem eſt cũ illo, quo Deus apud*
Hoſ. 6. *Hoſeam vſus fuerat: Propterea dolaui in Prophetis, &c. Quem autem omnis hæc vineæ plantandæ, colendæ, atq; amandæ cura & diligentia exitum habuerit, nimirum ingratiſsimum, & tantis acceptis beneficiis indignum, exponit continuò vates:* Et expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas. *Non ad ſterilem quandam pietatis formam, quam ſola fide præſtari poſſe, nonnulli fortaſſe putent; ſed ad ſolidum, & ad fertilem virtutis vſum atq; exercitationem religionem à Deo inſtitutam fuiſſe, vates hoc loco affirmat. Neque enim fruſtra lex data eſt, quæ tum vitandarum, tum fugiendarum rerum præceptis conſtaret: ſed vt vites hoc modo cultæ, fructum ſuũ darent tempore ſuo: quod ſi non ita perfectũ & generoſum à filiis Iſraël olim præſtari potuerat; atq; ab iis, qui per Spiritum ſanctum, Deo cultore, in Chri-*
Matth. 5. *ſto ſunt poſtea plantati, quorũ fructus præſtantiſsimos eſſe oportuit. S.S.E.*
» *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarũ & Phariſæorũ, &c. Attamen aliquos fructus, qui naturam ipſam humanam, quamquam debilem & infirmam, tamen tantis præceptis inſtructam, tantis Dei beneficiis adiutam & auctam decerent, percipi oportuit; fructus inquam, non ab ipſa plantarũ natura alienos. Ob eam rem non dixit vates: Expectaui vt faceret*

optimas

*optimas vuas, ſed vuas tantùm exſpectatas ait: qua ratione arcanam illam & admirandam veteris & noui Teſtamenti perfectionis differentiã indicauit. Namque illius Teſtamenti vites, quæ probatiſſimæ fuerunt, vuas tantùm; huius verò alterius vuas optimas & præſtantiſſimas protulerũt; qua de re nos aliàs plura dicemus. Verùm enim hanc cultoris, & Domini vineæ expectationem magno vitium vitio deriuatam fuiſſe, vates confirmat, fructus genere importuniſſimo atque ingratiſſimo indicato.* Labruſcas. *Latinus & Græcus interpres, Hebraicum verbũ cogitantes in vitium genere fructum improbiſſimum interpretati ſunt: quod tamen deterius aliquid quàm* labruſcas *ſignificat,* DEVSIM, *putridas, & tetras, atque execrabiles res propriè vertas. Ita vt nullum vuarum genus, neque acerbarum etiam quales labruſcæ ſunt, ſed meras corruptiones & improbitates atque fœtores prolatos à vinea fuiſſe arguat. Cuiuſmodi vitia in arboribus quibuſdam aliquãdo deprehendimus: pro fructu proprio cornua, veſicas, & folliculos ac ſiliquas beſtiolis interiùs ſcatentes, & ingratiſſimo odore, aut etiã turpiſſimo fœtore execrabiles conſpicati. Huiuſmodi fœtores amici ſui vineæ vates exprobrat: quorum explicatio ſi ad indicatos & argutos iam Iſraelitarum mores referatur, facilis & aperta eſt. Huius cantici expoſitionem ſatis elegantem Chaldæus paraphraſtes nobis reliquit, quam vel Chaldaicè legendam cenſeo, vel Latinè in Bibliis Philippi Hiſpaniarum Regis auctoritate editis.* באשים

Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam.

PERSONAM *dilecti ſui vates nunc ſuſtinet, cuius partes acturũ ſe profeſſus initiò fuerat.* Cantabo nunc dilecto meo, *hoc eſt, pro dilecto meo. Illius autem ſuperiorem cauſam eſſe, vel iiſdem ipſis, qui rei facti ſunt iudiciis conſtitutis confirmare contendit. adeò enim aperto & firmo iure agitur res, vt refelli omnino ab aduerſariis non poſſit: cùm nihil à vineæ poſſeſſore curæ & diligentiæ prætermiſſum, nihil à vinea expectati fructus perceptum; immo pro fructu, offenſionis plurimum relatum afferat. Conſtituuntur autẽ iudices iidẽ ipſi, qui rei cõſtituti ſunt, cauſa non in Theſi, ſed in Hypotheſi, per parabolã perorata: quo probationis genere diuina ſapientia in grauiſſimarum cauſarũ iudiciis exercendis vti ſolet: vt apud Dauid, Nathan vate oratore; & apud Scribas & Phariſæos hanc eandem quæ per Iſaiam agitur, Chriſto dicente, actam legimus. Quanquam autem Deus iudex omnis terræ ſit, quiq; neminem iudicẽ ſuperiorẽ agnoſcat. S. S. E. Et* Gen. 18. *iudicabit Dominus finem terræ: ſuam tamen cauſam hominibus ipſis, quorum diſcrimen agitur, examinandam iudicandamq; permittere ſolet, quò iuſtiſſimam probet. Vult autem non ſolùm actorem, ſed etiam defenſorem ſeſe præſtare; & præſtitæ curæ ac diligentiæ, nunquam intermiſſi ſtudij, rationem primùm aduerſum ſe cognoſci. Appellãtur autem habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, qui illo tempore tantùm Iſraëlis nomen tuebantur,*

*Reliquis decem tribubus in captiuitatem abductis, vel paulo pòſt abducendis: anno enim ſexto Ezechiæ Samariæ regnum periit, ſuas autem partes cognoſci Deus poſtulat.* Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? *Omnem curam adhibitam, nullum culturæ ſtudium prætermiſſum ſibi eſſe Deus confirmat: ita vt non ſolùm beneficia, ſed reprehenſiones, animaduerſiones, & cetera omnia, quæ vel ad iuuandam & amplificandã vineam; vel ad coercendam & reprimendã ne luxurietur, diligenter adhibita ſignificet illa interrogatio,* Quid eſt quod debui facere? *Hebraicè,* Quid ad faciendũ vlteriùs vineæ meę, & nõ feci in illa? *Atq; partes à ſe ſuſceptas diligẽter actas, Deus vel ipſius vineæ indicio cõfirmat. Illius porrò quales partes extiterint, deinde accuſando oſtendit:* An quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. *Hebraicè:* Quare expectaui vt faceret vuas, & fecit putida? *Interrogatio, Quare, poſteriori parti cõiungenda eſt. Quare, inquit, cùm expectarem vuas, fecit putida illa, & tetra vitia: quæ verò ſententia ab inductis iudicibus, propter propriæ cauſæ conſcientiã, non pronũciatur, à vate ipſo dilecti partes agente pronũciata eſt.*

Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriem eius, & erit in conculcationem: & ponam eam deſertam, & non putabitur, & non fodietur: & aſcendent vepres & ſpinæ, & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.

MISERRIMVM *illum locum, in quo Iudæorum res à Chriſto repulſo, ad hoc vſque ſeculum iacent, ſignificantiſſima parabola Iſaias deſcripſit. Appello autem Iudæorum omnium mortalium infeliciſſimum locũ reprobationis & indurationis, in quem gens illa, cùm ob veterum & conſuetorum ſcelerum contumaciam, tum ob repulſum Euangelium, reiectaq; Dei promiſſa deuenit: quem, quamobrem infeliciſſimum appellem, cauſam res ipſa in primis apertè indicat; ac nos aliàs pleniùs, Deo dictãte, exponemus. Ego, inquit, cuius & vinea, & cauſa tota eſt, iuſtiſſimi iudicij ſententiam proponam: nam nihil reliquum iam eſt, quod vineæ meæ agatur, præter id quod exponam. Auferam in primis ſepem eius, quod teſtis, ramis, & vepribus homines arcere ſolet.* Et erit hominibus in direptionem. *Deinde maceriem lapidibus & luto conſtructam, qua ferè & armenta arcebãtur, diruam. & erit omni ferarum & pecudum generi in conculcationẽ. Sicut*
Pſal 79. *Aſaph lamentatus dicebat, Vt quid detraxiſti macerię eius: & vindemiant eam omnes tranſeuntes viam, exterminauit eam aper de ſilua. Omnem deinde culturæ vſum adimendum eſſe ait, putationem, & foſsionem; ne poſſit ampliùs proſperari, niſi vepribus & ſentibus tantùm, cuiuſmodi infelices plantæ cultu deſtituta prædia copioſiſſimè occupare ſolent. communem præterea omnibus ferè etiam ſteriliſſimis, & petroſis locis, pluuiam ab hac vinea prohibendã eſſe ait. Huius autem parabolæ ratio illa eſt; ſingularẽ illius diuinæ prouidentiæ & cuſtodiæ vſum, quo Iudæi olim fruebantur, eſſe in*

*primis*

*primis ſubducendum, facilemq́; aditum hoſtibus tum viſibilibus, tum inuiſibilibus ad nocendum fore: terramq́;, hoc eſt, ipſos homines deſertos & direptos, atq; dignitatibus omnibus publicis & priuatis, maximè autem animorum exſpoliatos relinquendos ſine lege, ſine repub. ſine ſacerdotio, ſine ceteris cultibus; adeò vt pro pampinis & propaginibus etiam, hoc eſt, pro ritibus & ſacrificiis, ceremoniis, atq; alia quauis virentis virtutis ſpecie, meræ nugæ & traditiones, atq; eiuſmodi vana exercitamenta relinquantur; vt nihil minus quàm vineæ, hoc eſt, populi facies & ſpecies præbeatur. Deinde nullos fore (ait illis) Apoſtolos, quorum reprehenſione, admonitione, ſedulitate, diligentia, & cura diuinæ diſciplinæ alimenta ad ſuam ſalutē doceantur; vt Euangelij commoditatibus careant, qui ſeſe Euangelio indignos reddiderint. S. S. E. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quia repellitis illud, & indignos vos facitis Euangelij gloriæ Chriſti, ecce cōuertimur ad gentes. ſic enim præcepit nobis Dominus. Hoc eſt, quòd ſe nubibus ne pluant, mandaturum eſſe ait. Ita etiam Chaldæus eſt hunc locum interpretatus:* Et ſuper Prophetas iubebo ne prophetent ſuper eos. Act. 13.

Vinea enim Domini exercituum domus Iſraël eſt, & vir Iuda germen eius delectabile. Et expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; iuſtitiam, & ecce clamor.

SVMMA *parabolæ capita vates explicat, quibus explicatis, reliquorum membrorum definitio aperta eſt. Conſtat autē parabola octo membris, illis, 1. Vinea dilecti mei. 2. In cornu filio olei. 3. Sepiuit eam, & lapides elegit ex ea. 4. Et plantauit eam* SOREK. *5. Ædificauit turrim in medio eius. 6. Et torcular incidit in ea. 7. Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruſcas. 8. Auferam ſepem eius, &c. Ex his autem duo tantùm membra, primum & ſeptimum à vate ſunt definita. Explicatur enim quænam ſit vinea, cuiusq́; ſit. Vineam autem, Iſraëliticam domum eſſe audimus, in qua Iudæa gens ad regnum, atq; ad futuræ Meſſiæ generationem ſecūdùm carnem delecta, Germen delectabile Dei, ſiue, vt Hebraicè eſt, Planta delectationū eius appellatur. atq; ex hoc capite omnis cultus & curæ ratio aperta iam eſt. Illud autem alterum præcipuum caput exponitur etiam, qui nam illi fructus expectati, quiq́; redditi eſſe dicantur. Vuas, vates ipſe iudicium & iuſtitiam; labruſcas verò, ſiue fœtida, iniquitatem & clamorem exponit. Cuius orationis illa ſententia eſt, officio in omni, cum publico, tum priuato, manifeſtas iniurias & oppreſſiones apud illos fuiſſe ſpectatas. Eſt enim iudicium quod ex Hebraico* MISPAT *vertimus, id quòd recta ratione & iure conſtat: vt, gratiam gratiæ referendam, nemini nocendum; atque id demum iudicium, quo ſocietas hominum, coniunctioq́; ſeruatur; ſiue id publico officio, ſiue priuato præſtandum ſit: namque hæc rerum publicarum ſanitas & populorum incolumitas eſt. Quippe vt rectè valentibus omnibus eiuſdem familiæ hominibus, domus feliciter agit; ſic officio integro omni, populus rectè valet, nulloq́; diſſidio laborat. Contrà verò, vt quibuſdam ex* משפט

 *fami-*

*familia ſcabie aut lepra, atque eiuſmodi contage affectis, familiaris concordia & coniunctio corrumpitur & diſsipatur, dum ſibi quiſque aut timet, aut indulget; alterum vitat, aut fugit, aut reycit. Sic ſublato de rebus publicis officio, & iudicio corrupto, magna inter homines conſiliorũ, iudiciorum, eademq; peſtifera diſſenſio eſt; neq; magis aly alius fidit, aut adhæret, quàm ſi morbi contagione ſolo aſpectu ſe inficiendum putet. Igitur iudicium ſanitas reipub. & concordia eſt; contrà verò iniquitas, peſtis, ac pernicies ciuitatum. Hanc à nobis explicatam ſimilitudinem duo verba Hebraica indicant à vate adnominationis figura inducta. Expectaui, inquit, vt faceret* משפט MISPAT, *& ecce* MISPAHH. *Eſt enim* MISPAHH, *plaga lepræ, & contagis infectio.* משפח *Atque iudiciũ quidem omnibus populis, tam iis qui vera, quàm qui falſa, aut nulla religione imbuti fuerint; ad ſui conſeruationem eſt neceſſarium: iudicio namq; concordia alitur, & conſeruatur, qua paruæ res creſcunt; iniquitate autem diſcordia inducitur, qua maximæ dilabuntur. Verùm illud etiam magis humanum officium eſt, atq; iis digniſsimum, qui ſe homines, præcipuè pios & bonos profitentur, quo quis non ſuis, ſed alienis commodis præcipuè conſulit, inopem ſolatur, & ægrum oppreſſum excipit, diffidentem rebus ſuis confirmat; afflictum eripit; perditum recreat; & quidquid prætcrea humani officij, & miſericordiæ opus fuerit, libenter exercet, & præſtat. Hoc genus omne omnibus hominibus, maximè autem piis, digniſsimum, Hebraica lingua iuſtitiæ nomine ſignificat. vt,* Mat.6. *Attendite ne » iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab illis, &c. & apud Hoſeã:* Hoſ.10. *Seminate vobis in iuſtitia. vbi de ea re copioſiùs diſſeruimus. Igitur pro huiuſmodi ſibi expectata virtute, maximam oppreſsionem & iniuriam, crudelitatémque in miſeros exercitam comperiſſe ſe ait Deus; idque arguit ex conſequenti oppreſſorum & afflictorum clamore, quo omnia loca complebantur.*

Expectaui, vt facerent iuſtitiam, & ecce clamor.

*Hebraicè ſimile etiam cum ſuperiori paranomaſia legimus. Expectaui ad faciendum* צדקה SZEDAKAH, *& ecce* SZEGHAKH. *eſt autem* SZEGHAKH, צעקה *afflicti & oppreſsi hominis vox, atque iniuriæ acceptæ querela: vt, quid feciſti? ſanguines fratris tui clamant ad me de terra.* Gen.4. Gen.18. *&, Clamor Sodomorum & Gomorrheorum multiplicatus eſt, & peccatum eorũ aggrauatum eſt ni» mis. Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere com» pleuerunt: an non eſt ita, vt ſciam. » Atque hic locus vnus ex iis eſt, quorum elegantiam nullus qui Hebraicè neſciat, aſſequi planè valeat: habet autem ſingularem ſignificationem inſperatæ & admirandæ peruerſitatis vox illa bis repetita.* Ecce, *indignationis, atq; offenſionis in loco index. Nomen verò Domini exercituum, ſic à vate appellatum ad potentiæ ſignificationem, & vltionis facultatem, atq; certitudinẽ pertinet, vt aliàs ſæpè docuimus. Duobus igitur parabolæ capitibus præcipuis apertè explicatis, reliquorum membrorum indicatio quædam, ſex etiam continuis periodis adnectitur.*

Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? In auribus meis ſunt hæc, dicit Dominus exercituũ. Niſi domus multæ deſertæ fuerint grandes & pulchræ, abſque habitatore. Decem enim iugera vinearum facient laguncūlam vnam, & triginta modij ſementis facient modios tres.

S E C V N D V M *præcedentis parabolæ membrum fuit*, In cornu filio olei: *qua imagine Iſraëliticæ terræ laudes indicari diximus. Fertiliſſimam, & feliciſſimam regionem illam fuiſſe ex hominum abuſu vates confirmat. Magnam enim potentibus & locupletibus hominibus ex terræ & agrorum felicitate, cupiditatem primùm, deinde ad auaritiam, atque ad iniurias faciendas anſam fuiſſe datam oſtendit. Cùm quiſque ſuis terminis non contentus, alienas poſſeſſiones vel vi, vel fraude, vel fœnore occuparet; adeò vt pauperioribus poſſeſſione diuinitus conceſſa pulſis, potentiores terram ſibi ſolis occupare contenderent. Atque vna eademq́; oratione, & terræ felicitas oſtenditur, & quorundam hominum pernicioſa cupiditas arguitur. Præterea & grauis Dei offenſio indicatur, cuius auctoritas extabat familiarum, & hæreditatis omnibus Iſraël filiis diſtribuendæ, & conſeruandæ. Hanc autem Dei offenſionem oratio illa indicat.* Numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? *Hebraicè cõiunctio eſt, illorum conſilium cum admiratione notans*, & habitabitis, &c. *Tantùm, inquit, propoſitum veſtrum vrgetis, vt pauperioribus vicinis domo, fundoq́; ſuo, & patrio iure depulſis, nullus proprius locus relinquatur in terra, quam vos ſoli occupare contenditis. Hactenus illius membri expoſitio, atq; illa potentiorum in pauperes crudelitas & iniuria explicata eſt, de qua ſcriptum eſt*: Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas. *Iam deinceps huius iniuriæ vltio prædicitur, quã ad illã cantici partem referre poſſumus.* Auferam ſepem eius, & erit in direptionem. *Certiſſimã autem, & irreuocabilem eſſe iniuriæ factæ vltionem, ſaltem pœnis temporalibus (quas vocant) repetendis, & nos aliàs docuimus, & hoc loco diuino docemur iure iurãdo.* In auribus meis Dominus S Z A B A O T H. *Verba illa, Hæc dicit, à Latino interprete indicationis cauſa addita ſunt, videlicet, vt Dei ſententia, à vate relata, indicaretur. Eſt autem iuriſiurãdi formula, qua Deus prouidentiæ ſuæ interpoſita fide, ſe certas, & indicatas huiuſmodi auaritiæ repetiturum pœnas confirmat. Solemne eſt enim vatibus iuſiurandum diuinum ſimilibus formulis pronunciare, quibus vel prouidentia, vel virtus & efficientia, vel æternitas, vel voluntas Dei pro præſentis argumenti ratione ſignificetur. vt, Iurauit Dominus in dextera ſua, & in brachio fortitudinis ſuæ.* Eſa. 62.
Si dedero, &c. *Et iurauit Dominus* SZEBAOTH *in anima ſua. Iuriſiu-* Ierem. 51.
*randi verò huius argumentum illud eſt, fore vt hæc auaritia, atque alienas poſſeſſiones occupandi contentio, quæ tot clamoribus eorũ, qui oppreſſi ſint, Dei vltoris aures pertentauerit, grauiſſimos exitus habitura ſit; idq́; certis,*

&

*& conſtitutis pœnis confirmandum eſſe, quo diuini iudicij ratio apertiùs conſtet; pœnam autem conſiliis eorum contrariam fore indicat, idq́ certiſſimè, hoc eſt, ſummam populi vaſtitatem, & magnam etiam agrorum ſterilitatem. Ita, vt qui maiori ſpatio, vel commodiùs habitare, vel latioribus prædiis ditior euadere poſſe ſperauerat; magno tandem labore eluſus, vel nullum, vel exiguum percipiat fructum. Quod enim ad domos occupatas ſpectat, domos grandes, magnificè conſtructas, habitatorum defectu deſerendas fore ait. Id autem eueniet, habitatoribus partim fame, partim peſte, partim etiam bello occiſis: quòd verò ad agros, tantum, inquit, vinearum, quantum vno die decem boum paribus arari poßit, non plus quàm laguunculam vnam, ſeu bathum vnum, vt Hebraicè legimus, vini reddet; & agri pars, quæ triginta ſeminis modios acceperit, vix decimam partem ſeminis referet: ita fiet, vt quæ ſummæ diuitiæ & facultatis eſſe exiſtimabantur, in magnas moleſtias & difficultates euadant; doceanturq́ homines diuitiarum rationē non poſſeßionibus, ſed diuina benignitate eſſe definiendam. Chaldæus Paraphraſtes, & alij, orationem illam*, in auribus meis, *aliter interpretantur, nonnullis verbis additis; à qua ratione addendi vel demendi nos, quoad id fieri poßit, religioſè temperamus.*

Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in cōuiuiis veſtris: & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis.

TERTIVM *Parabolæ membrum illud fuerat*, & ſepiuit eam, & elapidauit eam. *Quam orationem ad vitiorum debortationem ac fugam, virtutumq́ præceptorum diuinorum diſciplinam retulimus. hanc diuinā erga populum illum curationem penitus ab Iſraëlitis, & ardentißimo vitiorum ſtudio impeditam fuiſſe vates oſtendit, atq́ ex contrario rerum euētu illam parabolæ partem explicat. Atq́ hoc crimen non ſine dicentis commiſeratione, & pœnæ futuræ comminatione oratur; vt & id quòd peroratum eſt, &*

הוי *illa etiam quæ ſubijciuntur. Nam* Væ *particula, ſiue Hebraica illa Hoi, dolentis & minantis affectum indicat. Crimen autem eſt proditi diuini beneficij, quòd, qui ex accepta diuinitus legis & præceptorū diſciplina, vitam inſtituere ita debuiſſent, vt ſummo manè diuinis laudibus, & precibus ſacris inprimis vacarent: deinde, peracto honeſtis laboribus die, veſperū gra-*

Hoſ. 6. *tiis agēdis abſoluerēt. S. S. E. Sciemus, ſequemurq́, vt cognoſcamus Domi-*

Pſal. 54. *nū, quaſi diluculum præparatum egreſſus tui. &, Veſperè, manè, & meridie*

55 *narrabo & annūtiabo, &c. Ipſi tamē ſumma peruerſitate omne ſtudiū ſuū ad voluptates conſectandas contulerunt, ſurgētes manè vini & ludi cauſa, atq́ iterum idem ad multam noctem repetentes: quantū verò ſtudij atque curæ & conſilij in deliciis poneretur, ipſa annorum & temporum indicata ratio arguit. Namq́ antiquus mos fuit bis in die cibum ſumere, manè autem parciùs, noctu verò largiùs; idq́ cùm vitæ & ſanitatis, tum mune-*

*rum*

*rum obeundorum cauſa non malè inſtitutum erat: Ita vt prior munerum, poſterior verò ciborum & victus ratio eſſet. Qua de re ex medicinæ & ſanitatis præceptis, atq; ex vitæ diſciplina nos aliàs exactiùs agemus. At verò hanc rationem totam hominum vitio corruptam, vates arguit. Cui nihil luxuria, delitiis, & voluptatibus antiquius haberi in crimine ponit. Namq; illam in primis curam fuiſſe ait, vt ſummo manè ſurgentibus vinum ante omne alimentum peteretur; idq; magno ſtudio, ſed non auidè admodum, vt ſcilicet veſperi liberiùs & largiùs ardentiſsima bibendi contentione potari poſsit. Atq; ita ſummo manè ſurgentibus nihil priùs quàm de potu & voluptate ageretur: eaq; cogitatio ad nocturnam ebrietatem vſque pertineret: dignum ſcilicet ſtudium, dignaq; hominibus ratione præditis cura, qui de naturæ ſuæ dignitate nihil ſapientiùs, quàm ſues cogitant. Itaq; hæc vatis ſententia eſt, oratio autem Latina impeditior eſt aliquanto; quæ tamen ex ipſa re facilè implicatur. Ad verbum ſic reddi poteſt:* Væ maturantibus in manè ſiceram ſequuntur, morantes in crepuſculo, vinum incendere facit eos. *Duo tempora, duæ res, duoq; verba ſibi certa ratione coniunguntur. Conſurgentes enim ſummo manè non vinum auidè bibiſſe, ſed ſiceram ſequutos ait: idq; maturiùs factum, vt locus concoquendi daretur, quo futuræ veſperi ad multam noctem potationi commoditas accederet: in crepuſculo diutiùs bibebatur, ludebatur, & vomebatur. Idq; eſt quòd ait, morātes in crepuſculo, vinum incendere facit eos, incenſio illa feruorem tum vini, tum bibendi contentionem ſignificat. Atq; futuri temporis in vtroque verbo annotatio, & certum, deliberatum, & conſuetum ſtudium, tanquam in vita præcipuum & pulcherrimum ab iſtis non modò habitum, & cultum, ſed maxima lætitia celebratum ait vates: perinde quaſi nihil homini dignius eſſe duceretur. Atq; hæc res ex adiunctis arguitur: quippe potationi vt ſuauiſsimæ, & gratiſsimæ in vita exercitationi, muſica inſtrumēta addita eſſe dicuntur, quorum aſsiduus & perpetuus in priuatis familiis vſus, vitij & luxuriæ nota minimè caret. Notandum eſt quibúſnam rebus & ſtudiis breuis hæc vita ludatur; cuius abuſus æternæ felicitatis momenta peremit. Atque ita cultu illo, quem Deus ſepienda & elapidanda vinea, hoc eſt, vitiis & erroribus diſſuadendis, virtuteq; per legem docenda adhibuerat, homines ipſi propria culpa fruſtrantur: quando à diuinæ legis, & ſanctiſsimorum præceptorum contemplatione, ſtudio, & exercitatione ad belluinas voluptates, & turpiſsima vitia dilabuntur.* Opus Domini, *diuinam legem omnem, & opera manuum eius, decē verba, Dei digito ſcripta interpretamur; quæ in colenda lapidibus expurganda, atq; præceptis, inſtitutisq; pietatis augenda vinea Deus adhibuit: quorum meditationem & cuſtodiam ſanctam atque perpetuam hominibus eſſe oportuit, fructus ſuos in tempore prolaturis. S. S. E. Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege* Pſal. 1.
*eius meditabitur die ac nocte. Eſt autē operis nomen Hebraicum, proprium agricolarum, & eorum qui certas operas muneribus obeundis ponunt: Ita*

*verba ipſa tanta proprietate vſurpantur, vt adhuc in explicanda parabola orationem verſari cognoſcamus. Atq; adeò hoc turpiſſimæ vitæ ſtudiũ, cum ſumma delectione coniunctum, Ieremias etiam notauit: Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa: numquid ſancta carnes auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Quem verò exitum hæc res habitura eſſet, Vates Dei orationem referendo, expoſuit: prædicit enim illis migrationem ignobiliſſimã, cùm maxima tum conſilij & ſapientiæ inopia, tum etiam difficultate annonæ, & aliarum rerum, quas illi, tanquam optimam vitæ partem, intemperantiſſimè appetiuerant. Nam quòd cibis & potui operam dantes, omne veræ ſapientiæ, & humanæ vitæ ſtudium neglexerunt, illud conſequetur, quod ſubiungitur.*

Ierem. 11.

Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam: & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit.

*Hebraicè*, Propterea migrauit populus meus abſque ſcientia, *quo verſu & culpa ſimul & pœna annotatur; populum enim ſuo ipſius vitio, diuinarum rerum ſcientiæ egentem ab illa dignitate in eam ignobiliſſimam conditionem migraturũ eſſe ait; vt non ſolùm prophetia, ſed omni veræ ſapientiæ & ſcientiæ ratione deſtituti, & carentes, cùm aliarum rerum penuria, tum veræ doctrinæ grauiſſima fame & ſiti laborent. populũ autem in nobiles, & multitudinem partitur. Nobilibus famem, multitudini ſitim denunciat, non ſine myſterio vtrumque, & ſimplicis & arcanæ ſententiæ. Nam cùm populo luxuria vetetur, potentiores & nobiliores propter maiorem ſumptus facultatem epulis & potibus largiſſimis; multitudo verò, cui minus ad ſumptum ſuppetit, vino & ebrietati indulget. Quamobrem iis, quæ grauiſſima ſit futura ſitis, illis verò fames etiam, præter ſitim, nuntiatur; vt vnicuique non habenti, id quòd videtur habere, demendum ſit. Atq; in arcana ſignificatione fames & ſitis defectus & deſiderij imaginem repreſentat, maximum autem & grauiſſimũ deſiderium iuſtitiæ diuinæ eſt, qua qui carent, nec ſaturi, nec quieti eſſe poſſunt. S. S. E. Tum ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua. Atq; hæc ſpiritualis fames & ſitis, initium, & via quædam ad ſaturitatem conſequendam eſt iis, qui ex cognitione ſuiipſorum, ac diuinæ virtutis, in eiuſmodi deſiderium rapiuntur. S. S. E. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. In iis verò qui propter repulſam veritatem, & virtutem doctrinæ veræ, & ſanctitatis atque iuſtitiæ facultate mulctantur, pœna eſt. S. S. E. Ecce dies venient, dicit Dominus, & mittam famem in terram; non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini: & commouebuntur à mari vſque ad mare: & ab Aquilone vſque ad Orientem, quærentes verbum Domini, & non inuenient: In die illa deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti. Nobilium autem nomine, ſiue, vt Hebraicè eſt,* & gloriæ, *principum, magiſtratuum, & ſapientũ ordines omnes indicantur: quos, vt omni doctrinæ,*

Pſal. 16. Mat. 6. Amos 6.

*&*

*& virtutis facultate abundare decuit; ita contrà deſtitui, & carere vehementer dedecebit, & præter dedecus etiam illa penuria valde affliget. Atq; hanc mulctam pro illo epularum & vini à pietatis ratione alieno ſtudio petendam, vates docet. At verò cantus & muſicæ immodico appetitui & vſui illam pœnam propoſitam eſſe ait:*

Propterea dilatauit infernus animã ſuam, & aperiet os ſuum abſq; vllo termino: & deſcendent fortes eius, & populi eius, & ſublimes glorioſi eius ad eum.

V T *illi nullo modo adhibito, cantibus & luſibus contento ſpiritu, ore ſemper aperto & hiante operam dabant, atq; ea re plurimum delectabantur; ſic & ſepulchrum ſpiritum ſuum auidè dilatauit, & os ſuum aperuit, quò plurimos ex omni populi ordine excipiat, neque vnquã ſatis eſſe dicat. Hac autem oratione plurimos bello, fame, & peſte peremptos, promiſcuè ſepulchrum ſubituròs eſſe ait:* fortes eius, &c. *Eius, femininum pronomen, ſynagogam illam Iſraëliticam, atq; vniuerſitatem populi Hebraicæ linguæ vſu ſignificat. vbi verò Latinè legimus*, & glorioſi eius ad eum, *Hebræi legunt*, & tripudiabit in illo: *cuius loci ſententia eſt, eos, qui cantibus & muſicis voluptatibus indulſerint, in ſepulchro, quo à morte deſcendere cogentur, ſimul tripudiaturos, & choreas ducturos alios aliis permiſtos. Huiuſmodi autem argumentum idoneum eſſe ſolet, ad voluptates huiuſmodi diſſuadendas, hoc eſt, hunc delitiarum vſum in mortem deſiturum; quæ æquo pulſat pede pauperũ tabernas, regũq; turreis. Iam te premet nox, &c. dicebat ille. Ironicως autem dictum eſt eos ibi tripudiaturos, quò grauior de fine & exitu vitæ inijciatur hominibus cogitatio. Ex eo autem exitu illud neceſſariò euenturum eſſe vates ait, quod vt ne eueniat, per homines ipſos ſumma contentione, improbitate, & pertinacia pugnatum fuerat: quibus antiquior ſuæ ſuperbiæ, ambitionis, & voluptatũ, delitiarumq; vſus, quam diuini iudicij & iuſtitiæ ratio fuit. ij enim qui obedire diuinis monitis, & iudiciis auſcultare noluerint; tamen accedente morte, vel inuiti cedant, neceſſe eſt. hoc eſt, quod ſubiungit:* Hor. carm. lib. 1. Od 4.

In iudicio, & incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi ſublimium deprimentur. Et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio, & Deus ſanctus exaltabitur in iuſtitia.

I V S T A M *& ſeueram in ſummos & infimos pro admiſſo ſcelere & pertinacia animaduerſionem, iis, qui expoſiti ſunt modis, futurã vates prædicit. Vir enim & homo ſummos, & infimæ conditionis homines diſtinguunt, vt aliàs docebimus. deinde ſuperbos & potentes deſcriptio illa oculi ſublimium ſignificat. Eſt enim ſuperbiæ ſignũ in oculorum nutibus & motibus manifeſtum, vt: Oculos ſuperborũ humiliabis. Neque verò ob eã rem Dei vel maieſtatem, vel auctoritatem minuendam eſſe, vates ait. Quòd Iſraëlis populus improbatus ac reiectus ſit: nam quamquam regem populi frequentia ornare plurimum ſoleat, S. S. E. Multitudine populi dignitas regis,* Pſal 17. Prou. 14.

*tamen Deo ex reiectione improborum Iſraëlitarum, nihil de dignitate decedet, nihilq́ue de potentia detrahetur, vtpote cui nomen illud ſuum proprium tantæ maieſtatis perpetuò conſtabit. & illa etiam exercituum facultas & potentia permanſura eſt; immo multum laudis apud Angelos & homines*

Mat.6. » *illi tribuetur, tum ob exercitum in improbos iudicium, tum etiam ob communicatam cum piis & bonis iuſtitiam; quam, qui eſurient, & ſitient, abundè haurient. Eſt enim etiã maxima Dei laus, & exaltatio ex iudicij integritate. S.S.E. Et cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator. Conuertantur peccatores in infernum: omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis; patientia pauperum non peribit in finem.* Psal.9. *Atque ita vtramque Dei exaltationem ex vtraque Euangelij Christi efficientia, hoc eſt, ex iudicio, quo improbi & increduli puniuntur; & iuſtitia qua pij, fideles, & probi iuſtificantur, interpretamur. S.S.E. Iuſtitia autem Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.* Rom.2. *Igitur nihilominus regnum, nomen, potẽtiam, & imperium integra atq́ue certa Deo fore Vates ait: quod ex Iſraëlitis improbiſſimi omnes, atq́ue ij magno numero reijciantur. namque ſui exercitus omnes in primis integri, vt antea manſuri ſunt; deinde verò & multi ex Iſraëlitis probi & pij, cæteris rectis iuſtitia diuina aucti, maximisq́ue beneficiis cumulati ſupererunt; accedent etiam iis magnæ gentium copiæ ad Euangelium vocatæ, quæ in reprobatorum Iſraëlitarum locum ſuccedant: ita vt ex quorundam oliuæ ramorum inciſione oleaſtro inſerendo, commoditas creetur. Hanc ſententiã Vates allegoricè indicat. Adhuc enim in illa domorum & agrorũ à potentioribus & improbioribus occupatorum tranſlatione perſeuerat.* Et paſcentur agni iuxta ordinem ſuum, & deſerta in vbertatem verſa, aduenæ comedent.

VBERTATE *agrorum è quibus iniqui poſſeſſores deiecti fuerint, agros qui relinquentur, liberè, intrepidè, & feliciter fruituros eſſe Vates ait: Deinde domos illas deſertas, & habitatoribus vacuas, omnibus autẽ rebus refertas, aduenis in vſum ceſſuras cõfirmat. Atq́ue huiuſmodi imago ex bellicorum temporum euentu deſcripta, ad arcanum argumentum transferenda eſt.* Iuxta ordinem ſuum. *Liberè, feliciter, nullo errore palantes, nullo metu trepidantes. Hebraicè,* Iuxta verbum ſuum, *hoc eſt, voluntatem ſuam. Sponte & abundanter fruentur paſtuum diuinorum copia vberrima. Chaldæus Paraphraſtes hunc locum ſapienter eſt interpretatus.* Et gubernabuntur iuſti, quemadmodum dictum eſt ſuper illos, creſcent, & diuitias improborum iuſti hæreditabunt.

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.

QVARTÆ *erga vineam curæ, quænã ratio habita ſit, hoc etiam crimine exponendo, oſtenditur; fuit enim quarta cura* & plantauit eam ſorek. *Oportuit igitur huiuſmodi plantationi propagines, etiam officio faciendo,*

*reſpondere. S. S. E. Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. Conſentaneum namq́; fuerat Iſraëlitas patrum ſuorum Abraham, Iſaac, & Iacob, ingenium, diſciplinam, & omne vitæ exemplum imitari; contrà verò, impiè agere à tanti generis virtute & nobilitate, omnino alienum exiſtimari debuit. Hoc igitur in crimine Iſraëlitis ponitur, quòd ſceleribus admittendis, à paternæ virtutis natura degeneratum ſit; idq́; monſtri ſimile eſſe dicit, vt qui generis præſtantia, paterna diſciplina & exemplo virtutem ſponte amplecti, & colere debuiſſent; tamen ſcelus & peccatum non ſolùm ſponte admittant; ſed inuitum & reluctans ad ſe trahunt; ſtudioſiſſimè excogitatis peccandi modis, ab ipſorum officio alieniſſimis, eiſdémque magno ſtudio, & multa opera conquiſitis & protractis in funibus vanitatis; neque enim diſciplinæ & præceptorum, neque paterni exempli, neque diuinæ gratiæ ipſis ſingulariter etiam promiſſæ defectu, ſed propria vanitate & ſtultitia peccatum colligant, & magno molimine & conatu trahere nituntur, vt plauſtra magna contentione, & craſſioribus funibus trahi ſolent. Ita vt magnum iſtorum peccandi ſtudium, idque non neceſſitate, non errore, aut infirmitate; ſed ſponte, & ſumma contentione initũ, hæc oratio arguat. Neque enim de leuibus culpis hoc loco, ſed de grauiſſimis, & ab humanitate longè alienis agitur, cuiuſmodi iniuriæ & alia grauiſſima ſcelera ſunt, quorum in genere ſuperiùs meminit Vates, quæ non tam admiſſa, quàm petita & procurata dici poſſunt. Quis enim magnũ ſcelus inuitus admittit, quis in hoc facinorum genere non conſultò, &, vt ille aiebat, supernè peccat, ſed quòd eiuſmodi ſcelera certis ab humana malitia excogitatis nominibus concipi ſolent, vt vltionis, potentiæ, fortitudinis, ſplẽdoris, & eiuſmodi aliis, quibus nulla veri vel neceſſitatis, vel vtilitatis probatæ ratio ſubeſt: ob eam rem in vanitatis funibus trahi Vates ait. Sunt autẽ huiuſmodi ſcelerum machinatores quamplurimi, quibus illæ ſuæ ad peccãdum excogitatæ leges, & præcepta grauiora & antiquiora ſunt, quàm veritas ipſa, & diuinum verbum: ita vt iſtorum regulis & inſtitutis maior fides habeatur, quàm veriſſimis Prophetarum, & diuini verbi miniſtrorum ſermonibus ac monitis.*

Qui dicitis, feſtinet, & citò veniat opus eius, vt videamus, & appropiet, & veniat conſilium ſancti Iſraël, & ſciemus illud.

*Conformatione oſtendit vates illos, qui propriis ſuis legibus & præceptis conſiliisq́; ad peccandum diligenter vtuntur, nec diuinis monitis duci, nec minis credere velle, ſed omnia præ ſuis conſilia contemnere, ita vt vatibus admonentibus, & dehortantibus à ſcelere, impudentiſſimè reſpondere, atq́; apud alios etiam iactare ſoleant, ſeſe cupere iam illarum minarum exitum videre, & vim iactatam illam diuinam experiri. Tantum abeſt, vt oppoſitis formidinibus aut credere, aut terreri ſeſe fateantur; quin potiùs dilatã vltionem numinis erga res humanas negligentiam, vel ſuorũ ſtudiorum probationem interpretantur: nam qui propoſitis Dei minis terminum breuem*

 optare

*optare ſeſe ait: perinde eſt, ac ſi neque credere, neque cõmoueri affirmet; ſed ſi quid miri, vel grauis, vel difficilis, ac duri ſpectaculi in mundo edatur; id naturæ ac temporum vi effici putent; quamobrẽ certam horam ipſi ſibi conſtituunt, vt diuinæ prouidentiæ periculum faciant, etiam ſi id quod optare ſibi aiunt, minùs optabile ſit. Hoc pacto Pharao cùm de ranarũ moleſtia depellenda cum Moyſe ageret, atq; hac re prouidentiæ vel caſus, vel naturæ, vel magicæ artis periculũ facere vellet, non præſentem horam, ſed poſteram diem ranarum extinguendarum terminum ſtatuit, & moleſtiã illam perferre diutiùs voluit, quæ ſtatim ſi petitum fuiſſet, depelleretur. Exiſtimauit namq; illud malum niſi condicta à ſe hora finiretur, natura aut caſu potiùs quàm conſilio diuino accidiſſe definiendum fore. S. S. E. Conſtitue mihi*

Exodi 8.

*» quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo, vt abigãtur ra-*
*» næ à te, & à domo tua, & à ſeruis tuis, & à populo tuo, & tantùm in flu-*
*» mine remaneant. Qui reſpondit, cras. at ille, Iuxta, inquit, verbum tuum*
*» faciam, vt ſcias quia non eſt ſicut Dominus Deus noſter. Magnæ hoc loco naturæ magicæ caſus, prouidentiæq; rationes continentur, quas pleniùs aliàs explicare Deus nobis, vt ſpero, dabit.*

Et veniat conſilium ſancti Iſraël, & ſciemus illud.

*Mimoſis eſt, qua diuinorum monitorum irriſores vtebantur. Namq; illa perpetua in omnium vatum ore ſententia erat, Deum ſuam prouidentiam, beneficentiam, iuſtitiam, & ſeueritatem vniuerſo mundo probaturũ gente illa, quæ præter cæteras egregiè delecta fuerat, pro meritis, vel beneficio & ornamento, vel pœnis, & animaduerſionibus afficienda. hoc autem eſſe conſilium ſancti Iſraël, qui ſeſe apud Iſraëlitas miſericordiæ & iudicij exemplis ſanctificare, hoc eſt, hominum rebus conſulentem & prouidentem probare decreuerat. S. S. E. Hoc eſt quòd locutus eſt Dominus, Sanctificabor in*

Leuit. 10.

*» iis qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor. Hoc Vates conſilium ſancti Iſraël appellabant, quod ab impiis & ſceleratis hominibus κατὰ μίμωσιν, ad eleuandum vſurpabatur.*

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum dulce, & dulce amarum.

QVINTA *à Deo cura ad colendam ornandamq; vineam illa fuerat,* Et ædificauit turrim in medio eius. *Quam nos diuinæ prouidentiæ, ſapientiæ, tutelæq; vſum Iſraëlitis promiſſum & paratũ interpretati ſumus. Huius autem beneficij contemptionem, & contrarium omnino ſtudium in crimine à vate ponitur. Atq; vtinam totius huius parabolæ ratio ad nos, qui Chriſtianum nomen profitemur, non pertineret. Iſraëlitæ nec Deum alium agnoſcere, neque colere, nec aliam vitæ rationem aut inſtituere, vel ſequi, vel tenere debuerunt. Sed tamen tantum ab hac certa perenni conteſtataq; via deprauatæ voluntatis vitio degenerauere; vt pro vero Deo alij vitulos, alij aliud coluerint: vt pro virtute & pietate meras nugas, vel*

*aperta ſcelera ſuſceperint, idq́ excogitatis rationibus, & nominibus inuentis atq́ impoſitis egerint. Neque ea enim hominum ſimplicitas eſt, vt quæ mala apertè ſunt, malitiæ nomine ſuſcipi, & adiri dicantur; ſed effictis potiùs contra ius, contra fas, contra propriam conſcientiã diſputationibus probata; veris & manifeſtis boni atq́ honeſti definitionibus, hoc eſt, Dei verbo probatis virtutibus præferãtur: Sic enim ſuperbia animi magnitudo dicta, modeſtiaq́ ignauia; ſic ambitio altæ cogitationis nomine, ſic iniuria & facinus potentiæ & ſplendoris laudibus, innocentia verò timiditas & inertia ab iſtis dicta eſt. Sic omne vitium & ſcelus illuſtri nomine, virtutibus omnibus vt contempti & abiecti animi, leuibus & humilibus ſtudiis, non opinione & ſentẽtia ſolùm, ſed re atq́ exercitatione anteponitur. Huic autem deprauatæ hominũ rationi illa diuinæ iræ index vox,* Væ, *propoſita eſt. Tribus autem orationibus Vates oſtendit huiuſmodi peruerſitatẽ ex deprauati ſenſus & mentis vitio accidere.* Namque bonum & malũ, *Naturæ etiam inſtinctu & vi, communi ſenſu percipitur, etiam à brutis. Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum, Diuidit vt bona diuerſis fugienda petendis. aiebat ille. Sed eſt alia homini propria, verum à falſo, & honeſtũ ab inhoneſto iudicandi duplex vis atq́ facultas: quarum alteri intellectus, voluntas alteri, Latinum nomen eſt. Atq́ has facultates viſus & guſtus tranſlatione vates indicauit, quòd hi ſenſus plures quàm cæteri rerum differentias perſpiciant. Omnium autem rerum quæ viſu excipiuntur ſumma duobus oppoſitis generibus, lucis & obſcuritatis continetur. Etenim colores ipſos vel lux, vel lucis affectus eſſe, philoſophi tradidere. Saporum quoque varia ratio duobus generibus, dulcis & amari, definitur. Appellauit autem Vates conſtanti ſibi ſermonis ratione tenebras omnem humanã ſententiam à Diuini Verbi veritate alienam: lucem autẽ ipſum diuinum verbũ dixit; vtpote lucidũ, & illuminans oculos: vt & aliàs idem ait: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. De Deo autẽ: Et erit lux Iſraël in ignem, & domus Iacob: venite, & ambulemus in lumine Domini. Atq́ ex hac cognoſcendi & iudicandi peruerſitate efficitur, vt dulce amarum, & amarum dulce exiſtimetur, & prædicetur: nihil autem dulcius quàm Deus, Deiq́ verbũ eſt: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo. & Ieremias: Scito, & vide, inquit, quod malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus.*

[Margin: Horatius Serm. lib. 1. Sat. 3. — Eſaiæ 8. — Eſa. 10. — Ierem. 2.]

Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. Væ, qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo.

SEXTÆ *illius curæ, quam vineæ Dominus adhibuerat, hoc eſt, torcularis in vinea exciſi expoſitionem indicauimus prophetiæ munus certis hominibus demandatum; quorum officium fuerat vuis calcandis muſtum exprimere,*

*primere, & acinorũ folliculos, botrorumq́ſcalpos & vinacea ab vtili ſucco ſeparare. hoc eſt, veram, ſolidam, atq; vtilem doctrinã, ab inutili & falſa ſecernere; bonoſq́ à malis hominibus oratione diſtinguere. Atq; hoc munus maximas commoditates ad omnem vitæ partem cùm priuatè, tum publicè afferebat; quod tamen propheticum munus ſapientibus & fortibus, diuitibus tantùm dari conſtans omnium antiquorum Hebræorum opinio erat, ex qua ſententia illud in multorum animis inſederat, eos qui diuites, fortes, ſapientesq́ eſſent, idoneos ad vaticinandum eſſe, eorumq́ auctoritatem & orationem, atq; actiones plurimum ad rempub. gubernandam valere. Hanc autem rem Vates interpretationis & definitionis rationibus hoc loco diſſerit; oſtendens, quamquam verum ſit vaticinandi munus, non niſi ſapientibus, fortibus, & diuitibus viris contingere, tamen ſapientiam, fortitudinem, & diuitias non iis rationibus eſſe definiendas, quibus definire corrupti homines conſueuere. verã namq; ſapientiam timore Domini initiari, & futurorum atq; euentuum cognitione certa, & ex antecedentibus quoque obſeruata conſtare, quæ non aliis quàm piis & iuſtis hominibus à Deo*
Eccle. 1. *dari ſoleat. Initium, inquit, ſapientiæ, & corona ſapientiæ eſt timor Domi-*
Pſal. 110. *ni. Intellectus bonus omnibus facientibus eam. Eam verò ſtultã, inutilem, imò exitialem ſapientiam, & quam grauiſsimus expectet exitus, quæ non veritate, & reapſe; ſed ipſorum hominum arrogantia nititur. Neque enim quòd ſibi ſapiens videatur quiſpiam, continuò ſapiens eſt: immo hæc*
Prou. 14. *periculoſiſsimæ ſtultitiæ genus eſſe ſolet. S. S. E. Eſt via quæ videtur homi-*
» *ni recta, & nouiſsima illius ducunt ad mortem. Inter ſapientiam & prudentiam quid interſit, aliàs docuimus. Eſt enim prudens, qui rationis vſu valet ad veritatem inueniendam, negotiorumq́ ſimilitudinem ex aliis, atq;*
Prou. 16. *aliis rebus. S. S. E. Sapiens cordis vocabitur prudens. Secundam autẽ virtutem Prophetis opportunam, hoc eſt, fortitudinem, non eam eſſe Vates ait, qua homines quidam pollere prædicantur; hoc eſt, bibendi ſumma cum contentione conſtantia. Hæc enim vera impotentia, & plus quàm belluina ſtupiditas eſt. Cùm illa vera virtus & fortitudo ſit, quæ cum vera ſapientia fuerit coniuncta. S. S. E. Meum eſt conſilium, & æquitas mea eſt: mea eſt prudentia, mea fortitudo. Quod verò additũ eſt.* Et viri fortes ad miſcen-
חיל dam ebrietatem. *Hebraicè eſt.* Viri HHAIL. *ſignificat autẽ* HHAIL, *tum*
Deut. 8. *virtutem, tum opum ac diuitiarum facultatem, vt in Deuteronomio: Fortitudo mea, & robur meũ fecerunt mihi facultatem hanc. & illud in Pſal-*
Pſal. 48. *mo: Et relinquent alienis diuitias ſuas. Hebraicè eſt* HHIL. *Horum igitur facultas improbatur, & tanquam inutilis & pernitioſa reÿcitur, quæ non ad alios honeſtiores & ſanctiores vſus adhibetur; ſed in vino, & iis quæ vini ſtudium comitantur, parandis rebus inſumitur.* Et viri fortes ad miſcendam ebrietatem. *Veræ enim diuitiæ, & vatibus oportuniſsimæ non hæ ſunt; ſed illæ de quibus S. E. Beatum dixerunt populũ, cui hæc ſunt. ſed, Beatus populus cuius Dominus Deus eius. & illud: A fructu frumenti,*

*& vini,*

*& vini, & olei ſui multiplicati ſunt. In pace in idipſum dormiam, & requieſcam; quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Atq; ita hoc verbum Chaldæus interpretatur*, Et viri Domini diuitiarum ad inebriandum ex antiquo vino. *Igitur ſapientiæ, prudentiæ, fortitudinis, & facultatis definitiones ab hominibus falsò traditæ, per vatem noſtrum redarguuntur: infirmata cùm primis ipſorum auctoritate, deinde vſus materia indicata; poſtremò etiam ſtudiis & euentibus ipſis oſtenſis, quibus facilè arguitur, quales nam res illæ ſint, quæ eiuſmodi ſtudia excitent, & euentus habeant.*

Qui iuſtificatis impiũ pro muneribus, & iuſtitiã iuſti aufertis ab eo.

*Sapientium, prudentium, fortium, & potentium iſtorum conſilium, & officium cuiuſmodi demum ſit, oſtenditur, quo nihil magis à vera ſapientia, fortitudine, & facultate alienum eſſe poteſt. Neque enim vllus verè ſapiens iniuriam pro iure, aut ius pro iniuria definit. neque quiſquam verè fortis, qui neminem præter Deum timeat, omnia præter virtutem contemnat, potiorem iniuſtitiam quàm iuſtitiam ſibi eſſe putare poteſt. Neque verè diues animo aliquis muneribus corrũpitur. Itaq; ex repugnãti euentu definitiones & rationes illæ redarguuntur.* Iuſtificare impium pro muneribus, *eſt, eum qui cauſa inferior eſt, ſuperiorem pronunciare. Iam enim quid illud verbum impius & impietas in forenſi ſermone ſignificet, docuimus. Reum igitur abſoluere hoc loco eſt, & illud etiã aliud in eodem genere ſcelus eſt, cùm vel innocentis, vel iuſta poſtulantis cauſa proditur: idq; non ex ignoratione, quæ tamen ipſa culpa quoque eſt; ſed, quòd ſceleſtiſſimum eſt, pro muneribus, quæ tantũ abeſt, vt cum ſapientia conſtare poſſint, & cum fortitudine & facultate conuenire, vt vel ipſa reyci, vel ſi admittantur, ſapientiam exulare neceſſe ſit. S.S.E. Quia munera excæcant oculos ſapientum, & peruertunt verba iuſtorum.* Deut. 16. *Quòd verò hic verſus commune omnium ſtudium ſpectarit, atq; eandem omnino trium illarum definitionum conſequentiam indicarit, argumento eſt, cùm ipſa relatiui, qui iuſtificatis appellatio, ſine vlla adiuncta comminatoria voce,* Væ, *qui iuſtificatis, cum etiam pœna vnica, & omnibus illis generibus inferiùs denũciata.* Propter hoc ſicut deuorat, &c. *cum ſingulis ſuperioribus partibus propriè pœnarum denunciationes fuerint ſubiunctæ.*

Propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: ſic radix eorum quaſi fauilla erit, & germen eorum ſicut puluis aſcendet.

*Poſtremam parabolæ ſententiam, hoc eſt, Iſraëlitarum reprobationẽ Vates hoc loco explicat, culpamq; oſtendit, ob quam eiuſmodi enuntiatio decreta à Deo ſit; ita omnis hic locus ad vaticinij finem vſque illam ſententiam reſpicit,* Auferam ſepem eius, & erit in direptionem. *Docet autem Iſraëlitas populi Dei nomine, & iure, & ratione prorſus abyciendos, tam patres quàm filios; idq; virtute Euangelij, quod ignis inſtar paleas cõburentis*

*improbos, & incredulos omnes abſumet ſpirituali illa efficacitate, qua pura & ſimplicia omnia perficit, impura verò in cineres redigit. Radicē autem appellat patres, hoc eſt, qui primis Euangelij temporibus fuerunt; germē verò illorum filios, qui hactenus in illa cæcitate permanent, quos vt puluerem è ſuo loco pulſos, & per omnem orbem ſparſos videmus: huius autem ſupplicij ſuſtinendi, quanquam multiplex & varia cauſa fuerit, duobus tamen poſtremùm admiſsis criminum generibus omnes inſunt culpæ.*

Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium ſancti Iſrael blaſphemauerunt.

*Sæpiſsimè Chriſtus Iudæis obiecit, ideo Euangelium non admitti, quòd diuinæ legis ſanctitas & integritas violata illis, atq; malis moribus, & iniquis interpretationibus contaminata, ac prorſus antiquata iam eſſet.* Ioan. 5. *Nolite putare quòd ego accuſaturus ſum vos apud Patrem, eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit. Atque antiquam legem ſcriptam exercituum legem appellat ea ſententia qua olim legem vltionis fuiſſe, nunc verò gratiæ legem extitiſſe theologi dicere ſolent; fuit enim illa olim lex, quæ peccatum oſtendens, arguebat, neque verò tollebat, ſed propoſitis pœnis vindicabat. Nunc verò ſanctum Euangelium à Dei verbo allatum eloquiū ſancti Iſraël, qui cùm ſanctus ipſe ſit, Iſraëlē ſanctificare poteſt.* Leuit. 30. *S. S. E. Sancti eritis mihi, ſicut ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. hoc eſt, dictum illud,* Rom. 9. *Et verbum abbreuiatum quod fecit Dominus, verbum abbreuians, & conſummans in æquitate. Itaq; legem Domini exercituum ſanctā illam legem ſcriptam interpretamur, non ceremonialem quæ abolēda erat ſuo tempore, ſed moralem, quæ perpetuò ſtabilienda fuerat; quam Iſraëlitæ vel malis moribus tranſgreſsi ſunt, vel traditionibus aliis obſeruatam violauerūt. Eloquium autem ſancti Iſraël verbum Euangelij à Chriſto Filio Dei habitum exponimus;* Heb. 1. *cuius auctoritas planè diuina fuit. S. S. E. Nouiſsimè autem locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorū, per quem fecit & ſecula; vtramque autem partem illis Chriſtus ipſe obijcit.* Ioan. 5. *Si autem Moyſis litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis? Huiuſmodi verò iam ſuo tempore admitti cœpti ſceleris, pœnas paulatim illuſtribus exemplis, Deum ab Iſraëlitis repetiturum eſſe vates confirmat: idq; ſpectandum eſſe multis ab Iſraëlitarum principibus, regibúſque occiſis, quorum animaduerſio, & diuinam iram teſtatura, & futuræ communis vltionis expectationem factura fuerat. hoc eſt quod Vates indicat:*

Ideo iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eū: & conturbati ſunt montes, & facta ſunt morticinia eorū quaſi ſtercus in medio platearum.

C ALAMITATES *illas quæ Iſraëlitis olim ad captiuitatem Salmanazaris vſque acciderant, ipſorum culpa iam diu admiſſa, importatas; non caſu allatas, ſed ob diuinam offenſionē decretas hæc indicat ſententia: manu*

*namq;*

*namque Domini extenſa percuſſum populũ aſſerit, idq́; certis probat ſignis, quæ nullo caſu, ſed certo conſilio definiri poſſunt. Quòd reges primùm occiſi & inſepulti iacuerint, neque enim caſus vnum genus certum, neque vno modo, & conſtanti ratione, ſed ſine diſcrimine genera omnia & ordines, idq́; variis modis, petet. Igitur manum Domini certa capitum percuſſio indicat. montes autem myſtico ſermone reges & principes, vt alias docuimus, dicuntur: & quòd reliquo populo ſublimiores, perſpicuiq́; magis; & quòd vt montes multarum rerum procreatores; vt Hebraicum nomen indicat. Sic reges multorum negotiorum, & ferè earum quæ in populo oriuntur rerum auctores eſſe ſolent. Ipſe autem vates tranſlationem indicauit.* Et facta ſunt morticinia eorum quaſi ſtercus. *Achab & filij eius, Zacharias filius Ierobagham, Salma filius Iabes, Phakeahh filius Menahhem, & Phakeahh Ramaliahu, & alij multi principes huius diuinæ animaduerſionis ſpectaculum præbuerunt: & multi etiã ex Iudææ principibus vſque ad Herodeam tempeſtatem: tamen hæc populo illi improbo, non abſoluta pœna, ſed initia, indiciaq́; dolorum fuere, tunc demum abſoluenda, cùm vineæ conductores, Herode tandem repulſo, Domini offenſionem in ſuam perniciem incitarunt, vt miſſis exercitibus ſuis, omnino perditi, & diſſipati fuerint. hoc eſt quod Vates obnunciat:*

In his omnibus non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. Et leuabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce feſtinus velociter veniet. Neque ſoluetur cingulum renum eius, neque rumpetur corrigia calceamenti eius.

ROMANI *exercitus ad Iſraëlitici populi vaſtationem futuri mentem & voluntatem, pertinaciam & conſtãtiam, diſciplinam & diligentiam, facultatem denique omnem, ita Vates deſcribit, vt rei gerendæ exitum facilè oſtendat. Principio rem ipſam non caſu, ſed diuini conſilij auctoritate ſuſcipiendam eſſe illa oratione docet.* Et leuabit ſignum, *deinde ſtudiũ, & communẽ voluntatem,* & ſibilabit ad eum de finibus terræ. *Sibilo namq́; vocari & cogi ſolent, qui idẽ aliquando conſilium, eaſdemq́; partes ſequuntur, vt in graſſatoribus aliiſq́; hominum & factionum cõſpirationibus videmus: maximè enim ad rem gerendam concordiæ argumentum eſt, ſi ſolo ſibilo homines congregentur, etiam ſi variè diſperſi fuerint. Odium autem ſui omnibus nationibus mouerant Iudæi, quas ſibilo Deus ad horũ vaſtandam regionem, ex omnibus locis, vbi Romanæ legiones erant, conuocauit. Studium etiam & voluntatem illud ſignificat,* & ecce feſtinus velociter veniet. *diligentiam verò & diſciplinam, atque animi conſtantiam, illud:* Neque ſoluetur cingulum renum eius, neque rumpetur corrigia calciamenti eius. *Tanta cura & ſolicitudine tantaq́; diligentia erunt, vt vel perpetuas noctes vigilare poſſint; vel id, quod capiendum eſt ſomni, non expoliati, ſed induti & calceati capiant.* neque rumpetur corrigia.

*Hebraicum verbum hoc loco Euelli ſignificat; antiquorum calceus corrigiis & funibus cruri hærebat, vt pedem comprimeret; quem aliquando deſcribemus: tamen, cubitum ituri, ſoluere, & calceorum ligamenta laxare ſolent: grauior namq; ſomnus conſtrictis eſt. At verò hos, quos indicat Vates, neque hoc etiam curaturos ait, idq; expeditionis cauſa. Atq; hactenus voluntatem & ſtudium, nunc deinceps facultatem deſcribit.*

Sagittæ eorũ acutæ, & omnis arcus eius extenti: vngulæ equorum eius vt ſilex, & rotæ eius quaſi impetus tempeſtatis.

IN *facultate deſcribenda celeritas etiam conficiendi negotij adnotatur, ita enim parata, ita expoſita, & probata omnia arma bellica illius exercitus fore ait, vt nõ modò prompto animo, ſed manu & apparatu prõptiſſimo res agatur. Neq; enim opus illis erit ſagittas acuere, cùm acutæ omnes è domo, & ex via afferantur: neque arcus tendendi ſpatiũ poſtulabitur, quibus tenſi omnes ſint; neque reficiendis aut mutãdis equis vacabũt, quos exercitatiſſimos, & duriſſimos, firmiſſimos, ac ſilicis inſtar vngulis duriſſimis habebunt. Quadrigæ quoque rotis turbinis in modũ velociſſimis, & leuiſſimis vtentur; tanta celeritate, vt nouis, aut refectis opus non ſit. Præter ſtudium & facultatem animus quoque, & dexteritas atque efficacitas; deinde & effectus euentusq; adnotantur.* Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catulus leonum. *Nullum animal leone fortius intrepidumq; magis eſſe ſacra phi-*
Iud. 14. *loſophia docet. S.S.E. Quid dulcius melle, quid fortius leone, nulliusq; vox*
Amos 4. *terribilior. S.S.E. Leo rugit, & quis non timebit? Hiſce perſimilem fortitudinem, impetum, & intrepidam alacritatem Romanis militibus ad vaſtandam Iudæam mittendis additum iri Vates confirmat, quorum vel ſolo clamore ij, quibus bellum inferendum ſit, perterreantur. quippe cùm non vnius tantùm, ſed multorum leonis catulorũ rugitus à ſingulis referendus ſit. Neque verò illum fremitum fruſtrà edendũ, quem leonum more præda*
Amos 4. *capta ſecutura ſit. S.S.E. Nũquid rugiet leo in ſaltu, niſi habuerit prædam:*
» *numquid dabit catulus leonis vocem de cubili ſuo, niſi aliquid apprehendat. Hoc ingenium, atque adeò hanc prædæ certitudinẽ imitaturos eſſe Romanos diuinæ offenſionis vltores Vates prædicit.*

Et frendet, & tenebit prædã, & amplexabitur, & non erit qui eruat.

*Hoc verſu Vates euentum deſcribit, hoc eſt, grauiſſimum bellũ, & cruentiſſimum Iſraëlitis inferendum: ad quod depellendum atque vincendum, quanta inopia, quantaq; imbecillitas futura ſit, continuò ſubiungitur. Etenim tanto terrore exanimatis, tantaq; impetus vi petitis, neque proprij conſilij, aut roboris; neque petendi aliunde auxilij copia conſtabit.* Non erit qui eripiat, *namque ſi terram hominéſque implorent, omnes ſibi inimicos, & capitales hoſtes ſentient. Si cælũ, & Deum vt grauiſſimè iis offenſum, ita auerſum quoque experientur; hoc eſt quod dicit:*

Et ſonabit ſuper eum in die illa ſicut ſonitus maris: [*quo nihil terribilius, nihilq; eſt in natura quod compeſci minùs poſſit.*] Aſpicie-

mus

mus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata eſt in caligine eius.

*Humani auxilij fruſtra quærendi ſignificationem illud habet, conſpiciemus in terram, & ecce tenebræ. tenebras conſilij & auxilij inopiam interpretamur.* Tenebræ tribulationis. *Hebraicè,* Tenebræ tribulantis. *Hoſtem ſignificat, omnibus terræ partibus, vel metuendum, vel ſentiendum. Auxilij verò diuini iuſtam ſubtractionem illud indicat.* Et lux obtenebrata eſt in caligine eius. *Hebraicè eſt,* in influentiis ſuis. *Lucis verbis Deum, diuinasq; res dici, ſæpè in Commentariis noſtris, & in libro De arcano ſermone docuimus. Vt autem lux perpetua eſt & conſtãs; lucis verò vſus non perpetuò omnibus conſtans (namq; influentiæ lucis, vel caligine, vel nubibus, vel aliis rebus obiectis impediuntur; quo minùs ab iis, quæ ſub cælo ſunt, excipiantur) ſic Deũ, eiusq; auxiliũ non ceſſare, aut deficere dicitur, ſed obtenebrari, & obſcurari. Atq; id non in ſe, ſed in influentiis eius: hoc eſt ipſorũ hominũ culpa, & obiectis peccatis impediri, quo minùs percipiantur. S. S. E. Peccata veſtra prohibuerunt à Vobis bonum. Huiuſmodi ſententiæ illud fuerat:* Et nubibus mandabo ne pluant ſuper eam. *Itaque ſi legamus, In caligine eius, caligo ad Iſraëlitas eſt referẽda: ſi verò, In influentiis eius, vt eſt in Hebraico, lucis influentias interpretamur; hoc eſt, diuinam gratiam perpetuò influentem, cuius tamen vſum aliqui non percipiant; idque non influentiarum defectu, ſed ſua ipſorum culpa, & obiectis impedimentis.*

## ARGVMENTVM VATICINII V.

COMMVNIS *populo ferè omni & vniuerſi erroris, & imbecillæ opinionis de particulari erga hominum res prouidentia conuellendæ cauſa, maieſtatis, auctoritatis, ſapientiæ atq; conſiliorum ſuorum ſpecimen Iſaiæ vati admirando, arcanoq; ſpectro Deus dedit. Simul etiam ob illam dubitationem: atq; ob natas ex illa populo culpas & ſtultitias, grauiſſimam excæcationis animaduerſionem Euangelij tempore futuram oſtendit. Huius autem Vaticinij quod magnam, & multorũ tum apud Philoſophos, tum apud Theologos myſteriorum refertis rationibus conſtet, magnum quoque & prolixius interpretationis genus exigere videtur, idq; nobis inuocato per carmen auxilio eſt inchoandum.*

*Cælorum terræq; ſator, qui maximus omnes*
*Proſpicis omnipotens res, Pater, atq; foues:*
*Qui facis ardentes mundi per templa miniſtros,*
*Numinis indicia hæc plurima ferre tui:*
*Tange animum puris flammis igniq; corruſco,*
*Vt tua ſacra videns dicere ritè queam.*

## CAPVT VI.

IN anno quo mortuus eſt Ozias, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum: & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum.

MVLTA *ſunt nobis in hoc Vaticinio obſeruanda, quæ integros ſibi libros poſtulabant, & maiori tum tempore, tum ingenio & facultate ad explicandum indigebant. Nos verò eum morem (ſi poterimus) conſequemur: quem ab initio ſeruare inſtituimus, vt ſimplici dicentis ſententia indicata, ſumma adnotandarum rerum capita ſignificatione magis indicemus, quàm prolixa oratione, & tamen numquam ſatis idonea perſcrutemur. Principio illud ſtatuendum eſt, Dominum quem ſibi Vates viſum confirmat; Deum eſſe ſanctiſsimũ, vnicum natura, perſonis autem tribus diſtinctum: quamquam enim omnia quæ extra à diuina aguntur natura, omniũ perſonarum indiuiſa, & communia opera eſſe dicantur: tamen accidit aliquando, vt quædam vel Vatibus oſtenſa, vel ſacris auctoribus narrata, vnius tantùm perſonæ nomine referantur; vt quod de Patre & Filio ſeorſum inductis*

Pſal. 2. *perſonis, perſonarumq́; orationibus in Pſalmo canitur: Dominus dixit ad*

Pſal. 51. *me, filius meus es tu. & de Spiritu ſancto ſcriptum etiam eſt: Et Spiritum*

Ioan. 11. *ſanctum tuum ne auferas à me. &, Ille vos docebit omnia, &c. Atq; adeò plurima eiuſmodi in ſacris libris loca ſunt, quæ auctoritatem quidem perſonarum omnium, ſed nomen tantùm vnius ad agendum inductum indicare videntur. Ex quo effectum eſt, vt minùs notum & apertum veteris quàm noui Teſtamenti ſeculis, & hominibus fuerit hoc Trinitatis myſterium. Neque exiſtimo aliàs clarius, & expreſsiùs in antiquis libris indicari poſſe, quàm apud hunc vatem hoc ſpectro enarrando indicatur. Is enim ſe Dominum vidiſſe apertè narrat; qui an videri ab homine poſsit, non eſt huius loci diſputare, vbi de vaticinio agitur. Namq; vaticinij ratio & cùm diuina omnino ſit, ad humanam facultatem referenda non eſt. Vates autem ſibi hoc admirandum ſpectaculum clariſsima & præcipua vaticiniorũ forma, hoc eſt, viſione ſibi oſtenſum indicat: viſio autem non corporeis oculis, ſed mentis facultate fit; eaq; non ſine illuſtratione mentis percipi poteſt: ita vt qui ſe conſpiciendum præbet: is mentem oportuna virtute ad ſui contemplationem augeat, ſiue ſomnio tantùm, ſiue ænigmate, ſiue clara viſione opus eſſe, certo & arcano conſilio ſtatuat. Nam pro rerum & temporum ratione modus ipſe vaticiniorum aliter atq; aliter vatibus affertur, & conſtituitur: omnia verò diuina virtute auctoritateq́; conſtant; neque humanæ facultati ex natura attribuuntur, vt iam in commentariis Amoſi, & aliàs ſæpe diſſeruimus. Igitur quoniam grauiſsimi argumenti cõſilium hoc loco erat aperiendum, quod certum & firmum, atque maxima auctoritate conſtans eſſet, Trinitatis maieſtas eo vaticinandi modo, quo vates affici egregiè ſolẽt, hoc eſt, viſione oſtenſa eſt. hoc verò vt ſic interpretemur, & ratione ipſa, &*

*Apoſto-*

*Apoſtolorum auctoritate adducti ſumus. Nam Vates ipſe non Angelum quempiam, vt præcipuam huius ſpectri perſonam indicat, ſed Dominum, quem non ſolùm nomine illo arcano appellat, ſed certæ cuiuſdam annotationis particula Hebraicè indicat. Deinde etiã de miniſtris, hoc eſt, Seraphim Angelorum vno ex præcipuis ordinibus, ſibi quoque viſis mentionem facit, atque nomen ipſum quatuor literarum, quamquam commune tribus perſonis eſſe verè affirmetur. S. S. E. Hæ ſunt generationes cæli & terræ cùm* Gen.2.
*crearentur, in die quo fecit* IEHVEH ELOHIM, *terram & cælũ. Tamen* "
*eius nominis auctoritas ex ipſo perſonarum ordine, Patri primùm tribuitur, vt in Pſalmo:* IEHVEH *dixit ad me, filius meus es tu. & dixit* IE- Pſal.2.
HVEH *Domino meo, ſede à dextris meis. Itaq; hanc viſionem de Deo Patre* Pſal. 109.
*explicandam eſſe, ferè omnes expoſitores conſentiunt. His accedit argumẽti ratio: Nam cùm de populi Iudaici excæcatione & reprobatione hîc agatur, neceſſe eſt id conſilium à Patre etiam, vt iudice & gubernatore eſſe profectum, & cum Filio, & Spiritu ſancto communicatũ: communia enim, & indiuiſa, vt iam diximus, opera Trinitatis, à dextra (vt Theologi loquuntur) ſunt. Quòd verò Filius & Spiritus ſanctus in huius vaticinij ſpectro viſi fuerint, præter communis conſilij rationem, & nominis etiam communicationem, Ioannes Euangeliſta, & Paulus Apoſtolus nos apertè docent: nam de Filio verba faciens, alter ait; Hæc dixit Iſaias, quãdo vidit gloriam* Ioan.12.
*eius, & locutus eſt de eo. Alter verò inquit, Quia bene Spiritus ſanctus lo-* Ioan.28.
*cutus eſt per Iſaiam Prophetam ad patres noſtros, dicens: Vade ad populum* "
*iſtum, & dic ad eos, Aure audietis, &c. Nemo præterea eſt qui in propheti-* "
*co miniſterio & munere Spiritus ſancti auctoritatẽ nõ aſſerat. S. S. E. Spi-* 2.Pet.1.
*ritu ſancto afflati, locuti ſunt Dei homines. Quòd non hoc fuerit primum Iſaiæ vaticinium, vt quibuſdam videtur, inter explicãdam verborum ſententiam docebimus: & nũc ex ipſa ſcriptorum ſerie manifeſtè declaratur. Conſtat enim Vatem alia vaticinia edidiſſe in diebus Oziæ, ſicut ex ipſo libri initio edocti ſumus; ob eamq; rem huius viſionis & legationis tempus fuiſſe conſultò indicatum in anno quo mortuus eſt Rex Ozias, hoc eſt, poſt illius obitum eodem anno; neque enim annus obitus cuiuſquam antè notari, aut appellari poteſt, quàm is obierit. Sicut neque natalis annus ante natalem diem dicitur. Annus itaq; mortis, ſiue, vt Hebraicè eſt, annus mori is eſt, qui à morte alicuius inchoatus notatur. Poſterius eſt hoc oraculum in anno mortis fuſum iis, qui in diebus Oziæ fuere edita. Huius autem vaticinij opportunitas propterea in anno mortis Oziæ fuiſſe indicatur, quòd eius argumentum de Diuina prouidentia, & humanarum rerum cura atque iudicio erga impios exercendo, commodè inductum ſit, eo tempore quo populus Regis exemplo, vt fieri ſolet, diuinarum rationes rerum minùs credens contemnebat. Namq; Ozias in ſenectute, & poſtremis antequã moreretur annis, pietatem contempſiſſe, & conſultò violaſſe narratur. Sed cùm roboratus* 2.Paral.26.
*eſſet, eleuatum eſt cor eius in interitũ ſuum, & neglexit Dominum Deum* "

*ſuum,*

*ſuum, &c. Ita vt ex diuinarum contemptione rerum, & popularis gloriæ conciliandæ ſtudio pōtificium munus obire impio auſu voluerit, & contenderit, niſi cælitus lepra affectus, demum eſſet probibitus. Quam verò ob rem hac præcipua pœna Rex ille affectus fuerit: cùm alij idem tentantes, vel repentino interitu, vel manus ariditate fuiſſent mulctati: ratio ſuo loco, Deo nobis monſtrante, exponetur. Magnæ namq; contentionis & ſuperbiæ ſimul atq; impietatis cogitatio regem illum inuaſerat: quam quòd Iſaias non ſatis perſpectam haberet, vehementer vicem eius dolebat: quem cùm propter vnctionis ſanctitatem venerandum duceret, ob lepram à conſortio & conſuetudine hominum relegatū videbat: maximè quòd antea bonum regem, Deiq; cultorem & pium cognouerat. Eius autem primùm rei dolor, & deinde mortui regis caſu vates ita afflictus videtur fuiſſe, vt per id temporis nihil omnino fuerit vaticinatus. Eiuſmodi namq; mœrore confectum quoque Moſem ob latam aduerſus exploratores grauem ſententiam, & vaticinandi officio, & diuina viſione allocutioneq; per aliquot dies caruiſſe legimus. Atque hæc ratio nobis indicatur, quamobrem Iſaias huius vaticinij tempus anno mortis regis, præter ſuum, & cæterorum Vatum morem adnotauerit; quòd videlicet huius viſionis argumentum Regis quoque res & rationes ſpectaret: quas viſio ipſa vati aliter fortaſſis de regis animo & mente exiſtimanti indicare, & cogitādas proponere potuit. Nam cùm Dei maieſtatem, & rerum humanarum curam ſpectro Vates cognoſceret, eo anno quo Rex mortuus eſſet, facilè intellexit maieſtatis contemptionem & prouidentiæ diuinæ abnegationem in illo ſacerdotalis muneris attentato facinore delituiſſe. Fuere autem qui Deum quidē non negarent, & maximum, & ſummum, ac mortalibus venerandum ſuſpiciendumq; eſſe dicerent; neq; vllam tamen inferiorū rerum, præcipuè humanarū procurationem habere cenſerent: quòd eam cū tanta maieſtate ac felicitate nō putarent cōuenire.*

Hor. Serm. lib. 1. Epicuru apud Laertiū.

*Namq; Deos didici ſecurum agere æuum,*
*Nec ſi quid miri faciat Natura, Deos id*
*Triſteis ex alto cæli demittere tecto.*

Euripides apud Plutar.

Cic. de nat. Deor. lib. 3.

*Fuere etiam qui magna à Deo curari, parua verò & ſingularia negligi arbitrarentur: hi omnes maieſtatem, altitudinem, & celſitudinem cum ſumma quiete Deo tribuere volebant. Summam autē quietem, vnà cum gubernatione rerum ita demum conuenire exiſtimabant, ſi Deus genera ipſa quæ perpetua mutabiliaq; eſſe crederent, in vniuerſum tueretur, & foueret, ſingularia verò negligeret. Neque ſalutem daret ægris, neque calamitatem importaret hominibus, & multa huius generis indoctè ſimul atq; impiè quibuſdam credita atq; dicta ſunt. Namque de iis, quæ diuinam inficiati ſunt naturam, vt de portentoſis atque omnino exploſis ſententiis, nulla in hoc argumento mentio eſt; ij autem viſione hac nunc redarguuntur, qui excellentiæ diuinæ ſtatuendæ cauſa prouidentiam & curam, vel omnium, vel minorum negabant rerum. Vidit igitur Deum Iſaias quietum in primis, &*

*nulla*

*nulla perturbatione affectum, ſed ſedentem eundem, ac maximæ maieſtatis, & dignitatis gradum ſummum complentem ſpectauit.* Super ſolium excelſum & eleuatum. *At verò tantam maieſtatem inferiorum prouidentia, & cura rerum vacuam non eſſe; neque ideo tamen minui poſſe, huiuſmodi à ſe viſi ſpectri parte vates indicauit.* Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templũ. *Hebraicè eſt,* Et fimbria eius, *ex quo verbo cognoſcimus quid interpres hac oratione ſignificare voluerit,*ea quæ ſub ipſo erãt. *Non enim vllum laborem, vllámve difficultatem muneris cuiuſpiam ſuſtinendi, in Dei maieſtatem cadere; quippe cui nihil de natura, nihil de præſtantia, de excellentia, de quiete & tranquillitate nihil, ob eam rem decedat mundi huius res curanti: id enim à ſedente quieto & excelſo, vel fimbriis ipſis veſtium, quibus templum impletur, præſtari poteſt facillimè; ita vates noſter diuinam efficacitatem, qua cuncta creari gubernariq́; cognouit, fimbriis, quæ extremæ in veſtibus oræ ſunt, dixit eſſe perſimilem, admirando, arcanoq́; ſignificationis myſterio. Siquidem fimbria ea indumenti pars eſt, quæ non veſtitus, ſed ornatus, aut diſtinctionis, aut ſigni memoriæ recordationíſve cauſa extremæ oræ aſſui, attexi, aut alio modo addi ſolet. Cuiuſmodi certa ſignificatione ornatus, in ſacerdotis veſte apponi iubetur à Deo, eodem quo Iſaias vſus eſt ſæpiùs repetito nomine. Dicuntur autem fimbriæ Hebraicè* SOLIM; *ſic vocatæ, quòd illis etiam detractis, vel non additis, veſtiendi vſus conſtare commodè poſsit. Plerumque enim hoc genus ſignificationem erga eum qui indutus eſt, magis quàm vſum alium habet. Namque in noſtra etiam conſuetudine, quæ minori conſilio quàm antiquæ regitur, hoc genus munimenti in veſtibus, quos Hiſpani* Fluecos *vocant, ex tenuibus & pendẽtibus filis cõcinnatur: ſegmen Latini hoc genus omne & fimbrias dicunt. Significat autem ſpectrum diuinæ naturæ maieſtatem, auctoritatem, gloriam, & felicitatem omnem, conſtare quidem ſibi integrã poſſe; etiam ſi mundus hic non ſit; quippe cùm non ipſa modò Dei natura, & locum omnem infinito exceſſu ſuperet; ſed vel veſtium fimbriæ tantùm vniuerſum impleant, hoc eſt, efficacitates ex diuina virtute atque gloria profectæ: quæ ſi Dei voluntate ſubtrahantur, mundus quidem vacuus & inanis reddetur. Ipſe autem Deus totus integer, omninóque veſtitus manebit. S. S. E. Domine Deus meus magnificatus es vehementer: confeſsionẽ & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento. Lumen autem quod Dei veſtimentum Vates omnes eſſe aſſerunt: non mũdi huius effectus, aut pars aliqua, ſed diuinæ naturæ virtus eſt, qua ſe ipſe ſibi ſufficiẽs ornat, & decorat. S. S. E. Deus Lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Ex luce autem lucere, & lucem dare natura ſua proficiſcitur, & emanat. S. S. E. Benedicite Domino omnes ſtellæ & lumen. & apud Iſaiam, Quoniam ſtellæ, & cæli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum, &c. Huius itaque diuini luminis fimbriæ totum templum replentes, prouidentiã certiſsimam & ampliſsimã ſignificant; vel minimas quaſq; mundi res gubernantẽ, ſine*

Marginal notes: שולים (beside "Hebraicè SOLIM"); Pſal. 103. (beside "S. S. E. Domine Deus meus"); 1 Ioan. 1. (beside "decorat. S.S.E. Deus Lux eſt"); Pſal. 148. (beside "Benedicite"); Eſa. 13. (beside "apud Iſaiam")

*vlla vel moleſtia, vel difficultate, vel maieſtatis infinitæ imminutione, vel*
Pſal. 12. *accretione. S.S.E. Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, &*
» *humilia reſpicit in cælo & in terra. & apud hunc vatem etiam Dominus*
Eſa. 57. *excelſus & ſublimis, habitans æternitatem, & ſanctum nomen eius, in ex-*
» *celſo, & in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu, vt viuifi-*
» *cet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Itaq; oportunum viſionis tempus fuit, quo diuina prouidentia in dubium Regis auſu reuocata, graue exemplum eſt editum. Cuius viſionis ſententia cognita, cogitationum ſuarum de Regis cauſa errorem Vates agnoſcens, confeſſus eſt, vt paulo inferiùs audietur:* Heu mihi, *inquiens,* quia peccaui, &c. *Regis autem dignitatis cauſa ſcriptura ipſa regis factum, & conſilium non aperuit; ſed tamen viſione ad annum mortis relata & adnotata, indicauit. Animaduertendum quoque eſt, Dei ſedentis ſolium altum & excelſum, non ſolùm felicitatem ac maieſtatem, & quietem; ſed iudicandi munus, auctoritatē, & officiū ſignificare. quod hæc etiam pars in prouidentiæ rationibus cùm primis cenſeatur: idq; cùm nomen ſolij, quod regum iudicumq; eſt; tum ipſa deinde narrata actio declarat. Eodem præterea loco & ſitu maturitas & æquitas, grauitas & integritas nulla re commoti, ſed quieſcentis, & ſedentis, atq; ſedati iudicis indicatur. Eſt enim is habitus iis qui cauſam aliquam*
Deut. 6. *ſapienter cogitare & cognoſcere volunt, commodiſſimus. S.S.E. Et narra-*
» *bis ea filio tuo, & meditaberis ſedens in domo tua. Atque verbum ipſum ſedere, iudicum cauſas cognoſcentium officium exercitationemq; ſignificat.*
Exodi 18. *vt, Sedit Moyſes vt iudicaret populum: qui aſſiſtebat Moyſi à manè vſque*
» *ad veſperam: & dixit Moyſi ſocer, Quid eſt hoc quod facis populo? Cur ſo-*
» *lus ſedes? Viſionis igitur argumentum eiuſmodi eſt à reprehenſionis & obnuntiationis ſubiectæ ſententia, non (vt videbatur) alienum. Namque in eodem de prouidentia errore, iiſdemq; malis cogitationibus populum verſatum eſſe, orationis explicata ratio arguet manifeſtè. Quamquā verò multa ab Hebræis, Chaldæis, antiquis Græcis, ac Latinis viris, qui de rebus diuinis ſcripſere acutiſſimè & diligentiſſimè, cogitata & tradita ſunt: quæ nobis ad huius viſionis explicationem afferri poſſent: ne tamen impedimēto ſint, quo minùs propoſitæ breuitati ſatisfiat, illis conſultò in iuſtum oportunumq; opus relictis, vaticinij explicatio ex ipſa verborum ſimplici ſignificatione petenda eſt. Diximus igitur, Trinitatis imaginem eo modo, quo per viſionem cerni poteſt, Vati fuiſſe oſtenſam: quoniam verò viſionis & vaticinij huius argumentum, ad prouidentiam, & humanarum rerum cognitionem & curam, maximè autem ad iudicium illud diuinum ſumma æquitate in probos improboſq; exercendū, ob eam cauſam Dei erga res ipſas, mundumq; omnem ratio atque habitudo vati demonſtrata eſt. Qui Dominum ſe vidiſſe ait ſedentem, hoc eſt, nullo motu, nulla mutatione affectum: ſed quietum, & felicem integritatemq; ſuam habitu ipſo ſedendi oſtendentem: idq; ſuper ſolium excelſum & eleuatū. Eſt autem ſolium hoc excelſum primum*

*mum ſupremumq́ omnium cælum, quod ambitu ſuo omnia mundi corpora parteſq́ continet: hoc verò à Deo gubernari vates ſignificat: ita tamen vt nihil Deus à cælo ipſo vel accipiat, vel ferat, aut patiatur. Neque enim in ipſo ſolio; ſed ſuper ipſum ſedens viſus eſt. Itaq́ illa particula* ſuper, *imperium & excellentiam atque præſtantiam ipſo ſolio infinito interuallo ſuperiorem ſignificat. Ita vt ſiue cælum ipſum moueatur, ſiue immotum alios ſubtus ſe motos contineat: tamen Deum non in ſe, ſed ſupra ſeſſorem habet; à quo vt equus & currus à ſeſſore vel auriga regitur, & pro arbitrio gubernatur. Authoritatis itaque & gubernationis rationem ab omni regentis paſsione aut mutatione alienam oratio illa,* Super ſolium, *ſignificat. Sic etiam Iacob ſcalam vidit, & Dominum ſtantem ſuper eam. Eademq́ ſententia Moſes Deum equitatorem cæli appellauit. Aſcenſor, inquit, cælorum auxiliator tuus. Aſcenſorem autem interpres Latinè ſatis aptè pro equitatore reddidit. & Dauid: Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum: Dominus nomen illi. Quibus omnibus locis Deus gubernator ſupremus aſſeritur.* Eleuatum & excelſum. *Hebraicæ linguæ idiotiſmus docet adiuncta hæc, eleuatum & excelſum, ad vtramque partem eſſe referenda: hoc eſt, ſuper ſolium excelſum & eleuatum viſum fuiſſe Deum ſedentem excelſum & eleuatum. Atque hæc ratio expoſitionem noſtram apertiſsimè indicat. Namq́ vt ſolij, hoc eſt, ſupremi cæli epitheta ſunt, excelſum & eleuatum: ſic Deo quoque attribuuntur, etiam apud hunc vatem, ſic dicit: Excelſus & eleuatus habitans æternitatem, ſanctum nomen eius. Eadem verba vtroque loco ab Iſaia prolata ſunt: ſed in illo alio capite Dei domus ipſis cælis ſuperior, antiquior, & omnino præſtãtior indicata eſt. Habitans æternitatem, inquit, etenim æternitatis habitator ſuper cælos, & cælos habitat. Eſt enim æternitas infinita, & immenſurabilis, increata & incorruptibilis, Deoq́ coæua & incorporea: cælum autem finitum, menſuratum, creatum, & quòd perire poſsit: præterea corporeum, manifeſtum eſt. Quibus ex rebus conſequitur Deum ſolio ipſo, hoc eſt, cælo infinito exceſſu præſtantiorem eſſe: atque ideo incorporeum, immobilem, inuariabilem, infinitum, immenſum; neque genitum, neque interiturum vmquam. Habitus etiam ipſe ſedendi, omnium corporis habituum firmiſsimus eſt, & minimè laborioſus, atque ideo præter cæteras huius habitus rationes, quas indicauimus, hæc etiam ad hanc quam expoſuimus ſententiam, eſt afferenda: præterea & imperantis & dominantis hic habitus proprius, cùm ſtare ſit miniſtrantium frequentiſsimus. Cuius exempla ſunt: Ioſue filius Nun, qui ſtat ante te. &, Abraham ſtabat iuxta hoſpites comedẽtes ſub arbore. &, Ego in medio veſtrum ſto, vt qui miniſtrat. & Ioannes amicũ ſponſi ſe eſſe dicebat, qui ſtaret. Ideoq́ Seraphim Iſaias duo ſedenti adſtantes videt; cum omni autẽ naturæ genere Deus à vatibus comparatus, ob eas, quas indicauimus rationes, ſedens deſcribitur. Nam cùm de ſeparatis & ſpiritualibus naturis mentio fit, ſic legimus: Qui ſedes ſuper Cherubim. &, Dominus regnauit, iraſcantur*

Marginal notes: Gen. 28. / Deut. 33. / Pſal 67. / Iſa. 57. / Deut. 1. / Gen 18. / Lucæ 22. / Ioan. 3. / Pſal. 79. & 98.

*tur populi: Qui ſedes ſuper Cherubim, moueatur terra. Cùm verò de cæleſtibus cauſis: Qui ſedet in cælis deridebit eos. De aëre verò, & iis quæ ſub cælo ſunt: Qui ponis nubem aſcenſum tuum. De terra autem, & terræ incolis: Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ.* Eſaiæ 40.
Pſal. 21. *Priuatè etiam de pia gente ſermo cùm ſit legimus: Tu autem in ſancto habitas, laus Iſraël. Sic ad verbum legitur locus. At verò præter ſummam illam, & omni oratione & cogitatione maiorem Dei maieſtatẽ, quam vates ſibi viſam ait, oſtendit etiam curam & prouidentiam erga vniuerſum mundum, parteſq; mundi omnes, ſibi abundè fuiſſe cognitam.* & ea quæ היכל ſub ipſo erant, replebant templum. *Hebraicum nomen* HEICHAL, *partem illam mediam templi ſignificat, poſt ſanctum ſanctorũ proximè ſitam; quæ mundi huius referebat imaginem, primam igitur gubernandi auctoritatem, Deo vates hactenus attribuit, eius præterea gubernationis miniſterium ſpiritibus & mentibus iis, quæ ſeparatæ dicuntur, aſſignat.*

Et Seraphim ſtabant deſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.

Heb. 1. Iud. 6. ANGELOS *omnes miniſtratorios ſpiritus eſſe, & Paulus, & Iudas Apoſtoli docuerunt. Angelos autem communi verbo appellamus omnium ſpirituum ordines omnes: quos Philoſophi intelligentias dicunt. horum maximam in miniſteriis obeundis, tum celeritatem, tum efficaciam eſſe, duarum rerum, ſpiritus & ignis imagine Vates oſtendit.* Pſal. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem. Atque de ſpirituum genere & miniſteriis ac muneribus, deq; horum verborum vſurpatione multa in libris De arcano ſermone ſcripſimus: plura aliàs, & exactiùs, Deo volente dicturi. Hîc tantùm ratio illa exponenda eſt, qua ſpiritus illi, ſiue omnes, ſiue aliqui tantùm Seraphim dicuntur. Hoc enim nomẽ ab efficacitatis vehemẽtia & vi ſortiti videntur: nulla nãq; res aut citiùs, aut certiùs, aut acriùs quàm ignis vim ſuã oſtẽdit: neque magis in omnes partes duriſſima etiã & firmiſſima quæq; tentans, & peruincens penetrat.* Nahum 1. *S. S. E. Ante faciẽ indignationis eius quis ſtabit, & quis reſiſtet iræ furoris eius. Indignatio eius effuſa eſt vt ignis, & petræ diſſolutæ ſunt ab eo. Ex multis autem verbis quibus ignis efficientia Hebraicè dicitur, vehementiſſimã & efficaciſſimam rationem ſignificat,* שרף SERAPH, *vnde nomen plurale Seraphim eſt factum; namq; extremi ignis effectus penetrandi, diſſoluendi, & coagmentandi huius verbi vſurpatione indicãtur: ita vt omnis illa in latericio fornace, & in calcis conficiendæ arte ignis efficacitas hoc verbo repetito ſignificetur; ſiquidem vbi nos legimus, Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni, Hebraicè eſt,* נשרפה לשרפה NISREPHAH LISREPHA, *comburemus ad combuſtionem. Ex his autem indicaſſe ſatis apertè videmur, quid nomẽ* SERAPH *ſingulare, & Seraphim plurale ſignificet, vt ratio illa cum illo hemiſtichio vatis quadret, & miniſtros tuos ignem vrentem. Horum numerũ nullum*

certum

*certum nobis Vates indicauit à ſe viſum: ſed multos tamen fuiſſe pluralis nominis forma arguit. Hos miniſtrantes Deo habitus ipſe ſtandi, vt diximus, oſtendit: miniſtrari autem Deo non ad ipſius vllam commoditatem, aut vſum, quippe cui nihil exterius aut detrahi, aut accedere poſſit, vtpote perfectiſſimo, & infinitæ virtutis numini; ſed miniſterium ad mundum ipſum, atque adeò ad homines, quorum vſibus mundus conditus fuerit, pertinere vates illa oratione docet,* & Seraphim ſtabant ſuper illud. *Seraphim, inquit, miniſtrabant ſuper templum ipſum, hoc eſt, mundũ; illis enim virtus à ſedente & gubernante communicatur, quæ in templum ipſum intendi & agi poſſit. Vox* ſuper *Hebraica, myſterium indicat. ea eſt* MIMAGHAL, *à verbis* GHALAL, *&* GHALAH *deducta: ſignificãt autẽ hæc verba, alterum agere, conari, ac moliri, deſignare, animiq́; potẽtiam declarare. Alterum verò aſcendere, vtraque verò ſignificatio ſimul coniuncta docet, ſupernè efficaciter agere: id demum Seraphim eſt munus atque officium. Vox autem hoc loco à Propheta vſurpata componitur ex duabus* MIN, MIN, DE, DE. *&* GHAL, *ſuper. Igitur ſi locum ex verborum arcana interpretatione Latinè reddere velimus, in hanc ſententiam reddi conueniet:* Et Seraphim ſtantes de deſuper cogitanter actiuè illi: *hoc eſt, & Seraphim miniſtrabant virtute deſuper accepta, quam conſultò, & prudenter infundebant ipſi templo, atque ita horum adminiſtratione mundi res geri, tũ hæc oratio, tum illa apertè ſignificat à vate paulo inferiùs pronũciata.* Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis: & domus repleta eſt fumo. *Spirituum enim voce audita, cæli mouentur ſupremi, & hac motione virtus illa cæleſtis, qua cuncta aluntur & fouentur in omnes inferioris mundi penetrat partes. Apertè autem Vates noſter docet miniſtratorios illos ſpiritus, ſiue intelligentias non eſſe animas, aut formas cælorum, aut aliorum corporum; ſed ſeparatas & mouentes atq; agentes, vtpote quos deſuper ipſi templo, eosq́; ſtantes, agenteſq́; viderit. An verò Deum ipſum Iſaias viderit, an Angelum quempiam, vel Angelos potiùs Dei perſonam ſuſtinentes, neque dubitare refert, neque nunc diſputare vacat. Certò illud conſtat, diuinam auctoritatem huic viſioni non adfuiſſe ſolùm, ſed præfuiſſe etiam: cùm Paulus Spiritum ſanctũ relatæ hoc loco orationis auctorem citet. Atq; ita quamquam Angeli fuerint quos viderit, tamen præſentis Dei vati mentem illuſtrantis perſonam ſuſtinentis, fateri oportet. Sicut & Abraham, qui tres viros (quos Angelos fuiſſe in confeſſo eſt) videns, tamen Deum vidiſſe dicitur. Apparuit autẽ ei Dominus in conualle* Gen. 18.
*Mamræ, ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in feruore diei. Cumq́; eleuaſſet* "
*oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum, &c. Itaque omnibus in* "
*his viſionibus & allocutionibus non tam miniſterij & miniſtrorum, quàm auctoris ipſius ratio habetur. Sic enim Paulus auctoritatem omnẽ Deo tri-* Heb. 1.
*buit, quamquam miniſtrorum opera apertè indicet. Multifariam multisq́;* "
*modis olim Deus locutus per Angelos ad patres in Prophetis. Quoniam*

Margin: ממעל עלל עלה מן על

*verò in omni rerum earum quæ in mundo conſpiciuntur genere, ſiue hæc elementa, ſiue ex elementis compoſita ſunt, nulla natura vel ſimplicior & purior, vel illuſtrior, vel efficacior, vel celerior, aut ſublimior quàm ignis videtur, vt iam diximus. Nulláque præterea aut vtilior, vtpote quæ caloris omnia fouētis & animantis fons origoq́; ſit. Nulla etiam terribilior, quippe quæ comburere, & conſumere omnia, & in cineres redigere valeat, quæcumq; comburi & conſumi poſſunt. Hæc ratio eſt quamobrem diuinæ gloriæ & virtutis imago, ſiue à Deo ipſo obiecta; ſiue per ſpiritū repræſentata fuerit, ignis in ſpeciem ſit olim tum Vatibus, tum etiam aliis perſonis viſa. Sic*
Pſal. 110. *enim Dauid miniſtros Dei ignem vrentē effecit. & Daniel: Thronus eius*
Dan. 7. *flāmæ ignis, rotæ eius ignis accēſus. Fluuius igneus rapidusq́; egrediebatur*
Exodi 24. *à facie eius. & in lege ſcriptū eſt: Et habitabit gloria Domini ſuper Sinai,*
" *tegens illum nube ſex diebus: ſeptimo autē vocauit eum de medio caliginis;*
" *erat autem ſpecies gloriæ Domini quaſi ignis ardens in conſpectu filiorum*
" *Iſraël. Atq; hac ſpecie primùm Deus, vel potiùs Dei perſonam ſuſtinens,*
Exodi 3. *Angelus Moſi viſus eſt. Apparuitq́; ei Dominus in flamma ignis de medio*
Iud. 13. *rubi. & Manoahh Sampſonis pater: nuntium per quem celeberrimi filij*
" *promiſſum acceperat, inſtitutionemq́; edoctus fuerat, ignis viſi argumento*
" *Dei Angelum, diuinæq́; gloriæ miniſtrum eſſe cognouit. Cumq́; aſcenderet*
" *flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma aſcendit:*
" *quòd cùm vidiſſent Manue & vxor eius proni ciciderunt in terram; &*
" *vltrà eis non apparuit Angelus Domini: ſtatimq́; intellexit Manueh An-*
" *gelum Domini eſſe, & dixit ad vxorem ſuam, morte moriemur, quia vidi-*
" *mus Dominum. Conſentaneum itaq; eſt, vt miniſtri etiam ipſi diuinæ gloriæ eodem ad miniſtrandum efficacitatis genere videantur, hoc eſt, ignita virtute deducta & communicata ex illo fluuio igneo ac rapido, quē Daniel à facie eius egreſſum videbat: ex qua etiam re cognoſcitur virtutem omnem quæ ſpiritibus illis inſit, auctorem Deum agnoſcere, id quod & vates noſter illa voce, De deſuper, indicauit. Hanc quoque explicationis noſtræ rationem antiquus ille Chaldæus Paraphraſtes egregiè ſignificauit.* Vidi, *inquit*, gloriam Domini manentis ſuper ſolium ſuum excelſum & ſubleuatum in cælo ſupremo: & à fulgore gloriæ plenum eſt templum: miniſtri ſancti in celſitudine ante illum.

*Illud præterea nobis adnotandum oratio ipſa indicat, ſpiritus illos non modò naturæ virtutis actionisq́; ſuæ, ſed etiam durationis & permanentiæ auctorem Deum agnoſcere; ita vt nulla natura præter Deum æternitatis rationem ſibi, vt propriam vendicare poßit. Quidquid enim habet, à Deo habet, quamobrem Deus vati viſus eſt ſedens, & quietus: idq́; ſuper ſolio ſuo proprio, vtpote cùm immobilitas, æternitas, quieſq́; ipſa ſit. Seraphim autē, non ſedentes, ſed ſtantes, hoc eſt, permanentes: verùm non propria & immota virtute; ſed vt cōſtituti & fixi à ſuperiori cauſa, vt vox, Deſuper, indicat: ita vt non naturam ſolùm, ſed durationem quoque Deo acceptam referant:*

*referant: vſus eſt autem verbo aptiſſimo,* GHAMDIM, *quod & ſtare, & fixum eſſe, ac manere ſignificat. Ex quo verbo quæ apud nos columnæ, apud illos* GAMVDIM, *vocãtur. Sic ob firmitudinẽ & ſtatum dictæ, quas tamen ab architecto & parari, & confici, & conſtitui neceſſe ſit: profectò multis myſteriis refertiſſimæ ſunt ſacrorum orationes librorũ, quibus pro dignitate indicãdis, nullum tempus, nullum humanum ingenium ſatis idoneum eſſe poſſit. Atque de ſex alis, earumq́ ſitu & officio multa quoque acutiſſimè ab antiquis diſputata ſunt, quæ nobis hoc loco omiſſa, aliàs erunt fortaſſis referenda. Nunc verò properantibus ea, quæ ſimpliciora, magisq́ cohærentia videbuntur, indicanda ſunt: eaq́ cùm ex natura rerum, tum ex ipſa verborum ſacrorum ſignificatione petentur. Alarum facultate ad eum vſum prædita volatilia videntur; primùm, vt ſeſe mouendo & geſtando, ſuasq́ appetitiones proſecutæ, conſpectus hominum interdum fugiant, & ſuperent; interdum etiam petant, & ſubeant: atq́ ita momẽto ferè temporis auem ex terra auolãtem, vel in altiſſimas nubes ſeſe abdere, vel quàm longiſſimè in alios tractus, quò noſter non pertingat intuitus, rapere videmus: præterea dorſum, corporisq́ ſui bonam partem, aues, dum non volant, alis munire ac tegere ſolent. Eſt autem Hebraicum alæ nomen* CHANAPH, *curuitatem, flexionem, & angulum, atq́ extremitatem ſignificat: ſic nonnumquam legimus, alam veſtimentorum, hoc eſt, extremitatem ſummam, qua apprehendere poſſumus aliquem, retinendi cauſa. Atq́ ita alæ Angelis attributæ ex ea ſignificatione videntur, qua eorum ratio nobis vel nota eſſe & apprehendi, vel celari, & cogitationem fugere humanam poteſt. Eſt autem ex ſpirituum ratione cognoſcenda triplex definitio, prima enim ſeſe contemplandam præbet ipſorum natura & habitudo, quatenus in ſeſe eſt, à Deoq́ auctore, & prima cauſa pendet. Secunda verò eſt, eorum munus & miniſterium quatenus orbibus cæli, & cæteris mundi partibus mouẽdis, vel afficiendis præſunt. Tertia autem eorundem cum hominibus agendi ratio, ſiue ipſis cum Prophetis, ſiue cum cæteris hominum ordinibus negotium intercedat. Ex his tribus definitionibus primam & ſecundam difficillimam, immo potiùs celatam negatamq́ eſſe mortalibus ad cognoſcẽdum vates manifeſtè indicat. Ait enim duabus alis, quibus expanſis & diductis Seraphim faciem videri fortaſſe contigerat: tamen velatam fuiſſe, ita vt à mortalibus non videretur. Duabus itidem alis eorum pedes quibus ſtarent, tẽploq́ inſiſterent, velatos quoque fuiſſe, duabus autẽ volatũ, hoc eſt, id miniſteriũ quod ad homines pertineret, exerceri: idq́ etiã eſſe cognitu difficillimum, vtpote celerrimum & inueſtigabile. Volantis enim auis via quænam fuerit, quæve futura ſit, neque notari à mortalibus, nec indicari poteſt: ea enim in aëre conſtat; qui niſi quam partẽ ſui auis occupet, nullam aliam aut antè occupatam veſtigio aliquo, aut poſt occupandam, ſigno vllo coniectare ſinit. S. S. E. Tria ſunt difficillima mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cælo, &c. Atque hæc nobis huius alarum imaginis explicatio* Prou. 30.

עוֹמדים
עמודים
כנף

*&*

& ſententia eſt, videlicet illorum ſeparatorum ſpirituum naturam, & mo-
uendi adminiſtrandiq́ mundi rationē plenè mortalibus cognoſcendam ne-
gari: quamquam diſputari & agitari à magnis philoſophis audiamus. Id
verò clariùs quodammodo cognoſci miniſteriū, quod homines ſpectat, tam-
etſi non vſquequaque plenè, vtpote cuius præſentiam experiri poſſumus,
exercendi verò rationē celerrimam adeò eſſe, vt cognoſci difficillimum ſit.
Videmus enim Angelum cum homine vel expreſsis verbis, vel obiectis mēti
ſpectris, vel aliis ſignis & imaginibus agentē, certam autem rationē quem-
admodum id fieri neceſſe ſit, ſecundùm naturā reddere non poſſumus. Atq;
hæc volatus definitio eſt, hoc eſt, miniſterij Angeli erga homines exercitatio;
vt ipſe Iſaias inferiùs declarauit. Et volauit, inquit, ad me vnus de Se-
raphim, &c. Nunc verò hæc ex verbis ipſis confirmanda ſunt. Duabus,
inquit, velabat faciem eius. Suam ipſius faciem vnuſquiſque ex illis ve-
labat duabus alis, arcano autem ſermone facies naturam ipſam & ſubſtan-
Iob 2. tiam. Atq; idē etiam quod apud Latinos SESE IPSVM ſignificat. vt, Tange
,, os eius, & carnem eius, & tum videbis quòd in faciem benedicat tibi. &,
Exodi 33. Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. Præterea,
פנים PANIM, Hebraicum, quod Latinè faciem dicimus, reſpectum & habitudi-
nem, & relationem ad rem aliam (vt Dialectici loquuntur) ſignificat: vt
Hebraicè ſcientibus eſt manifeſtum: ex qua ſignificatione panes facierum
ſunt dicti, quos aliquando panes propoſitionis vocamus: quòd ante Domi-
num perpetuò appoſiti eſſent. Quibus ex rationibus illud interpretati ſu-
mus. Cuius nam propriæ definitionis illi ſpiritus ſint, & quēadmodum ſeſe
erga Deum habeant, in diuina videlicet agnoſcēda & colenda natura planè
exploratum hominibus non eſſe; hoc tamen certum eſt, illos ea ratione ſem-
per eſſe Deo præſentes, nunquam verò ſemotos, neque enim illis alis volare,
ſed tantùm velare facies ſuas viſi fuere: conuenit planè hæc ratio cū Chri-
Matth.18. ſti ſententia: Dico autē vobis, quòd Angeli eorum in cælis ſemper vidēt fa-
,, ciem Patris mei, qui in cælis eſt. Duabus velabant pedes eius. Nomen pe-
dis pro munere, officio, & miniſterio, atq; adeò pro cōſueto exercitio ſæpiſ-
Gen.30. ſimè in ſacris literis vſurpatur; vt, Et benedixit te Dominus ad pedes meos;
1.Sam.25. &, Da pauperibus ambulantibus in pedibus Domini mei. & illud, Non
Gen.33. veniat mihi pes ſuperbiæ; &, Ego ſequar, inquit Iacob, ad pedes operis. Ita-
que huius loci ſententia eſt, Seraphim aſtare quidem templo, atq; illi ſupe-
riores vim actionemq́; ſuam impertiri; idq́; exercitij & muneris habere, atq;
præſtare, immotos tamen ea quoque parte, vtpote inferioribus illis alis non
velantes, verùm eam rationem omnem hominum infra ſe poſitorum, oculis
occultare & celare. Sunt autē alæ, vt diximus, rationes illæ, quibus vel ac-
cedere, vel apparare, vel recedere, & occultari alata poſſunt. Atq; in ſpiri-
tibus ſeparatis idem etiam huiuſmodi ſignificat imago. binæ verò propterea
dicuntur, quòd duo ſemper in cognitione eſſe neceſſe ſit; cognoſcentē ipſum,
cognoſcēdam rem. Igitur cognitionem ipſam alis impeditam, dicere perinde

eſt,

*eſt; ac ſi tum ex profunditate & magnitudine rei cognoſcendæ, tum ex imbecillitate cognoſcentis impediri & occultari interpretemur.* Duabus verò volabant. *Tertiam illam examinandi ratione͂ quam ſpiritus erga homines ineunt, oſtenſam vati diximus: ita tame͂ oſtenſam, vt certam experiri contingeret; omnino verò intelligere non contingeret; vtpote quam volatu expediri Vates vidiſſet. Ita vt rebus quæ conſtant quide͂ & ſentiuntur, comprehendi tamen prorſus, & teneri non poſſint: aptè quadret volādi imago, vt velut ſomnium volans nō inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna, oculus qui eum viderat, nō videbit, neque vltrà intuebitur eum locus ſuus. hæc apud Iob volatus definitio eſt, ac de Deo ſcriptum eſt: Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit ſuper pennas ventorum. In hoc autem ſpectro optimè ex rerum dignitate, ſpirituum ratio omnis diſpoſita, & conſtituta eſt. Namq; prima cauſa quamobrem natura illa creata fuit, Deus ipſe eſt, ad quem facies ſpectat. Proſtrema mundus, quem ex diuino conſilio regit, media autem homines, in quorum gratiam mundus eſt conditus; quamobrem medis, hoc eſt, facie inferioribus, & ſuperioribus mundo alis miniſtrare viſi ſunt, atq; aliis rationibus immotis ſtare. Hac verò quæ ad homines pertinet, multi venire, & ire, accedere, & recedere, denique volare dicuntur. Id quod apertè diuus Paulus docet: Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſsi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis? Huius autem miniſterij cauſa variis nominibus, cùm communiter, tum ſingulariter appellari ſolent, & tamen omnes miſsi dicuntur. vt, Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Virgine͂. &, Ego ſum Gabriel qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Eadem quoque ratione apparere, atq; in ſomnio viſi accedere, & diſcedere ſæpè leguntur: illud porrò ad diſciplinæ noſtræ rationem atq; vſum à Vate indicatum breuiter annotare cōuenit. Angelorum naturam, atq; eam quæ vel Deum, vel mundum ſpectat, rationem vtpote difficillimam, & mortalibus ad inueſtigādum negatam, curiosè inquiri non oportere. Miniſtrationis verò inter Deum & homines exe͂plum imitari ac ſequi vehementer expedire. Neque tantum Angelorum cognoſcenda natura, quantum obedientiæ imagine exprimenda religionis & pietatis officium nobis præſtari.*


Iob 20. / Pſal. 18. / Heb. 1. / Lucæ 1.

Et clamabant alter ad alterum, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius.

HVIVS *loci explicationem ſanctitudinis definitio illuſtrabit. Eſt autem ſanctitudo, præſtantia, & dignitas quædam à cæteris rebus longo interuallo ſeparata, nullam comparationem admitte͂s, præter eam quæ oppoſita ſit, vt inter honeſtum & turpe, mundum & immundum, ſacrum & prophanum. Namq; honeſtum, mundum, ſacrum, omnia hæc ſancta dicuntur. Eſt autem ſanctum ei, quod vulgare & cōmune dicitur propriè oppoſitum: vt, Et cunctorū conſecrabis manus, ſanctificabiſq; illos vt ſacerdotio fungantur mihi. Sanctificamini, & eſtote ſancti, quia ego Dominus Deus ve-*

*ſter: cuſtodite præcepta mea, & facite ea, ego Dominus ſanctifico vos. Ex hac ratione templa, altaria, veſtes, ſacrificia, cibi, vaſa, & vnguenta ſancta dicuntur, quæ cõmuni & vulgari vſu diſtincta & ſeparata ſunt: ita propriè excellentiam quocumque in genere cum ceteris incomparabilem, ſanctitudo ſignificat. qua de re plura à nobis aliàs diſputata ſunt. Eſt igitur huius prædicationis & confeßionis à Seraphine editæ ſententia; Deum omnino excellentem eſſe cæteris omnibus rebus, vltra omnẽ comparationẽ præſtare; idq́ omnibus tum naturæ, tum ſapientiæ & virtutis, tum etiam efficientiæ rationibus conſtare, atque eo modo & ſummum, optimum, maximumq́ eſſe, & maieſtate, auctoritate, atque efficientia ſua, terram omnem implere. Verumq́ eſſe, illum eſſe ſanctißimum, atq́ omnẽ ſanctitudinis gradum complere, atq́ eius etiam ſanctitudinis argumentum eſſe prouidẽtiam, virtutẽ qua omnis terra impleatur; omni hominum generi ſapientiùs conſideranti, apertè cognoſcendam & probandam, eiq́ maieſtati & ſanctitudini ab iis impiè & falsò detrahi, qui terrenarum rerum gubernationem negant: quippe eiuſmodi gubernatio attentè conſiderata, laudem ſibi vendicat, quam alij, præter Deum tribuere nefarium ſcelus ſit, ob eamq́ rẽ ait,* Plena eſt omnis terra gloria eius. *Omnino inquiunt plurima argumenta ſunt maieſtatis, auctoritatis, & dignitatis alicuius, qua mundus gubernetur: quæ laudari maximè oporteat. Hæc nulli naturæ aſcribi non poſſunt, quippe manifeſta ſunt; neque caſu, ſed maximo conſilio & virtute conſtare, alij verò quàm illi, cuius verè ſunt, attribui nefas eſt. Neque enim ea vel tempori, vel cælo, vel aſtris, vel ipſis mouentibus tribui ſolent, quæ propriè auctoris Dei ſunt. Atq́ adeò illi ſoli ab ipſis mentibus, & ſacris ſpiritibus adiudicentur, dicentibus:* Gloria eius, *non gloria noſtra, non orbium, non aſtrorum, non caſus aut fortunæ; quòd nulla infortunia & caſus rebus gloria eſſe poſſit.* Gloria *enim virtutem, virtus conſilium indicat; conſilium verò caſum & fortunam labefactat. Itaq́ acclamationis illius huiuſmodi argumẽtum eſt. Cuius præterea triplex adnotatio explicanda eſt, prima quòd ſcribitur:* Et clamabant alter ad alterum. *Hebraica phraſis habet, & clamabat hic ad hunc. Nam multos fuiſſe Seraphim iam docuimus: huius orationis ſententia eſt, ordinem quendam eſſe in ſpiritibus illis conſtitutum, tum ad ſuſcipienda, tum ad ſubeunda munera: quamquam enim omnes eiuſdem principis Dei auctoritatem, virtutemq́ cognoſcant; alij tamen alium & virtutis, & miniſtrationis obtinent gradum. Nam alij ab*
Dan. 8. *ipſo Deo immediatè quid agẽdum ſit, accipiunt. Alij verò diuinam voluntatem & conſilium in his, quæ ad humanas res pertinent, muneribus obeundis edocentur. S. S. E. Et audiui vnum de ſanctis loquentem, & dixit vnus ſanctus alteri, neſcio cui loquenti, vſquequo viſio, & iuge ſacrificium*
Apoc. 7. *& peccatum deſolationis, quæ facta eſt, & ſanctuarium, & fortitudo conculcabitur: & dixit ei vſque ad veſperam & manè. Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui; & clamauit*

voce

*voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari di-*
*cens. Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus: quoaduſque ſigne-* Apoc.13.
*mus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum, &c. Hunc autē ſuſcipiendorum* “
*& obeundorum munerum ordinem, maxima concordia & conſtantia à*
*probatis ſpiritibus obſeruatum, apertè Iudas Apoſtolus indicauit. Angelos* Iud.
*verò qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed reliquerunt ſuum domi-* “
*cilium, &c. Principatum & domicilium, gradum & ordinem, ſtationemq́;* “
*Apoſtolus dixit. Sicut etiam de eiuſmodi ordine in cælorum ciuibus & ſan-*
*ctis viris præmio afficiendis, ſcriptum eſt: In domo Patris mei multæ man-* “
*ſiones ſunt. hæc eſt igitur illius clamoris, ſiue vocationis ratio.* Et clamabat
alter ad alterum. *Namq; clamare, ſiue vocare, idem quippe verbum He-*
*braicè eſt, inter alia ſignificat aliquem ad munus obeundum atq; exercen-*
*dum excitare. vt, Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis* Pſal.2.
*nomina vocat. & illud apertiſsimè, Vocauit autem Moyſem, & loquutus* “
*eſt ei Dominus de tabernaculo teſtimonij, dicēs: Loquere filiis Iſraël. Vtra-* Leuit.13.
*que autem ſignificatione verbi, illud docemur: alium Seraphim aliū vocaſſe,*
*hoc eſt, excitaſſe ad eandem appellationem & prædicationem ſanctitudinis*
*diuinæ. Ita vt cùm primus clamare incepiſſet, ſecundus deinde & tertius,*
*cæteriq; omnes excepiſſent, & referrēt. Sanctus, ſanctus, ſanctus, &c. Iam*
*verò quidquid illa tertiò repetita appellatio myſterij contineat, vix breuiter*
*indicare, nedum explicare abundè poſſumus. Etenim in primis de numero-*
*rum ratione & ſignificatione agere deberemus, oſtendereq; ternarij cùm*
*ſimplicitatem, tum diſtinctionem, tribus vnitatibus ita conſtantibus, vt ta-*
*men prima ſit numerandi ratio; namque duali apud Hebræos nulla numeri*
*definitio conſtat: vt neque duarum linearum nomen nullum in figuris eſſe*
*poteſt. Eſt igitur ternarius primus numerus, idemq́; ſimpliciſsimus, quique*
*diuidi in partes non poſsit, diſtingui verò per vnitates poſsit: quamobrem*
*nec multiplex, nec diuiſibilis, nec variabilis, integer tamen, & vndique ſibi*
*ſimilis eſt, æqualemq́; vndique rationē obſeruat, tantum namq; prima vni-*
*tas à ſecunda, quantum ſecunda à tertia, & tertia à prima, quantum à ſe-*
*cunda ratiocinandi officio diſtinguitur. Ex quo fit vt nulla alia rerum ima-*
*go diuinæ naturæ vmbram nobis exprimere commodiùs poſsit, quàm terna-*
*rius numerus. Eſt enim natura diuina ſimpliciſsima: omniſq; tum compoſi-*
*tionis, tum diuiſionis expers, ſibiq; conſtantiſsima atque integerrima: ea-*
*démque tribus perſonis diſtincta omnino; ſecundùm diuinitatis rationem*
*æqualibus; quæ neque ſolui inter ſe, nec augeri, aut imminui, neque diuidi*
*in partes poſsit. Quamobrem diuinum nomē apud Chaldæos ternario eiuſ-*
*dem elementi, ſibi vndique conſentientis numero conſtat, hac figura* 
*Præterea verba rationis, ratio verò Dei imaginē quodammodo refert:*
*ex quo fit, vt verba quæ purè Hebraica cenſentur, ad originem relata, tribus*
*tantùm conſtent litteris. Atque ita huiuſmodi ternarij rationibus cogitan-*
*dis, diuinæ naturæ vmbram aliquam ſequi poſſumus. Initio autem huius*

*viſionis Iſaiæ oſtenſæ auctoritatem Trinitatis integro & ſimplici numini aſcribendum eſſe docuimus: eam autem Seraphim repetita tertia ſanctitudinis appellatione indicabāt: eandemq́; ſingulis perſonis ſanctitatis laudem tribuebant,* Sanctus, ſanctus, ſanctus. *Eius præterea laudis argumētis omnem terram plenam eſſe aſſerebant. Animaduertendum autem eſt, eandem appellandæ ſanctitudinis repetitionem totidem verbis ab omnibus ac ſingulis Seraphim fuiſſe pronunciatam. Namq; apertè id Vates indicat, hunc ad illum clamantem aſſerens, & vnam tantùm acclamationis formulam referens.* Et clamabant, *inquit, hic ad hunc. Quid autem illa acclamatio ſonaret, deinceps exponit.* Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum. Plena eſt omnis terra gloria eius. *Præterea ſanctitudinis appellatio diuinæ naturæ à cæteris omnibus cùm ſuperioribus, tum inferioribus eiuſmodi naturis incomparabilem ſeparationem & præſtātiam ſignificat; idq́; omni definitionis genere atq; integritate confirmatur: namq; ſuperlatiuum Hebræi eiuſmodi repetitione circumloquuntur. vt,*
Prou. 30. *Tria ſunt inſa-*
» *turabilia, tria ſunt difficillima mihi, &c. Itaq; triplex hæc ſancti appellatio Domino Deo exercituum aſſcripta, diuinam naturam (vt vna) & vt tribus perſonis diſtincta eſt, ſanctiſſimam eſſe ſignificat. Præterea & ab Angelorum cæli, & inferioris mundi naturis perfectione & excellentia longiſſimè etiam ſeparatam, nihilominus tamē infimis etiam mundi partibus prouidentem & conſulentem eſſe oſtendit; ſicut etiam apud Pſaltem legimus,*
Pſal. 56. *Exaltare ſuper cælos Deus, & in omnem terram gloria tua. Chaldæus Paraphraſtes hanc laudationem hoc modo eſt interpretatus.* Sanctus in cælo excelſo ſuprema domo maieſtatis eius. Sanctus ſuper terram faciens virtutem ſuam. Sanctus in ſecula ſeculorum: Dominus exercituum, plena omnis terra ſplendore gloriæ eius. *Eandem huius laudis*
Apoc. 4. *rationem & diuus Ioannes indicauit ſibi oſtenſam. Sanctus, ſanctus, ſan-*
» *ctus Dominus Deus omnipotens, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. Illud verò quod acclamationis initio additum eſt,* Plena eſt omnis terra gloria eius. *Illationis vim in argumentatione obtinet, cuius ſententia eſt, oportere omnem terram plenam eſſe gloria, & laude Domini Dei exercituum, quē apud ſpiritus altiſſimum, apud cælos & inferiora ſanctiſſimum eſſe conſtat. Atq; ita gloriam pro confeſſione & laude diuinam virtutem*
Ioan. 13. *& efficacitatem conſequente accipimus. vt, Date Domino Deo veſtro gloriam. Illa verò ſingularis appellatio, Dominus exercituum, eò ſpectat, vt quoniam de prouidentia, iudicio, atque animaduerſione, in hoc ſpectro, & vaticinio agitur; Dei vltoris & vindicis potentia, atq; ad res omnes gerendas facultas confirmetur. Namq; ea etiam ratione Deus ſanctiſſimus eſt, atq; Deum hoc exercituum cognomento appellari, cùm de iuſtitia & iudicio, pœniſque repetendis agitur, iam ſæpius docuimus. Id verò ad faculta-*
Apoc. 4. *tem & potentiam ſpectare diuus Ioannes interpretatus oſtendit; omnipotentem enim vertit.*

Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis: & domus repleta eſt fumo.

Ex *inſtituta huius ſpectri expoſitione ſatis apparet, quid hæc oratio ſignificet. Seraphim, aiebat vates, miniſtrare Deo & mundo inſtantes adeſſe; idq́ quod agerent non ſibi ſed Deo exercituum, vt auctori principíque ſummo continuatis laudibus tribuere, ob eam rem voces edere, quibus Dei ſanctitudo prædicaretur. Nunc autem ad vocem illam cardinum ſuperliminaria commota eſſe ait. Sunt autem in ædificiis antiquis, quæ hîc ſuperliminaria cardinum dicuntur, capitula quædam, ſiue lignea, ſiue lapidea, quæ ædificiis annexa, valuarum cardines excauato foramine continent; Latini limina vocant. Eiuſmodi namq́ propter ædificij molē, niſi exteriùs ab aliquo tacta ſint, moueri non poßunt. Igitur à voce clamantis illa commota ſunt, qua commotione domus fumo fuit repleta: neceſſe enim eſt, igni clamante & ſonante, fumum prodire: natura enim fumus ignem conſequitur. Eſt autem ſententia Seraphinorum acclamationem qua Deus ſanctiſſimus & potentißimus agnoſcitur; in qua etiam illius voluntas obſeruanda prædicatur: mundi totius polos firmißimam etiam partem concuti, atque cælos præterea moueri, qui aliàs ob magnitudinem & molē immobiles conſiſterent, niſi motorem aliquem ſortiti eſſent; cuius opera agerentur, ex eoq́ motu ſpiritum illum calidum, quo cuncta quæ in mundo ſunt, foueantur, excitari, atque per vniuerſum templum diffundi: ſiue is à ſole & lucis fonte, ſiue ab orbibus ipſis calor efficiatur. Duæ enim ſunt præcipuè res, quibus omnis hæc inferiorum corporum & rerum multitudo alitur, & fouetur, calor & humor: quarum altera materiæ vicem, altera vitæ & efficacitatis officium præſtat. Præſtantior autē in actione calor eſt: quam ob rem hoc in loco præcipuè à vate eſt indicatus. Ezechiel verò vtriuſque meminit, & nubes magna, & ignis inuoluens. Atque de his naturæ partibus & officiis nobis plura aliàs diſſerenda Deus oſtendet. Hoc itaq́ omni ſpectro cognouit Vates mundum vniuerſum à Deo Summo Opt. Max. ac ſanctißimo nullo labore, nulloq́ negotio gubernari atq́ regi, eiq́ rei agendæ ſacros illos atque efficientißimos celerrimosq́ miniſtros eſſe adhibitos; quorum officio cætera omnia ſuperiora atque inferiora gerātur, cunctaq́ certißimam Dei maieſtatem, ſanctitudinem & potentiam teſtentur ac prædicent; atque hac perpetua confeßione hominum impietatem notent eorum, qui diuinam erga res humanas prouidentiam in dubium quocumque nomine vocauerint, cuiuſmodi nota inurebatur Ozias, qui eo anno, quo ſpectrum hoc vati fuit obiectum, è viuis deceſſerat, & ob tentatū aduerſus diuina decreta, atq́ adeò aduerſus prouidentiam ſacerdotij munus infenſi, atq́ irati Dei vim fuerat expertus: id quod tum demùm intelligens vates, qui aliter de rege fortaßis exiſtimauerat, continuò faſſus addidit:* Et dixi, Væ mihi, quia tacui; quia vir pollutus labiis ego ſum: & in medio populi polluta labia habentis ego habito: & Regem Dominum exercituū vidi oculis meis.

Ezech. 1. 1c

VNICO *verbo huius verſus expoſito ſententia omnis faciles explicatus* דמם *habere videtur:* quia tacui, *Hebraicum verbum* DAMAM, *propriè cogitare & opinari ſignificat. Quoniam verò cogitabundi homines aliquando tacent, fit vt pro tacere vſurpetur: tamen tacendi ſignificationem in hoc verbo ex cauſa ipſa ſilentij, hoc eſt, ex cogitatione repetere oportuerit; ita vt non ſolùm tacui, ſed cogitaui, & opinatus ſum, exponamus. atque ex ea cogitatione tacuiſſe, quæ tacenda non erant, & dixiſſe quæ dicenda non erant, ſeſe Vates accuſet: namque continuò ſubiunxit:* quia vir pollutus labiis ego ſum. *Dolet vehementer vates, atque errorē ſuum agnoſcens, fatetur quòd Oziæ regis lepra percuſſi rationem non ex re ipſa, atque virtute definiens; ſed ex cogitatione & opinione ipſe vnà cum populo aliter interpretatus effatusq́; fuerit, quàm oportuiſſet. atque ita cogitans, dicenda tacuerit, tacenda verò fuerit elocutus: ac oratione parum ſapienti, aut cordata, parúmque pia, labia ſua polluerit, vnà cum reliquo populo & vulgo: nihil altius aut cogitans, aut dicens; cùm tamen oportuerit & ſententia, & oratione de verbis diuinis longè lateq́; remotum à vulgo & populo ſe eſſe; quippe cui vt vati Regē Dn̄m Deum exercituū clariùs videre, atq; familiariùs cognoſcere cōtingeret, atque ob eam rem Regem atq; Deum exercituum agnoſcere, & interpretari conſentaneum fore. Namq; non idem atque par eſt error, & populi de Regis conſiliis & rationibus temerè exiſtimantis, & eorum, qui familiariùs admiſſi regum ingenia, conſilia, rationesq́; cognoſcere debent, ac poſſunt. Vates autem, quoniam iam pridem Dei Regis exercituum arcana conſilia edoctus fuerat familiariter, atque prophetico ſpectro viderat, ſicut ipſe teſtatur: Viſio Iſaiæ filij Amos, &c. Et propterea hæc dicit Dominus exercituum, fortis Iſraël, &c. Atque hoc etiam ſpectro eiuſdem Regis Domini gloriam, & gubernandi mundi rationē intuitus fuerat, ob eam rem ſibi maximi erroris periculum & ſupplicium metuit. Non enim ait, hei mihi & populo, ſed tantùm,* Væ mihi: *nam populus ſi erret, ſi opinione ducatur, peccat; ob ruditatem verò & inſipientiam, rerumq́; imperitiam, præſertim diuinarum, leuiùs errat, quàm is qui Regem Dominum exercituum oculis videt ſuis. Itaq; apertè agnoſcit, vt cogitationibus aliis aut verbis exiſtimare minùs ſapientibus, effari ſine maxima ſtultitiæ & peccati nota, atque periculo non poſſit. Hanc huius loci ſententiam Chaldaicus Paraphraſtes indicaſſe videtur.* Væ mihi, quia peccaui, quia vir obnoxius reprehenſioni ego ſum; & in medio populi: quia abominatus in peccatis ego habito. Nam gloriam maieſtatis Regis ſeculorum Domini exercituum viderunt oculi mei.

Iſaiæ 1.

Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meū, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum mundabitur.

HANC *quoque actionem ſpectro ſibi viſam vates ait, vnum ex Seraphim quos aſtantes miniſtranteſq́; conſpexerat, ſubitò aduolantem ignito carbone*

ex

*ex altari forcipibus ſublato, peccatum ſuum confitenti ſibi os contigiſſe, atq; ei actioni orationem etiam addidiſſe.* Ecce tetigit hoc labia tua, &c. *Quæ omnia perinde ac cæteræ narrati ſpectri partes non ex ſimplici, ſed ex allegorica verborum ſignificatione exponenda breuiter nobis ſunt: eandē quam inſtituimus viam perſequutis. Atq; volatum illum ſpirituum ad homines, miniſterium erga homines cùm alios, tùm Prophetas eſſe diximus. Agnouerat autem vates errorem ſuum, quod de Oziæ regis tacti, atque celeriter è viuis ſublati cauſam ex propria cogitatione interpretatus, non ſapientiùs quàm populus omnis excepiſſet, atque egiſſet, eo quòd ante illū poſtremùm vſurpati muneris facinus, nihil Vſiæ in omni vita crimini datum fuerit, vt eius hiſtoriam legentibus conſtat, vnius autem ſolùm criminis cauſa in tantum regem à Deo grauiter animaduerſum eſſe, & populo, & vati non ex præſcripto & veritate, ſed ex opinione iudicāti durum viſum ac dictum fuerat: ſed iam ipſam rem rectiùs exiſtimanti, atq; peccatū agnoſcenti, pœna tamen per miniſtrum iuſta irrogatur, qua ſimul & præterita expietur culpa, & in poſterum cautio fiat. mulcta autem illa fuit: Seraphim vatē diuini verbi commemoratione increpauit, aſſerens non oportere Vates cogitationibus & opinionibus propriis, ſed diuini verbi ſententiis, præceptis, & inſtitutis, & ſecum, & apud alios agere, vtpote qui miniſtri legatíque Dei ſint, & apud cæteros homines debeant cauſam rationemq; omnem ex Dei mandantis voluntate, conſilio, & ſermone agere, ideoq; illi hoc nunc mulctæ irrogari, vt animo ex diuini verbi efficacitate ac vi perculſo, de cætero error caueatur. Ex quo eueniet, vt præterita remittatur culpa. Hæc huius loci ſententia eſt, quam verbis ipſis explicandis confirmabimus.* & in manu eius calculus. *Manus miniſteriū ſignificat, ita vt is qui litteras, vel mandatum, vel aliquid aliud ab alio ad quempiam afferat, Hebraico idiomate, in manu habere dicatur. vt: Iuxta verbū quod locutus fuerat in manu ſerui ſui.* 3 Reg.15. *aliud Silonitis: Et iuxta verbum Domini quod locutus fuerat ad* 3.Reg.16. *Baaſa in manu Iehu Prophetæ. Calculum interpres noſter vertit, ad ſcrupuli ſignificationem alludens; alij verò interpretes carbonem ignitum ferè omnes vertunt: eſt autem Hebraicum,* RISZPAH, *à verbo* RASZAPH *dedu-* רצפה *ctum nomen, quod ſternere, conſternere, complicare, atq; incendere ſignifi-* רצף *cat. Ex quo fit vt carbones incenſi, qui placentæ coquendæ ſubſternuntur, præterea & ſtratum ædificiorum pauimentum hoc nomine dicantur. Igitur ad vtramque ſignificationem ſententia relata, ſcrupulum carbonem ignitum Seraphim tulit: quod eſt verbum Dei compoſitū in primis, & rectum ſumma ſapientia conſtratum, & ſibi cohærens atque conſtans: deinde ardens, viuum, & efficax; quod vel purum os vt aurum probet, vel impurum expurget, exurat, & expiet. S. S. E. Omnia mādata tua æquitas. & , Cognoui Domine quia æquitas iuditia tua: & in veritate tua humiliaſti me. & , Ignitum eloquium tuum vehementer.* Quem forcipe tulerat de altari. *Nomen forcipis Hebraicum* MALKAHHAIM. *Dualis formæ à verbo* מלקחים

LA-

לקח LAKAHH, *ſit. cuius ſignificatio Latina eſt, capere, ſiue accipere, vſus autem varius: namque ad ea quæ vel manu, vel mente, vel appetitione capiuntur,*
Gen.2. *ſignificanda, commodè vſurpatur hæc vox. vt, Tulit Deus coſtã de Adam.*
Gen.12. *&, Accepit Abraham Saram. &, Miſit Noë manum ſuam, & accepit*
Ibid.8. Prou.6. *columbam. &, Non concupiſces vxorem eius in corde tuo. neque accipiat te*
Ierem.5. *in palpebris ſuis. &, Renuerunt accipere diſciplinam. Vnde non rarò pro*
Prou.1. Prou.4. *doctrina & diſciplina huiuſmodi vox in vſu eſt. vt, Audiet ſapiens, & addet doctrinam. &, Quia doctrinam bonam dedi vobis. Atque verbum Dei non temerè ex ſacris libris vſurpandum, ſed adhibita diligenti cùm conſideratione, tum diſciplina colendum & conſulẽdum eſſe Seraphim docuit; fieri autem non poteſt, vt hoc modo admotum verbum Dei, non vrat,*
Heb. 4. *vt percellat eum cui admouetur. Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti. Duali autem numero forcipes Hebraicè dictæ diſciplinæ rationem modumq́; indicant: quæ non modò ſimplici verbi narratione, ſed ſtudioſa cogitatione & conſideratione conſtat; quæ ſuo tem-*
Pſal. 1. *pore ad propoſitum argumentum commodè referri poßit. S.S.E. In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum: quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Itaq; & voluntatis ſtudium amoremq́; & mentis cognitionem forcipes indicant. Quare autem ore Vatis verbum admotum ſit, illud in cauſa eſt, quòd diuinorum ſermonũ ratio non ad cogitãdum modò, ſed ad eloquendum etiam committi, credíque ſoleat. Neque illi aliud quàm verbum ad ſuam aliorumq́; vtilitatem proferre conueniat: id quod Seraphim expreſſa oratione ſubiuncta docuit.* Ecce tetigit hoc labia tua.
נגע *Hebraicum verbum* NAGAGH, *tangere ſignificat, ſed ad commodi & incommodi ſignificationem refertur, vt etiam apud Latinos tango. Namque*
Perſ. Sat.4. *aliquem tangi, hoc eſt, tentari dicimus. vt, Tange miſer venas, &c. Tangor cura, ſolicitudine, & dolore: tangi ſimpliciter, hoc eſt, commoueri; & de cælo tactum aliquid dicimus, cùm fulmine aut igni percuſſum ſignificamus. Eſt autem Hebraica oratio eiuſmodi,* Ecce tetigit hic ſuper labia tua. *Cuius duplex & integra eſt ſententia. Ecce verbũ hoc, ſuper labia tua impoſitum, cuius cura tibi commiſſa eſt, Vati, qui ſe Deum vidiſſe profiteatur; hoc igitur tu, nunc percellêris, tangêris, atq; ad cognoſcendum caſtigaberis, & ad erratum officiumq́; tuum cogitandũ permoueberis. Præpoſitio,* ſuper, *curam, officium, munusq́; aliquãdo indicat, maximè verò cùm de miniſtris*
Leuit.13. *agitur. vt, Oleum quippe ſanctæ vnctionis eſt ſuper vos. &, Aaron & filios eius conſtitues ſuper cultum ſacerdotij. Increpat autem Vatem Seraph vt officij immemorem ſui, quem non modò cogitationes, ſed & orationes ſuas, quibus cũ populo ageret, ex diuino verbo petere oportuerat: in quo facile inuenire potuiſſet, diuini erga Vziam iudicij & ſeueritatis exemplum grauiſsimum atque iuſtiſsimum eſſe. Regem autem factum ſacrilegum, &*
Num.3. *omnino improbandum cenſeri debere. quippe S. E. Externus qui ad miniſtran-*

*ſtrandum acceſſerit, morietur. Illud verò*: Et auferetur iniquitas tua, *Imperatiuam habet figuram Hebraicè etiam & Latinè: namque apud Latinum interpretem non rarò futurum pro imperatiuo legimus. vt, Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa. Iubet igitur Seraph vt verbo Dei correptus vates, deinceps errorem deponat. hoc enim iniquitas propriè ſignificat, quòd Latinis eſt prauitas. Correptum autem iam & verbi diuini vrentis vi expiatum atque emendatum, peccati remiſſionem conſecuturum confirmat.* Et peccatum tuum expiabitur. *Atque hæc nobis perpetuam & ſimplicem in commentando ſentētiam ſecutis, huius loci explicatio apta viſa eſt. Arbitramur autem noſtrorum commentariorū lectores magnum etiam ex Chaldaicæ Paraphraſeos lectione operæpretium eſſe facturos, vbi multa ab auctoribus optimè explicata, multáque vtiliſſimè indicata ſunt. Id verò opus nunc in Catholicis Biblus Philippi Regis auctoritate & conſilio Chaldaicè & Latinè excudendum curamus.*

Et audiui vocem Domini dicentis: quem mittā, & quis ibit nobis?

SIGNIFICATVM *nobis iam antea fuit, Iſaiam eo tēpore, quo Vzias lepra laborauerat, vel ob ſuſceptam ex ea re cogitationem, vel ob dolorem ex cogitatione acceptum, vel alia de cauſa vaticinandi officio non fuiſſe idoneum; atque aliquo modo diuinam increpationem meritum: nunc verò iam illo errore depoſito atq; expiato, munere ſuo denuo fungi cœpiſſe declaratum eſt: id autem ex Dei tum conſilio & auctoritate, tum etiam virtute vati indita contigiſſe verbum ipſum oſtendit.* Et audiui vocem Domini. *Hoc enim Vati eſt, Domini vocem audire, quod diuina virtute ad munus obeundum informari: verùm illud ad communem omnium Prophetarum rationem cognoſcendam animaduertendum eſt: quod non apud noſtros tantùm, ſed apud Hebræos etiam auctores communi ſententia traditum confirmatumq; eſt. Antiquis omnibus Prophetis vaticinandi munus, quocumque genere aut modo id contingeret, ſiue allocutione, ſiue viſione, ſiue per quietem à Deo quidem auctore aſſignatū, ſed per miniſtros Angelos fuiſſe delatum. Nonnunquam tamen à Vatibus Angelum, hoc eſt, proximam & coniunctam cauſam ſiue miniſtrum, interdum verò Deum ipſum auctorem primùm citari, atq; indicari ſolere, vt Zacharias, Et dixit ad me Angelus Domini. & de Abraham, Et vocauit illum Angelus Domini. & apud alios, Et dixit Dominus ad me. Et locutus eſt Dominus ad Moyſem. Et vocauit Dominus Moyſem. Quamquam autem omnibus in locis Angelos verbi & prophetiæ apud Vates Dei adminiſtros intelligamus, tamen vbi nomen Domini expreſſum eſt, vel aliàs diuina appellatur auctoritas, vatum ipſorum dignitatem atq; amplificationem indicari interpretamur: qui iam Angelorum opera ac miniſterio expiati atque initiati diuini nominis auctoritatem ſuis tribuant actionibus. Atque ita Moſes quem apud Synæ rubum, primùm ad vaticinandi munus ab Angelo vocatum, & comparatum legimus:*

Zach. 1. Gen. 22. " "

 gimus:

*gimus, actionibus, orationibusq́; ſuis auctorē Deum deinceps perpetuò appellauit: namque in libro Exodi ſic legimus Hebraicè: Moſes paſcebat pecora ſoceri ſui Ithro ſacerdotis Midiam, & duxit pecora per deſertum, & venit ad montem Dei Horeb: apparuítque ei Angelus Domini in flamma ignis de medio rubi. Atque ita hunc locum diuus Stephanus primus Chriſti teſtis, his in oratione illa ſua grauiſſima citauit. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deſerto Angelus in igne flammæ rubi: Moyſes autem videns, admiratus eſt viſum, & accedente illo vt conſideraret, facta eſt ad eum vox Domini: Ego ſum Deus patrum tuorum, &c. Itaque vbi iam Moſes Angeli procuratoris officio acceſſit vt conſideraret, vox non Angeli, ſed Domini ad illum facta commemoratur. Eò igitur hæc ratio ſpectat vt Prophetarum initiatio, vel expiatio, vel adoptatio, deinde verò dignitas & amplitudo maior ſignificetur; quibus, quamquam omnis muneris obeundi ratio Angelorum opera officioq́; conſtet; tamen admittendis & informandis Angeli primùm; deinde verò informatis & ſanctè inſtitutis diuini auctoritas nominis citatur. Eandem hāc formulam rationemq́; ſecutus Iſaias, Seraph carbone ignito ſibi expiationis & correptionis miniſtrum; deinde verò iam correpto & informato vaticinij auctorem Dominum fuiſſe, docet. Præterea & ad rem ipſam, atq; ad ſententiam cognoſcendam obſeruandum quoque eſt, Hebraicum nomen, pro quo hoc loco interpres reddidit* Dominum, *non eſſe nomen illud ineffabile Dei, ſed ſimplex nomen* ADONAI, *quod imperium, dominationem, poteſtatemq́; ſignificat. Namque vt deinceps exponitur, actionis, & vaticinij ratio ad auctoritatem, & potentiam diuinam pertinet: quamobrem conſultationis formam obtinet: quæ propria ſummorum principum in grauiſſimis rebus expendendis eſſe ſolet.* Quem (*inquit*) mittam, & quis ibit nobis? *Vnius naturæ, & perſonarū trium auctoritatem, conſilium, voluntatem, ſententiamq́; eandem, cùm conſultatio ipſa ſingularibus & pluralibus verbis facta; tum dominationis appellatio indicat, eiuſdem enim qui* ADONAI *dictus eſt, oratio illa fuit,* Quem mittam, & quis ibit nobis? *Vocem enim vnam Domini ſibi auditam, Vates docet, eamq́; refert,* quem mittam, & quis ibit nobis? *Vni enim Trinitati aptè conuenit, poſſe rectè dicere, ego & nos. Neque verò hoc primum Iſaiæ vaticinium obiiſſe dicendus eſt, propterea quòd reſpōderit,* Ecce ego, mitte me. *Namque ille, vt iam docuimus, ante Vziæ mortem fuerat etiam vaticinatus. Neque conſultatio illa diuina,* quem mittā, & quis ibit nobis? *de Prophetarum defectu, ſed potiùs de delectu eſt, quippe eadem tēpeſtate illa, alij quoque Vates erant, præter Iſaiam, vt Amos, qui fuit in diebus Hoſiæ, & Hoſias eodem tempore fuit, Ioathā & Ezechiæ, & Micheas, qui vaticinatus eſt tempore Ioatham: Achaz & Ezechiæ. Itaq; non quærebantur vates, quorum ſatis idonea copia extabat; ſed conſultabatur potiùs, quiſnam ex iis, qui ea tempeſtate eſſent, ad rem grauiſſimā ac duriſſimam Iſraëlitis obnūciandā, maiori libertate, audacia, & promptiori animo præditum*

Marginal notes: Exodi 3. — Act. 7. — Amos 1. — Hoſ. 1. — Mich 1.

*ditum ſeſe præberet. Etenim perſonam ſuſtinet hoc loco Deus medici ac patris diligentiſsimi, qui cùm ægrotanti grauiter homini vt ſibi parceret, & abſtineret diu multumq́, tamen fruſtra conſuluerit: tandem morbi impotentia & grauitate ad ſummum aucta deſertionẽ, & mortem certam prædici curat; atq; ad eam rem denunciandam miniſtrum quærit idoneum & fidelem: qui apertè audacterq́, medici ſententiam referat & inſtantem obnuntiet mortem, atq; medici deſertionem narret: ob eamq́; rem vocem ſibi auditam, Domini auctoritate confirmauit vates. Eſt autem duplex conſultatio: altera quiſnam Vates ad eum nuncium deferendum præ cæteris deligendus eſſe videatur; qui & auctoritate, & libertate, atq; etiam apud illum populum agendi conſuetudine valeat: altera verò vt delectus quiſpiam ſit, quis nam erit qui tam grauem nuncium aduerſus inſolentem & contumacem populum, non ſine magno ſui periculo ſuſcipere velit; cùm ſoleant vates eiuſmodi legationes, vel quòd duras ac graues, vel quòd apud difficiles perſonas agendas intelligant vehementer recuſare, & deprecari. vt Moyſes,*
*Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem, & deducam filios Iſraël, &c. Ob-* Exodi 3.
*ſecro Domine, mitte quem miſſurus es. & Ieremias, Aha, Domine, inquit,* Ierem. 1.
*neſcio loqui, puer ego ſum. Prioris conſultationis argumentum continet,* "
quem mittam; *poſterioris verò*, & quis ibit nobis? *Cuius loci illa ſententia eſt: quis nam tam duram prouinciam ſuſcipere, fideliterq́; adminiſtrare velit; ita vt nullo metu, gratia, odio, aut alio mentis affectu perturbatus, auctoritatem, conſilium non ex propria cogitatione, aut ſententia; ſed ex præſcripto noſtro acturus, dicturusq́; ſit. Nam Iſaias peccatum ſuum fuerat confeſſus, quòd cùm Dominum exercituum vidiſſet, tamen cogitauerat, & tacuerat dicenda, & dixerat tacenda in medio populi polluti labiis. Hãc itaq; ſignificationem habet illud* nobis? *Igitur Vates vt correptus iam, & vero verbo diuino animatus, ſeſe illi legationi ſuſcipiendæ vltrò offert, ac præbet miniſtrum, vtpote qui fidem in primis ſeruandam profiteatur, atq; ei rei ſe apprimè opportunum aſſerat apud populum agendæ; quẽ ipſe ſæpius antè hactenus fruſtra vt ſibi conſuleret, monuerit, rogauerit, hortatus, interminatusq́; fuerit.* Et dixi, ecce ego, mitte me. *iiſdem legibus & conditionibus, quas cauſa ipſa indicabat, ſeſe idoneum rei agendæ miniſtrum Deo Vates vltrò præbet, quænam verò ſit legatio, deinceps audiemus.*

Et dixit, Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere: videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures aggraua: & oculos eius claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.

HVIVS *legationis argumentum ſatis apertè nobis eſt ab Apoſtolis & Euangeliſtis indicatum: pertinere enim oſtenditur ad extremam Iſraëlitarum (ſecundùm carnem) repudiationem, & abdicationem Dei decreto editam, ob Euangelium, Euangeliíque miniſterium, & Pontificem Ieſum*

*Chriſtum Filium Dei: Summa hominum impietate, inſolentia, & improbitate repulſum. Oportunè autem huiuſmodi decretum & conſilium, anno, quo Vſias mortuus eſt, Deo iubente, fuit enuntiatum. Si quidem illa iam tempeſtate de diuina erga humanas res cura & prouidentia minùs rectè apud gentem illam ſentiebatur: iśq; error paulatim hominum culpa & ſtultitia auctus in immenſum fuit; vſque adeò, vt nihil eorum quæ in mundo fiunt, quæq; rectè cogitantibus prouidentiā clarè probare poſſunt, ſuis iam quibus par erat rationibus, exiſtimaretur; atq; ita demum effectum eſt, vt neque Chriſti ipſius Filij Dei manifeſtæ veritati, neque apertiſsimis miraculis, & conſpicuæ virtuti locus vllus apud illos ſit relictus. Ex ea autem re commeritum, vt à Deo pientiſsimo Patre, diligentiſsimoq; medico deſerti Iudæi indurationem, excæcationem, & quod hæc conſequitur, internecionis periculum, adierint, atq; in eum miſeriæ locum deuenerint, in quo plurimi ex illis hactenus manſerunt, manebuntq; etiam, donec ex diuinæ miſericordiæ beneficio ad Chriſtianæ lucis & vitæ vſum reſtituātur. Hoc argumentum grauiſsimum eſt, atq; à multis noui Teſtamenti locis tractū; quod nos fuſiùs aliquando, ſi Deus dederit, exponemus. Nunc verò legationis huius verborum ſententiam indicabimus, argumentatione priùs inuenta, breuiſſimeq; concluſa, cuius illa ſumma eſt: ſi is, qui diuinæ prouidentiæ rationes cognoſcere poteſt, non cognoſcit, ſtultitiæ morbo laborat, & dignus eſt vt pœna ac mulcta afficiatur; quanto corruptiorem, quantoq; grauiori pœna dignum cenſeri oportuerit eum, qui non modò rationibus, ſed manifeſtis exemplis tum viſu, tum auditu perceptis, diuinam etiam præſentiam edoceri cùm potuerit, noluerit tamen, omninoq; fuerit aſpernatus. Digniſsimi enim Dei repudiatione, indigniſsimi ſalute omni Iudæi erant: qui eouſque à Dei cognitione & cultu degenerauerint, vt non modò antiqua maiorum ea de re monumenta deſerant; non modò omnia quæ ex natura & ratione duci poſſunt argumenta negligant, & ignorent; ſed manifeſta exempla oculis auribusq; obijcienda diuinæ virtutis, ſapiētiæ, & miſericordiæ in Chriſto Ieſu Dei Filio ſpectata auerſentur, & contemnant. Hæc argumentationis ſumma ratio, quæ ſecundùm omnes partes illuſtribus expolitionibus, grauiſsimiſq; ſententiis, ijſdemq; breuiter hoc commentario indicandis referta eſt. Principiò animaduertēdum eſt, nullam hominibus ex naturæ virtute cognitionem aut certiorem, aut apertiorē eſſe ea, quæ ſenſuum experimento capitur; eſt enim ſenſus humanæ cognitionis fundamentum. Atque hoc loco de naturæ vi, non de diuina aliqua loquimur illuſtratione, omnium autem ſenſuum viſum & auditum præſtantiſsimos, & ad cognitionē percipiendam commodiſsimos eſſe; cùm philoſophi omnes, tum ſacræ diſciplinæ docuere. Namq; tactus & odoratus atq; guſtus, quamquam coniunctiſsimi ſint, réſque ipſas cognoſcendas propiùs attingant, tamen propterea quòd ſint craſsiores, materiam magis, quàm ipſam rerum formam & figuram ſentiunt, & mentē magis etiam quàm ſenſus alij fallūt: id quod vno Iſaac*

exem-

*exemplo oſtendere poſſumus: cui tactus, & guſtus, atq; odoratus fidem fece-
runt, quam veritas ipſa ex auditu cōcepta, credere diſſuadebat. Namq; hæ-
dinam pellem contrectatam, Eſau filij manus eſſe putauit; cibum autem ve-
nationis nomine & comedit, & probauit, quem hædo condito vxor paraue-
rat: deinde veſtimentorū odore deceptus, alterū filium ſibi pro altero ſuppo-
ſitum, complexus oſculatusq; eſt; cùm tamen vnus auditus veritatem mani-
feſtò argueret. Vox, inquit, vox Iacob, manus autē Eſau. quòd ſi auriū of-
ficio oculorum facultas acceſſiſſet, non profectò illud iniiſſet conſilium Re-
becca, quod duorum principum ſenſuum virtute fractum iri cognoſceret.
Quamobrem certiſſimum teſtimonium, & grauiſſima quædam confirma-
tio ad res omnes, cùm humanas, tum diuinas docendas, duorum præcipuè
ſenſuum viſus & auditus officio comparari ſolet. Ideoq; Moyſes Dei &
naturam, & præſentiam huiuſmodi argumentis populo confirmabat: Si fa-* Deut. 4.
*cta eſt aliquando eiuſmodi res, aut vmquam cognitum eſt, vt audiret popu-* “
*lus vocem Dei loquentis de medio ignis, ſicut tu audiſti, & vidiſti. Si fecit* “
*Deus vt ingrederetur, & tolleret ſibi gentem de medio nationum, per ten-* “
*tationes, ſigna, atq; portenta; per pugnam & robuſtam manum, extentumq;* “
*brachiū, & horribiles viſiones, iuxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus* “
*in Ægypto, vidētibus oculis tuis: vt ſcires quoniā Dominus ipſe eſt Deus,* “
*& non alius præter eum. Hæc de viſus teſtimonio: de auditu autem ſtatim* “
*addit: De cælo te fecit audire vocem ſuam, vt doceret te. Deinde de vtroque* “
*iterum ait: Et in terra oſtendit tibi ignem ſuum maximum, & audiſti ver-* “
*ba illius de medio ignis, quamobrem in his duobus ſenſibus ad cognitionem* “
*opportuniſſimis, maximam cupiditatem homini cognoſcendi cauſa, à Deo
iniectam fuiſſe, ſapientes docuerunt. Sicut in eandem ſententiam S.E. Au-* Prou. 20.
*rem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit vtrumque. Igitur* “
*Deus Iſraëlitico populo extremam ex ſtultitiæ & impietatis morbo miſe-
riam, & internecionem per vatem ſuum denuntiat, eamq; culpa, & vitio
proprio adeundam, qui obſtinata improbitate ſeſe vſque adeò à ſanitate ab-
alienauerit, vt aurium & oculorum ſenſibus iam hebetiſſimis, & obtuſiſſi-
mis vtatur; vt nec illuſtriſſimas res videat, nec verba vitæ, planè diuina,
percipiat. Eum autem ægrotū, qui ita fuerit affectus, alieniſſimum à ſani-* Hippocr. Aphor.
*tate, interituiq; viciniſſimum medici omnes indicant: maximè cùm huiuſ-
modi affectio ex cordis vitio proficiſci cognoſcitur. Cor enim vtilium mem-
brorum princeps, ſi rectè habeat, bonam ſpem; ſi verò tarditate mœſtum &
craſſum fuerit, exitij indicium medicis facit. S.S.E. Cor lætum perficit ſa-* Prou. 17.
*nitatem, & ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. In eum igitur locum Iudæorū im-* “
*probitatem tandem deuenturam Deus per vatem denunciat, vt neque ma-
nifeſtis factis & miraculis, quæ nemo alius præter Deum facere poſſet, ne-
que apertiſſimis doctrinæ & ſacrorum librorum teſtimoniis, atq; ſapien-
tiſſimis & ſimpliciſſimis verbis orationibusq;, quibus etiam paruuli doce-
bantur & proficiebant, Chriſti Filij Dei veritatem & præſentiā in ſuam*

 *ſalu-*

*ſalutem illi cognoſcerent. Id autem eorum culpa omnino accidere, qui improbitati pertinaciter indulſerint, ſibi parcere ac proſpicere nolentes, quamuis admoniti ſæpiſsimè, quo ad cor ipſum vitio occupatum & obductũ fuerit. Atque in hanc ſententiam exponendus eſt hic locus, quocumque modo Latinè legatur: neque verò huius vitij & incraſsationis auctorem & procuratorem ſe eſſe, ſed illos eoſdem Deus confirmat: ſibi cauſam fuiſſe tanti mali, & ex eorum obſtinatione medici deſertionem fuiſſe conſecutam. Non medici, ſed culpa perit ſua, qui medicinam reſpuit, curariq́ ſe non patitur; atq́ vt à medico deſtituatur, cõmittit. Itaque imperatiuus ille:* Audite audientes, & videte viſionem. *non iubentis, ſed exprobrantis orationẽ refert. vt, Dormite iam, & requieſcite, ſatis eſt modò. &, Admitte ad te alie-*

Eccl. 11. ,, *nigenam, & ſubuertet te. I nunc argentum & marmor, æraq́ & artes*

Horatius lib. 1. Epiſt. *Suſpice cum gemmis, Tyrios mirare colores. Atq́ ita hunc locum Chriſtus, Euangeliſtæ, Apoſtoliq́ legunt; non vt Deo, ſed eorum culpæ, tum ſenſuum*

Matth. 13. *hebetudinem, tum cordis ſtupiditatem aſcribant. Ideo in parabolis loquor*

,, *eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt:*

Mar. 4. *& adimpletur in eis prophetia Iſaiæ, dicens: Auditu audietis, & non in-*

Lucæ 8. *telligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor*

Ioan. 12. *populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt; ne-*

,, *quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant; & cõuer-*

,, *tantur, & ſanem eos. Veſtri autem beati ſunt oculi quia vident, & aures*

Act. 28. *veſtræ quia audiunt. & Paulus inquit: Bene Spiritus ſanctus locutus eſt*

,, *per Iſaiam ad patres noſtros, dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos,*

,, *Aure audietis & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicie-*

,, *tis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt:*

,, *& oculos ſuos compreſſerunt; ne fortè videant oculis, & auribus audiant,*

,, *& corde intelligant: & conuertantur, & ſanem eos. quòd verò dicit:* Audite audientes: ſiue, Auditionem audite, & videte viſionem. *Aſſeuerationem & frequentiam indicat, neque enim ſemel ab illis verba vitæ audita, neque maxima & illuſtriſsima illa Chriſti facta ſemel, ſed frequentiſſimè ſpectata ſunt: & tamen non intellexerunt, neque cognouerunt, eo quòd cor incraſſatum haberent: vbi autem cordis officium deſideratur, nihil ſen-*

,, *ſuum facultas ad cognoſcendum, ſciendumq́ valet. S. S. E. à Salomone ad*

,, *verbum: Ad quid pretium in manu ſtulti ad emendam ſapiẽtiam, cùm non*

,, *habeat cor. &, vt aiebat Epicharmus:* νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἐπακούει. *Cor autem incraſſatum appellat Spiritus ſanctus idem quod aliàs ſtupidũ, obturatum,*

Act. 7. *& incircunciſum Apoſtoli dixerunt. Sic Stephanus aiebat, Dura ceruice, & incircũciſi cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.*

Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude. *Hebraicè infinitiuo modo & tempore hæc ſunt, atque confirmationem, non iuſsionem ſignificant: ad eumq́ modum Chriſtus & Euangeliſtæ interpretantur. Verùm id quòd expoſuimus, apertè indicatur oratione ipſa, ex cordis*

*cordis vitio, aurium oculorumq́; facultatem impediri.* excæca, *idem eſt, quòd incraſſare hoc loco, & à Chriſto & Paulo ſic redditur. Dicimus autem Latinè cæcũ, quod nõ videt, & quod videri non poteſt: vt cæcus carcer, cæcæ tenebræ, cæcus nodus, & res cæcas, & ab aſpectu & iudicio remotas, Cicero dixit. Illud verò quod ſubiectum eſt:* Ne fortè videant oculis ſuis; & auribus ſuis audiant: & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum; *hanc habent ſententiam, Iudæos ipſos malum morbumq́; ſuum ſponte fouere, & tueri velle; adeò vt nihil in illis boni ſperari poßit. Senſuum illam tarditatem, & cordis hebetudinem ac craßitudinem pertinacißimè adeò augentibus, vt nulla videndi, audiendi, atque intelligendi voluntas reliqua ſit. Vnde pœnitentia vera, atq; hanc conſecutura ſalus à Deo afferenda ſperari poßit. Itaque ſalutis omnem deſperationem nõ in medico ipſo, curare cupiente, ſed in ægroto ſalutis rationem omnino auerſante, eſſe. Eſt igitur oratio hæc ex conſequentia, non ex antecedenti interpretanda: conſequitur namq; cordis craßitudinem videndi & audiendi negligentia, & auerſatio. Hanc autem conuerſionis & pœnitentiæ obliuio & reiectio, tum demum curationis deſperatio conſequitur; omníſque hæc ratiocinatio ægroti culpam, non medici defectum aut negligentiam arguit. S.S.E. Perditio tua ex te Iſraël, ſalus autem ex me. Inuitum autem & renuẽtem ſeruari nunquam contingit. Qui fecit enim te, ſine te; non ſaluabit te, ſine te: dixit ſanctus ille, & doctißimus vir. Atque adeò hunc locum ita ſimpliciter, & ex Veritate ipſa aperiri & explicari oportuerit: magnum aliàs negotium iis qui non rectè intellexerint, exhibiturum. Hebraicè ſcientibus facilis eſt explicatio: quippe hæc oratio non ad cauſam, ſed ad dubitationem cum admiratione & ironia pertinet: ſic ad verbum reddenda,* Forſan videbit in oculis ſuis, & in auribus ſuis audiet: & cor eius intelliget, & conuerti, & ſanare illi? *Qui hoc modo (inquit) eſt affectus populus, vt cordis craßitudinem morbi diuturnitate, & curationis repudiatione obduxerit, forſan videbit, audiet, & intelliget? &c. Atq́; ita continget, conuerti, & curare illi? Huiuſmodi ironicas admirationis & deſperationis ſententias apud externos quoque ſcriptores obſeruauimus: vt,*

Cic. pro Mil.

Auguſtin.

*Ad hæc animos ærugo, & cura peculi*
*Cùm ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi*
*Poſſe linenda Cedro, & leui ſeruanda Cupreſſo.*

Hor. de art. Poet.

*Chaldæus Paraphraſtes locum hunc ſic exponit:* Incraſſatum cor ipſius populi huius, & auris eius grauata, & oculus eius obtenebratus: fortè videbunt oculis ſuis; & in auribus ſuis audient, & in corde ſuo intelligent, & redibunt, & remittetur illis? *Atque in hanc ſententiam locus hic in noui Teſtamenti libris paßim citatur. Chriſtus ſic: Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt; nequando videant oculis, & auribus audiant, & conuertantur, & ſanem eos. apud Ioannem verò ſic: Propterea non poterant credere, quia*

Mat. 13.

Ioan. 12.

*iterum*

" *iterum dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt*
" *non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanē eos.*
*Hoc loco verba Excæcauit, & Indurauit, neutram ſignificationem habent.*
Act. 28. *Atque ita interpretatur diuus Paulus: Incraſſatum eſt enim cor populi hu-*
" *ius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt, ne fortè*
" *videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur,*
" *& ſanem eos. Sanitatem autem hic peccatorum remiſsionem definimus.*
Pſal. 18. *S.S.E. Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi. Atque ita Marcus interpretatur. Nequando conuertantur, & dimittantur iis peccata. Conſultò autem in hac oratione illa verba expreſſa fuere:* Oculis ſuis, auribus ſuis, & corde ſuo. *Etenim eiuſmodi qui ſunt, non oculos, aures, aut cor ſimpliciter habere dicuntur; ſed oculos ſuos, aures, & cor ſuum: hoc eſt, ab ipſiſmet, non ad communem hominum rationem, ſed ad ſuam ſtultitiam comparatum, vel potiùs deprauatum, quibus in perniciem potiùs, quàm in ſalutem ſuam abuſuri ſint. Neque autem ab illa reſipiſcent inſania, antè quàm maximis incommodis affecti, ſuiſq́ue calamitatibus iam vehementer confracti & exagitati, tandē excitentur: id quod grauiſsima mentis alienatione laborantibus accidit; vt niſi extremis doloribus, & tormentis atque cruciatibus affecti, non ſentiant. Id quod in huius populi rebus & rationibus euenturum Vates à Deo edoctus eſt.*

Et dixi, Vſquequo Domine? Et dixit, Donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquatur deſerta. Et longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur quæ relicta fuerat in medio terræ.

GRAVISSIMI *& pertinaciſſimi morbi huius cauſas edoctus Vates, terminum quoque & iudicationem, atque exitum doceri cupiens audiuit, tunc fore expectandum, cùm extremis malis & miſeriis oppreſsi, & agitati Iſraëlitæ, aliqua ex parte reſentire, & ad ſe redire incipiant: ex eo namque, & deinceps gentem illam Dei medentis beneficio ad ſalutem eſſe reducendam. Atque hoc oraculo omnis Iſraëlitarum calamitas deſcribitur, quæ ab illis temporibus Salmanaſaro miniſtro afferri cœpta, & Tito atque Adriano*
Rom. 11. *abſoluta, ad noſtram vſque ætatem durat; ad eamq́ue diem pertinebit, cùm Iſraëlis reliquiæ ſaluæ factæ, & reſtitutæ ad diuitias mundi, & plenitudinem inſtaurentur.* Ciuitates ſine habitatore, *id eſt, penitus deſolatas, & Iſraëlitarum gente carentes omnino fuiſſe, vſque ad Euangelica tempora non legimus: ſemper enim vel in Iudæa, vel in Iſraëlitide regione aliqui ſuperfuerunt, qui Iſraëliticum nomen & ius conſeruarent. A Titi & Adriani temporibus nullam in Palæſtina ciuitatem moribus & ciuibus Iſraëliticis vſam, ſui iuris extitiſſe accepimus: ſi quæ autem vrbes, ſi quæ oppida relicta ſint; ea vel nullos Iſraëlitas, vel non ciues, verùm captiuos, & hoſtiles, & aliàs alienos habuerunt.* & domus ſine homine. *Vrbes, inquit, ciuibus, & domus omnino vacuæ ac deſertæ hominibus viſentur.*

& ter-

& terra relinquatur deſerta. *Agri inculti, & culturæ defectu ſquallētes, & horridi, ita vt nec in vrbibus, nec in agris cultor quiſquam ex Iſraëlitis oſtendatur.* & longè faciet Dominus homines. *Iam tum non Iſraelitas, ſed homines appellandos; namq; Iſraëlis reſpub. dignitas, & Eccleſia duodecim tribubus integra conſtabat: aliàs nomen illud Iſraëlis minimè legitimè tueri poterat. S.S.E. Veneruntq; omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperam: leuauerunt vocem, & magno eiulatu cœperunt flere, dicentes: Quare Domine Deus Iſraël factum eſt hoc malum in populo tuo; & hodie vna tribus auferetur ex nobis. & iterū: Vniuerſus Iſraël valde doluit, & egit pœnitentiam ſuper interfectione vnius tribus Iſraël. Quamobrem illis per vniuerſum orbem diſperſis, præſertim verò ab illis Iſraëlis & ſanctitate & dignitate longè alienis, non Iſraëlis, ſed Adam nomen Deus hoc loco aſcripſit, cuius exilium ex propria patria per quàm diuturnum, & ſine reſtitutionis commoditate futurū eſſe, etiam inter hæc ſigna & argumenta indicabat Deus.* Et multiplicabitur quæ relicta fuerat in medio terræ. *Hebraicè ad verbum*: Et multiplicabitur derelictio in medio terræ. *& Chaldaicè*: Et multiplicabitur vaſtitas in medio terræ. *Sic autē eueniſſe ab extrema illa per Romanos edita vaſtatione, ad noſtra vſque tempora compertum, exploratumq; eſt. Namq; Iſraëlitica olim regio honeſtiſſima, opibus refertiſſima, vrbibus frequentiſſima, habitatoribus rerum omnium copiis ditiſſima: quæ, ſi Ioſepho Hebræo credimus, vltra decem millia vrbiū intra Iudeæ tribus terminos tantùm continebat: poſt illa ſecula in eam vaſtationem hodie redacta eſt, vt vix vllum contineat oppidum, quod ciuitatis mereatur nomen. Verùm enim verò miſericordiæ & beneficij Dei fore Vates ait, vt non omnis ſecundùm carnem Iſraël pereat; ſed vt illa etiam gens propter facta patribus promiſſa, delectu adhibito, reſtituatur. Nam ſi amiſſio eorū reconciliatio eſt mundi, quæ aſſumptio niſi vita ex mortuis: & ſi libatio ſancta, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami. Hunc igitur Iſaiæ locum apertè Paulus explicat, ſignificās futurū, vt Iſraëlitarū reliquiæ ſaluæ fiant, hoc eſt quòd ſubiūgitur:*

Iud. 21. Rom. 11.

Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in oſtenſionem ſicut terebinthus, & ſicut quercus quæ expandit ramos ſuos: ſemen ſanctum erit id quod ſteterit in ea.

IOANNES *Theologus quo tempore calamitatem terræ, & mari, atque arboribus inferendam conſpexit, ſelectum ab Angelis in Iſraëlitarum gente ad ſalutem factum ſibi viſum fuiſſe ait: ita vt de ſingulis tribubus duodena millia, qui ſerui Dei audierint, ſeruandi ſignarentur. Huiuſmodi autem reliquias & radices, per quas Iſraëliticum nomen conſeruatum ad ſummam gloriam, hoc eſt, ad Chriſtianam communionem reſtitutum, inſtaurandum tandem fuerat, Iſaias decimationem vocat nomine arcanæ ſignificationis vſurpato,* GHASSIRIA, *quod & decimationē, & diuitias ſignificat. Diuitem igitur & præſtantiſſimam multorum millium, & frequen-* עשיריה

*quentiſſimorum populorum inſtar habendam decimationem indicare voluit: quam reiectis & repudiatis iis, qui indigniſſimi fuerint ex Iſraëlitis, ad ſalutem tandem delecturus Deus eſſet. Ij enim, qui inter illos prudentiſſimi & iudicioſiſſimi erunt, cùm aſſidua precatione tum ſacrorũ librorum lectione & collatione, noui cum veteri Teſtamento, Deo ſeſe vocanti, dedent; iſtiusq́ miſerrimæ conditionis, qua nunc vtuntur, pertæſi, conuertentur ad Dominum, & ſuam agnoſcent cæcitatem. Atque ita Iſraëliticæ reliquiæ ſelectæ & expurgatæ, denuò ad multo maiorem quàm antea ſplendorem, reuireſcent.* Et erit in oſtenſionem ſicut Therebinthus. *Eam rationem in Iſraëliticis rebus renouandis à Deo ineundã eſſe vates ait, quam periti agricolæ in arborum fructiferarum cultu ſequuntur, vt inutilibus ramis amputatis & reiectis, foliisq́ aridioribus ac deterioribus auulſis, & ligno in corpus, & firmitudinem augendo, & fructibus feliciùs producendis, copia fiat.* Oſtenſionem, *hoc in loco putationem interpretamur: nam putatores quæ vtilia, quæve inutilia in arboribus cognoſcant, oſtendere, atque indicare amputando ſolent. Hebraicum verbum* BAGHER, *remotionem atq́ expurgationem perfectam ſignificat: eſtq́ in expiationum ratione notiſſimum.* Et ſicut quercus quæ expandit ramos ſuos, ſemen ſanctum erit: quod ſteterit in ea. *Iſraëlitarum arborem cum ſtipite ipſo, inutilibus ramis reiectis, per purgatam felici demum prouentu, & grato ſucceſſu renouandam fore Vates ait.* Sicut quercus quæ expandit ramos ſuos. *hoc eſt, reÿcit amputatos & reſectos, feliciores enim qui remanſerint ſeminis ſancti nomine augendos amplificandosq́ conſeruat. Hunc locum Latinus interpres Hebraiſmi vitãdi cauſa ſic vertit, cùm Hebraicè ſic habeat:* Et ſicut Elah, & ſicut Elon, quibus in proiectione ſtatua in eis, ſemen ſanctum ſtatua eis. *Vocatur autẽ Hebraicè arboris ſtipes vel truncus, ſtatua, ex firmitudine ac ſitu. Nomina autem arborum Hebraica Elah, & Elon, quid propriè apud Latinos ſignificent, exactè indicari modò non poſſunt. Glandiferarum autem genera eſſe apparet, vt ex Chaldæa Paraphraſi docemur, quæ hoc modo habet:* Et relinquentur in ea vnus ex decem iuſti, & redibunt; & erunt ad vtilitatem vt glans, & vt caſtanea, in qua cùm remaneant rami eius, ſimiles aridis, & vſque nunc illi virides ad ſtatuendum ex illis ſemen: ſic captiuitas Iſraël cõgregabuntur, & redibunt ad terram ſuam, quia ſemen ſanctum ſtatua eorum. *Denique huius loci ſententiam eadem ferè omnino arboris ſimilitudine D. Paulus ab illo verſu, Quòd ſic aliqui ex ramis fracti ſunt, vſque ad capitis finem perſequitur.*

[Margin: בער — Rom. 11.]

ARGV-

## ARGVMENTVM VATICINII VII.

DIVINI conſilij rationes adeò certas & firmas eſſe, vt nulla hominum ſapientia, potentia, & induſtria labefactari contingat, contrà verò humana conſilia, ſtudia, & molimina, quamuis opulentiſſima, inſtructiſſima, & maxima, à Deo tamen improbata impediri, frangi, & corruere, atq; calamitoſos habere exitus, hoc vaticinio docemur. In quo oſtenditur, quantum virium, opum, atq; ſtudiorum ab humanæ ſalutis hoſte per Iſraëlis Syriæ, Aſſyriæq; reges fruſtrà conſumptum ſit, ad Iudaicæ tribus gentem, & Dauidis familiam perdendam: quam tamen Deus inter plurimas & grauiſſimas calamitates Meſſiæ ſui in orbis ſalutem promiſſi: atque ex illa gente & familia naſcituri cauſa conſeruauit. Multa autem cùm difficillima, tum etiam varia, & cognitu digniſſima, in hoc vaticinio continentur: quæ nos, Deo propitio, vel exponere apertè, vel commoda ſignificatione, vt aliàs conſueuimus, indicare cogitamus.

## CAPVT VII.

ET factum eſt in diebus Achaz filij Ioatham, filij Oziæ regis Iuda: Aſcendit Raſin Rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ, Rex Iſraël in Ieruſalem, ad prœliandum contra eam: & non potuerunt debellare eam.

TOTIVS rei ſummam & exitum ipſum breui narratione verſus hic continet, ſeriem autem, & rei geſtæ conſilium atque euentum, reliqua deinceps explicat oratio. Videtur autem hic locus cum ſacris hiſtoriis pugnare, vbi S. E. de Achaz: Non fecit rectum in conſpectu Domini, ſicut Dauid 2. Paral. 28.
pater eius; ſed ambulauit in viis regum Iſraël. Inſuper ſtatuas fudit BAGHALIM, &c. Tradiditq; eum Dominus Deus eius in manus regis Syriæ, qui percuſſit eum, magnamq; prædam cepit de eius imperio; & abduxit in Damaſcum. manibus quoque regis Iſraël traditus eſt, & percuſſus plaga grandi. Occiditq; Phacee filius Romeliæ de Iuda centum viginti millia in die vno, omnes viros bellatores, eo quòd reliquiſſent Dominum Deū patrum ſuorū. Eodem tempore occidit Zechri vir potens ex Ephraim, Maaſiam filium Regis, & Ezrricham ducem domus eius: Elcanam quoque ſecundum à Rege. Ceperuntq; viri Iſraël de fratribus ſuis ducēta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam: pertuleruntq; eam in Samariam. Hîc verò duo ſimul reges, Iudæorū hoſtes declarati, re infecta rediiſſe dicuntur, nullaq; de illis, quas hiſtoria narrat, victoriæ mentio fit. Atque harum narrationum repugnantia nulla eſt, ſi tempora, modi, & cauſa, & conſilia rectè conſiderentur. Namque in primis Achaz temporibus calamitatem Iudaico populo ob eam cauſam allatam fuiſſe docemur, quòd ætas illa præſentis regis vitio, culpa, atq; exemplo corrupta fuerit: quæ

*præcedentium duorũ principum, quos ideo Scriptura appellat Ioatham &Ioziæ, temporibus minùs prophanata, & contaminata permanſerat. Nihil enim in duobus illis regibus publici ac mali exempli notat Scriptura, præter vltimũ illud Vziæ tentatũ ſacrificiũ; quod tamen præſens poëma cũ magno populi conſpicientis timore conſecuta eſt. At verò Achaz, qui à patris auiq; exemplo degenerans, impietatis, & ſuperſtitionis turpiſſima ſcelera nõ admiſit ſolùm, ſed vltrò etiã affectauit, & procurauit: certa & velox mulcta, eaq; grauiſſima ex diuini iudicij ſentẽtia irrogata eſt. Neque enim Iſraëlis aut Syriæ regi, ſed Deo auctori & vltori illatas, Iudæis illo tempore calamitates hiſtoria aſcribit. Tradidit, inquit, eũ Dñs Deus eius in manu regis Syriæ, qui percuſſit eũ: in manibus quoq; regis Iſraël traditus eſt, & percuſſus plaga grãdi. Namq; hæc verba regis culpã diuinũq; conſiliũ & iudiciũ aduerſus regẽ apertè ſignificãt: propoſitæ verò ab Iſaia narrationis alia ſentẽtia eſt. Reges illos nõ ex diuino cõſilio, ſed ex priuato odio & ſimultate, proprio ſtudio de Iudaica gente, & Ieroſolymis, & Dauidis regis familia perdẽda cogitaſſe, iunctiſq; copiis, in eã expeditionẽ proficiſci cœpiſſe. Huic autem rei diuinum decretum interceſſiſſe, quo impium duorum regum de Iudaica tribu, & regia domo euertenda, aduerſus Dei ſententiam initum conſilium frangeretur. Atque hæc cauſa fuit quamobrem cùm ab alterutro duorum regum magnæ clades, Iudaicis rebus, & Achaz regi fuerint allatæ; tamen cum conſiliis, ſtudiis, copiiſq; collatis, nihil fuit effectum: quòd illud prius diuino conſilio ob regis culpam factũ fuerit; hoc verò præter Dei ſententiam, ipſorum principum odio & voluntate fuerit inceptum. Viſum enim fuerat duobus Regibus rerum geſtarum ſucceſſu elatis, tempus illud Achaz regis ad æmulam ſibi & inuiſam vrbem Ieruſalem euertendam, familiamq; regiam extinguendam eſſe opportunum, cùm ſuperiorum principum temporibus nulla ſimilis occaſio fuiſſet oblata. Atque hæc ſententia eſt huius narrationis à Vate hoc modo cœptæ:* Et factum eſt in diebus Achaz. *Namque coniunctio* Et, *præcedentes calamitates Iudæis, & Achaz regi ex diuino cõſilio allatas indicat; ex quibus illud accidiſſe ait:* Vt aſcenderet Raſin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Iſraël in Ieruſalem [*vt totius regni caput, & regiam ac principem vrbem*] ad præliãdum contra eam, *Hebraicè*, ad bellum ſuper eam, *apertè ſignificat conſilium regum fuiſſe vrbem illam delere ac perdere; non verò regem ipſum ex diuina ſententia vexare. Ob eam rẽ non ait Scriptura, Tradidit Dominus Ieruſalem in manu Raſin & Phacee, ſed ipſos aſcendiſſe ait: præterea eos ſimul coniunctos aſcendiſſe narrat, vt oſtendat non ex diuino, ſed ex ipſorum conſilio illud fuiſſe inceptum. Namq; quod alterutri facile priùs fuerat, hoc nunc difficile iudicatum eſt, niſi collatis copiis iniretur. Deinde cùm Deus voluerit Iudæis manifeſtum iudicij argumentum oſtendere, alterum ſeorſum miſit, cui fortiſſimis & inſtructiſſimis copiis reſiſti nõ potuit. S. S. E.*
„ *Occidit Phacee filius Romeliæ centũ viginti millia in die vno, omnes viros bella-*

bellatores: eo quòd reliquiſſent Dominum Deum patrum ſuorum: facile
autem fuit etiam Ieroſolymam in manum alterius tradere, ſi id conſilium
fuiſſet. Igitur hæc duorum potentium & victorũ regum ſocietas conſilium
humanum apertè arguebat. Atq; hæc ratio eſt quam in Regum libris hiſto-
ria ſacra indicat. Tunc aſcendit Raſin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ 4.Reg 16.
rex Iſrael in Ieruſalem ad præliandum: cumq; obſiderent Achaz, non va-
luerunt ſuperare eum. & hîc dicitur: Non potuerunt debellare eam.
Hebraicè eſt, Non potuerunt bellare ſuper eam: qui eius perdendæ ani-
mo venerant (inquit) non modò nõ perdere, ſed neque bellũ illi inferre po-
tuerunt; nullum enim prælium committere, neque quidquam graue aut ca-
lamitoſum agere permiſſi ſunt: nihil enim eiuſmodi præter diuinam ſen-
tentiam agi à mortalibus potuit, quamuis inſtructiſſimis & potentiſſimis.
Id quòd non intelligentes rex & familia regis, malè ſibi conſulebant, id
metuentes quod metuendum non fuerat: id verò quòd vehementer timen-
dum proſpiciendumq; fuerat, negligentes.

Et nuntiauerunt domui Dauid, dicentes: Requieuit Syria ſuper
Ephraim. ET conſilium, & conſilij cauſa atque auctor apertè hoc
loco ſignificatur: namque Ephraim, hoc eſt, regina Iſraelitarum familia an-
tiqua & veteri ſimultate, & regni contentione aduerſus domũ Dauid fla-
grabat; ſæpeq; de victoria, & rerum ſumma inter vtramque partem fuerat
certatum: nunc verò Phacee, cum omni tribu Ephraim ex geſtarũ aduer-
ſus Achaz rerum euentibus, in ſpem domus Dauid euertendæ arreptus, ſo-
cium ſibi aſciuit Syriæ regem. Syria autem Dauidis familiam ob memo-
riam antiquarum cladium, quas à Dauid fuerat perpeſſa, oderat; ſed per-
dendi nulla copia erat propter Iſraelitas: aliàs ſanguine & neceſſitudine
cum Iudæis coniunctos, quos in dubiis rebus à gente ſua potiùs quàm ab ex-
terna futuros metuebat. Nunc autem oportuniſſima ad eam rem occaſio vi-
ſa eſt, Syriæ quam Ephraitarum commune aduerſus Dauidicam domum
conſilium & ſtudium pepererat: ob eamq; rem ſignificanter dicitur, nun-
tiatum eſſe domui Dauid, non Iudææ, ſed domui Dauid, cum qua cõten-
tio & ſimultas interceſſerat: qua deleta Iudææ regnum Iſraelitis adiũctum
iri ſperabatur, dicentes: Requieuit Syria ſuper Ephraim. Ephraim tri-
bum auctorem primum, Syriæ verò gentem additam ſociam, indicat nun-
cius, quæ ſolicitudinem & curam ſuam iam depoſuerit, rogata ab Ephraim
vt mutuis conſiliis & copiis communem hoſtem diſſiparent: ob eam rẽ vſus
eſt verbo requieuit ſuper, hoc eſt, eam ſuſpicionem & metum Ephraim, quo
in cauſa aduerſus Dauid premebatur, depoſuit iam; vt ſocietatẽ iniret ro-
gata, atq; eadem opera ſpem cepit magnam; fore, vt voto potiretur ſuo, Da-
uidis familia euertenda. Hoc eſt, requieuit Syria ſuper Ephraim. vbi non
regum priuatæ cauſæ, ſed communes & antiquæ gentium inimicitiæ & ſi-
multates illis nominibus, Syria, Ephraim, domus Dauid indicãtur. Non
poſſumus adeò breues eſſe in diuinis verbis exponendis, præſertim argu-

*mentis ab iis quæ ante nos ſacra commentati ſunt, non tractatis, & ſine quibus plena ſententiæ ratio conſtare non poſsit. Atque hoc nuntio regiam domum & ciuitatem omnem perturbatiſsimam fuiſſe Vates narrat: vtpote quibus belli eius cauſæ & conſilium, ac principum nota ante potentia, & populorum hoſtium ſtudia, niſi ad diuinam prouidentiam res omnis referretur, vehementer formidanda erant.*

Et commotum eſt cor eius, & cor populi eius, ſicut mouentur ligna ſiluarum à facie venti.

APERTE *intellexerunt domus Dauid, & populus eius grauiſsimo & pernitioſiſsimo populorum ſtudio bellum illud ſibi afferri, non prædarum & victoriæ, ſed regni omnino euertendi, ac Dauidicæ familiæ conficiendæ conſilio & ſpe: neque ſibi priuatum principum, ſed publicum & commune inimiciſsimorum populorum impetum ferendum eſſe, nullo iam ſocio, aut amico propiùs exiſtente, cuius ope & interuentu aut pelli, aut frangi, retardaríve hoſtis tam validus, vehemens, atque contumax poſſet. Etenim cùm rex & populus ille acceptas paulo antè ab altero atq; altero rege ſeorſum calamitates, non tam ex numinis irati ſententia, quàm ex hoſtis potentia interpretati, grauiſsimas cognouerant, quantum illud bellum futurum eſſe putare poterant: quod duo potentiſsimi, & victoriis inſolentiſsimi Reges, vnà cum communibus populorum ſtudiis & copiis coniungerent, atque aduerſus regni caput ipſum, & totius reip. principem, ciuitatem atq; gentem mouerent? Hanc Hieroſolymitanorum commotionem aptiſsima ſimilitudine Vates indicauit, lignorum ſiluæ venti ſæuientis impetu agitatorum. Namque arbores magis commoueri & quati in ſiluis quàm hortis, aut ſuburbanis lucis, aut apricis aliis locis videmus, propter venti vndiq; flatum, quem nullus murus, aut mons, aut obex alius retineat & frangat. Sic illi, qui diuinum auxilium vel non cogitabant, vel non petebant, propterea quòd cælitus immiſſum ſibi malum etiam hoc crederent, neque declinari poſſe arbitrabantur, nonnullam in deſperationem veniſſe videntur: adeò vt ſiluæ arborum à vento percuſſarum inſtar, vel euulſionis, vel ſtragis grauiſsimæ metu omnes agitarentur, & contremiſcerent. Iſq; tumultus & fremitus in populo ſentiretur, quem ſiluæ arbores vehementi vento agitatæ, edere ſolent. Atq; in hunc locum Iudæorum res, vis, & ſpes omnis, quòd humanis rationibus tantùm definirentur, redactæ erant: niſi diuino conſilio & prouidentia, & ipſorum ſaluti conſultum, & hoſtium conatibus obuiam itum fuiſſet; opportunum autem tempus conſilij diuini oſtendendi, cùm altera pars hominum nihil ſibi non promitteret, altera nihil ſperaret. Tunc enim:*

Et dixit Dominus ad Iſaiam: Egredere in occurſum Achaz tu, & qui derelictus eſt Iaſub filius tuus, ad extremum aquæductus piſcinæ ſuperioris in via Agri-fullonis.

C VM *nuncius ille de duorum hoſtium conſilio & expeditione Ieroſolymam perlatus eſt. Achaz, vt oratio ipſa indicat, vrbe abierat: quapropter*

ad

*ad ipſam regiam familiam, cuius commune periculum erat, illa de re fuit relatum. Huius certior factus Achaz, ex eo loco vbi tunc temporis commorabatur, Ieroſolymam ſibi & regno conſulendi cauſa ſeſe recipiebat. Quem quia minùs pium, minusq́ de religionis rebus, & de diuinis rationibus cogitantem, oracula & reſponſa minimè curaturum, neque aliorum piorum regum more in rebus dubiis Vatis domum aditurum eſſe cognoſcebat Deus, à Vate ipſo redeuntem in via, adiri & conueniri, atq́ ſuum erga populum, & regnum Iudaicum, Dauidicamq́ domum conſilium doceri iuſsit. Totum autem negotium tranſigi ita voluit, vt non ſolùm verbis, ſed certis etiam rebus & ſignis huius legationis ratio apertè ſignificata, & diligentiùs attendi, & ſtudioſiùs cognoſci, atq́ diutiùs mẽte animoq́ teneri poſſet. Namq́ in primis Vates alterum ex duobus filiis, quos in ſignum & portentum ſibi datos atq́ appellatos aliàs confirmauit; deinde regi certo loco, eodemq́ tum frequentia & vſu celeberrimo comitem ſecum ducere, tum nominibus impoſitis, ad præſentis conſilij rationem indicandam opportuniſsimo regi obuiam ire iuſſus eſt: videlicet, vt diuina voluntas, & ſententiæ ratio, & verbis, & rebus, & locis ipſis confirmata, apertior conſtantiorq́ fieret iis, quorum res agebatur. Solent enim non rarò vates grauiſsimas quas à Deo accipiunt legationes, non tantùm verbis, ſed adnotandis quibuſdam rebus, ad maiorem rei ipſius confirmationem, attendentiumq́ animaduerſionem inſtructas gerere. De quo genere nos cùm ſæpè aliàs, tum in Hoſeæ Commentariis copioſè diſſeruimus.* Hoſe. *Atq́ cauſam ob quam vates regem adire iuſſus fuerit, eam nunc indicamus, vt manifeſtum fieret quantum humanæ ſalutis res Deo curæ ſint, cui tum maximè, cùm hominibus ipſis deſperatiſsimæ eſſe videntur, tamen vltrò curari, foueri, & expediri ſoleant. Etenim qui regi & populo minimè ad imminentis periculi propulſationem inuocabatur, vltrò ipſe obuiam iri, & ſalutem promitti, & maximorum beneficiorum, ſaluberrimiq́ conſilij rationem exponi iubet. Nunc verò quid illarum rerum & locorum adnotatio ſibi velit, ex verbis ipſis indicabimus. Non enim fruſtra res & loca illa tum natura & vſu, tum certis nominibus impoſitis, adnotanda vſurpari à vate Deus voluit. Sed alterum ex liberis in primis duci, cui nomen erat* SEARIASVB, *hoc eſt, reſiduum conuertetur, vt vel ipſo iuuenis conſpectu & nominis appellatione bonum ſibi nuncium afferri rex poſſet interpretari. Namq́ imponendi filio nominis ratio illa apud Vatem expoſita fuerat; vniuerſum Iſraël periturum non eſſe, immo fore vt reliquiæ ad pœnitentiam redeuntes, ad ſalutem quoque diuinam eſſent reducendæ. Huius itaq́ iuuenis cum patre vate occurſu diuini de illius populi conſeruatione, & ſalute conſilij admoneri rex potuit, & debuit. Latinus interpres alteram nominis partem hoc loco interpretatus, alteram Hebraicè reliquit. Quæ verò ad locorum adnotationem explicandam breuiter afferre poſsumus, huiuſmodi ſunt:* Ad extremum aquæductus. *Extremum, ex Hebraico idem quòd pars hoc loco ſignificat.* Aquæductus piſcinæ ſuperioris.

rioris. *Duas fuiſſe Ieroſolymis piſcinas, ſuperiorem, & inferiorem; quò confluentium ex imbribus aquarũ copia, ad oportunos conſeruabatur vſus; & ex nominibus ipſis, & multis etiam locis ex ſacra Topographia, atque ſcriptorum aliorum teſtimoniis docemur. In has aquæ per canales deducebantur, quos aquæ ductus dicimus. Erat autem commodus fullonibus locus apud eiuſmodi lacus, in quo via ſtrata, & vndique constructis carceribus, & aliis ex ligno vectibus compoſitis munita erat, vbi lotæ in piſcina aquæductuq́ veſtes, ad ſolem exſiccandi cauſa exponerentur: hanc autem viam lapidibus ſtratam, compoſitam, expeditam, atq́ puluere lutoq́ carentem, ad veſtium munditiem conſeruandum eſſe oportuit. Hîc enim quod viam reddidit interpres noſter* MEZZILAH, *Hebraicum nomen ſtratam viam ſignificat. Cæteris etiã illius loci partibus nomina impoſita ſunt; quæ ad arcanam rationem obſeruandam facilè mouere attendentem potuerunt. Namq́ pars* aquæductus piſcinæ ſuperioris, *his verbis dicuntur*, KESZAH THEGHA LATHHABER ACHAH HAGHALIONAH. *Quæ ſi ad verbum etiam interpretari alia ſignificatione velis, ita reddes, Pars morbi & moleſtiæ ſanitas aſcẽdens benedictionis ſupernæ. Cuius orationis ſententia eſt, illã quam rex tum timebat moleſtiam, non eſſe magnam, ſed partem moleſtiæ, cui ſalus non hominum conſilio & auxilio, ſed ſuperna benedictione afferretur: qua regi ipſi vti liceret, modò ſeſe legitimè & ſanctè ad eam rem parare in animo eſſet. Quam ob rem hoc non alibi quàm in ſtrata agri fullonis agi Deus præcepit, cuius orationis hæc ſunt verba*, MESZILA SADEH CHOBEZZ. *Quorum illa ad verbum etiam interpretatio eſt. Strata ſatis lauãtis. Etenim diuina ſalus iis promiſſa affertur, qui anteactæ vitæ culpas & ſordes deteſtatione, contritione, confeſſione, & animi dolore ſatis lauantes, in poſterum melioris conſuetudinis viam muniunt, lapidibus, cæterisq́ impedimentis, quæ offendere, ac retardare poſſunt, omnino ſublatis & remotis. Eſt autem* MESZILAH, *via non ſolùm rectè conſtrata atque æquata, ſed à ſaxis, aliisq́ rebus importunis expurgata. Cuius deſcriptionem Iſaias ipſe*

מסלה

Iſaiæ 62. *nos etiam docuit: Tranſite, tranſite per portas, præparate viam populo, pla-*
» *nam facite viam, ſternite ſtratam, colligite lapides ex ea. Hactenus quibus rebus inſtruenda legatio eſſet, expoſitum eſt: nunc verò quibus acta verbis fuerit, exponamus. Chaldæus Paraphraſtes homiliæ modo hunc locum interpretatus eſt, vt ſolet cætera quæ ad actionem ſpectant.*

Et dices ad eum, Vide vt ſileas: noli timere, & cor tuum non formidet à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum in ira furoris Raſin regis Syriæ, & filij Romeliæ.

VIDE vt ſileas. *Hebraicè*, cuſtodire & ſile, *vel* quieſce. *Eſt enim verbum iis qui ſecuro animo eſſe iubentur aptum. Prohibetur autẽ his verbis Achaz, ne cum hoſte confligere, & bellum tentare velit, vt reges cæteri ſolent: qui hoſtis impetum in campis excipere & ſuſtipere, quàm obſidionis*
Iud. 5. *tolerantia retardare pulchrius & nobilius multo ducunt. S.S.E. Zabulon*

ex

*ex Nephthalim obtulerunt animas ſuas ad mortem. &, Nephthalim ſuper* "
*altitudines agri venerunt reges, & pugnauerunt, &c. Huiuſmodi autem* "
*conſilium, vtpote pro re nata inutile & ſuperuacaneum Achaz regi diſſuaderi, atq; omnem ſecuritatem, & felicem euentum, non ex humana virtute aut opera, ſed ex diuina miſericordia & prouidẽtia promitti Deus iubet.* & custodire, *inquit, atq; intra vrbis mœnia contineto, & quieſce ac tace; neminemq́; hominum in auxilium voces: nihil tibi aut populo præter quietem, & diuinæ opis expectationem ac petitionem præſcribas. Neque verò hoc ſic accipies, vt deſperãda tibi ſalus ſit: nihil profectò periculi eſt, certum tibi erit auxilium à Deo, vrbis, & regni, gentisq́; huius vindice & tutore.* Nolite timere, & cor tuum non formidet. *Hebraicè,* ne treme *ſignificat: quia non in arcu & gladio tuo, ſed Domini eſt ſalus, & ſuper populum ſuum benedictio eius. Atque oratio ad ſuaſorium dicendi genus refertur, cuius propoſitio eſt, hoſtem nec bello excipiendum, nec metuendum eſſe: confirmatio verò grauiſſimis & manifeſtis argumentis petitur: primùm ab hoſtium facultate, auctoritate, & conſilio; deinde à Dei ſententia, decreto, & virtute. vtriuſque enim partis argumenta coniuncta, atque inter ſe collata, certam ſalutis ſpem rectè cogitantibus poſſunt facere. Primùm quòd res ab hoſtibus, non ex diuino conſilio, ſed ex propria perturbatione & ira temerè & celeriter inſtituta decretaq́; ſit. Quidquid autem ira animorum motu temerario initur, neque conſilium, neque modum habet: quamobrem magnũ & conſtans eſſe non poteſt. S.S.E. Qui impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam,* Prou.14.
*cùm verò nulla maturitate ira vtatur, tunc fumus merus eſt:* "
*qui moleſtiam quidem exhibere nonnullam poſſit: citò tamen euaneſcat, &* "
*tandem nihil noceat. Ob eam rem Iſaias ex Dei præſcripto duos illos Ieroſolymorum hoſtes principes, quorum arbitrium & motum reliqui populi ſequerentur,* Caudas titionum *vocat:* A caudis titionum fumigãtium iſtorum in ira furoris. *Caudas titionum appellat, non titiones, deinde fumigantes, & non ardentes dicit: egregia & arcana ſignificatione vtrumq;. Solent enim qui incendium alicui loco faciendum parant, titiones manu afferre, quos admoueant; iis autem interim vtuntur, quoad ignis inſit, & capiendi, manibusq́; tenendi commoditas durat: eoſdem verò cùm exuſti, atq; extincti fuerint, reÿciunt: nihil aliud quàm fumum ex concepto calore, atq; iam remittente, exhalantes. Apertè ergo Deus quid hoſtes illi efficere potuiſſent, quid deinceps poſſent, indicauit: nimirum antea propterea nocuiſſe quòd ad eam rem Dei manu & virtute accenſi admotiq́; eſſent; nunc verò quòd reiecti à Deo extinctiq́; forent, præteritæ virtutis & efficientiæ nihil præter relictum ex animi perturbatione, fumum retinere. Caudas enim eſſe nullius manu & auctoritate apprehenſas, ſed reiectas iam à Deo, eaſdemq́; non ardentes, verùm fumigantes tantùm, quæ nihil vrere aut incendere poſſent: fumum verò non ex igne interiùs concluſo, ſed ex propria ira, nullo certo conſilio exhalari, qui citiſſimè euaneſceret. Eſt autem ratio hæc*

*ex natura rerum petita: namque ignis & fumus non idem ſunt, neque ex eadem naſcuntur cauſa: ignis exteriùs additur ligno, fumus verò ex ligni ipſius vitio & humiditate, quæ ſimul cum ignis natura manere non poteſt, gignitur. Itaq; proprio vitio, non diuina virtute impetum illum duabus titionum caudis excitatum eſſe, Deus docet.* in ira furoris. *Hebraicè,* In excandeſcentia naſus. *Subitum & temerarium furorem impatientia & inſolentia excitatum, hæc phraſis indicat. Etenim qui anguſtis naribus ſunt, celerrimè iraſci ſolent; nihilq; vel maturum, vel firmum eiuſmodi temeritate præſtare aut efficere poſſunt: cuius exemplum ſatis apertum* BENHADAD *Syriæ Rex* ACHABBI *tempeſtate præbuit. cuius inſolentiſſimæ ex ira minæ, notabiliſſimos in ſuam pernitiem exitus habuere. Atque hactenus primum argumentum ab impulſu & conſilio, cui ſecundum quoque adiungitur à cauſa. Non modò enim illorum mens & conſilium contemnenda, ſed cauſa etiam improbanda oſtenditur: quando iuris, cui hoſtes aduerſum domum Dauidis inniti poſſent, nihil extet. Etenim Syria cum rege ſuo Raſin, vtpote aliena à Dei cultu & cognitione vera, neque comparari cum Iudaico populo & regi, neque quicquam timeri debuit; cùm illi non de imperio cum Dauidis domo contendere poſſent vllo iure: ſi quid autem prætēderent, ſolùm ad acceptarum cladium vltionem ſpectabat; quas tamen à Dauide ob magnam ipſorum culpam acceperant, vt ex hiſtoriis conſtat. Neque verò illi regni perdendi, ſed Iſraëlitarum adiuuandorum cauſa in illam expeditionem profecti erant. Atq; hoc modo Phacee cauſa nixi, ſuam opē conferebant; ſibi autem nihil vlteriùs quàm irarum vltionem petebant. Igitur illius belli inferendi cauſa, aut penes Iſraelitas erat, aut nulla prorſus extabat: ſed apud Iſraelitas non eſſe, ſatis apertè confirmatur, quòd nemo extaret qui cum Dauidica familia contendere poſſet: aut ſaltem is qui contēdebat, nullo iure, ſed ſumma iniuria agebat: vtpote qui neque ipſorum Iſraelitarum vlla ratione legitimus rex, ſed tyrannus apertè eſſet. Etenim Phacee ex priuato patre Romelia natus, occiſo Iſraelitarum rege, tyrannidem occupauit. Sicut nec Raſin etiam verus ac legitimus Syriæ Rex erat; tamen ille cum Syro populo aduerſus Ieruſalem, ob antiquas clades, coniurauerat, ſeſéq; ſocium Phacee tyranno, ex ambitione & ira, Ieroſolymam perdere cupienti addiderat. Atq; hæc cauſa eſt, ob quam Vates neutrum appellet regem, tamen alteri populi Syri ſtudia & auctoritatem adnotet; alteri verò neque nomen ipſum addat, ſed patris tantùm prōunciet nomen propriæ humilitatis, & occupandæ tyrannis indicandæ cauſa.* In ira furoris Raſin, & Syriæ, & filij Romeliæ. *Sic in Hebraico & Chaldaico, & in emendatiſſimis Latinis exemplaribus eſt. Tertium argumentum ab auctoritate & fine ducitur. Auctoritas eſt eadem quæ ſuperiùs indicata fuit, videlicet, popularis tumultus, duorum Ducum ira excitatus; finis verò non ſolùm difficillimus, verùm etiam impoſſibilis, nempe Iudaicum regnum, & Dauidis familiam deſtruere, & penitus extinguere ac delere: atque ita, neque Deo aucto-*

*auctore, vt antea; neque caſtigandi, aut corripiendi cauſa illud bellum mouebatur. Ideóque nullos ex animi ſententia euentus habiturum erat. Atque hoc eſt quod à Vate exponitur:*

Eo quòd conſiliũ inierit contra te Syria in malũ Ephraim, & filius Romeliæ. *Hebraicè eſt:* Eo quòd cõſultauerit ſuper te Syria malũ. *Non ex meo conſilio correptionis aliquis modus decretus, ſed populi temeritate malum, & periculum excogitatum eſt: itaque illis perdere omnino,* Ephraim verò, & filio Romeliæ non perdere regnum, *ſed occupare, auctoritateq́ ſua inſtituere conſilium eſt. Eſt enim duplex orationis membrũ.* Syria in malum, Ephraim, & filius Romeliæ dicentes. *Quid verò Ephraim & Phaceas conſultauerint, relata oratione exponitur:*

Aſcendamus ad Iudam, & ſuſcitemus eum, & auellamus eum ad nos: & ponamus regem in medio eius filium Tabeel.

CONSILIVM *erat Iudæorum regni ſtatuta conuellere, & aliam faciem pro arbitrio ponere: vt non amplius regni Iudaici, ſed Iſraelitici permaneret. Omnes autem gentis Iudaicæ res in vno Ieroſolymorum præſidio ſitæ eſſe putabantur: qua expugnata vrbe, nihil negotij relictum iri credebatur. Ob eam itaq́ rationẽ Ieruſalem, vt principem & regiam ciuitatem, Iudæ nomine ſignificat. Tam certum verò conſilium illis fuit, vt agendæ, & conficiendæ rei ratio, ac formula etiam explicaretur: nimirum fore, vt potitis vrbe & imperio, muri ad victoriæ vſum, & victoriæ poſſeſsionem rumperentur, ibidemq́ de rege nouo inſtituẽdo deliberaretur.* Suſcitemus eum. *Hebraicum verbum, & premere obſidione, & dominari, ſiue principatum exercere ſignificat. Eſt enim medium inter* KASZAH, *&* KASZAN: קצה *alterum Anguſtiare, alterũ Dominari. Opprimemus, inquit, vrbẽ, quoad* קצן *eius compotes facti dominemur. Solẽt autem victores vrbẽ quam ceperint, non portis, ſed ruptis muris, ad triumphi gloriam ingredi. hoc ſignificat:* Auellamus eam ad nos. *Hebraicum verbum, rupturam apertè ſonat.* & ponamus regẽ in medio eius filium Tabeel. *Nominis forma ipſa non certam aliquam perſonam, ſed pro arbitrio ex deliberatione inueniendum indicat. Significat enim filium boni ad, vel, boni fortis: hoc eſt, idonei & opportuni ad regnum ex ſuo ipſorum arbitrio gubernandum. Sunt enim ex Hebræis ſcriptoribus qui cognomen hoc honoris, & facultatis, & dignitatis multis commune eſſe dicant. vt: dignus, ornatus, commodus, opportunus, ſtrenuus apud Latinos. Itaq́ regem quempiam vtilem & commodum deligendum ſibi eſſe aiunt; quem Ieroſolymis & Iudææ præficiant. Atque ita Chaldæus vertit,* Eum qui rectus erit nobis. *Hactenus argumenta ab hoſtium perſonis vates ad orationem perduxit; quibus regi ſuadere voluit, illud bellum non eſſe timendum, ex illorum leui auctoritate, impulſu, vi, & conatu, atque ex temerario ambitioſoque conſilio: nunc verò deinceps ex aliarum perſonarum comparatione grauiſsima, ad confirmandum regis animum, argumenta producit: videlicet, à Dei, ciuitatis & familiæ il-*

*lius tutoris, & protectoris conſilio, auctoritate, decreto, & virtute.*

Hæc dixit Dominus Deus, Non ſtabit, & non erit iſtud.

Appellata *in principio orationis nomina ſententiæ indicant rationem. Primùm enim verbum,* dixit, *conſilium, decretumq́; atq; certitudinem ſignificat. Deinde qua auctoritate decretum illud interponatur, duobus nominibus explicatur,* Dominus Deus, *alterum Hebraicum eſt* ADONAI. *Cuius definitio ex dominationis, imperij, & ditionis rationibus petenda eſt. Hoc enim nomen Deo terrarum, vrbium & populorum, regum, ac regnorum imperatori ſupremo aſcribitur; cuius nutu, decreto, vel permiſſu reges regnant. Ex qua ratione illo etiā titulo* ADON CHOL HAARESZ, *hoc eſt, dominator totius terræ Deus fulgere ſolet. Alterū verò eſt nomen illud Tetragrāmaton, quod ad miſericordiæ & ſalutis humanæ myſteria ſignificanda appellatur. Alterum nomen ad hoſtium, alterum ad Dei conſilia referendum eſt. In hanc ſententiam, hoc dixit ille, per quem reges terræ omnes regnant, & Iudaici regni, atq; Ieroſolymorum res ad futuræ hominum ſalutis rationem explicandam gubernantur.* Non ſtabit. *Conſilium ipſum in primis propter Dei ſententiam initum, non firmabitur, neque conſtabit; cùm tam multis partibus debilitatum ſit, neque planè ſecum conuenire poſſit. deinde etiam res ipſa ita impedietur, vt non modò non efficienda, ſed neque inchoanda quidem ſit: immo contrarium omnino conſilio & ſentētiæ illorum euentum ex Diuini iudicij decreto futurum eſſe Vates indicauit.*

אדוני

Sed caput Syriæ Damaſcus, & caput Damaſci Raſin.

Hvivs *loci non illa eſt ſententia, quæ arridere prima fronte videtur, non futurum vt Damaſcus ſit caput Ieruſalem, vel Raſin etiam princeps Ieruſalem dicatur. Nec vt Iſraëlitarum princeps Phacee, ſit caput Ieruſalem, ſed Samariæ tantùm. neque enim hanc interpretationem aut ſuperior, aut inferior lectio admittit. In ſuperioribus nunquam vocatus eſt à Deo Raſin rex; neque Phacee aliud quàm filius Romeliæ, audiuit: & huic orationi ſtatim ſubiungitur, & adhuc ſexaginta & quinque anni, & deſinet Ephraim eſſe populus. Omnis autem huius ſententiæ cognoſcenda ratio ex officio coniunctionis Hebraicæ* CHI, *& Latinæ,* ſed, *petenda eſt: cuius quatuor officia cùm ſint, vnum eſt elegantiſſimū ſententiæ ſuperioris reiectio, cum affirmatione oppoſitæ orationis. eiuſdem vſum apud Latinos* contra, *præſtat. Huius igitur loci illa ſententia eſt, conſilium illud à Syria & Raſin atq; Ephraim, & filio Romeliæ aduerſus Iudam & Ieruſalem, atq; Dauidis domum inſtitutum in malum, nunquam firmandum fore; ſed contrà in ipſos conſilij auctores eſſe reciſurum: ita vt caput Syriæ Damaſcus, & caput Damaſci Raſin, diuino iudicio, & Aſſyriæ hoſtis opera capiantur, & rumpantur, atq; alium regem è victoris arbitrio habere, & pati cogantur, idq́; propediem futurum. Itaq; hæc ſeries orationis huius eſt,* Non ſtabit, & non erit iſtud, *ſed Damaſcus nunc caput Syriæ dicta, & Raſin caput Damaſci appellatus, ferent in ſe ſimilem conſilij ſui euentum. Habet autem*

כי

magnam

*magnam ſignificationem Capitis nomen hoc loco: vt aliàs apud Hebræos, ad indicandam conſilij, aut facti mali ſubeundam vltionem atq; pœnam. vt, Sanguis eius in capite eius. &, Conuertatur dolor eius in capite eius: & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendat. Atque ex eadem ſignificatione eſt apud Hebræos* RESSIAH, *quæ Latinis Permutatio. Atque huius vaticinij euentus in ſacris hiſtoriis narratur. Miſit autem Achaz nuncios ad Theglath Phalaſar regem Aſſyriorum, dicens: Seruus tuus, & filius tuus ego ſum: aſcende, & ſaluum me fac de manu regis Syriæ, & de manu regis Iſraël, qui conſurrexerunt aduerſum me. Et cùm collegiſſet argentum & aurum quod inueniri potuit in domo Domini, & in theſauris regis, miſit regi Aſſyriorum munera. qui & acquieuit voluntati eius. Aſcendit enim rex Aſſyriorum in Damaſcum, & vaſtauit eam: & tranſtulit habitatores eius Cyrenen, Raſin autem interfecit. Hoc diuini iudicij effatum aduerſus Syriam, Damaſcum, & Raſim de ſtatu ſuo conuellendos, Iſaias hoc loco denuntiabat breuiſſimè quidem, ſignificātiſſimè tamen, & non minùs obſcurè: nam quod ab illis aduerſum Iudæam, Ieroſolymam, & domum Dauid decretum fuerat, in ſe ipſis experti ſunt: vt caput Syriæ Damaſcus vaſtata, ciuibusq; primis & optimatibus ad alium locum tranſlatis, ſplēdore illo priuata fuerit, & Raſin in ea occiſi, poteſtas omnis præciſa deletaq; fuerit. Breuiter itaq; Syriacarum rerum euentum vates indicauit; Iſraëliticarum autem exitum votis & conſiliis vehementer contrarium, apertiùs oſtendit. Syriorum quidem ſtatum conuellendum & mutandum dixit; Iſraëlitarum verò publicam rem penitus occiſuram obnuntiat.*

Pſal. 7. רצשוה 4. Reg. 16.

Et adhuc ſexaginta & quinque anni, & deſinet Ephraim eſſe populus, & caput Ephraim Samaria, & caput Samarię filius Romelię.

ISRAELIS *regnum Ephraim nomine, ob primū eius poteſtatis principem Ierobaamum appellari conſueuiſſe, iam ſæpè aliàs docuimus. Huius regni caſum & Samariæ exciſionem, & regum omnium interitum apertè, & certa temporis notatione expectari hoc reſponſo Vates voluit. Neq; verò omnes partes ſimul ad eundem temporis terminum, ſed ex poſtremo & diuturniſſimo cætera breuiora arguenda eſſe docet. Namq; regem aliquem interire, priuſquam tota ciuitas regia perdatur; atq; vnius regiæ vrbis, antequam totius nationis latè patentis, interitum expectari, conſequens eſt. Igitur qui poſtremum confirmat, ea, quæ intermedia ſunt, arguit. Eſt itaq; huius loci ſententia, Syrorum quidem ſic ſe habebunt res propediem ſatis. At verò Iſraëlitarum tanta erit calamitas, & tam certa ac vehemens, vt poſt quinque & ſexaginta annos Ephraim populus non extet, nedum Samaria, Ephraim caput, aut filius Romeliæ: quòd ſententia hæc eiuſmodi oratione pronuntiata ſit:* Et caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ. *Simul ad argumentationis contentionem, & ad ſuperioris rationis ſimilitudinem ſpectat: videlicet, conſilium Ephraim, Samariæ, & filij Romeliæ in ipſorum caput eſſe reciſurum. Verùm enimuerò hæc tēporis*

*ratio non ab ipſo die quo vates hoc reſponſum ediderit, eſt ſubducenda, ſed à vulgata & celeberrima illa tempeſtate Amoſi vatis de vtriſq; his popu-*
[illegible] *lis vaticinio. ſic enim pridem ille cecinerat: Et mittam ignem in domum Iſ-*
»» *raël, & deuorabit domos Benadab, & conteram vectes Damaſci, & diſ-*
»» *perdam habitatorem de campo Idoli, & tenentem ſceptrum de domo volu-*
»» *ptatis: & transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit Dominus. De Iſraële*
Amos 7. *autem: Filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo me-*
»» *tietur, & tu in terra polluta morieris: & Iſraël captiuus migrabit de terra*
»» *ſua. Annorum autem ratio huiuſmodi eſt: Amos vaticinatus fuit duobus annis antequam Ozias lepra affectus. S. S. E. Duobus annis ante terræ motum, Ozias autem vigintiquinque annis leproſus manſiſſe ſcribitur. Ioatham regnauit annis decem & ſex, totidem Achaz. In anno autem ſexto regni Ezechiæ Samaria regia vrbs poſtremùm diruta eſt. Igitur duo ante terræmotum viginti quinque lepræ, ſedecim Ioathan, totidem Achaz, ſex Ezechiæ, ſexaginta & quinque in ſumma conficiunt. Quam alij aliter, & rectè etiam ſubducunt: ſed nos Iudæorum regum rationem, quam Amos iniuit, perſequimur: itaque à vaticinio notiſſimo & celeberrimo, quod ſuo etiam oraculo cõfirmauit, orationes temporum putari Vates hîc voluit. Atque Hebraica ratio interpretationem hanc apertè indicat:* In adhuc ſexaginta ſex annis, *hoc eſt, cùm completi fuerint tot anni, prædicta ac decantata Ephraim exciſio erit, & non diutiùs fuerit expectanda. Quòd verò tantum, tamq; illuſtre & certum de ſecuritate, atq; ſalute reſponſum non eo animo, eáque fide à rege, illiuſq; populo & familia acciperetur, exprobrat Vates; illudq; in cauſa eſſe arguit, quòd ipſi natura, & mala conſuetudine mendaces, infidi, atque increduli eſſent: & quam fidem ipſi non facerent, aut ſeruarent, habere etiam vatibus Dei, & veracibus reſponſis neſcirent: eum porrò fidei defectum ſibi ipſis fraudi fore; quando diuina beneficia iis tantùm confirmari ſolent, quibus integra fide, & opportuna obedientia exſpectantur. hæc illius à Vate ſubiunctæ ſententiæ expoſitio eſt.*

Si non credideritis, non permanebitis. *Hebraicè vnicum verbum* אמן *idemq; bis repetitum eſt* AMAN. *quod credere, firmare, confirmare, ſtabilire ſignificat. Sicut illud omnibus iam linguis receptum,* AMEN *docet. Sed priori loco actiuè, poſteriori paſſiuè legitur, hoc modo:* Si non credideritis, quia non credemini. *Fingamus verbum credere omnia illa (à quibus tamen non longè abeſt) ſignificare, videlicet, fidem habere, confirmare, ſtabilire, & perpetuare. Iamq; erit manifeſta huius loci explicatio eo modo, quo ſuperiùs indicauimus hominibus mendacibus infidelitatem & inconſtantiam ſuam in cauſa eſſe, quo minùs diuina promiſſa, & beneficia certa, rata, ac perpetua ſint: atq; ita varia illa verbi ſignificatio ſententiæ pondus & vim explicat apertiſſimè; tantum abeſt vt impediat, & obſcuret. Bene ergo Latinus interpres vnum verbum redditurus vertit, permanebitis. Chaldæum enim Paraphraſtem ſecutus videtur, apud quem ſic legimus:* Si non credi-

crediderītis locutionibus prophetæ: quia non ſtabiliemini. *Operæpretium enim fuerit meminiſſe rationum futuri verborum tēporis apud Hebræos; quam nos iam ſæpiſsimè indicauimus. Oportunè autem hoc loco Vates fidei defectum exprobrauit Ahhaz, quem diuinis promiſsis fidē minus adhibentem cognouerat; vt & res ipſa poſtmodum arguere viſa eſt: quippe ille ſecuritatis, & diuini auxilij neglectis promiſsis, humanam Aſſyrij regis opem, magnis auri argentiq́; ſacri & prophani impēſis petiuit. S.S.E. Miſit autem Achaz nuncios ad Theglath Phalaſar regem Aſſyriorum, dicēs:* 4.Reg.16.
*Seruus tuus, & filius tuus ego ſum: aſcende, & ſaluum me fac de manu* "
*regis Syriæ, & de manu regis Iſraël: qui conſurrexerunt aduerſum me.* "
*Et cùm collegiſſet argentum & aurum quod inueniri potuit in domo Do-* "
*mini, & in theſauris regis, miſit regi Aſſyriorum munera.* "

Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundū inferni, ſiue in excelſum ſuprà. Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo Dominum.

NISI *ſuſceptæ breuitati, & planè ſimplici (quam profitemur) interpretationi conſultum nobis eſſet, plurima ad huius loci amplificandam expoſitionē, tum ex antiquis, tum ex recentioribus ſcriptis afferri à nobis poterant: quæ tamen nos magno cum fructu apud auctores ipſos legi poſſe, ac debere cenſemus. Interim contēti noſtrā ſententiam quàm breuiſsima oratione, ſine rerum tamen ipſarum iactura, exponere piis & Chriſtianis lectoribus, non ex noſtra auctoritate, ſed ex ſacrarum litterarum diligenter conſiderata veritate æſtimandam: vt autem noſtrum munus quàm expeditiſsimè exequamur, quædam breuiter de iis, quæ ad confirmandam Vatum fidem adhiberi ſolent, rebus annotare operæpretium duximus.*

*Quatuor in ſacris libris obſeruantur nomina rebus impoſita, iis, quas Vates ad faciēdam legationū ſuarum fidem, diuina virtute edere nonnunquam ſolent. Ea autē Hebraicè ſunt:* OTHOTH, MOPHTHOTH, *ſiue (quod* אותות
*idem eſt)* MOPHETIM, NEZZIM, PELAIM. *Pro quibus Latini interpre-* מופתות
*tes redderent,* ſigna, portenta, obtenta, mirabilia. *Et quamquam in his* מופתים
*nominibus & generibus obſeruandis non ſit interpretatum perpetua con-* נצים
*ſtantia, tamen in re & ratione ipſa ſemper ſibi conſtans in ſacris adnotatio* פלאים.
*eſt: libet autem vnumquodq́; genus, addito etiam exemplo, definire. Primum igitur nomen eſt ſignum, cuius ratio communis magis, & minùs arcana, atq́; difficilis minùs cùm ſit, tamen eſt ad fidē faciendam ſatis idonea: cuius generis multa Moiſi à Deo data ſunt. vt, Hoc habebis à me ſignū, quòd* Exodi 3.
*miſerim te, cùm reduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſu-* "
*per montē iſtum. Signum auctoritatis & legationis ſuæ hoc haberi, & ob-* "
*ſeruari à Moſe voluit Deus: videlicet euentum ipſum, vt de Abraham, Eleazar, & Rebecca aliàs dicemus, Deo docente. Deinde tria ſimul ſigna accepit Moiſes apud populum, & apud Ægypti regem oſtendenda. Baculi* Exodi 4.
*in ſerpentē mutatio, deinde in lignum reſtitutio; ac manus repentè lepra* "
*infectæ,*

*infectæ, atq; rurſus ſanatæ demonſtratio: Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint ſermonẽ ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis: quòd ſi ne duobus quidẽ his ſignis crediderint, neque audierint vocẽ tuam; ſume aquam fluminis, & effunde ſuper aridam, & quidquid hauſeris de fluuio, vertetur in ſanguinem. Hoc autem genus omnium in hac ratione ſimpliciſſimum & communiſſimum eſt, vtpote quòd quanquam apud probos & pios valeat, tamen apud eos qui durioris ingenÿ, & pertinacioris conſilÿ ſint, minus ponderis ac momenti habere, & ad alias à diuinis alienas cauſas re-*
Exodi 4. *ferri poſſe intelligatur. S.S.E. Veneruntq; ſimul, & congregauerunt cunctos ſeniores filiorum Iſraël: Locutusq; eſt Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moiſem; & fecit ſigna coram populo, & credidit populus.*
Exodi 7. *Rurſum de altero hominum & ingeniorum genere S. E. Tulit Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis eius, & verſa eſt in colubrum. Vocauit autem Pharaon ſapiẽtes & maleficos, & fecerũt ipſi etiam per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter; proiecerunt ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones; induratumq; eſt cor Pharaonis, & non audiuit eos, ſicut præceperat Dominus. & paulo pòſt, hæc igitur dicit Dominus: In hoc ſcies quòd ſim Dominus, Ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem: & cùm hoc factum eſſet, fecerunt ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis: & induratum eſt cor Pharaonis, nec audiuit eos, ſicut præceperat Dominus. Atq; ita* OTHOTH, *ſiue ſigna, non ſolùm ea dicuntur, quæ præter naturam fiunt; ſed etiam quæ parua naturæ mutatione fieri poſſunt: vt per incantationes; atq; etiam illa nonnunquam, quæ cùm ſecundùm naturam edantur, tamen ad fidem faciẽdam inter homines ipſos, vel inter Deum & homines adnotari*
Gen. 1. *& conſtitui poſſunt. Vt luminaria magna, & aſtra quæ Deus ſtare iuſſit, vt diuidant diem & noctem, & ſint in ſigna & tẽpora: & arcus cæleſtis, qui cùm antea iam in mundo fuiſſet ſæpè ſpectatus, tamen diuinæ clemẽtiæ*
Gen. 9. *ſignum præferre poſt diluuium eſt iuſſus. Arcum meum ponam, & erit ſignũ fœderis inter me, & inter terram; circunciſionẽ etiam carnis ſignum*
Gen. 17. *fœderis inter ſe, & Abrahami poſteritatem eſſe Deus voluit: &, Vexilla ſingulis tribubus ad itinerum & militiæ atq; ſtationum conſeruandum or-*
Num. 2. *dinem comparata ſunt. S.S.E. Locutus eſt Dominus ad Moiſem & Aaron, dicens: Singuli per turmas ſigna atq; vexilla, & domos cognationum ſuarum caſtrametabuntur; ex quibus rationibus atq; locis omnibus apparet nomen Signi, ad cognoſcendum magis, quàm ad conuincendum appellari, tamq; naturalibus, quàm admirandis, & præter naturam rebus attribui. Sed quæ Latinus vertit portenta, prodigia, vel oſtenta, Hebraicè* MOPHTHOTH, *ſiue* MOPHTHIM *dicta, ea vltra ſigni rationem, vehementem etiam ſignificationem, & euidentiam quandam rei ipſius quam oſtendunt, habent. Itaq; magis etiam & vehementiùs monere, mouere, & afficere attendẽtium animos poſſunt, & ſolent. Sunt autem his nominibus Hebraicè*

*dicta*

dicta à verbo IAPHAH, quòd ſpeciem ſui præbeant conſpicuã, & vehemen- יפה
tẽ, & magis etiam, & diutius quàm ſigna impellant. S.S.E. Fecitq́; ſigna Deut.22.
atq; prodigia magna, & peſſima in Æpypto contra Pharaonem, & omnem "
domum illius in conſpectu noſtro. Dixitq́; ei Dominus reuertenti in Ægy- Exodi 4.
ptum, Vide vt omnia oſtenta quæ poſui in manu tua, facias coram Pharao- "
ne. &, Moiſes autem & Aaron fecerunt omnia ſigna & oſtenta quæ ſcri- Exodi 11.
pta ſunt coram Pharaone. Omnibus in his locis idem nomẽ MOPHETH, eſt "
propria definitione adnotandum. Tertium verò genus quòd à Latino inter-
prete Oſtenta nonnunquã, interdum verò Tẽtationes, interdum Probatio-
nes vocatur, & rei & ſententiæ grauioris obſeruationem habet. Hebraicè,
NESSIM, & MOZZOTH dictum. Namq; vtriuſque nominis eadem & ori- מסות
go & ſignificatio eſt, id autem tentationem & probationem, ſiue periculum
faciendum ſignificat: vt ex illis exemplis eodem verbo pronunciatis demon-
ſtratur. Proba me Domine, & tenta me. &, Deus tentauit Abraham. &, Pſal 26. Gen.22.
Ibi tentauit eum. &, Egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſin- Exod.15.16.
gulos dies; vt tentem eum, vtrum ambulet in lege mea. Non tentabis Do- Deut.6.
minum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tẽtationis. Et multa alia in qui- "
bus verbum NAZZA vſurpatur, vnde NEZZ, vel oſtentum Latinum ex fine נסה
& conſilio, quocumque modo id ineatur, quod alicuius vel fidei, vel virtu-
tis, vel naturæ, vel auctoritatis periculum faciẽdi capitur. Non inconcinnè
autem Latinus interpres vertit oſtentum; non ad rem ipſam, ſed ad euẽtum
alludens: namq; id etiam huius Hebraici verbi ratio indicat: ex qua nomen
NEZZ, quoque vexillum ſignificat, non quodlibet, ſed id quod partes & ſtu-
dia, quæ quis ſequatur, probandi cauſa tollitur. vt, Et leuabit ſignum natio- Iſa. 5.
nibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce feſtinus velociter "
veniet. &, In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, &c. In his Iſa. 11.
atq; aliis locis ſignum eſt NEZZ Hebraicè. Eſt igitur NAZZAA verbi ſignifi-
catio, periculum facere, ſiue tentare, & probare, atq; etiam expediri, & aſ-
ſuefieri: nam de Dauid Saulis arma reÿciente, S.E. Accinctus ergo Da- 1.Reg.17.
uid gladio eius ſuper veſtem ſuam, cœpit tentare ſi armatus poſſet incedere; "
non enim habebat conſuetudinem. Dixitq́; Dauid ad Saul, non poſſum ſic "
incedere, quia non vſum habeo. hoc loco verbum NAZZAH bis vſurpatur. "
Igitur oſtenta definimus ſigna tentandi Dei cauſa aut petita, aut edita, de
quibus S. E. Non tentabis Dominum Deum tuum. Atqui horum triũ ge-
nerum & in Hebraico exemplari, & in Latina verſione, quam nos obſer-
uamus, diſtincta ſatis mentio non rarò fit. vt, Si fecit Deus, vt ingredere- Deut. 4.
tur, & tolleret ſibi gẽtẽ de medio nationũ per tẽtationes, ſigna, atq; portẽta. "
Reſtat nobis quartum genus deſcribẽdum, quod PELAIM Hebræis, noſtris פלה
Mirabilia dicitur: quibus nomen Hebraicum à verbo PALAH factum eſt,
quod excellere ſignificat: vnde Latinus, quæ Excellẽtias vertere potuit, ele-
gantiùs multo vertit Mirabilia: quando mirari, & admirari ad eas res
quæ communem vicem excellunt, ſignificandas vſurpatur.

Hor. lib. 1. vt: Hic tibi ſit potiùs quàm tu mirabilis illi.
Epiſt. 6. &, Nil admirari propè res eſt vna Numici. Sunt itaque mirabilia
quæcumq; cæteris eiuſdē generis rebus natura, vel ſpecie, vel modo, vel vſu
Pſal. 4. excellunt; ex qua ſignificatione illa ſunt: Scitote quia mirificauit Dominus
Pſal. 17. ſanctum. &, Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te.
Si quid igitur ad rei vel perſonæ cuiuſpiam præſtantiam oſtendendam, mi-
Exodi 9. rum atq; egregium edatur, id propriè mirabile dicitur. vt, Et faciet Domi-
» nus mirabile inter poſſeſſiones Iſraël, & poſſeſſiones Ægyptiorum: vt ni-
Exodi 11. hil omnino pereat ex iis quæ pertinēt ad filios Iſraël. &, Apud omnes filios
» autem Iſraël non mutiet canis ab homine vſque ad pecus, vt ſciatis quanto
» miraculo diuidat Dominus Ægyptios & Iſraël. Huiuſmodi quæ dicuntur
Mirabilia, naturæ cōſuetudinem, & magis etiam quàm cætera omnia quæ
commemorauimus, exemplo ſuo vincunt; atq; diuinam efficientiam, & vo-
Pſal. 73. luntatem apertiùs etiam oſtendunt. Ideoq; à vate S.E. Benedictus Domi-
Exodi 15. nus Deus Iſraël, quia fecit mirabilia ſolus. &, Quis ſimilis tui in fortibus
» Domine: quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis atq; laudabilis,
» & faciens mirabilia? Itaq; ſignum ſignificationem magis quàm pondus ad
fidem faciendam habet; eo quòd ſimile exemplum per naturam, vel aliàs edi
poßit: portentum verò pondus habet grauius quàm ſignum; ideoq; Pharao
Exodi 7. à Moiſe & Aaron huiuſmodi ponderis confirmationem exigebat. Cùm di-
» xerit vobis Pharao, oſtendite MOPHETH. Oſtēta verò grauiora ſunt, etiam
» & ad periculum faciendum oſtenſa. vt, Nūquid parare poterit Deus men-
Pſal. 77. ſam in deſerto, numquid & panem poterit dare. &, Tentauerunt Deum in
» cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis. Hæc enim omnia cùm natu-
ralibus, tum iis, quæ præter naturam ſunt rebus, conuenire poſſunt. Præ-
ſtantiſſima autem ratio eſt eius generis, quod Mirabilia dicitur. Signū au-
tem & portentum & vltrò dari, & peti poſſunt: atque idem ad vtramque
perſonam refertur, & agentis ſiue Dei, ſiue Prophetæ, & eius apud quem
agitur. Oſtentum, ſiue tentatio, ex priuato tantùm conſilio petētis eſt: Mi-
rabilia verò ex agentis Dei iudicio & voluntate proficiſcuntur. Quātum
autem operæpretium ad multorum in ſacris libris locorum explicationē ha
generū quatuor adnotatio factura ſit, nemo profectò ſatis exiſtimare queat.
פלאות Quarti autem generis nomina ſunt PALEOTH, MOPHLOTH, & NIPH-
מופלות LAOTH, ab eodem verbo deducta. Tandem verò vt hunc, cuius cauſa hæ
נפלאות adnotauimus, locum explicemus, illud animaduertendum eſt, nomen à Vate
vſurpatum SIGNVM, ad id rerum genus pertinere, quæ non neceſſariò mi-
rabiles, ac præter naturam ſunt, aut non ideo petuntur, vt miraculum eda-
tur, ſed vt auctoris voluntas cognoſcatur, ſiue id per admirandum, ſiue per
commune aliàs exemplum fiat. Igitur cùm Achaz regis incredulitatē per-
ſpectam Vates haberet, vtpote quam & præſens illius ſilentium, quo Dei le-
gatum excepit; & petitum poſteà ab Aſſyriis auxilium manifeſtè declara-
uit; diuinæ de ſua legatione voluntatis, & conſilij ſignificationem ad Regē
ipſius

*ipſius, & populi vtilitatem peti ſuadebat; nihil dubitans à Deo ipſo dandam quocumque in rerum genere, ſiue naturalium, ſiue præter naturam ea peteretur. atque hoc ſignificat ipſa vatis narratio:* Et adiecit Dominus loqui ad Achaz *Vatem Dei ipſius verbis alloquutum fuiſſe ſecundò regem, & conſilij diuini & promiſſi, in illius animi confirmandi cauſa ad ſignificationem optandam vltrò inuitaſſe. Quòd verò ait*, Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo. *Eam ſententiam indicat, vt ne alium vel Deum, vel hominem reſponſi, aut auxilij petendi cauſa peteret, ſed ſuum, paternæq́ domus, & totius Iudaicæ gentis tutelarem verum atq́ præſtantiſſimũ Deum vltrò etiam voluntatem ſuam, & conſilium exponentem certum ſignum ad confirmationem, & certam ſpem rogaret, & ſperaret certiſſimè exhibiturum paratumq́ iam exhibere Achaz ipſi petenti & optanti, etiam ſi non per Prophetam, ſed ipſe cogitans ſecum peteret, neque opus eſſe publicè peti ſignum, ſed tibi tantùm vt fides fieret, oſtendi poſſe. Quòd ſi publicè etiam edi vellet, Deum non cunctatum ire, quo minùs petentis arbitrio, & optioni ſatisfieret, ideo dixit*, Pete tibi ſignum. *Tu tecum pete à Deo ſignũ, quo docearis, an quæ ego dixerim verane, ab illoq́ profecta, an à me, ad gratiam effecta ſint. Poteris autem tibi petere ſecretò, ne quiſpiam homo ſciat quòd petis: quod vbi euenerit, nihil erit, quod cuiuſquam artibus, aut ingenio, aut alio modo oſtenſum vel paratum ſuſpicari poſſis.* Pete tibi tu à Domino Deo tuo. *Id tibi liberum eſt, aut occulta cogitatione, aut palàm alta voce & oratione petere, hoc eſt quod addit*, In profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra. *Hebraicè ad verbum*, Profunda petitionẽ, *vel*, extolle eam ad ſupra. *Qua ratione non ſolùm rei ipſius petendæ, ſed modi etiam ad petẽdum libera optio regi datur. Profunda, inquit, petitionem, vel cogitatione tua, vel indicatione loci, vbi ſignum tibi dari velis: inferiùs aut ſi mauis, conſtitue tibi aliquid ſigni ſuperius oſtendi, idq́ petendo, palàm dic, in lucemq́ ede. Chaldæus Paraphraſtes, & Latinus interpres alteram tantùm orationis expoſitionem ſecuti ſunt: vtramq́ verò ſimul verba indicant. hactenus eſt nobis optionis propoſitio explicata.*

Et dixit Achaz, non petam, & non tentabo Dominum.

DIXIMVS *ſuperiùs, Signum eſſe argumentum ad fidem rei propoſitæ faciendam poſtulatum. Plerumque autem hoc genus ad legatorum, & legationum auctoritatem confirmandam exigi: atque in primis legatorum, & legationum initiis eiuſmodi ſigna requirere, non ſolùm culpa alienum, ſed laudis & prudentiæ plenum eſſe conſilium. Qui enim ſignum petit, is non potentiæ & virtutis Dei, ſed voluntatis incertus eſſe videtur; ideoq́ rectè vult doceri & confirmari an illud quod audit, à Deo ſit profectum, nec ne: ſcit etenim Deo nihil eſſe, quod placet, impoſſibile. S. S. E. Deus autem noſter* Pſal 113.
*in cælo, omnia quæcunque voluit, fecit. An verò illud nunc Dei conſilium ſit, hoc argumentis certis cognoſcere cupit. Huius autem rei quamplurima in ſacris libris exempla paſſim obſeruantur. Abraham diuinum de terræ*

*poſſeßione promiſſum ſibi, ſigno dato, confirmari poſtulabat: Domine Deus*
Gen. 15. *vnde ſcire poſſum quòd poſſeſſurus ſum eam? Et reſpondens Dominus, Su-*
» *me, inquit, mihi vaccam, &c. Moiſes legationis ſuæ ſignum primùm ſibiipſi*
Exodi 3. *accepit, Hoc habebis ſignũ quòd miſerim te, &c. Deinde iis, apud quos actu-*
» *rus erat, edendũ petiuit, Non credent (inquit) mihi, nec audient vocẽ meam,*
» *ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum, Quid eſt quòd*
Iud. 6. *tenes in manu tua, &c. & Gedeon: Si inueni, inquit, gratiam apud te, da*
» *mihi ſignum quòd tu ſis qui loqueris ad me. & Manue Samſonis pater, vt certum ſibi ex Deo nuncium eſſe intelligeret, mirabiliter per ignem abſumpto cibo, ſtatim intellexit Angelum Domini eſſe. Illa præterea feminarum omnium tum ſanctiſsima, tum in ſacris rebus eruditißima Virgo Maria nunciatæ ſibi nouæ & admirandæ prolis rationem, rogati modi ſignificatione doceri poſtulauit, idq́; duplici ſigno edocta eſt. Tum quòd arcani con-*
Lucæ 1. *ceptus illius auctorem Deum Spiritum ſanctum eſſe didicit; tum quòd Elizabeth anum feminam in vtero habere audiuit. Itaque in magnis & nouis rebus annuntiandis ſignum petere, non modò non reprehenditur, ſed vehe-*
Ioan. 4. *menter etiam commendatur à Deo. Quam ob rem Chriſtus aiebat, ſi non*
» *veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, & ſigna non feciſſem, quæ nemo alius*
» *fecit, peccatum non haberent. Quibus ex locis id colligitur, ſignum ad auctoritatis confirmationem, & rectè exigi, & dari ſolere, idq́; abſque vlla reprehenſione ab hominibus procurari poſſe. Verùm enimuero illud eſt animaduertendum, legati fidem & auctoritatem ſemel iam legitimè probatam & confirmatam in dubium denuò reuocari non poſſe ſine culpa &*
Nu. 12. & 16. *ſcelere, atq; incredulitatis vel audaciæ malæ manifeſta nota: id quod Ma-*
» *riæ, Moſis ſororis, & Dathani, Abirani, Coræ, Caath, & Hom, atq; alio-*
Lucæ 11. *rum quàm plurimorum exitus apertè docet. & generatio praua atque peruerſa illa, quæ à Ieſu tot ſignis illuſtrato, ſignum nihilominus petebat. Hæc de ſigno petendo: at verò tentatio erga Deum à nefario impietatis ſcelere non abeſt. Eſt enim illa idem quod diuinæ vel naturæ, vel potentiæ, vel ſapientiæ, vel bonitatis periculum temerè factum: quæ, quia conſtare omnibus ex ſe ipſa poſſunt, & debent, nemini vnquam impunè tentata ſunt.*
Pſal. 94. *S. S. E. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra: ſicut in*
» *exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me*
» *patres veſtri, probauerunt, & viderunt opera mea. Quadraginta annis*
» *proximus fui generationi huic, & dixi, &c. Eſt autem triplex tẽtatio, quæ perſonis & fine diſtinguitur, Dei erga hominem, & hominis erga Deum, diaboli erga homines, de quibus alias dicere multa & vtiliſsima Deus nobis concedet. Nunc verò inſtitutum opus perſequamur, principio illud intelligi retulerit, impiorum hominum genus aſtutiſsimum & callidiſsimum eſſe, atq; in ſermonibus, orationibus, actionibusq́; ſuis magnam quandam prudentiæ ſpeciem propriorum commodorum cauſa adumbrare ſolere.*
Lucæ 16. *S. S. E. Filij huius ſeculi prudentiores ſunt in generatione ſua, quàm filij lucis.*

*lucis. Atque ex hoc fonte fictiones, mendacia, ſimulationes, ac diſſimulationes, cæteraq́ ad fallendũ homines cum ſimplicitate & veritate pugnantia, oriri. S. S. E. Sit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non: quòd autem abundãtius his eſt, à malo eſt. Igitur Achaz vatem monentem vt ſignum peteret, oratione excepit, in ſpeciem quidem aliquantulum honeſta & pia, ex dicentis tamen animo impia & nefaria, atq́ ideo verbis ambigua: cuius vtramque ambiguitatis partem & Vates cognouit, & nos interpretabimur. Eſt enim altera huius orationis ſententia, ſe rogari vt ſignum peteret à Deo: quòd vel ea cauſa peti poſſet, vt vatis legatio vera cognoſceretur; vel vt periculũ fieret an ea quæ promiſerit, præſtare ille poſſet. Neutrum autem ſibi cõſilium eſſe: quippe ſuperuacaneum foret, & iniquum de vatis illa ætate celeberrimi, & iam publicè ſpectati & cogniti auctoritate dubitare. Conſequens igitur eſſe petenti ſignum, Dei potentiam ſibi in dubium eſſe vocatam; ideoq́ periculo faciendo tentatam. Atq́ adeò iam non illud ſignum, ſed tentationem fore interpretandam. Neutro igitur nomine ſibi eſſe petendum.* Non petam, & non tentabo Dominum. *Huiuſmodi ſententiam oratio ipſa proferebat, aliam tamen longè diuerſam, regis non piè de Deo ſentientis cogitationem diſſimulabat: nimirum quòd homini de diuina erga ſingulares mundi res prouidentia malè exiſtimanti, non ſolùm ſignum, quod omnium argumentorum minimum eſt, ad Vatis firmandam fidem exigeretur; ſed nec tentatio quærenda eſſe videretur: quando vtrumque ſuperuacaneum duceret, is qui priuata à Deo non curari putaret.* Non petam, *inquit, ſignum legationis tuæ, quam ego non verã eſſe arbitror. Nam, quod maius adhuc eſt, Deum ipſum an talia curet & poſſit, tentare nolo; cùm mihi perſuaſum habeam, hæc ab illo negligi; quam ob rem vana erit meo iudicio eiuſmodi tentatio: huc ſpectabat regis illud reſponſum, introrſum turpe & ſpecioſum pelle decora. Verùm enimuerò & illa altera prior ſententia; quæ in ſpeciẽ probanda videretur, reprehenſione non carebat: namq́ ſigni petitio cùm ea cauſa ſit, vt Dei voluntas apertiùs doceatur & cognoſcatur; non modò non improbata, verùm probatiſſima ſemper, & prudentiæ nomine commendatiſſima fuit: quamquam vltro ab hominibus facta ſit: nedum ſi per optionem ab ipſo Deo ſit illis propoſita, vt nũc regi proponebatur, qui vel hoc ipſo peccabat, quòd obedire nollet. Cùm enim ſignum tentandi Dei, hoc eſt, virtutis eius periculi faciendi cauſa petitur; id in nefarium & impium crimen vocari ſolet, vt docuimus, & S. E. Non tentabis Dominum Deum tuum,* Deut. 6. *ſicut tentaſti in loco tẽtationis. In illo autem loco de diuina prouidentia &* " *virtute apertè erat dubitatum. &, Vocauit nomen loci iſtius tentatio, pro-* Exodi 17. *pter iurgium filiorum Iſraël; & quia tẽtauerunt Dominum, dicẽtes: Eſtne* " *Dominus in nobis, an non. De eiuſmodi verò tentatione Vates nihil apud* " *regẽ egerat, ſed de illa, qua legatio ſua ex Dei conſilio & voluntate probari, & confirmari poſſet. Ille igitur propterea regẽ & impietatis, & calliditatis nomine reprehendit, & redarguit: vtpote qui reſpondentis ſibi mentẽ clarè perſpexerat.*

Mat. 5. "

Et dixit, Audite ergo domus Dauid, Numquid parum vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo?

GRAVISSIMAM, *& maximi momenti rem eſſe, quam dicere pararet illa attentionis petitione Vates indicauit: atq; regem ipſum, regiſq; familiam non honoris, ſed exprobrationis cauſa domum Dauid appellauit, eò ſolùm nomine indicare volens quantũ per illa prima ætate ac patris ſui Dauidis virtute, ſimplicitate, fide, & pietate domus illa degeneraſſet. Fuerat enim Dauid illis præcipuè nominibus celeberrimus, et Deo gratiſſimus; maximè tamẽ ob ſimplicitatẽ, & fraudis atq; doli odium cõmendatus: ſicut illo*
Pſal. 40. *Pſalmo toto ſcribitur: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. &*
Pſal 77. *aliàs etiam: Elegit Dauid ſeruum ſuum, & poſt fœtantes accepit illum;*
» *paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hæreditatem ſuam: & pauit illos in*
» *innocentia cordis ſui, &c. Vehementer igitur accuſatur Achaz rex, quòd tantum ab illa paterna ſimplicitate deſciuerit, tantumq; aſtutia & calliditate valere contenderit: vt non modò hominibus, ſed Deo ipſi diſſimulatione imponere cogitauerit. Vtramque enim perſonam hominum & Dei ſibi ille ambiguè reſpondens propoſuerat.* Non petam, & non tentabo Dominum. *Non petam, inquit, ſignum legationis tuæ, cuius auctoritati plurimum tribui ſcio: quòd ſi hoc nomine non petam, neque etiam vt tentẽ Dominum: cùm tamen neque Vati, neque Deo fidem ille haberet, idq; oratione illa in vtramque partem flexibili ac dubia pronũciaſſet. Grauiſſimũ autem ſcelus eſt, & magnæ contemptionis indicium hominibus imponere velle: ſed omnem ſuperat malitiam, idem etiam erga Deum audere. Eſt enim luciferini cuiuſdam exempli cum Deo de Sapientia contendere; vt aliàs ex diuina diſciplina docebimus. Atq; ideo Vates ait:* Numquid parum vobis eſt. *Atqui nulla re grauior, vel minùs vtilis moleſtia hominibus, maximè bonis, exhiberi poteſt, quàm ſimulatione, fallacia, & calliditate: grauiſſimè enim vir bonus ab alio deludi ſeſe patitur, cùm ipſe veritatem & ſimplici-*
לאה *tatem vbique colendam ducat. Eſt autem verbũ Hebraicum* LAAH, *ſignificantiſſimè hoc loco vſurpatum: nam propriè ad id genus laboris transfertur, quod in erroribus viarum, & in quærendis rebus, quæ vel non extent,*
Exodi 19. *vel inueniri non poſſint, inſumitur. vt de illis S.E. qui cæcitate percuſſi,*
» *inquirendo Lothi oſtio vehementer incaſſumq; laborabant. Et vbi Latinè*
Exodi 7. *legimus, Non poterãt Ægyptij bibere aquam fluminis: ad verbum eſt, Laborabant ad bibẽdum. Et apud hunc Vatem vera pietatis virtute vacuæ hoſtiarum mactationes, ceteræq; frequentiæ populi ad inanem tantùm oſtentationem ſimulatæ laborem Deo offerre dicuntur.* Laboraui ſuſtinens.
Iſaiæ 1. *Itaq; hanc moleſtiam exhibere Deo parabat Achaz, vt cùm de Dei prouidentia vehementer dubitaret, tamen contrariam ſententiam oratione indicans, ſignum petere negligeret, atq; hoc pacto ſuam opinionẽ apud populum confirmaret: putabat enim ſignum non eſſe dandum, atq; ita diuinam prouidentiam minimè fore oſtendẽdam; ex quo euenire poterat, vt cauſa Dei in*

*homi-*

*hominum animis & opinione laboraret: ſicut enim apud Latinos laborare verbum vſurpatur: vt, Queis paria eſſe ferè placuit peccata, laborant, Cùm ventum ad verum eſt. & in hanc ſententiam Poëta alius canebat:*

*Sed cùm res hominum tanta caligine volui* Horatius lib. 1. Serm.
*Aſpicerem, lætosq; diu florere nocentes,* Claudian. in
*Vexariq; pios, rurſum labefacta cadebat Religio, &c.* Rufin lib. 1.

*Quam ob rem prouidentiam ſuam, & humanarum rerum non ſolùm vniuerſarum, ſed ſingularum etiam curam, in quibus præcipuum locum domus Dauid habebat, ab huiuſmodi impiarum opinionum labore vindicare & indicato conſilij ſui myſterio teſtatiſsimam facere Deus volens, Vate referente ait:* Propter hoc dabit Dominus vobis ipſe ſignum. *Oſtendit hoc loco vates diuinam prouidentiam non ex hominum ingenio, virtute, aut voluntate, ſed ex Dei benignitate proficiſci: qui quòd æterno & ſapientiſsimo conſilio inſtituerit, finire, & ad exitum perducere ſolet. Nam quãquam Achaz oblatum vltrò liberationis & ſecuritatis ſignum petere noluerit, tamen Deus hominis impietatẽ nihil moratus eſt, aut impeditus quò minùs ea quæ de Dauidis familia amplificãda decreuerat, opportunè perficeret. Ille enim ipſe propria benignitate promiſerat fore, vt ſanctum & perpetuum regnum apud Iudæorum tribum in Dauidis pientiſsimi quondam regis & fidelis miniſtri genere conſtaret. Id autẽ promiſſum iureiurando firmatum certum propriumq; deinceps Dauidis domui expectatum fuit: neque ſi quid præter ius & fas, & præter tanti conſilij dignitatem eſſet admiſſum, ipſis tantũ, non autẽ familiæ omni, aut Iudeæ gẽti, aut demum Orbi, cuius ſalus publica illo myſterio & promiſſo agebatur, noceret. Qua de re S. E. Iurauit* Pſal. 131.
*Dñs Dauid veritatẽ, & non fruſtrabitur eum: de fructu vẽtris tui ponam " ſuper ſedẽ tuam. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia " mea hæc quæ docebo eos, & filij eorum vſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſe- " dem tuam. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationẽ ſibi. " Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam. & alio " loco: Ipſe inuocabit me, pater meus es tu: Deus meus, & ſuſceptor ſalutis* Pſal. 88.
*meæ. &, Ego primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terræ. In " æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele " ipſi. &, Ponam in ſeculum ſeculi ſemẽ eius, & thronum eius ſicut dies cæli. " Si autẽ dereliquerint filij eius legẽ meam, & in iudiciis meis non ambula- " uerint. Si iuſtitias meas profanauerint, & mãdata mea non cuſtodierint. " Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Mi- " ſericordiam autẽ meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, " neque profanabo teſtamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis non " faciam irrita. Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar; ſemen eius in " æternum manebit, &c. Ad huius argumẽti ſentẽtiam huiuſmodi ſacri ora- " culi explicationem cum primis conſtare operæpretium fuerit. Etenim Deus eius curæ, quam erga domum Dauidis ſuſcepiſſet, ſignum non iam Achaz*

ob

*ob ſuam priuatam impietatem exhibere parat, ſignum, inquam, non modò propediem futuræ liberationis ab hoſtium obſidione, ſed perpetuæ tutelæ, & conſeruationis illius regiæ familiæ: ex qua diuini magniq; conſilij miniſtrũ illum regem oriturum eſſe, certiſsimis oraculis fuerat proditum.* Propter quòd dabit Dominus ipſe vobis ſignum. *Non iam Achazi, ſed totius familiæ cauſa ſignũ parari, pronomen, vobis, ſignificat. Cùm antea dictum eſſet,* Pete tibi. *Quod verò dicit,* Dominus ipſe dabit, *illud indicat, Deũ regum & regnorum omnium imperatorem ſummum, de regno Dauidis perpetuò à ſe inſtituto agentem ſignum eſſe daturum. Ideo maximum & admirandum, quia vltrò promiſſum: quæcumque enim vltrò dat, maiora ſunt quàm quæ à mortalibus cogitari, aut optari poſſunt. Atq; ita quamquam Signum quatenus hoc nomine dicitur, in probationis & argumentorum eiuſmodi generibus communis notæ ſit, vt docuimus, tamen quia à Deo dandum, vltroq; exhibendum erat, magno miraculo non fore cariturũ arbitrari oportuit. Atq; vt illud Dauidis domui ſingulariter promiſſum fuerat: ſic etiam illi tantùm familiæ expectandum obſeruandumq; fuit: neque ſigni ipſius teſtes alios, quàm ex illa domo conſtitui voluit Deus. Quibus cùm res ipſa certa ſpectata, atq; confirmata foret: diuini dicti & promiſsi ratio conſtare, & ceteris gentibus aperiri oſtendiq; poſſet. Itaq; his partibus ſignum illud definiendum, & adnotandum eſt: quod à Deo dandum, atque ideo magnum & mirabile: quòd Dauidis domui oſtendendum & probandum. Denique quòd probare poſſet Dauidis familiam, & regiam illam domum non eſſe euertendam. Neque enim iam Achazi regis, ſed totius domus Dauidis, & ciuitatis illius Ieruſalem, atq; adeò æterni illius & arcani conſilij in illa gente & ciuitate explicandi ratio habetur: ſicut & in illis*
2. Reg. 8. *non diſsimilibus exemplis eſt ſcriptum. Noluit autem Dominus diſperdere*
" *Iudam propter Dauid ſeruum ſuum, ſicut promiſerat ei, vt daret illi lucer-*
" *nam, & filiis eius cunctis diebus. Illud autem obſeruandum eſt, nomen Dominus hoc loco poteſtatis, & dominationis, & imperij rationibus eſſe defi-*
אדוני *niendum: namque Hebraicè verbum ipſum ſimplex* ADONAI. *Iam verò ſignum ipſum, cuius auctorem, obſeruatorem, & cauſam indicauimus, attendere oportunum fuerit.*

Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel: butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.

HVIVS *arcani argumentum quoniam pro dignitate & magnitudine tractare neque noſtri ingenij, neque huius loci anguſtiæ eſt, breuiter tãtùm indicare ſat fuerit. Eſt autem illa ſumma, decreuiſſe Deum ex familia Dauidis virum quendam matre virgine hominibus dare, totius generis humani ſeruatorem, hoc mandato & pacto, vt quoſcumque bonos, & diuinis conditionibus parentes cognoſceret, eos probatos deligeret, atq; ſalutis muneribus afficeret: contrà verò eos improbaret, qui ſeſe tantæ ſalutis & digni-*

*tatis*

*tatis indignos propria culpa redderent; eiusq́ iudicij & delectus faciendi puer ipſe ſimul ac naſceretur, oſtenderet; cibos qui minus ſalubres, aut vtiles minus eſſe poſſent, improbando, & reiiciendo: ſalubriores verò & commodiores ad infantiæ vſum admittendo, & comedendo, præter conſuetum id ætatis & cognitionis omnium infantium exemplum. Atq; adeò hoc nunc expoſitum conſilij ſui arcanũ ſignum Dauidis domui ipſe Deus voluit; quò certiſsimum eſſet, non fore vt illa familia ex qua hæc ratio omnis expedienda fuerat, interea exſcinderetur: imò futurũ potiùs vt Ephraim & Aram regna abolerentur omnino, antequam hoc diuinum conſilium explicari inciperet: tantum abeſt, vt ab illis impediri poſſet regnis, quæ multo tempore antè eſſent extincta. Itaq; hæc conſilij diuini expoſitio ſigni nomine Dauidis domui, ad confirmandam huius vaticinij fidem, longo poſt tempore futuram in præſentis negotij ſignũ dari; quando negotij certitudo & fides nõ ex rei ipſius ſpectatione, ſed ex imponẽtis conſilio facienda ſit. Vt ſi quis alium quempiam ſibi vehemẽter dilectum eſſe, hoc ſigno confirmet, quòd hæredem ſuarum rerum ſcribendum eſſe dicat; manifeſtum eſt, hæredis futuram appellationem indicatam ſignum eſſe, quo præſentis amoris profeſsioni fides fiat: atque ex hac notatione multa ſignorum exempla in ſacris libris obſeruantur, in quibus non tam res ipſa ſpectanda, quàm eius rei conſilium ſigni nomine proponitur. Sic enim Moiſi legationis datæ ſignum, rem poſt annum, & eo ampliùs à legationis initio agendam indicabat Deus: Ego, inquit, ero tecum, & hoc habebis ſignum, quòd miſerim te: cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum. Atq; hæc ratio omnis ex hac quatuor generum obſeruatione, quã indicauimus, apertè conſtat. Iam verò ſigni ipſius partes, & verborum interpretationem conſideremus.* Ecce virgo concipiet. *Signum illud vltrò à Deo promiſſum non ſine miraculo fore expectandum, ipſa promittentis auctoritas, virtus, & magnitudo indicabat: quamobrem & deſcriptio, & apparatus omnis illud admirandum eſſe docet. Vox* Ecce, *inexpectatam rem, & cum admiratione obſeruandam ſignificat, cùm primùm in oratione locum obtinet. vt, Ecce enim dominator dominus auferet à Iuda, & à Ieruſalem validum & fortem. Ecce ego conuocabo omnia regna Aquilonis. Eſt autem miraculũ, puellam ab hominum cœtu & conſuetudine alienam, atq; adeò virginẽ in vtero habere obſeruandũ eſſe: ita vt virginẽ ſimul eſſe, & vterum geſtare veriſsimum ſit; namq; Hebraicè oratio ex participio pronunciatur.* Ecce virgo in vtero habens. *Vtramq; enim ſimul partem obſeruandam admirandamq́ indicat vox* Ecce, *namq; aliàs virginis nomen cum pregnante non coniungeretur, vbi ſatis multa nomina ad feminas ſignificandas apud Hebræos inueniuntur, qui in ſermonis proprietate & elegantia nũquam negligentes eſſe ſolent. Itaq; hoc miraculi nomine proponitur, expectandum obſeruandumq́ fore, vt eadem virgo appellanda, verè in vtero habeat filium; & virginis tamen nec virtutem, nec nomen deponat. Atq; hoc ipſo*

Exodi 3.

Eſa. 2.

Ierem. 3.

b *nomine*

nomine, & decore conſeruato, pariet filium. Non minori miraculo quàm conceperit, hoc eſt, Virgo pariet, & virgo poſt partum manebit. Eandem enim integritatem illi à partu conſtituram eſſe, illa ſubiuncta oratio docet: Vocabit nomen eius Emanuel. Manifeſtum enim eſt nomen à matribus numquam filiis, niſi iam in lucem editis, imponi; maximè autem apud Hebræos: qui non ante circunciſionem quemquam ex liberis nomine appellarēt ſuo. Igitur triplex verbum vni tantùm ſuppoſito aſcriptum. Virgo in vtero habens, & pariet, & vocabit. Cognomen illud virginis ante partum, in partu, atq; à partu perpetuò illi obtinendum eſſe confirmat. Neque quiſquam qui Hebraicè rectè nouerit, aliam orationis huius ſententiam eſſe, affirmare verè poterit. Omne autem huius rei pondus & momentum in no-
עלמה mine GHALMA Hebraico eſt; quod propriè puellam ſignificat, adoleſcentem adhuc, nondum plenè adultam, eamq; nondum viro coniunctam, ſed domi potiùs latentē, & à ſocietate & conſuetudine hominum ſeiunctam, atque adeò virginem; id quod perpetuis ſacrorum librorum exēplis oſtendi poteſt.
Gen. 24. De Rebecca ſic S. E. Igitur puella cui ego dixero, &c. Quam virginē fuiſſe, in confeſſo omnibus eſt, & hiſtoria ipſa docet, Puella, inquit, decora nimis, virgoq; pulcherrima, & incognita viro. Illa etiam Moſis ſoror, quæ expoſiti infantis exitum obſeruabat, eodem quoque GHALMAH nomine
Exodi 2. appellatur. Perrexit puella, & vocauit matrem ſuam. Quamquam verò Latini interpretes pro eodem nomine nunc puellam, nunc adoleſcentulam, nunc etiam virginem reddant; tamen res ipſa omnibus locis obſeruata, virginem indicat, & Spiritus ſancti per Euangeliſtam interpretatio, apertè confirmat. Namq; Mathæi Euangelium Græcè παρθένος habet. Eſt autem Hebraicè virginis nomen articulo Emphatico indicaturo: quod præcipuam quandam & illuſtriſſimam virginem ſignificat. Fuit autem adeò conſtans hæc apud Hebræos orationis huius ſententia, Virginem in vtero habentem, obſeruandam, eandemq; virginē parituram; vt Maria illa virginum & feminarum omnium ſanctiſſima, antiqui, & domui Dauidis obſeruandi reſponſi, non immemor ſeſe, quæ hac oratione compellaretur, virginē in vtero habituram, & parituram cognoſcens, de re ipſa nihil dubitauerit: modum autem, quo id effici ſine viri interuētu poſſet, doceri poſtulauerit: quomodo, inquiet, fiet iſtud, quod à vate olim prædictum: Virgo concipiet, à te
Lucæ 1. nunc mihi refertur. Ecce concipies. Nam quæ Vates de Virgine prædixit futura, tu mihi omnino repetis, & adſcribis, quæ virgo ſum, & virum non cognoſco: quomodo igitur fiet iſtud, vt mihi virum non cognoſcenti, in vtero habendus, pariendusq; ſit filius? etenim miraculo iſtud non vacat, cuius rationem doceri abs te poſtulo. Cui reſpondens Angelus, dixit: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &c. Et vocabitur nomen eius Emanuel. Matribus olim & ius & mos nominum filiis imponendorum fuiſſe omnium ab Eua, Adami, vſque ad Elizabeth Zachariæ vxorem exemplorum obſeruatione in ſacris didicimus. Magnam verò & admirabilē virtutis alicuius

ſigni

*ſigni ſignificationem iis nominibus, quæ à Spiritu ſancto appellantur, ineſſe, aliàs oſtendere cupimus, eamq́; rationem ad iuſtum opus conſultò diſtulimus. Nunc verò huius nominis interpretationẽ arcanam admirandam venerari magis quàm exponere poſſumus: breuiter tamen indicare curabimus; aliisq́; pleniùs, aut nobis etiam aliàs commodiùs tractãdum relinquemus. Significat nomen* GHIMANVEL, *Filij illius ex virgine orituri, naturam geminam fore, plenè videlicet diuinam & humanã, plenè etiã vtramq́; arcano & admirãdo modo communicandam eſſe; vt ex multis membris, & capite vno illo, corpus vnum myſticè conſtans. Illud verè prædicare poſſit:* Nobiſcum Deus. *Itaq; Deus naturam humanam ſibi coniuncturus erat, quo deinde ſeſe nobis hominibus arcanè coniungeret. Id autem factum eſſe tum aliàs apertiſſimè, tum apud Euangeliſtam breuiſſimè eſt cõteſtatum.* עמנואל
Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, *& vidimus gloriã eius gloriam quaſi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis. Iam verò illud etiam eſt obſeruãdum ex diuinis nominibus, hoc loco vnum ſignificanter vſurpari nomen* EL, *quod ad virtutis & fortitudinis rationes exponendas ſpectat: de quo nos in libro de Sacro ſermone diſſeruimus. Huius autem nominis myſterio ad eam virtutem & fortitudinem conſiderandam excitamur, quæ diuini Chriſti Ieſu ſpiritus efficientia, cum ſanctis & regeneratis membris cõmunicatur: de qua nobis perpetuus in omni ferè Scripturarum loco exponendo, & numquam tamen ſatis pro dignitate tractatus ſermo eſt. Animaduertendum tamen eſt, nomen in ſacris literis, maximè autem in Spiritus ſancti ſermonibus, non ſolùm ad res ipſas, ſed multò etiam aptiùs ad rerum virtutes & efficientias, ſiue exitus etiam ſignificandum imponi. Nec abſonum eſſe, vt iidem homini alterum proprium ex communi nominum imponendorum conſuetudine, & ex perſonæ gerendæ ratione, alterum nomen contingat, vt Gedeon ab infantia dictus, ob inſignem illam ſimulacri deturbationem, fuit poſteà Ierubaghal appellatus: atque ita nomen id ſæpè in ſacris ſignificare, quod Latinis perſonam, vel munus ſignificat. vt, Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei, &c. &, Protegat te nomen Dei Iacob. &, Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. &, Narrabo nomen tuum fratribus meis. &, In nomine tuo laxabo rete: hoc eſt, in virtute efficientiaq́; tua. Atq; huiuſmodi nominis definitio hoc in loco cogitãda eſt. Docet enim vates quam perſonam ille Virginis Filius geſturus, quasq́; partes acturus erat, videlicet, Dei & hominũ: qui cùm verè Deus vereq́; homo eſſet; & Dei, & noſtras in mundo reconciliandi orbis cauſa repræſentaturus parteis fuit. Qua de re multa aliàs ſæpè tum apud Paulum aliquãdo ex diuina benignitate diſſeremus. In illo loco Deus erat, in illo mundum reconcilians ſibi, & in illo etiam pueri communicauerũt carni & ſanguini; & ipſe ſimiliter participauit iiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperiũ. Atq; hoc loco ſatis liquet nomen Ghimanuel Chriſto*

Marginalia: עמנואל; Ioan. 1.; אל; Eſaiæ 49.; Pſal. 19.; Pſal. 146.; Pſal. 21.; Lucæ 5.; 2. Cor. 5.; Heb. 1.

 *aptiſ-*

*aptiſſimè, & cum illo altero, quod Angelus antequam in vtero conciperetur infans, matri indicauit, conuenire: adeò vt alterum alterius interpretatio propriè ſit. Eandem enim perſonam, idemq́ munus* IESVAGH, & GHIMANVEL *ſignificant: alterum Seruatorem, & munere, & efficientia ad eam rem delectum: alterum, Deum fortem nobiſcum, interpretamur. vtriuſque autem muneris eandem eſſe rationem, eundemq́ euentum Euangeliſtæ apertè docuerunt. S. S. E. Paries autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorũ. Hoc eſt autem totum factum vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam, dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus. Neque verò prætermittendum hîc eſt, nomẽ filij conſultò eſſe appellatum, Hebraicè* BEN, *quod ad domorum familiarumq́ ædificationem & propagationem affertur. Significat enim* BEN, *vna detracta littera, lapidẽ ædificando idoneum, quale Eccleſiæ fundamentum Chriſtus eſt: quam rem nunc tantùm ſignificandam duximus, aliàs ad explicandum integram reſeruamus. Quæ à quibuſdam Hebræis ad ſubterfugiẽdam & obſcurandam veritatem hoc loco afferri ſolent expoſitiones, eas ſingulatim redarguere, non eſt viſum neceſſarium, propterea quòd nullæ ex illis cum hac noſtra ſimplici & aperta explicandi ratione conſtare poſſunt: deinde quòd ab aliis etiam non ſolùm ex noſtris, ſed ex illorum quoque gente ſcriptoribus doctè ſatis, & efficaciter labefactentur: neque nos in Commentariis noſtris aduerſarios cuiuſq́ vel perſonæ, vel ordinis, vel conditionis; ſed ſimplices veritatis expoſitores, omnibus hominibus æquos, & benè cupientes profeſſi ſumus. Dabitur autem aliàs, Deo auctore, commodior de aliis huiuſmodi etiam rebus diſputandi locus. Porrò meminiſſe oportet huius ſigni partes omnes, non omnibus hominibus ad obſeruandum fuiſſe propoſitas; ſed domui Dauid tantùm, hoc eſt, iis ex familia Dauid, quos eius rei cognitio attinget, & ad quos pertineret; quorumq́ teſtimonio fides etiam aliis fieri poſſet certiſſima. Itaq́ totum ſignum voluntatis diuinæ omni domui Dauid, ad ſpem ſalutis & liberationis confirmandam ſignificatum eſt. Ipſum verò ſignum cùm ederetur domui Dauid, hoc eſt, perſonis iis, quorum intereſſet, examinandum fuit: videlicet matri in primis ipſi virgini, quæ miraculi modum ipſa prima doceri poſtulauit; & eius deſponſo viro Ioſeph de domo Dauid, qui ob eam rem ſolicitudine & cura grauiſſima euſq; affectus & exercitatus fuit, quoad diuino oraculo, & Angelo interprete, atq́ hunc ipſum Iſaiæ locum citante, edoctus eſt. Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam: hoc autem eo cogitante, Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicẽs: Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, pariet autem filium, &c. Exurgens autem*

Margin notes: Lucæ 1. — Mat. 1. — בן — Mat. 1.

*autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit* “
*coniugem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum vnige-* “
*nitum: & vocauit nomen eius Ieſum. Cætera iam exponamus.* “

Butyrum & mel comedet. OFFICIVM, *dignitatem, auctoritatemq́ ſuam, & facultatem, atq́ naturam ab ipſa infantia indicaturum eſſe filium illum, atq́ iis, quibus cum eſſet, probaturum, Vates hac nota etiam ſignificauit. Quod cùm cæteri pueri & infantes recèns nati, propter ſenſuum infirmitatem inter bonum & malum dignoſcere nequeant, atq́ ideo quamcumque oblatam rem vel comedere, vel ori admouere, ſine vlla puerili cogitatione ſoleant; tamen puer hic ſimul ac natus fuerit, præter lac quo infantes omnes aluntur, butyrũ etiam & mel infantibus vtiliſſimum cibum comedet, atq́ ſibi cognitum admittet; cætera autẽ omnia quæ nocere poſſint comedentibus, reiiciet: manifeſtò prudentiæ & ſapientiæ ſuæ argumento oſtendens, bonos & pios homines, qui mellis & butyri inſtar dulces, atque ad pietatis vſum idoneos ſeſe præbebunt, ſibi eſſe ad cibos deligendos, ceteros verò reiiciendos, qui ſe difficiles, duros, inſuaueſq́ reddiderint. Atque de huius cibi genere ille dicebat; Ego cibum habeo manducare quem vos neſcitis. &, Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui me miſit: & vt perficiam opus eius.* Vt ſciat reprobare. *Coniunctio* Vt, *expoſitiuæ vim obtinet, Hebraicè eſt*, ad ſcire ſuum. *Habetq́ hæc oratio efficientiæ ſignificationem. Omnis itaq́ humanæ ſalutis per Ieſum Chriſtum ex domo Dauid naſciturum; procurandæ & perficiendæ ratio hoc arcano oraculo breuiter indicata ſigni nomine domui Dauid credita eſt, vt fides ſpeſq́ fieret certiſſima; quò ad hoc myſterium & conſilium perfectum eſſet, Iudæam gentẽ, & Dauidis familiam etiam aduerſis rebus vexatam, tamen conſtituram permanſurámque eſſe. Ne verò ſi quid interim accideret noui, euertere poſſet, futurorum euentuum ſeries à Vate prænunciatur.*

Ioan. 4. “ “

Quia antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum: derelinquetur terra, quã tu deteſtaris à facie duorũ regũ ſuorum.

FVTVRVM *vt Iudæis propediem metus ille adimeretur ex duorum regum Racin & Pacheah Remaliæ filij nece, qui non longè pòſt occidendi, ac pariter vita regniſq́ expoliandi erant: ita, vt terra vtraq́, Syria videlicet Damaſci, & Samaria, quam Ahhaz pauens deteſtabatur à facie duorum regum, quibus tunc parebat, derelinqueretur.*

Adducet Dominus ſuper te, & ſuper populum tuum, & ſuper domum patris tui dies qui non venerũt à diebus ſeparationis Ephraim à Iuda cum rege Aſſyriorum.

DAVIDIS *familia, & Iudæorum regnum in ſummo diſcrimine diſceſſionis temporibus, atq́ adeò in metu magno, & rerum ſuarum ſolicitudine fuerat: nimirum cùm duæ tantùm tribus ex altera parte, ex altera verò decem eſſent; maiorq́ pars præter recentem diſſenſionem, veterẽ etiam offenſionẽ haberet. Sed tamẽ ea res Iudæis exitium non attulit; quos magni*

*conſilij ſui cauſa Deus conſeruatos voluit. S.S.E. Ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus: porrò vna tribus remanebit ei, propter ſeruum meum Dauid, & Ieruſalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Iſraël. Quamquã verò multa deinde pericula & calamitates multæ Iudæis acceſſerint: nihil tamen cum illo primo metu & diſcrimine comparandum fuit. Vſque ad grauiſsima illa Aſſyriorum Nabuchodonoſoris tempora, quibus Iudaicæ res vehementer afflictæ, ac propè labefactatæ ſunt, primis & præcipuis populi vel occiſis, vel abductis, & magna etiam opum & diuitiarum facta iactura. Ea tamen res, quoniam Deo auctore ad animaduerſionem acciderat, exitium gẽti non attulit, ad conſilium diuinum perficiendum conſeruatæ. hoc eſt quod Vates prænunciat:* Adducet Dominus ſuper te. *Non caſu, aut humano ſolùm conſilio, ſed diuino; calamitates illas venturas; idq́ prædictio ipſa perſonarum & temporum circunſtantiis notata indicat.* Super te, & ſuper populum tuum: *nam &*
2 Paral. 28. *ille etiam Aſſyriorum vim pertulit. S.S.E. Humiliauerat enim Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda: eo quòd nudaſſet eum auxilio, & contemptui habuiſſet Dominum. Adduxitq́ contra eum Thelgath Phalnaſar regem Aſſyriorum, qui & afflixit eum, & nullo reſiſtente vaſtauit. Igitur Achaz ſpoliata domo Domini, & domo regum ac principum, dedit regi Aſſyriorum munera: & tamen nihil profecit.* & ſuper domũ patris tui. *Super domum Dauid interpretamur, quam affligendam & premendã vehementer, non tamen perdendam fore Vates indicat. Ideo non abſque ſignificationis certa ratione non dictum eſt, ſuper domum tuam, ſed,* ſuper do-
Pſal. 88. mum patris tui. *S. S. E. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, &*
» *in iudiciis meis non ambulauerint: ſi iuſtitias meas prophanauerint, &*
» *mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in*
» *verberibus peccata eorum: Miſericordiam autẽ meam non diſpergam ab eo:*
4. Reg. 18. *neque nocebo in veritate mea, &c. Id autem Ezechiæ temporibus ſpectatum*
» *fuit, cuius anno decimoquarto regis Ezechiæ aſcendit Senacherib rex Aſ-*
» *ſyriorum ad vniuerſas ciuitates Iuda munitas, & cepit eas. Tunc miſit*
» *Ezechias rex Iuda nuncios ad regem Aſſyriorum in Lachis, dicens: Pec-*
» *caui, recede à me: & omne quòd impoſueris mihi feram. Indixit itaq́ rex*
» *Aſſyriorum Ezechiæ regi Iuda trecenta talenta argenti, & triginta talen-*
» *ta auri. Quæ, quamquam perſoluta fuerint, tamen nec regi, nec populo ſe-*
» *curitatem pepererunt. Namq́ paulo pòſt: Miſit rex Aſſyriorũ Tharthan,*
» *& Rabſacẽ de Lachis ad regẽ Ezechiam cũ manu valida in Ieruſalẽ, &c. Atq́ ita gens, ciuitas, & familia illa ſæpè ab Aſſyriis diuino iudicio infeſtatæ & afflictæ ſunt: & tandẽ Ioachim tẽporibus victæ, Babylonẽ abductæ; paucis relictis qui regionẽ incolere magis quàm colere poſſent. illisq́ non admodũ locupletibus, imò pauperibus, qui in tenui re ſimplici victu vitam agerent. Atq́ hoc modo Iudæa gens conſeruabatur quidem à Deo, caſtigabatur autem, interim quoad ille ſpirituum diſcretor Chriſtus aduentaret.*

Et erit in die illa, ſibilabit Dominus muſcę, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti: & api quæ eſt in terra Aſſur: & venient, & requieſcent omnes in torrentibus valliũ, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in vniuerſis foraminibus.

ISRAELITICAM *regionem ingenti ac valida manu Ægyptiorum, ab Aſſyrio rege, & exercitu conductorum vaſtandam, ac tandem Iudæam debellandam, ipſumq́; regem, & populi maximam partem abducendam, hoc vaticinio obnunciabat Iſaias, idq́; appoſitis & tranſlationibus ſignificantiſſimè eloquebatur: namq; Ægyptiorum gentẽ multitudine magis infeſtam, quàm virtute formidandam, muſcam appellauit:* quæ eſt in extremo fluminum Ægypti. *Etenim calidarum regionum flumina, muſcis ibidem natis, frequentiſſima ſunt. Eſt autem muſcarum importunitas vehemẽter hominibus infenſa: namq; id genus non tantùm nocere, quantum multitudine & audacia, & pertinacia moleſtum eſſe ſolet: neque enim aculeis valent, vt apes; quamquam ſunt quædam muſcæ iumentis infeſtæ, quæ ad ſanguinem vſque exſugendum nocent: hæ autem ſecundùm flumina gigni plurimæ ſolent, atque inde latè diffuſæ, ad alia loca nocendi cauſa peruolare. Vtriuſque generis hominum maximam copiam Ægypti flumina olim alebant, vulgi ignobilis, & tamen frequentiſſimi, & hominum etiam bellatorum non exiguam manum, præcipuè verò ad Æthyopiæ confinia, vbi montana regio, & aëris, & aquarum natura aſperiores homines producebat: atq; Ægyptum fluminis Nili, & deductorum canalium, atq; oſtiorum tractibus habitari, eiusq́; aquæ efficientia, terram ipſam aliàs imbribus carentem, fœcundari notius eſt, quàm vt docere hoc loco debeamus. Significat autem vates ingentes Ægyptiorum & Æthyopum copias Aſſyrij regis victoris, & iam omnium imperatoris conſtituti exercitum, ad Iudææ pernitiem fore ſecuturas. Etenim hos etiam Aſſyriorum vicit rex. S. S. E. Sic* Iſaiæ 20.
*minabit rex Aſſyriorum captiuitatem Aegypti, & tranſmigrationem* c
*AEthyopiæ. Atq; hac imagine gens illa celeritate, inſolentia, atq; importunitate multitudineq́; nocens, colore etiam ſubfuſca deſcribitur: atq; vtramque partem AEgyptiorum videlicet & AEthiopum venturam eſſe, ſatis apertè indicauit Topographia ipſa,* In extremo fluminum Ægypti. *Manifeſtum eſt enim Aegyptiorum fluminum ſcaturigines in Aethiopia eſſe; fontem verò ipſum, primùm antiquis ignotum, in horto illo delitiarum pri-* Gen. 2.
*mi hominis culpa à mortalium conſpectu ſubducto, conſtare. At verò Aſſyriorum ſeculis illis, omniumq́; aliarum gentium potẽtiſſima, & victrix natio, quæ armis, impetu, & rei militaris peritia, caſtrorũ ordine, & imperatoris cura valeret, Apis à vate nominatur: ob illius inſectorum generis naturam reip. imperij & militiæ, & cogẽdarum conſeruandarumq́; opum vſum admirandum, ſui exemplum præbẽtem. Apes autem non tam fluminibus quàm campis & paſcuis, & florenti tractu delectantur, & creſcunt. Cuiuſmodi Aſſyria latè patens, & fortiſſima regio eſt; hos omnes non caſu,*

*non*

*non ſuo ipſorum impetu, ſed diuino conſilio aduerſus Iſraëlitas excitatum, & delectū iri, oratio illa indicauit:* Sibilabit Dominus. *Sibilus oris compreſſo ſpiritu editur, & vltra humanæ vocis contentionem latiſſimè ſonat, ſignumq́; eſt ferè ſemper conuocationis eorum ad quos pertinet. S.S.E. Sibilabo eis, & congregabo eos. atq; hæc imago diuini ſpiritus, & verbi auctoritate hoſtes illos aduerſus Iudæam excitandos, non tamen vlteriùs quàm ipſa diuini conſilij ratio præſcripſit, nocituros indicat. Quāta verò illarum multitudo, quantum gentibus terrorem, quantam etiam calamitatē allatura eſſet, apertè docuit vates. &,* Venient, *nemine impediente,* & requieſcent in torrentibus vallium, *vrbes in plano loco ſitas ſignificat.* & in cauernis petrarum, *munitas opere & ſitu vrbes.* & in omnibus frutetis, *oppida & vici, quæ ruſticæ rei exercendæ cauſa incolantur.* & in vniuerſis foraminibus. *Hebraicum nomen,* NAHALIM, *quibuſdam ſignificat rupes non nimium difficiles; alius fruticeta, & dumeta, cæteraq́; vilia arbuſta. trāſlatio verò ipſa ſuburbanas domos, & villas voluptatis, & animi cauſa comparatas indicat. Sic etiam Chaldæus vertit: Et in omnibus domibus laudis. Hæc omnia loca partim venientium impetu & bello vaſtata, partim metu ab incolis deſerta, occupatum iri Vates confirmat. Quantum verò Iſraëlitæ primùm, deinde Iudææ regioni damni, calamitatis, & cladis, deniq; vaſtationis Aſſyrij attulerint, in ſacris Regum hiſtoriis eſt abundè narratum. Tandem verò quid in Ieroſolymitana gente & vrbe, atq; in regia familia effecturi eſſent, ſubiuncto verſu indicatur:*

Zach. 10. — נהלים

In die illa radet Dominus in nouacula conducta in his qui trans flumen ſunt, in Rege Aſſyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuerſam.

IEROSOLYMITANAM *calamitatem ab Aſſyriis tandem allatam, ſignificare apertè nobis viſus eſt Vates: quamquam alij hunc locum de Senacheribi exitu interpretentur. Quoniam verò illa clades tum omnium ordinum, tum verò regis etiā ipſius abductione & captiuitate magis quàm nece & cæde peracta eſt; ideo abraſionis tranſlatione fuit à vate prænunciata. Namque nouacula pili non conſumi, ſed abradi, atq; de loco vbi nati ſunt, transferri ſolent. id verò expeditiùs fit nouacula conducta; quippe quam conductor acutiſſimam ſemper deligere, atq; vt alienā, & ſuo ære ad vſum ſibi tantùm paratam, ſine vlla clementia exercere ſoleat. Hac autem imagine Aſſyriorum rex & exercitus à Vate non ſolùm ſignificatus, ſed etiā expreſſè indicatus fuit.* In iis qui trans flumen ſunt in rege Aſſyriorum. *Expoſitionis normam oratio hæc ſequitur.* Trans flumen *autem deſcriptio eſt Aſſyriæ ſitus, quæ ab Iſraëlitica regione Euphratis alueo dirimitur. Illud autem obiter indicatur, Aſſyriorum potētiam, non ipſorum felicitatis, ſed publicæ animaduerſionis in ſceleratos & impios excitandæ cauſa fuiſſe adeò ad tempus auctam. S.S.E. Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem vt corriperes fundaſti eum.* Caput & pilos pedum, & barbam vniuerſam.

Habac. 1.

uerſam. *Rempublicam omnem vnius corporis imagine, non ſolùm noſtri, ſed externi quoque ductores deſcribere conſueuerunt. Eius autem caput rex vel princeps ſummus conſtituitur.* Barba, *capiti proxima, & totius oris decor, magnates, optimates, & magiſtratuum ordines omnes dicuntur.* Pedes *verò, inferioraq; membra reliqua plebs obtinet: quid verò honeſta circuitione pilorum pedum Hebræi ſignificent, facilè cognitu eſt. Oſtēdit igitur vates regem in primis ipſum Iudææ cum rege plurimos ex populo; qui infimæ plebi vel auctoritate & nomine, vel fortunis antecellerent. Adhæc etiam* 4 Reg. 25.
*nobilitatem omnem Ieroſolymis Babylonem eſſe abducendos: ſolùm verò* “
*pauperiores atq; infimæ ſortis homines, qui Iudæi nomē tueri tantùm poſ-* “
*ſent fore relinquendos; id quod ad prædictionis normam eueniſſe, hiſtoria* “
*ipſa manifeſtè teſtata eſt. Apprehenſum ergo regem, duxerunt ad regē Ba-* “
*bylonis in Rablatha, qui locutus eſt cum eo iudicium. Filios autem Sedechiæ* “
*occidit coram eo, & oculos eius ſuffodit, vinxitq; eum cathenis, & adduxit* “
*eum in Babylonem. & paulo pòſt: Reliquam autem populi partem, quæ re-* “
*manſerat in captiuitate, & reliquum vulgus trāſtulit Nabuzardan prin-* “
*ceps militiæ: & de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas. Tulit* “
*quoque princeps militiæ Sarayam ſacerdotem primum, & Sophoniam ſa-* “
*cerdotem ſecundum, & tres ianitores: & de ciuitate eunuchum vnū, qui* “
*erat præfectus ſuper bellatores viros: & quinque viros qui ſteterant coram* “
*rege: quos reperit in ciuitate, & Sopher principem exercitus, qui probabat* “
*tyrones de populo terræ, & ſex viros de vulgo, qui inuenti fuerant in ciui-* “
*tate: quos tollens Nabuzardan princeps militum duxit ad regem Babylonis* “
*in Rablatha. Percuſſitq; eos Rex Babylonis, & interfecit eos in Rablatha,* “
*in terra Emath: & tranſlatus eſt Iuda de terra ſua.* “ *Hæc adſcribenda viſa nobis ſunt, quibus capitis barbæ & capillorum pedum raſio apertiſſimè explicatur.* Et barbam vniuerſam. *Hebraicè*, & barbam finiet. *Nobilitatem omnem vel abducendam, vel fugandam eſſe ſignificat. At verò tanta illa clade Iudaicis rebus exitium futurum non eſſe Vates ait: immo reliquiis populi diuinitus ſic eſſe conſulendum; vt quamquam raris & diſſipatis, tamen exiguo labore & ſumptu victus abundè ad generis conſeruationem, & ad reſtitutionis futuræ ſpem alendam ſuppetat.*

Et erit in die illa, nutriet homo vaccam, bouem, & duas oues: & præ vbertate lactis comedet butyrum: butyrum enim & mel manducabit omnis, qui relictus fuerit in medio terræ.

EXIGVA *admodum cura, ſollicitudine, & pecunia oportunus victus iis, quos diuina fouet prouidentia, paratur: quandoquidem, direptis, & exſpoliatis Iudæorum reliquiis, tenuem admodum gregē vnius vaccæ, & duarum ouium abundè ſatis lactis ad comedendum, & ad butyrum conficiendum ſuppeditaturum Vates confirmat: adeò vt Epiphonematis amplificatione vſus, admirandam vbertatem indicando repetat:* Butyrum enim & mel manducabit omnis, qui relictus fuerit in medio terræ. *Butyri &*

*mellis coniunctio, victum vſque ad delicias abundantem in ſacris ſignificat: namque butyrum ad vitam alendam commodiſſimum eſſe antiquis lectionibus, & noſtræ ætatis exemplis docemur. Bona enim hominũ & vulgi pars in hoc Septentrionali tractu, vbi nos eramus cùm hoc ſcriberemus, pane nigro ex ſecali, & butyro alitur: tamen Syriæ regionis butyrum & lac, vt calidioris & fœcũdioris terræ, melioris multo ſucci quàm hoc eſſe oportet. Porrò mel cùm ſummè præter alias omnes res dulce ſit; non modò ad delitias, ſed ad ſanitatem quoque adhibetur: corrigit namq; craſſiorem, & minùs probè decoctũ lactis ſuccũ. Quamobrem vtrumque ad cibos à Græcis ac Barbaris medicis vtiliter miſcetur. Mel autem ſiue in ſiluis ſponte ab apibus fiat, ſiue in alueis, vel apiariis, minima hominum induſtria, & labore exiguo conſtat. Quam verò faciem regio ipſa, & hoſtium depopulatione, & cultorum defectu vaſtata, per illàm tempeſtatem habitura eſſet, ſubiuncta deſcriptione vates docuit: atque obiter aliam calamitatem indicauit, quæ tranſmigrationis tempore ab ipſis Iudæis, Godolia regionis præfecto extincto, allata eſt.*

Galen. de ſimplic. medic. & de bono & malo ſucco. Hypoc. Aph. lib. 2.

Et erit in die illa: omnis locus vbi fuerint mille vites, mille argenteis, in ſpinas & in vepres erunt. Cum ſagittis & arcu ingredientur illuc: vepres enim & ſpinæ erunt in vniuerſa terra. Et omnes montes qui in ſarculo ſarrientur, non veniet illuc terror ſpinarum & veprium, & erit in paſcua bouis, & in conculcationem pecoris. V I N E A R V M, *& vini vſum magis ad vitæ delitias, quàm ad neceſſitatem excogitatum & inductum fuiſſe tot hominum ſecula ante diluuium, tot poſt diluuium regiones & homines ad noſtra vſque tempora vinum neſcientes confirmant. Quando ſufficientia vitæ hominis in pane & aqua (vt Sapiens confirmat) ſit. Vinum enim præter infirmioris ventriculi fomentum, & cordis mœſti exhilarationem aliquantulam nihil præterea vtilitatis mortalibus affert: idq; quod affert, non niſi modeſtiſſimè ſumptum præſtare poteſt: aliàs verò non corporibus modò, verùm mentibus etiam nocentiſſimum deprehenditur. S. S. E. Noli regibus » ô Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat » ebrietas: ne fortè bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam » filiorum pauperis. Date ſiceram mœrentibus, & vinum iis qui amaro ſunt » animo: bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & dolorem ſuum non recor» dentur ampliùs. Quamobrem iis, qui liberioris, & auſterioris vitæ rationem ſequũtur, vini cura non vtiliter modò, ſed ſapienter abiicitur. Atq; in hoc genere animi propoſitũ & conſuetudo plurimũ poſſunt, id quod & nos experti ſumus per omnem vitam, ad quadrageſimum vſque tertium, in quo ſumus annum, variis regionum, maris, & viarum mutationibus, variisq;, & cõtinuis laboribus, ſine vllo vini vſu ex diuino beneficio perfuncti. Non autem quòd eius potum omnibus modis reprehẽdamus; ſed qui neceſſitatem ad vitam alendã negemus, abuſum verò vehementer improbemus. Deinde*

Eccl. 29.

Prou. 31.

*quòd*

*quòd magno ſumptu rem minimè omnibus neceſſariam, atque adeò plurimis inutilem, quæri, & comparari miremur. Igitur vinearum antiquum cultum durioribus temporibus à Iudæorum reliquiis eſſe negligendum, Vates docet: vtpote quibus ſatis futurum ſit, ea parari, quæ ad vitam ſimpliciter & piè traducendam, oportuna videbantur. Cuius generis armenta, & pecora, fruges, & fructus alij neceſſarij magis quàm vinum ſunt. Minimam itaq; in deſerta & vaſtata regione à relictis incolis vinearum curam & rationem eſſe habendam: adeò, vt qui locus anteà mille vitibus, iiſdemq; fertiliſsimis, vtpote ſingulis argenteo ſiclo æſtimatis conſitus erat, in ſaltũ ſiluamq; redactus, aut feris, aut latronibus fiat oportunus: neque ſine arcu, & ſagittis adiri ab incolis poſsit. Deinde verò futurum eſſe ait, vt vallibus & planioribus agris neglectis, ij, qui in Iudæa relicti ſunt, montana loca, vt vitæ & ſanitati, atq; excercitationi magis oportuna, atq; ab hoſtium & latronum metu magis tuta habitent & colant: pacis enim temporibus olim planiora & humiliora loca, vt fructifera magis minusq; laboris exigentia colebantur. Contrà verò difficiliori tempeſtate, editiora ſecuritatis & vitæ alendæ cauſa peti ſolebant; vt ſæpè aliàs docuimus; & in noſtris De ſacro ſermone libris oſtendimus. Magna porrò ſolicitudo & vaſtitas, qua Iudæa regio tandem afficienda erat, quo tempore Godolias occiſus eſſet, à Vate noſtro temporum omniũ ſeriem prædicente indicata eſt. de quo illud ſcriptum extat: Factum eſt autem in menſe ſeptimo, venit Iſmaël filius Nathaniæ,* 2.Reg.25.
*filij Eliſama de ſemine regio, & decem viri cum eo, percuſſeruntq; Godo-* "
*liam; qui & mortuus eſt: ſed & Iudæos & Chaldæos, qui erant cum eo in* "
*Maſphah. Conſurgensq; omnis populus, à paruo vſque ad magnũ, & prin-* "
*cipes militum venerunt in Ægyptum, timentes Chaldæos. & iterum alia* "
*Scriptura dicit: Vt impleretur ſermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebra-* "
*ret terra ſabbatha ſua: cunctis enim diebus deſolationis egit ſabbathum, vſ-* "
*que dum complerentur ſeptuaginta anni.* "

## CAPVT VIII.

ET dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtilo hominis, velociter ſpolia detrahe, citò prædare.

ISRAELITICARVM *rerum ſeriem, & euentum omnem proximo capite vates prædixerat, cuius argumentum diuini conſilij in primis expoſitionem, & Syriæ, atq; decem tribuum Iudæis infeſtarum calamitates, & tandem Iudææ ipſius tempora, cuiuſmodi futura eſſent, continebat. Hanc verò rationem & ſeriem omnem, non vnius tantùm, ſed plurium Vatum teſtimonio prædictam & confirmatam voluit Deus, vt in ore duorum vel trium ſtaret omne verbum. & euentus ipſe tantis teſtimoniis conſentiens diuini conſilij & prouidentiæ erga hominum res, & æternam ſalutem manifeſtam & certam rationem omni orbi probaret. Quamobrem quæ antea*

Vates domui Dauid prædicere, & proponere iuſſus eſt. Nunc omnibus hominibus ad quos etiam eius conſilij euentus pertinebat, ad perpetuũ rei monumentũ exponere, idq; hoc modo procurare iubetur, vt libro parato inſcribat ſtilo aperto, & vera ſcriptura, non prophetica tantùm cogitatione, ſed in ſtilo, quem vel infimus quiſque homo legeret, & cognoſceret. Id autem quòd ſcripturus ſit dictari ſibi audiuit breuiſſima quidem oratione, ſed vt eorum, quæ antea dixerit, argumentum breuibus complexum verbis, facilè percipi, & fideliter retineri poſſit. Sunt autem duæ inſcribendæ ſententiæ partes binis membris conſtantes. Velociter ſpolia detrahe. Hebraicè, velociter ſpolia, citò prædare; ſed Hebraicè verò breuior multo oratio eſt:
למהרשלל LEMAHER SALAL HASBAZ. Superiùs enim dixerat, Derelinquetur
חשבז terra quam tu deteſtaris à facie duorum regum ſuorum: & adducet Domi-
,, nus ſuper te, & ſuper populum tuum, & ſuper domum patris tui dies, &c. Id autem quòd ad priorem partem ſpectaret, citò futurum; quod verò ad poſteriorem citiſſimè etiam inchoandum eſſe, hæc ſententia docuit: id quod & euentus ipſe oſtendit. Non enim multo pòſt Aſſyriorum rex vtramq; regionem Syriæ, & decem tribuum, & rebus & hominibus abductis, expoliauit, Iudæam inuadere, ac diripere cœpit. Librum grandem: quidam volumen, alij cum Chaldæo Paraphraſte tabulam interpretantur. Certè Hebraicum vocabulum, ſi ad verbum reddendum ſit, manifeſtatorium ſignificat, ſtilo hominis, ex Hebraicis nominibus, quibus homo dicitur vnũ hoc
אנוש in loco ENOS, vſurpatum eſt; quod humanæ naturæ infimam & humilem,
Euſeb. in præp. Euan. atq; miſeram conditionem ſignificat. Eſt enim varia naturæ hominis conſideratio tum ad laudem & præſtantiã, tum ad infirmitatem & miſeriam relata. poſterioris generis rationem nomen ENOS continet, vt ex locis ipſis,
Iob 7. vbi inuenitur, obſeruari poteſt. Quid eſt homo, quia magnificas eum. &,
Iob 10. Numquid ſicut dies hominis, dies tui. &, Quanto minus homo qui vermis
Iob 25. Iob 9. eſt. &, Exurge Domine, non confortetur homo. &, Sciant gentes, quòd homines ſunt. Vbique, & ſæpè aliàs eſt ENOS. Cauſam verò quamobrem magnum volumen parare, paucis verbis exarare iuſſus Vates fuerit: eam afferimus, quæ cum rebus ipſis conſtare, & multas difficilesq; de perſonis ac temporibus dubitationes tollere, aut euitare valeat: nimirũ quòd eandem rem, quam Vates ſibi prædictam breuis argumenti ſumma ſcribere iubebatur, ab aliis etiam duobus teſtibus, & prædicandam, & confirmandã Deus adornabat, videlicet ab Vria ſacerdote, & à Zacharia filio Barachiæ, quos ſuo vtrumque ſeculo idem cum Iſaia argumentum vaticinando perſecutos accepimus: ideoq; ſuam, quam expoſuerat partem, Vates breuibus verbis in libro ſcribere, atq; librum, ſpatium, & locum, cæteris poſt ſe vaticinaturis teſtibus, relinquere iuſſus eſt. Hæc ratio ſubiuncto verſu explicatur.

Et adhibui mihi teſtes fideles, Vriam ſacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ. DEI orationem Vates adhuc refert, à quo rationum omnium Iſraëliticarum ſummam deſcribere iuſſus, monitus etiam fuit:

*fuit, alios duos teſtes eſſe adhibendos, qui eandem rem non modò confirment, ſed longa quoque oratione perſequantur: quorum nondum etiam natorum & nomina, & genus Vates, Deo docente, cognouit. Eiuſmodi autem exempla oportunè aliquando apud Vates edita fuiſſe legimus. vt, Ecce vir* 1. Reg. 13.
*Dei venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, Ierobaam ſtante ſuper* "
*altare, & thus iaciente, & exclamauit cõtra altare in ſermone Domini, &* "
*ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur domui Dauid,* "
*Ioſias nomine, & immolabit ſuper te, &c. Quod Latinus interpres vertit:* "
& adhibui mihi teſtes. *Hebraicè legimus ad verbũ:* Et teſtificabor mihi teſtes, *vel* teſtari faciam. *Namque verbum futuri temporis eſt, tũ coniunctione fixa, ſcripta cum puncto Sæuah: quæ ſi conuerteret futurum in præteritum, ſcribenda erat per Pathahh, ex diui Ieronymi, & omniũ Hebraicè ſcientium obſeruatione. Eoſdem autem hos duos Vates eſſe intelligimus, qui poſt Iſaiæ ætatem de iiſdem rebus vaticinati, illuſtres habiti ſunt: alter Ieboiachim regis tempeſtate primo illo templo adhuc ſtante. S. S. E.*
*Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini Vzias filius Samei de Ca-* Ierem. 26.
*riath Iegabarim, & prophetauit aduerſus ciuitatem iſtam, & aduerſus* "
*terram hanc, iuxta omnia verba Ieremiæ, &c. Alter verò ſecundi templi* "
*initio ſub rege Dario diuina legatione functus, omnem & præteritarum, & futurarum Iudæis rerũ ſeriem & rationem editis vaticiniis eſt perſecutus. Cuius operis commentaria à nobis conſcripta extant, ſuis vtrumque generis etiam nominibus patris hunc, muneris illum mentione, Deus Iſaiæ indicauit. Magnum igitur volumen eſſe oportuit, in quo Iſaias Syriæ, & decem tribuum clades varias Iudæorum calamitates Ieroſolymæ, & terræ illius euentus, Zacharias antiquas Iudæorum, & præſentes res, & futuram per Chriſtum orbis ſalutem erant conteſtaturi.* Suas igitur partes *in volumine teſtari iuſſus eſt Iſaias, & ſpacioſum locum aliis ad ſuas vtriuſque explicandas relinquere. Deinde verò quid ſibi iniunctum, & initum, atque effectum fuerit, Vates docet:*

Et acceſſi ad propheticiſſam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari.

HVNC *filium diuino iuſſu & conſilio ad huius vaticinij portentum & monumentum Iſaiæ procreatum fuiſſe, euentus ipſe declarauit. Prophetiſſam vxorem ſuam appellat Vates, ſiue quod commune coniugium dignitatis nomen ſit, & rex, & regina, dux, &c. Siue quòd ipſa etiam Vatis vxor diuino ſpiritu aucta, aliquem ex prophetiæ gradibus obtineret: ſiue quòd huiuſmodi conceptus & partus ſingulari Dei conſilio parati, ad prophetiæ rationem pertineant. Hoc enim modo & Sara, & Rebecca, & Elizabeth, & quondam etiam Noë mater vaticinatæ dicuntur. Filius autem procreatus maſculus ſignificatæ rei euentum certum, vehementem, & grauem fore docet, vt in Hoſeæ cõmentariis expoſuimus. Nomen porrò ipſum diuino iuſſu*

*puero impoſitum conſilij & vaticinij ſententiam indicat: quæ adiuncta oratione ſtatim exponitur. Cùm verò nomen duplex ſit, fieri potuit vt eandem rem vtrumque ſignificaret: neque tamen vt duas indicaret res, à ſignificatione & ratione alienum eſt: namq; aut appellari potuit ſimul*, Accelera, ſpoliare, feſtina, prædari. *vel nunc altero, nunc verò altero nomine, idem tamen ſignificante.* Accelera, ſpoliare, *vel etiam* feſtina, prædari. *Poſſumus autem alteram partem ad Syriæ & Damaſci, alteram verò ad Samariæ & decem tribuum tempora referre: quarum alteram citò, alterã verò non longè pòſt venturam pueri nomen ſignificauit, vt ſtatim exponitur:*

Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrẽ ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum. CALAMITATEM *vtriuſque regionis non diu fore expectandam, aut protrahendam; eamq; ex diuini iudicij decreto certiſſimam fore, & puer, & pueri nomen, & expoſita nunc ſententia docebat. Prima namque quæ diſcuntur infantibus, nomina ſunt Pater, & Mater, quæ tenerrimis adhuc, & neceſſaria, & pronunciatu faciliima, præcipuè in lingua Hebraica ſunt, in qua* ABI, *Pater mi*; IMI *verò, Mater mea dicitur. Breui igitur futuram Syrorum vaſtationem & abductionem, & Samariæ direptionem vates confirmat: priorem tamen alterius quàm alterius gentis fore caſum indicat; ita autem eueniſſe ſacra hiſtoria docet: nam Syriæ rex Damaſcum cepit: cuius rege interfecto, gentem ipſam ad* KIR *migrare coëgit: deinde Iſraëliticam regionẽ bello inuadens, idem Aſſyriorum exercitus, vt iam oſtendimus, diripuit. Hic autem verſus ſententiam atque rationem exponit, quamobrem & ſcribere in volumine, & nomen filio indere Vates iuſſus fuerit: Ex ipſarum verò ſententiarum & rerum diſtinctione manifeſtè cognoſcitur, non eundem eſſe hunc filiũ cum illo qui in ſignum datus fuerat omni domui Dauid: namq; ille in ſalutis ſignum omni genti prædictum nomen ei rei aptiſſimum,* DEVS NOBISCVM, *habiturus dicitur. Hîc verò aliud multò nomen, & paulo pòſt futuræ Syrorum & Iſraëlitarum calamitati conſonum accipit: idq; interpretatione & cauſa ſubiuncta exponitur. Deinde hîc duarum calamitatum index nomen ſortitus, quæ tamen non eodem tempore euenerunt: namque Syrorum clades Achaz Iudæorum regis tempore, Iſraëlitarum verò & Samariæ excidium Ezechiæ ætate fuit: vt ille autem Emanuel in duplicis ſalutis ſignum promiſſus eſt; eius, quæ ad vniuerſum orbem pertineret, atque eius etiam quæ ad Iudaicas res interim conſeruandas ſpectaret. Præterea Emanuel in ſignum dictus eſt ſalutis & liberationis, conſeruationisq; Iudaicæ, antequã naſceretur futuræ, & publicæ etiam felicitatis poſtquam natus eſſet, & adoleuiſſet efficiendæ. Sic etiam & hic Iſaiæ puer ſignum duplicis animaduerſionis prioris nimirum, antequam patrem & matrem appellare ſciret, excitandæ, & in Iſraël, & in Samaria poſtquam adultior eſſet, ſpectandæ: ita autem vt prioris rei exemplum & ſpectatio, certiſſimam poſterioris expectationem redde-*

*redderet : vt aliàs de duplicibus , aut multiplicibus vaticiniis docuimus.*

Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens: Pro eo quòd abiecit populus iſte aquas Siloe, quæ vadunt cum ſilentio, & aſſumpſit magis Raſin, & filium Romeliæ: propter hoc ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes & multas: regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius: & aſcendet ſuper omnes riuos eius, & fluet ſuper vniuerſas ripas eius, & ibit per Iudæã, inundans, & tranſiens vſque ad collum veniet.

CALAMITATEM *Iudææ regioni per Senacherib afferendam ex diuini iudicij decreto & ſententia futurã eſſe Vates oſtendit; ob manifeſtam populi ipſius culpã, quam in initio indicat: hanc autem ad animaduerſionem & punitionem culpæ & temeritatis popularis, non autem ad interitum, & exitium Iudaicarum rerum pertinere oſtendit. Quandoquidem* EMANVEL *nomen velut tutelare illi genti datum, certam ſpem facere potuit, illorum res non eſſe omnino perdendas, neque ita atterendas, vt diuinum de publica ſalute conſilium conſtare non poſſet: immo potiùs in maximis calamitatibus eius nominis recordationem, tanquam anchoram promiſsionis diuinæ eſſe petendam. Sed ne quis futuram calamitatem cum promiſsis diuinis pugnare exiſtimet, Antypophora vſus Vates ex Dei conſilio & iuſſu reſpondet futurum, vt promiſsis diuinis manentibus & certis, ij, qui conſiliis Dei parere neglexerint, temeritatis & ſceleris pœnas luant: id quod Iudæis euenturum eſſe prædicabat; qui Dauidis familiæ contemptione & deſpectione quadam ſtulta, Iſraëlitarum regi parere optabant: tum quòd Achaz minori potentia quàm Samariæ regem, & illi ſocietate coniunctum Raſim valere putarent: vtpote rebus præſentibus, & copiis hominum minùs inſtructum. Illos autem rebus geſtis illuſtriores, & copiis auctos magis, & faſtu ſuperbiores, tum etiam quòd Ezechiæ indolem aſpernabãtur, quem lenem, mitem, & humanum, atque æqualem regem fore coniiciebant. Quòd mundi ſapientia huiuſmodi ingenij viros minùs ad regnum aptos, contrà verò ſuperbos, inſolentes, ambitioſos, atq; quietis publicæ perturbatores aptiſsimos exiſtimet: cùm ex diuinæ ſapientiæ ratione & ſententia hi ad omnem rem improbati, atq; ad ruinam edendam nati; illi verò ad regnorum & rerum fundandum & confirmandum ſtatum commodiſsimi iudicentur. Metaphoricῶs, ſiue allegoricῶs hæc res à Vate pronunciata eſt. Regis enim, & regni ratio omnis aquarum nomine & imagine ſignificatur: vt enim in hortis & agris aquarum oportunus vſus magnas ad alenda plantaria commoditates, importunus incommoditates maximas affert: ſic regum mores, conſilia, actiones, denique rationes vel compoſitæ, & ſapienter inſtitutæ rempub. amplificant, vel contrà inſolenter initæ, perturbant, & obruunt. Quamobrem regia ratio & gubernatio ex aquarum ſimilitudine commodiſsimè deſcribitur. S.S.E. Vt diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud. Igitur Iudæis cogita-*

Prou. 21

*cogitationem ſuam de Dauidicæ domus regia auctoritate ob lenitatem contemnenda, & ſuperbiore aliquo rege (qualis Raſin, & filius Romeliæ eſſent) optando, fraudi & calamitati magnæ fore Vates ait: inducto Aſſyriorum exercitu & rege, qui res omnes Iudaicas vaſtet, labefactet, ac tantùm non funditus euertat & perdat, non minori aut impetu actus, aut vi nocens, quàm flumen aliquod magnum defluentium aquarum, atq; imbrium acceſſione tumens atq; excreſcens: à quo plurimum damni & periculi ambitis vrbibus & oppidis inferri ſolet. Appellat autẽ Vates regiam & legitimam Dauidis familiã, eiusq; familiæ mites & placidas optandasq; ad regni adminiſtrationẽ perſonas, vt Ezechiam aquas Siloë euntes cum ſilentio: quòd Siloë fluuius erat apud Ieroſolymam ipſam ortus, & in torrentem Cedron defluens, cuius aquis horti ij, qui trans torrentem ſiti fuerunt, irrigabãtur. Aſſyriorum verò regem, cum omni exercitu, & copiarum acceſſione appellat aquas fluminis fortes & multas, quarum magno impetu oppida, arces, vrbes, terram denique omnem, ad ipſam vſque Ieroſolymam obrutum iri ait: ita vt vix aliquid ex Ieroſolyma ſuperſit; quantum extant aqua ſuſpenſamento corpora, vt ille canebat.* Tranſiens vſque ad collum venient.
Pſal 47. *Totius Iudææ regionis caput Ieroſolyma fuit. S. S. E. Fundatur exultatio-*
» *ne vniuerſæ terræ mons Sion, latera Aquilonis ciuitas regis magni, quam funditus penè obruendam, ſed non omnino perdendam ſignificauit, dicens, vſque ad collum. Verùm enimuerò vnà cum periculi denũciatione ſalutem reliquiarũ, & gẽtis, & nominis Iudææ conſeruationẽ ſubiũcto hemiſtichio indicauit vates nomine illius promiſſi & expectati ſeruatoris appellando.*

Et erit extẽſio alarũ eius, implens latitudinẽ terræ tuæ ô Emanuel.

E x *tranſlatione fluuiorum aquæ in alteram atq; alteram partem exuberantes, & inundantes alæ vocantur; atq; ex altera etiam traſlatione Aſſyriorum copiis & auxiliis auctus exercitus ſignificatur, cui terrã omnem occupandam, & niſi Emanuelis promiſſio, & virtus obſtitiſſet, obruendam penitus fore Vates prædicebat: Sed quo minùs ad extremum vſque perueniretur mali, in cauſa fore Emanuelis, eius terræ Domini ac tutoris præſidium & virtutem. Animaduertendum enim eſt nomen illud,* Ecce Dominus adducet, *Hebraicè eſſe* Adonai: *quod ad ſummum in omnes Reges & Principes Dei imperium pertinere aliàs docuimus: ex ea ratione qua Rex regum, & Dominus dominantium Deus appellari ſolet.* Adducet, *Hebraicè eſt,* aſcendere faciet, *à tumentibus fluuiis tranſlato verbo: & ad Iudææ altiorem quàm Aſſyriæ ſitum accommodato. Terram autem Iudæ ſignificauit Vates illa attributione,* Terræ tuæ Emanuel: *Namque Emanuel ex Dauidis domo oriturus erat. Ad ſententiam autem explicandam, lectionemq; promouendam redeamus: Sanctiſſimi & feliciſſimi nominis illius Emanuel auctoritate & virtute confirmatus Vates omnium earum, quas prædixerat calamitatum finem & exitum ſalutiferum, & ſibi, & piis populi ſui hominibus promittit, atq; expectandum proponit; affirmatq; diuinum*

*uinum*

*uinum illud de hominum ſalute publica conſilium, nullis hoſtis illius inferni actibus, nullis hominum aduerſariorum, quamuis maximis copiis, ſtudiis, & conatibus aut frangi, aut impediri poſſe.*

Congregamini populi, & vincimini; & auditæ vniuerſæ procul terræ: confortamini & vincimini, accingite vos, & vincimini: inite conſilium, & diſſipabitur: & non fiet, quia nobiſcũ Deus.

HORVM *verſuum iam expoſita ſententia, verba dilucidè explicabuntur, & breuiter vnica Chaldaicæ paraphraſis interpretatione, quæ ſic habet:* Conſociamini gentes, & frangimini: & attendite omnes qui in extremis terræ. roboramini, & confringimini: conſiliamini conſilio, & tranſibit: loquimini verbum, & non firmabitur: quia in auxilio noſtro Deus. *Quibus verbis omnem illam conſiliorum, ſtudiorum, potentiæ, induſtriæ, & conatuum ſuperbam inſolentémque molem, quam Satanas, eiusq́; miniſter mundus, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius,* Pſal. 2. *vt maximum illud de orbis ſalute conſilium impedirent, extruxerunt, labefactandam & diruendam eſſe Vates ait. Diuinum autem conſilium certiſſimè explicatum, expletumq́; tri confirmat. Nihilominus autem futurum docet, vt Iudæorum populus malæ cultæ pietatis, & officij deſerti pœnas luat; ex diuini iudicij decreto, à quibus tamen pij & fideles omnes immunes euadent.*

Hæc enim ait Dominus ad me, Sicut in manu forti erudiuit me, ne irem in via populi huius, dicens: Non dicatis coniuratio, omnia enim quæ loquitur populus iſte, coniuratio eſt: & timorem eius ne timeatis, neque paueatis. Dominum enim exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter.

FIDEM *diuinis promiſſis habitam, eamq́; viuam, & obedientiæ officiis coniunctam, firmiſſimum piis hominibus præſidium & anchoram animorum tutam eſſe; ad omnemq́; aduerſariorum potentiam, & inſidias contemnendas, atq́; ad ſalutem expectandam, tum multis aliis in locis, tum in hoc vates hic cum cæteris docet, confirmatq́;; neque certam ſalutis, neque metuendam periculi vim hominum potentia à piis & ſapientibus definiri, ſed omnem vel vitæ, vel mortis, hoc eſt, veræ ſalutis, vel contrarij euentus rationem in vnius Dei conſilio, virtute, & auctoritate ſitam eſſe ſtatui, atque ad huius ſententiæ normam, conſilia, & affectus, actiones, vitam, denique omnem inſtitui oportere: id verò verbo & reſponſo acceptum ait, quo & audiatur attentiùs & diligentiùs agatur, quod ſibi ex diuini verbi oraculo acceptum narrat. Subiungitur autẽ hæc oratio ſuperiori proximæ ſententiæ & cauſæ, in qua aduerſariorũ motus conatusq́; omnes aduerſus Dominum & Chriſtum eius irritos fore dixerat,* Quia nobiſcum Deus. *Cui rationi alia etiam additur explicatio: eaq́; eſt, non oportere in difficillimis & perturbatis rebus, hominum maximè vulgarium, & à Dei ſapientia alienorũ ſequi conſilia: ſed verbo ſemper diuino in conſulendo & agendo*

*inniti debere. Solent namque populi animi in huiuſmodi tempeſtatibus & ſententia, & conſilio, & inceptis etiam diuidi: alia pars defectionem cogitat, alia (quamquam ab hoc conſilio aliena ſit) vehementer tamen ad deſperationem vſque metuit: alia non tam certo iudicio ducta, perturbatione quadam impulſa, audendum eſſe cenſet, & omnibus modis experiundum, & periculi propulſionem atque victoriam ſuis viribus tentandam. omnes autem hi quòd nihil niſi humanum ſapiant, miſerè falluntur. Omnes verò iſtiuſmodi hominum ſententias aut partes declinare, idemq́ alijs omnibus conſulere & ſuadere Vates à Deo docetur: cuius orationis verba explicata tantùm argumentationem aperient.* Sicut in manu forti. *hîc eſt diſpungendum. Hebraicè ſonat ad verbum,* In fortificatione manus. *Atque hæc oratio tria ſignificat: vnum eſt prophetiæ huius magnitudo, grauitas, atque dignitas. Manus enim fortis, vel manus fortificatio in prophetico ſermone idem eſt quòd prophetia; tum argumento & myſterio, tum ipſo etiam ſug-*
Ezech.3. *gerendi modo grauis & excellens, vt apud Ezechielem eiſdem verbis: Et*
» *manus Domini erat mecum confortans. atque ita vertit Chaldæus, in fortitudine prophetiæ. Alterum verò orationis huius ſignificatum eſt, conſolatio, & exhortatio, atque animorum confirmatio ad difficillimas res contemnendas, ex diuini verbi præſidio, & promiſſæ ſalutis expectatione: namque Hebraico etiam ſermone, eadem quæ hîc legitur oratio, animum addere*
Ezech.35. *& confirmare ſignificat. vt, Confortate manus diſſolutas, & genua debi-*
» *lia roborate. Tertium verò, manus fortitudo apud Hebræos aduerſarũ contemptionem rerum, & victoriam ex hoſtibus, Deo vltore & vindice, reportandam. Cuius exemplum iiſdem verbis Hebraicè eſt, vbi nos legimus*
Exodi 13. *Latinè, ſed ego ſcio quòd non dimittet vos rex Ægypti vt eatis, niſi per ma-*
» *num validam; & cùm interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid eſt*
» *hoc, reſpondebis, In manu forti eduxit nos Deus de terra Ægypti. Itaque ſenſus orationis eſt, hanc Dei ſententiam graui & obſeruando admirabiliq́ vaticinio ad ſuum, & cæterorum piorum animos confirmandos expectatione liberationis & ſalutis valida, & vindice manu per Deũ promiſſorum ſuorum numquam immemorem, deniq́ potentiſſimam afferendæ.*

Non dicatis coniuratio, omnia enim quæ loquitur populus iſte, coniuratio eſt. *Hebraicè ad verbum:* Non dicetis coniuratio, ad omnia quæ dicet populus iſte, coniuratio.

P O P V L I *ab hoſtibus infeſtati, animos in diuerſas cogitationes diſciſſum iri ſignificauit, aliorum enim mens & ſententia ad defectionem inclinabat tutiorem ſibi euentum promittentium ex deſerto rege proprio, atq́ externis receptis. Horum ſententiam non modò verbis, ſed neque cogitatione probandam eſſe Deus ait illo verbo pronunciato:* Non dicetis; *quod Hebraicè dicere, & cogitare ſignificat. Aliorum verò hominum animi à defectione abhorrentes quidem, ſed metu magno perculſi fore indicantur. Sed neque hos imitari oportere Deus inquit,* & timorem eius. *ne timeatis.*

*Porrò*

*Porrò nonnullos fore qui feſtinatione ac temeritate magis quàm recto conſilio aut iudicio trepidarent; & periculum ſuis viribus propulſare cogitantes, in diſcrimen belli ſeſe offerendos cenſerent. Horum quoque rationem vt periculoſam, euitandam eſſe Deus docet.* Neque paueatis. *Hebraicum verbum* GHARASZ, *trepidare, pauere, & prævalere ſignificat: eſtq́ propriè* ערץ *eorum qui magnum aliquod periculum, & impetum hoſtium timentes eruptione & audacia magis quàm viribus, & conſilio ſuſtinere cogitãt. Eiuſmodi eſt quòd poëta canebat : Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem. & eorum etiam qui ſuperiores animo periculis fore ſe credunt : cuius verbi in vtraque ſignificatione vnum aut alterum exemplum proferre ſatis erit. Et dixi vobis, nolite metuere, nec timeatis eos. Prius verbum metuere ex hoc* Deut. 1. *quod retulimus eſt verſum. Duo autem animi affectus hoc exemplo indicantur: alter eorum, quos diximus trepidantes, & periculum tentantes; alter verò, ne timeatis eos, eorum eſt qui pauore conſternati ſunt. alterum exemplum in hac ſignificatione eſt, Confortare, & eſto robuſtus, noli me-* Ioſ. 1. *tuere, & noli timere. alterius verò ſignificationis exempla: Vidi impium* Pſal. 37. *ſuperexaltatum. & illud, Robuſti habebunt diuitias. vbi nos legimus, robu-* Prou. 11. *ſti, Hebraicè eſt,* GHARISZIM. *Igitur nullam eiuſmodi partium ſentẽtiam* ערצים *aut viam probandam, dicit Dominus iis, qui vitam actionesq́ omnes ad veræ pietatis, diuiniq́ verbi normam dirigere volunt. Hos enim neque proprij officij fidem violare, neque hominum vel ope niti, vel metu & pauore cõſternari oportet, ſed illud ſibi perſuaſum habere, & ſequi, quod vates ſubiungit:* Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter. HÆC *omnia ſuperioribus ex aduerſo reſpondent: nam pro coniurandi cogitatione, quam improbauerat, ſubiungit vates* Dominum exercituum, *potẽtiſſimum, & vltorem, ipſum ſanctificate, ipſius conſilium ſanctum habete, & ſequimini ſtudiis omnibus, perpetuò ipſius regnum colite, eumq́ quem in vobis regem præfecerit, obſeruate: namq́ ille lenibus & mitibus miniſtris id boni præſidij efficere ac præſtare poteſt & ſolet, quod nulla humana potentia, quamuis ambitioſa atque ſuperba, valeat proferre. Præterea ipſum ſolum Dominum exercituum timendum ait vates; quem qui timet, neminem hominem timere debet. Eſt enim timor Domini clypeus munitiſſimus aduerſus omnes viſibilium & inuiſibilium hoſtium timores; vt de eo, qui Dominum timet, ſcriptum eſt: Non timebis à ti-* Pſal. 90. *more nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulãte in tenebris,* " *ab incurſu & dæmonio meridiano. & , In timore Domini fiducia fortitu-* Prou. 14. *dinis, & filiis eius erit ſpes. Porrò nullis humanis viribus, vel audaciis ad* " *ſubeunda & propulſanda pericula fidendum, ſed ſola diuinæ virtutis ope nitendum eſſe docet vates.* Ipſe terror veſter. *Ipſe, inquit, eſt cuius virtute & præſidio muniti, audere, aggredi, pericula pellere, atq́ hoſtes terrere poteſtis. Hebraicè ad verbum eſt, quod ſuperiùs adnotauimus* GHARA. *Ipſe, inquit, &c.* MAGHARISZ CHEM, *prævalere faciens vos. Quoniam verò* מעריצכם

*omnis illa Dauidici regni ratio, ex arcani conſilij decreto, ad Chriſtum Ieſum, verum Deum & hominem, verum Dauidem, & legitimum Regem pertinebat: cuius aduentu piis & fidelibus ſalus diuina, improbis verò & infidelibus pernities afferenda fuerat. Interim verò dum huius tantæ expediendæ rei tempus aduentaret Dauidis familiæ, Iudaicæ Reipub. clauum tenenti, legitimè parere oportebat. Commodè ex argumentatione docet Vates, nihil ex eiuſmodi omni inſtituta ratione hominibus aliàs diuinam offenſionem, ſuamq́ ipſorum pernitiem ſubituris eſſe detrahendum. namque Dauidici regni ſecundùm carnem initium, finem illum ſeculorũ omnium expectabat, Chriſtum Dominum verũ Deum, cui ſedes Dauid patris tradenda erat regnaturo in domo Iacob in æternum; ſalutemq́ maximam ſuis, hoc eſt, credentibus, & obedie̅tibus Euangelio eius allaturo. Hanc rem percommoda inductione Vates noſter hoc loco tractauit.*

Et erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël, in laqueum, & in ruinam habitantibus Ieruſalem.

DVPLICEM *ſacroſancti Euangelij per Chriſtum allati efficaciam in iis qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt, iam ſæpiùs in noſtris Commentariis indicauimus: vnum genus ſanctificatione, iuſtificatione, & vita; alterum abalienatione, reprobatione, & morte definiuimus. Prius illud proprium Euangelij munus; poſterius hoc ex accidente eſſe oſtendimus: hoc eſt, non ex Euangelij ipſius ratione, ſed ex eorum, quibus id accideret, culpa, & vitio euenire. Quam quidem rem apertam, & ab omni prorſus piorum animorum offenſione ſemotam, ex iis, in quibus diſſeruimus locis, petere operæpretium fuerit. Neque enim omnia vbique ad amuſſim tractata, repetere nobis conſilium eſt, breuitati & expoſitioni ſimpliciſſimæ tantummodo ſtudentibus. Chriſtus igitur iis, quibus fide & obſeruatione ſuſceptus eſt, cuiuſmodi hominum genus vates hîc alloquitur, tam ex Iudæis quàm ex gentibus fuit in ſanctificationem: iis verò quibus eſt repulſus lapis offenſionis,*
1 Pet. 2. *& petra ſcandali: atq́ vt diuus Petrus hunc locum exponens, ait: Vobis igi-*
» *tur honor credentibus, non credentibus autem lapis quem reprobauerunt*
» *ædifica̅tes: hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis & petra ſcan-*
» *dali iis, qui offendunt verbo; nec credunt in quo & poſiti ſunt.* Duabus domibus Iſraël. *Decem tribus & Iudæorum, Beniaminitarumq́ familias ſignificat, quibus Euangelium Chriſti non fuit in exitium, ſed in ruinam, & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradictum ſit. Non tamen omnes Iſraëlitæ, vt Paulus aſſerit: neque Iudæi omnes corruerunt; ſed pars quædam, quæ Chriſtum non recepit: in iis autem grauiſſimè omnium Ieroſolymitani habuere; quibus Chriſti repulſa exitialis penè fuit: non tamen omnibus, ſed improbis; namq́ aliis ſalus allata eſt: idq́ vates apertè indicauit, dicens: In laqueum & in ruinam; ſiue, vt Hebraicè eſt, In laqueum & compreſſionem. Laqueus enim non omnes quibus paratur & inte̅ditur, irretit;*

*irretit; ſed partem tantùm, hoc eſt, incautos, & ſibi minùs proſpicientes capit. S. S. E. Qui autem cauet laqueos, ſecurus erit. Ideo autem Hebraicè laqueus non omnibus Ieroſolymitanis, ſed quibuſdam tantùm futurus dicitur. namque ſingulari numero prolatum eſt,* habitanti Ieruſalem. *atque hæc res continuò à vate explicatur:* Prou. 22.

Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.

Et offendent ex iis plurimi, *ex laqueo & ruina, quam dixerat: ſic ex Hebraico hunc locum exponimus. Chaldæus Paraphraſtes non alienā huic noſtræ interpretationem ſcripſit; vt qui Euangelij, & Chriſti rationes optimè omnium antiquorū interpretum indicauerit.* Et ſi non exceperitis, *inquit*, & erit verbum eius in vobis in retributionem, & in lapidem percuſſionis, & in petram offenſionis.

Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis.

Christi *Domini, eiusq́; Euangelij virtutem duobus euentibus cognoſcendam fore, Vates hic & alij prædixerunt: alterum ſanctificationis nomine & ratione poſitum, alterum in ſcandali & laquei periculo expectandum docuimus. Prior tamen ille ſanctificationis euētus; quod ex diuini ſpiritus virtute & efficientia proficiſcitur, natura ſua, diuinus magis, atque Dei cōſilio & voluntati proprior, vt ita dicamus, eſt. Non enim miſit Deus Filium ſuum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluificet mundum. Quicumque autē iudicantur, ſua ipſorū culpa pereunt: atque ita antiquior apud Deum Euangelij ſalus & ſanctificatio, quàm hominum ex Euangelij repulſa reprobatio eſt. Euangelium enim vel ipſa nominis adnotatione ſalutem & pacem profert: ex quo fit vt prius, antiquius, & proprius Chriſti teſtimonium ſanctificatio, poſterius verò iudicium ſit. Sed vbi de iudicio Vates egit ad optandum illud, & omnibus modis expetendum teſtimonium indicandum, ac penè explicandum redit. quo in ſermone nunc ſuam, nunc Dei & Chriſti eius perſonam refert. Omnium autem argumentorū quibus Chriſti promiſsi veritas probanda confirmandaq́; fuerit, firmiſsimum & certiſsimum atq; præſtantiſsimum fuit ſanctificatio eorum, qui Euangelio credētes obedirent. Huius rationis teſtes, præter cæterorum diſcipulorum collegia duodecim Apoſtolos eſſe Deus voluit; qui rem omnem à principio ſibi creditam, deinde traditam & acceptam cognoſcentes, vniuerſo orbi ad publicam credentium, & obedientium omnium ſalutem teſtarentur: cuius teſtimonij quòd maior & ſublimior explicatio eſt, quàm quæ hoc ingenio, vel hoc tempore à nobis præſtari poſsit; rationis tamen ſumma & breuiter, vt aliàs indicabitur: ita tamen vt quæ hoc loco dicētur, ſi cum aliis, quæ tractata ſæpiùs fuere, coniungantur, magnam adferant lucem ad huius argumēti vaticinia explicanda. Summa igitur huius viui & diuini teſtimonij illa fuit, eum quem verum Chriſtum & Seruatorem hominum expectandum promiſerat Deus, ſanctificationis ſpiritum in diſcipulorum ſuorum corda immiſſu-*

*miſſurum: cuius virtute & efficientia lex, quæ olim in tabulis lapideis conſcripta peccatum tantùm indicabat, trāſgreßionisq́ iudicium minabatur; nullam præterea ex natura viq́ ſua mentibus virtutem addebat; non tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carneis deinceps inſcriberetur, eademq́ ad diuinam voluntatem præceptaq́ tenenda, & magnos atq́ gratißimos afferendos fructus, magnam virtutem adderet. Hoc illuſtrißimum diuinæ miſericordiæ teſtimonium multis Regibus, Patriarchis, & Prophetis exoptatum, atq́ expectatum quicunque de ſe in diſcipulis ſuis edidißet, is verè filius Dei, magni conſilij Angelus, is verè Seruator, is verè Pater futuri ſeculi, is denique Deus credendus dicendusq́ erat. S. S. E. Vos teſtes*

Eſaiæ 43. » *mei, dicit Dominus, & ſeruus meus quem elegi, vt ſciatis, & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipſe ſum: ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſaluator: ego annuntiaui & ſaluaui, auditum feci, & non fuit in vobis alienus: vos teſtes mei dicit Dominus, & ego Deus. Hoc quod agimus myſterium à Vate noſtro Dei verbis hoc loco indicatur; aſſerente diuina hæc & ſpiritualia promiſſa, quamquam multorum Iſraëlitarum culpa & improbitate non ad omnē Iſraëlem ſecundùm carnem peruenerint; tamē in iis qui crediderint, & obedierint Euangelio, effectum iri certißimè: idq́ à ſe, ſuiq́ ſimilibus expectandum eſſe Vates ait. Eam autem quam diximus regenerationem & ſanctificationem in diſcipulorum animis ac mentibus efficiendam & inſerendam; cuius qui participes eſſent virtute magna reddituri erāt teſtimonium Dei, & Chriſti eius, Vates ſic decantabat,* Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis. *Neque verò propter Iſraëlitarū quorundam improbationem & reiectionem pientißimum quemq́ ab illa expectatione & ſpe deturbari oportere vates confirmat: quandoquidem aliorum culpa aliis fraudi non ſit, quibus vera fides, & vera virtus atq́ religio purè colatur.*

Et expectabo Dominum quia abſcondit faciem ſuam à domo Iacob, & præſtolabor eum.

QVID *Iacob, quid Iſraël appellandis nominibus ſignificetur, iam ſæpè aliàs indicauimus; idq́ ad hunc locum intelligendum meminiſſe retulerit. Iacob humilem & obſcuram illam conditionem quam cùm Iſraël appellaretur in ſplendorem & dignitatem vir ille mutauit, atq́ poſteris ſuis ad conſeruandum reliquit, eam illi vbi non rectè & legitimè tutati ſunt cum nomine ipſo Iſraël deponebant, & rurſus Iaacob appellabantur. Ideo dicit vates, Deum abſcondiſſe faciem ſuam à domo Iacob, quam interim dum Iſraëlis eſſet, lumine vultus ſui illuſtrabat. S. S. E. Facta eſt Iuda ſanctificatio*

Pſal. 88. » *eius, Iſraël poteſtas eius. In exitu Iſraël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro. Quòd verò Iacob domus, quamquam abalienata à Deo, non tamen in perpetuum omnino repulſa reiectaq́ eſt: ſed veniet ex Sion, qui auertat captiuitatem Iacob, &c. id Vates verbo* abſcondit *ſignificat. Non enim amouit omnino, aut auertit prorſus faciem, ſed abſcondit: oſtenſurus aliàs*

*oppor-*

*opportunè. Id quod & eodem tempore indicauit, cùm abſconderet nonnullis ex eadē familia delectis, qui nō modò ipſi ſalutis compotes & participes, ſed teſtes etiam atq; miniſtri eiuſdem annuntiandæ & accipiendæ aliis forent. S. S. E. Dico ergo, numquid repulit Deus populum ſuum? abſit: nam & ego Iſraëlita ſum ex ſemine Abrahæ, de tribu Beniamin: nō repulit Deus plebem ſuā, quam præſciuit. & paulo pòſt, Sic ergo & in hoc tēpore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt, &c. Huius gratiæ ſe ſe teſtem prædicabat Paulus, vt affirmaret diuina promiſſa in iis qui crederent, & obedirent, fuiſſe re ipſa præſtita. Cuius teſtimonij & ſigni cauſa Vates noſter ex Chriſti perſona ait:* Rom. 11. " " "

Ecce ego, & pueri *mei* quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſraël.

CORRECTISSIMA *exemplaria Latina non habent* mei, *ſed pueri tantùm, vt Hebraicè eſt; ſignificat autem puer idem quod filius, diſcipulus, & famulus dilectus. Eſtq; nomen Hebraicum* IELADIM, *à naſcendo, ſiue gignendo, & pariendo deductū; nec myſterio regenerationis diſcipulorum in Dei filios renaſcentium hoc verbum oportunè inductum caret. Sed hæc nobis ſignificare ſatis fuerit, interim dum lacte alimur, nec ſolidi cibi ætatem attigimus: cuius myſterij qui partē aliquam eſt aſſecutus, quid in eiuſmodi locis contineatur ſententiæ, meliùs quàm nos cognoſcere poteſt. Hos diſcipulos diuina virtute auctos, & Spiritu ſancto plenos, in ſuæ veritatis argumentum in manifeſtum ſignum atque portentum, hoc eſt, euidens & pulchrum teſtimonium virtutis ſuæ ſibi à Deo datos Chriſtus aſſerit: neminem namque ad ſe hoc arcano & diuino modo venire poſſe, niſi à Deo deductum, ipſe aliàs aiebat, atq; diuinæ prouidentiæ & erga Iſraëlitas beneficientiæ maximæ olim promiſſæ & cœptæ, & nunc iam exhibitæ, ſatis apertum ſignum & argumentum fore ait ſe ſuoſq; pueros, in quibus omnia, quæ patribus olim fuerant promiſſa, abundè ſpectata ſunt.* ילדים Ioan. 6.

A Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.

NAMQVE *idem qui promiſſorum olim, nunc beneficiorum auctor fuit; olim ille ſingulari quadam prouidentia habitabat in monte Sion: nunc deinceps idem impietatis omnis vltor & vindex in ſpirituali monte Sion, hoc eſt, in diſcipulorum ſuorum & ſanctorum animis, & in Eccleſia habitat ſua. Cui Sionis ratio meliùs quàm terreſtri illi monti quadrat. Atqui huius tanti diuini conſilij de hominum ſalute & ſanctificatione teſtimonium & reſponſa, ac omnes quæ ad hanc rem cognoſcendam & expectandam rationes pertinent: non ex priuatis hominum mentis diuinationibus, diſputationibus, aut ex eiuſmodi auguriis, ſed ex Dei lege & verbo per Prophetas prolato, petenda eſſe, Vates ait. Quippe cùm eius rei rationem nulli hominum vel cognoſcere, vel diuinare, aut inuenire contigerit: niſi Deus ipſe, qui decreuerat, & inſtituerat, cognoſcendā exponeret, prædicandamq; Vatibus crederet. hoc eſt quòd ſubiungitur:*

Et

Et cùm dixerint ad vos, Quærite à pythonibus,& à diuinis qui ſtrident in incantationibus ſuis: Numquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem pro viuis à mortuis? ad legem magis,& ad teſtimoniũ. FVERE *olim, & nunc ſunt, qui de diuinis rebus, deq́ hominum à Deo efficienda felicitate ex quibuſdam priuatis cogitationibus & inuentis egerint. vt ex Aſtrologiæ, Philoſophiæq́ elementis, vel ex quadam magiæ naturalis, & ſupernaturalis commentatione, vel etiam ex aliis aliisq́ humanis rationibus. Hinc multa Cabaliſtarum, hinc ſortilegorum, hinc aliorum generum curioſæ magis quàm veræ diſciplinæ extiterũt: cùm tamen diuinum conſilium & beneficium hoc publicæ hominum ſalutis nullis naturæ cauſis, ſed ex Dei tantùm benignitate & miſericordia profectum ſit; ideoq́ niſi Deus ipſe aperuiſſet, nulli hominum, aut Angelorum generi cognitum eſſe potuit. Fruſtrà igitur eiuſmodi inquirẽdæ veritatis viæ à quibuſdam numerantur; quæ ex ſeſe nihil certi habere poſſunt: cùm diuini verbi via Eccleſiæ omni apertiſsima & certiſsima pateat. Igitur in omni tum æternæ ſalutis, tum etiam totius vitæ ad eam ſalutem inſtituendæ ratione cognoſcenda à diuini verbi teſtimoniis, reſponſis, & aperta doctrina, ad priuatas, & prohibitas etiam in lege diuinationes diuertendum non eſt. Tria autem diuinationum genera quæ antiquis diuinatoribus in vſu fuere, cæterarum omnium loco, vt frequentiora, commemorantur in hoc verſu. Pythonum, qui mortuorum manes excitare & alloqui dicebantur. Diuinorum, qui inſtrumentis quibuſdã ad eam rem vterẽtur, & Quæſitorũ, quos* דרשים DERASIM, *Hebræi vocant: qui ad ſepulchra dormientes, mortuorum vmbris per quietem admoneri putabantur. De quibus, aliisq́ generibus, opportunè aliàs, Deo auctore, diſſeremus. Hæc genera verbis illis,* Quęrite à Pythonibus & diuinis, *à Vate ſunt indicata. Quorum aliquẽ vſum eſſe quidam oratione magis quàm ratione & veritate perſuadere volunt: cùm nullum tamen, vel ſaltem non probatum eſſe, Dei verbis non rarò ſit confirmatum. Huius autẽ orationis contextus hoc modo nobis facilior erit.* Et cùm ij, qui ſtrident in incantationibus ſuis ( *hoc eſt, qui verboſis quibuſdam præſtigiis per ſonantes, opinionem vobis iſtam perſuadere ſtudẽt*) *dixerint ad vos :* Quærite à Pythonibus,& à diuinis : *deinde hoc non eſſe nefas contenderint, aſſerentes mortuos eſſe medio inter homines & ſuperos gradu; ideoq́ oportunum reſponſi à Deo afferendi modum eſſe hunc Phythonũ, Diuinorum, & Quærentium. Quandoquidem omnis populus* à Deo ſuo requirit viſionem pro viuis à mortuis.

QVOD *mortuorũ à corporis impedimento exutæ animæ propiores Deo eſſe credantur: tamen horum fallaci & pernitioſa oratione ac ſententia exploſa vobis, qui veritatem diuinam cognoſcere cupietis, ad legem magis, & ad teſtimonium veritatis. & voluntatis diuinæ cognoſcendæ cauſa, recurrendum eſt.* Legem autem & teſtimonium. *Quid hoc loco Vates nominet, quidq́ inter vtrumque nomen interſit, aliàs docebimus : nunc hoc*

*tantùm*

*tantùm indicare ſatis fuerit, vtroque nomine diuinum verbum ſignificari vel in ſacris libris Eccleſiæ traditum, vel in Apoſtolorum & Sanctorum corde & mente conſcriptum, atq; omni virtute, ſignis, & portentis, & Spiritus ſancti diſtributionibus confirmatum & conteſtatum, nec non ab Eccleſia, Christi Sponſa, fideiq; columna agnitum & receptum. in quo verbo illud præceptum eſt: Nec inueniatur in te qui illuſtret filium ſuũ, aut filiam* “
*ducens per ignem; aut qui hariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia & au-* “
*guria: nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui plaſtores conſulat, nec diui-* “
*nos, & qui quærat à mortuis veritatem; omnia enim hæc abominatur Do-* “
*minus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo. Perfectus* “
*eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo. Gentes iſtæ quarum poßide-* “
*bis terram, augures audiunt; tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus* “
*es. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit ſibi Do-* “
*minus Deus tuus. A qua certa, & planè diuina ratione quicumque deſciue-* “
*rint, præter tenebras, & incertas opiniones, & conſequẽtia ex ea re pericula, nihil præterea emolumenti ſibi cõparabit. Hoc eſt quod Vates ſubiungit:*

Quòd ſi non dixerint iuxta verbum hoc, nõ erit eis matutina lux. Et tranſibit per eam, corruet, & eſuriet: & cùm eſurierit, iraſcetur, & maledicet regi ſuo, & Deo ſuo, & ſuſpiciet ſurſum. Et ad terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ: diſſolutio, & anguſtia, & caligo per tegulas: & nõ poterit auolare de anguſtia ſua. HVMANI *erroris conſilia, exitus, & euentus breuißimè quidem, ſed ſapientißimè deſcribit hoc loco Vates, oſtenditq; omnem ſeriem rerum, quæ iis accidunt, qui diuino verbo relicto, ad auguria, diuinationes, atq; huiuſmodi deliramenta rationum ſuarum componendarum cauſa ſeſe conferunt. Argumentatur autem Vates ex comparatione verbi diuini, & aliorum oraculorum ſiue reſponſorũ, quæ à verbo Dei degenerarent: namque diuina lex & teſtimonium totius vitæ, atq; omnis actionis inſtituẽdam rationem apertè docet: & expectandos ex ea re exitus, eoſdemq; certißimos indicat: S.S.E. Lucerna pedibus meis verbum tuũ; & lumen ſemitis meis.* Pſal. 118.
*Tunc non confundar, cùm proſpexero in omnibus mandatis tuis. Contrà* “
*verò iſtorum auguriorum & reſponſorum ratio & oratio, vel planè mendax & fallax, vel quadam calliditatis excogitatione ambigua & incerta: atq; ad quemlibet exitum accommodata deprehenditur. vt, Aio te Æacida Romanos vincere poſſe. &, Crœſus Halin penetrans magnam peruertet opum vim. Ita vt vnus ex iſtorum augurum collegio mirari ſe dixerit, Si augur augurem videns, non rideat: hoc eſt quòd Vates dixit, Non erit eis matutina lux, nulla, inquit, claritas, nulla perſpicuitas, cuius auctoritate res bene geri poßit, id quod exitus ipſi primùm, deinde etiam euentus conſequenter probabunt. Exitus autem huiuſmodi erant: Qui traſibit per eam lucem contraria votis & conſiliis ſuis, omnia experietur.* Corruet enim, & eſuriet. *errabit (inquit) in actionibus ſuis, & cùm alios, tum ſeipſum*

Κροῖσος ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. Herod. lib. 1. Vide Lucian. in Ioue Tragœd.

*etiam fruſtrabitur. quibus ex rebus illa euenient : primùm, vt maledicat regi ſuo, qui eiuſmodi diuinatores viuere patiatur; namque regia auctoritate, interdum etiam gratia, vel ſaltem negligentia iſtiuſmodi diſciplinæ ali ſolent. Deinde etiam Deo ſuo maledicat, cuius auctoritate & conſilio huiuſmodi reſponſa edi perſuaſus, deluſus ipſe fuerat. Poſtremum autem cùm rebus ſuis planè pereuntibus, conſulere alia ratione voluerit, nullam ſibi neque in cælis, neque in terris præſentem ſubſidij virtutem experietur: vtpote qui à Deo vero abalienatus, atque à fonte bonorum omnium ſua culpa remotus fuerit: atque ita multos inuenias, fortunam accuſantes (quam tamen nullam eſſe conſtat) quos potiùs fortunæ ſuæ fabros dicere meritò poſſis. Huiuſmodi ex ſtultè captis conſiliis, & inceptis actionibus, expectandos euentus vates noſter indicabat illa oratione:*

Et ecce tribulatio, & tenebræ, & diſſolutio, & anguſtia.

ATQVI *omnem huius quam Vates perſecutus eſt argumentationis ſententiam exemplis manifeſtis, & certis nominibus confirmauit: quorumdam quibus vani cultus, & auguriorum inita via exitium, & quorumdam etiam quibus ſimplicitas, & diuini auxilij expectatio ſalutem attulerit. cùm tamen vtraque pars eadem in regione olim commorata ſit: ſed altera tandem & altera, alium atque alium ſtudiorum ſuorum exitum habuerit. hoc eſt quod dicit:* Et non poterit ariolare de anguſtia ſua.

HVIVS *orationis ſententia ex Hebraico redditur apertior:* Quia non ariolabit, cui fuerit anguſtia. *Dictio* quia, *ancipitem ſignificationem hoc loco habet, idem enim ſignificare videtur, quod aliàs nonnunquam interpres noſter vertit, fortè, fortaſſè, & forſitan. Huius vſus eſt in dubitationibus iis, quarum certus exitus ex certa ratione indicari poteſt. vt,* Act.8.
» *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Quo in loco de Dei miſericordia non dubitabat Petrus; ſed de Simonis idonea ad remiſſionem pœnitentia. Ita hæc vox* quia, *ad dubitationem eſt inducta: dubitatur enim quales ſint eorum qui à Dei verbo, ad alios cultus, & oracula iſta defecerunt; & quales etiam eorum qui Deo confiderent, exitus: an vnus vtrorumque ſit; an anguſtia aliqua oppreſſorum eadem vtrorumque ſit expectanda ruina; vel aliorum ſalus, aliorum verò pernities expectanda ſit. Eam dubitationem Vates vario vnius eiuſdémque regionis hominum euentu prædicto, remouet: quorum alteri parti impietas & calamitates, alteri ſimplicitas, & ſpes, atque conſtantia ſalutis expectandæ, rectam rationem reddidit: ídque proximo capite exponitur: cuius ſententia perpetua cum hoc à nobis hactenus expoſito, eſt.*

CAPVT

## CAPVT IX.

PRIMO tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephthali, & nouiſſimo aggrauata eſt via maris trãs Iordanẽ Galilææ gentiũ.

*IN ſuperioris capitis fine Vates orationis figura quadam rogauerat, an idem omnium hominum qui in ſummas anguſtias adducti eſſent, exitus expectãdus eſſet: an alius improborum, ſimplicium verò alius eſſet futurus. Hoc autem propoſito præteritarum & futurarum rerum obſeruando exemplo diſſoluit, hoc modo: In difficillimis rebus non eundem omnium eſſe exitum; ſed euenire nonnunquam vt nonnullis peſſundatis aut exciſis, cæteri euadant: aliàs niſi pereuntium antè exemplo ſibi meliùs proſpexerint, grauiùs tandem perituri. Quidam verò ex ſecunda etiam calamitate reliqui ſint, per quos diuinum Dei miſericordis conſilium explicetur. Id quod earum rerum quæ Iſraëlitarum regioni eueniſſent, euenturaq́; forent, propoſita ſerie oſtenditur. cuius illa ſumma eſt: Iſraëlitarum regio propter incolentium ſcelera ex diuini iudicij ſententia & auctoritate per Syros, incolis abductis, imminuta primùm fuit ea tempeſtate qua Phaceas Romeliæ filius illius regni tyrãnide occupata rerum potiretur, Toglat Pelaſſar Aſſyrorum Imperator terræ partem cepit, & vaſtauit: id verò quod cum ſecunda clade collatum, leue videri potuit, à Vate leuitatis verbo dictum eſt.* Alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephtali. *Quoniam terra ipſa improborum quibus premebatur hominum parte aliqua ſubducta, leuiùs habere, & reliquos ferre videbatur: mali enim homines Telluris inutile pondus dicũtur: deinde & calamitas ipſa leuior quidem terræ fuit, quàm poſterior illa, qua omnis ferè Iſraëlitarum gens, præter paucos, abducti ſunt, & terra ipſa nouis incolis, & deductis ex vario hominum genere colonis ad habitãdum ceſſit: qui tamen ita permixti in illa regione quæ citra vltraq́; Iordanẽ iacet, vſque ad Chriſti tempora illa clariſſima permanſerunt: quo tempore & Euangelij lætitia publica, & ſalus hominibus allata fuit: atq́; ita effectũ eſt, vt aliis ob culpam ſuam punitis, aliis vel qui minori ſcelere ſeſe obligaſſent, vel qui in errore verſarentur, dies tandem clariſſimus eluceſceret. horum autem temporum hiſtorias ex ſacris libris petere facile eſt: In diebus* 4. Reg. 15.
*" Phaceæ Regis Iſraël venit Theglath Phalaſar Rex Aſſur, & cepit Aron*
*" & Abdæ domum Maacæ & Ianoë, & Cedes, & Aſſor, & Halaad, &*
*" Galilæam, & vniuerſam terram Nephtali, & tranſtulit eos in Aſſyrios.*
*De ſecundo vel nouiſſimo tempore quo aggrauata eſt omnis terra via maris trans Iordanem, & Galilæa gentium, ſcriptum eſt: Et ambulauerunt fi-* 4. Reg. 17.
*" lij Iſraël in vniuerſis peccatis Ieroboam quæ fecerat: & non receſſerunt ab*
*" eis vſquequo Dominus auferret Iſraël à facie ſua ſicut locutus fuerat in ma-*
*" nu omnium ſeruorum ſuorum Prophetarũ. Tranſlatusq́; eſt Iſraël de terra*
*" ſua in Aſſyrios vſque ad diem hanc. Adduxit autem Rex Aſſur de Baby-*

 *lone,*

„ *lone, & de Cutha, & de Anah, & de Emath, & de Sepharuaim, & collo-*
„ *cauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filiis Iſraël, qui poſſederũt Samariam,*
„ *& habitauerunt in vrbibus eius. Cumq́ habitare cœpiſſent. & cetera quæ in illa hiſtoria leguntur: quibus terræ aggrauatio ſatis apertè explicatur. Appellat autem Vates Galilæam gentium eam Iſraëlitarum terræ partem, quæ gentibus Orientem verſus habitantibus, & ad Boream nonnihil etiam ſpectantibus, contermina erat. Eſt enim eadem nominis Galilææ, quæ apud Latinos Funium ſignificatio. Nomen verò Galilææ gentium factum fuiſſe arbitramur, ex eo quòd præter populum Iſraëliticum, & Canam poſteritatem, quæ in eadem regione olim fuerat, cæteræ omnes circumuicinæ natio-*
„ *nes communi vocabulo Gentes dici ſoleant. vt, Effunde iram tuam in gen-*
„ *tes quæ te non nouerunt. &, Simulachra gentium argentum & aurum. alij dictam gentium Galilæam arbitrantur eam regionem, quæ olim à Salomone Hiraino Tyrio conceſſa fuerat. Vtcumque ſit, duas Galilæas fuiſſe frequenti lectione accepimus: alteram hanc vltra Iordanem, alteram verò ſecundùm Iudæ tribum Phœnicum regioni vicina, cuius vrbes & oppida in Euangeliis, & in libris etiam Miſnaioth commemorantur, Nazareth, Capharnahum, Corozaim, Bethſaida, & alia.* Viam maris trans Iordanem, *idem eſt quòd apud Latinos dicitur tractus maritimus vltra Iordanem. Eſt autem hoc loco mare, quod aliàs ſtagnum Genezareth, vel lacus Tiberiadis nuncupatur. Tria enim Iordanis fluuius decurrens ſtagna efficit: breuius primum, quod Aquæ Marom dicitur, non longè à Salim: ſecundum Tyberiadis mare: tertium in quo defluit maximum Sodomitarum, ſiue Salis mare dictum. de medio hic ſermo eſt. Atq́ hactenus diuini iudicij erga improbos & contumaces exemplum in vna Iſraëlitica regione obſeruandum oſtendit Vates: namq́ hoc vnum exempli nomine productũ fuiſſe particula ſimilitudinis & comparationis nota Hebraicè præpoſita, apertè indicat. Sic enim Hebraicè verſus hic incipit ad verbum:* Sicut tempore primo alleuiata eſt terra Zabulum, &c. *Eſt enim temporum, rerum, & euentorum collatio breuis quidem, ſed ſententia & ſerie interpretandi ſatis apertè deducta: in qua quænam olim illi regioni, ob incolentium noxam, ex Dei iudicio acciderint, indicatur. & quis tandem ex diuina miſericordia euentus expectandus eſſet, ſubiungitur: nempe vt ex diuino iudicio alleuiationis primùm, & deinde aggrauationis calamitas ſpectata fuit. Sic ex Dei miſerentis dono magna felicitas erat poſtremùm expectanda: alterã comparationis partẽ verſus hic continebat, alteram proximè ſubiunctus explicat.*

Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.

EVANGELII *à Chriſto prædicandi initium inde primùm apud Iſraëlitas oriturum eſſe Vates ait. Vnde primum publicæ calamitatis, & diuini iudicij exempla in Iſraëlitide regione edita fuiſſe conſtaret: vt quæ prima regio pœnis ob culpam dandis, diuinam ſeueritatem experta fuerat, eadem*

dem inexhauſtæ miſericordiæ, & publicæ ſalutis aduentũ prima exciperet: id igitur hoc loco Vates indicauit, quod ſacer Euangeliſta oportunè poſtea explicuit: Cùm autem audiſſet Ieſus quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Mat.4.
Galilæã, & relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaũ, "
maritimo in finibus Zabulon, & Nephtali; vt adimpleretur quod dictum "
eſt per Prophetam: Terra Zabulon, & Nephtali via maris trans Iordanem "
Galilæa Gentium, populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam; "
& ſedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Exinde cœpit Ie- "
ſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum "
cælorum. Satis iam apertè & planè huius loci ſententiæ quemadmodum ſi- "
bi cohæreant, indicatæ nobis eſſe videntur. Illa tantùm indicanda reſtant verba, Ambulare, Sedere, Tenebræ, Regio vmbræ mortis, Lux. Atq; ambulandi verbo, vitæ conſuetudinem, morum viam & exercitationem, ſacer, arcanusq; ſermo ſignificat. vt, Ambulauit Enoch cum Deo. &, Ambula Gen.5. Gen.17.
coram me. Qui ambulat in innocentia, hic mihi miniſtrabat. Neque am- Pſal.83.
bulaui in magnis neque in mirabilibus ſuper me. Sedere autem eſt, certum, Pſal.103.
& conſtitutum ſuæ vitæ modum tenere; ſiue eum bonum, ſiue malum definimus: namq; idem eſt ſedere hoc loco, quod apud Latinos habitare; hoc eſt, ſtabilem & fixam ſedem habere. vt, Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Pſal.1.
&, Poſtquam ſederat Rex in ſolio. &, Sedebit Dominus Rex in æternum. Deut.17. Pſal.28.
Omnia hæc conſtantem & certam manſionem indicãt: ita fit vt ambulare, ſtudium & conſuetudinem; ſedere autem, perſeuerantiam, & ſtatũ quendam, vel perpetuum, vel quaſi perpetuum, atq; vtrumque ſimul totam vitæ rationem ſignificet. Omnem autem conſilij, ſtudiorum, conatuũ, actionumq; à vera & plena Dei notitia, atq; recta virtutis diſciplina alienum vſum, & conſequentem ex ea re pernitiem tenebrarum nomine hoc loco exponimus. Vmbra verò mortis, proximum inſtanti perditioni & exitio dicimus periculum; namque vmbra corpori proxima atq; adeò contigua eſt: denique contrarium humanæ felicitati in hac vita, & ad æternam miſeriam in præceps inclinatum ſtatum tenebræ, & vmbra mortis ſignificant: cuiuſmodi loco Iſraëlitarum eorum quos primos Euangelio annuntiando Chriſtus adiit, res erant. Harum orationum & ſententiarum exempla illa ſunt: Ne- Pſal 81.
ſcierunt, nec intellexerunt, in tenebris ambulant. &, Sedentes in tenebris, Pſal.106.
& in vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro. His autem miſeriis omnino oppoſitam felicitatis vſuram lucis & luminis nomina, verbaq; ſignificant: quam, vt breui oratione indicemus (quod pro rei dignitate explicare, quamuis longiſſima non poſſumus) lucem dicimus omne id ſapientiæ, virtutis, gratiæ, ac demum diuini beneficij munus, quod Chriſti Euangelio credentibus & obedientibus allatum eſt. de quo lumine illa decantata ſunt: Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël. &,
Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto. Lucæ 2.
Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos "

*pedes noſtros in viam pacis. Iam verò Vates hoc loco opportunitatem nactus indicandi ſummi illius beneficij à Deo per Chriſtum hominibus afferendi laudes miras prædicat. Quarum ſententiam breui expoſitione conſequemur. Namque illi tantùm aſſequi rectè valent, qui rei ipſius per Spiritum ſanctum compotes facti ſunt: vt autem id, quod à nobis dici poteſt, faciliùs ſciri poßit & percipi, ſumma paulo altiùs exponenda eſt.*

*Humanum genus poſt primam illam parentum inobedientiæ culpam non ſolùm à Deo abalienatum, & iræ execrationiq́; addictum; ſed ob innumera ſingulorũ peccata, æternis etiam pœnis ſubiectum manebat. præterea, quod miſeriis cumulum afferebat maximum; immo quòd tanti mali fons inexhauſtus erat, vitio corruptum, & labe illa, quam originalem vocant, infectum, vnde perpetua quotidie ſcelerum & peccatorũ mala emanarent, perſeuerabat. Atq; in eum infelicitatis locum hominum res deuenerat, ex quo niſi diuinæ miſericordiæ conſilio & beneficio redempta, liberaretur; ipſa nullum ſui liberandi modum inuenire poſſet. Sed quòd hoc myſterium longißimam, atq; omnium ferè ſacrorum librorum argumentum complexam explicationem poſtulat; nobis aliàs, Deo docente tractandũ, hic tantùm indicabitur. Opus igitur fuit rationem quandam atq; viam inire, qua homines ex illo miſerrimo ſtatu, ad vitæ felicitatisq́; vſum reſtituerentur: ea res quod humana virtute & efficientia præſtari non poſſet, diuinam vim & auctoritatem poſtulabat. Itaq; diuinæ miſericordiæ, benignitatisq́; conſilio decretum eſt, vt verbum Dei, quem aliàs Filium Dei dicimus, mitteretur.*
*Vt per eundem hominum res inſtaurarentur, & in melius renouarentur,*
Ioan. 1. *per quem antè conſtiterant. S.S.E. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine*
" *ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt: in ipſo vita erat, & vita erat lux ho-*
" *minum. Huius autem in mundum venientis morte & reſurrectione omnia diaboli opera diſſoluta ſunt. Argumento quodã à ſapientia diuina compoſito, cuius arcanam rationem nullus olim homo, nullum nec bonorum, nec*
Coloſ. 1. *malorum ſpirituum ingenium aſſecutus fuit. S.S.E. Myſterium quod abſ-*
" *conditum fuit à ſeculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt*
" *ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramẽti hu-*
" *ius in gentibus; quod eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ, &c. Quid autem ſit id quod dicimus, opera diaboli à Chriſto fuiſſe diſſoluta, aliàs etiam ab eodem docti, exponemus. Nunc illud tantùm admonere ſatis eſſe arbitramur: Chriſti morte & reſurrectione effectum eſſe, vt noui Teſtamenti ſancti homines, depoſito diaboli iugo, & circunſtanti peccato magna lætitia exultantes, nouam illam regenerationem per Spiritum ſanctũ Chriſti effectam & palàm profiterentur, & admirandis actionum, orationũ, & factorum, exemplis orbi teſtarentur; atq; hoc modo Euangelij & Chriſtianæ pietatis*
Mat. 1. *Catholicum regnũ indies augeretur amplificareturq́;. S.S.E. Omnes qui*
" *viderint eos, cognoſcent eos; quòd iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.*
Eſa. 2. *&, Erit in die illa præparatus mons domus Domini in vertice montium.*

&

*&, Conſluent ad eum omnes gentes, &c. Hæc autem felicitas quamquam* "
*vniuerſo hominum generi propoſita primùm & parata fuerit; non tamen omnibus hominibus eſt allata, ſed iis tantùm qui propoſitis à Deo fidei & pœnitentiæ conditionibus vti voluerunt. Quoniam S. S. E. Et ſic oportebat* Lucæ 24.
*Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine* "
*eius pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum in omnes gentes. &, Ego* "
*mitto promiſſum Patris mei in vos, vos autem ſedete in ciuitate quoadusq;* "
*induamini virtute ex alto. Hanc ergo humanæ ſalutis rationem, hæc Euan-* "
*geliÿ myſteria, hæc Chriſtianæ Catholicæ Eccleſiæ initia & incremẽta breui oratione, ſed admiranda, & ampliſsima ſententia Vates noſter hoc in vaticinio præuidens, noui teſtamenti hominibus gratulatus eſt:*

Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam.

V ERSVS *hic, etſi negationis habeat particulam, interrogatiuè videtur nobis eſſe legendus: namq; olim affirmatiuè legebatur; vt ex Mazzoreth apertè accepimus. Cui rei etiam Ionathæ Chaldaica verſio fidem facit. Eſt Hebraicè dictio* LO*, quæ per Aleph in fine ſcripta, ſignificat id quòd* לא *Latinis* non. *Eadem verò ſi per Vau ſcribatur, demonſtrantis pronominis* לו *datiuum refert caſum* illi. *Atq; etiam illud animaduertendum eſt: ex varia Hebraica lectione, quæ rara eſt, nunquam ferè ſententiarum pugnam, ſed arcanam & ſignificantiſsimam concordiã oriri: id quod in variis aliarum linguarum lectionibus non ita cõtingit. Quam ob rem qui diuinorum librorum obſeruantiſsimi ſunt, nec lectionem ipſam quæ in contextu eſt, quam* CHATHIB *dicunt; nec variam lectionem in Mazzoreth indicatam* כתיב *reiiciunt, ſed vtramque admiſſam ſimul, non ſine myſterio interpretantur: qua de re nobis aliàs commodior diſſerendi locus, Deo auctore, dabitur. Sed huius carminis rationem proſequamur. Antiqua lectio, & Chaldaica Paraphraſis habet:* Multiplicaſti gentem, & magnificaſti lætitiam. *Recentior verò lectio habet:* Non magnificaſti lætitiam. *Antiqua igitur affirmatiua docet, recentiorem interrogatiuè eſſe legendam, vt illud* non *potiùs confirmet, quàm neget: atq; ita compoſita ex vtraque lectione ſententia huiuſmodi erit:* Multiplicaſti gentem? non ei magnificaſti lætitiam? *Eſt autẽ huius carminis explicatio illa: Eccleſiam Chriſti diuini Spiritus virtute auctam, tanto cumulatiore lætitia afficiendam, quanto frequentiore credentium, & piorum hominum populo propagatam, amplificatamq; eſſe contigerit: namque illa diuinorum donorum communione lætitiam ipſam augendam fore ſperare par erat; etenim bonorum fructus communicatione ſui augentur. Id autem ita, vt prædictum fuerat, eueniſſe, apertè Scriptura teſtatur: Multitudinis credẽtium erat cor vnum, & anima vna; nec quiſ-* Act.4.
*quam eorum quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia* "
*communia: & gratia erat in omnibus illis magna: neque enim quiſquã erat* "
*egens inter illos. Quotquot poſſeſſores agrorum aut domorum erant, ven-* Act 9.
*dentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant: & ponebant ante pedes* "

*Apoſto-*

" *Apoſtolorum: diuidebatur autem ſingulis prout cuique opus erat. & ite-*
" *rum: Eccleſia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam ha-*
" *bebat pacem; & ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatio-*
" *ne ſancti Spiritus replebatur. Hæc lætitia, atq; hæc ſancti Spiritus conſola-*
*tio ex illa virtute proficiſcitur, quam diuini Spiritus efficiētia experiri ſo-*
*lent hi, qui à Chriſto regenerati, filij Dei viui nominantur, & ſunt. Nam-*
*que illi depoſito omni pondere & circunſtante peccato, ad propoſitam ſpem*
*cum gaudio currebant: neque verò illius lætitiæ, vel quam qui diuino Spi-*
*ritu aucti, virtutem paßionis & reſurrectionis Chriſti experiuntur, aut*
*dignitas narrari, aut æſtimari ſatis magnitudo ipſa poteſt; quibuſdā tamen*
*ſimilitudinibus indicari poteſt, ex earum genere rerum tranſlatis, quæ læ-*
*tißimæ & iucundißimæ atq; commodißimæ hominibus habentur. Cuiuſ-*
*modi ſunt Annonæ vberrima copia poſt longos culturæ labores; & opima*
*victoribus contingens præda; quæ cum victoriæ gloria vtilitates etiam ma-*
*ximas futuræ pacis & tranquillitatis ſpem coniunctam habeat. Hanc au-*
*tem lætitiam, Deo auctori acceptam referendam eſſe Vates ait:*

Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe multa: ſicut exſultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia.

HIS *enim præteritorum laborum recordatio, præſentem felicitatē ſua-*
*uiorem reddit. Huiuſmodi admirandis fructibus abundant ij, qui fidei &*
*obedientiæ diſciplina, exercitatione, perſeuerantia, & contentione propoſi-*
Gal. 5. *tum ex diuina benignitate Spiritus ſancti donum acceperunt. S. S. E. Fru-*
" *ctus autem ſpiritus eſt. Charitas gaudium, pax, patientia, benignitas, boni-*
" *tas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas: aduerſus huiuſmodi*
" *non eſt lex. Atq; huius lætitiæ cauſam fore indicat libertatē illam diuinam;*
Rom. 6. *qua qui Chriſti ſpiritum habent, ſeſe donatos agnoſcunt, deſtructo corpore*
Gal. 5. *peccati; vt vltra nō ſeruiant peccato, ſed in nouitate ambulent vitæ. Gratias*
" *agētes Deo per Ieſum Chriſtū qui dedit ſemetipſum pro illis; vt eriperet eos*
" *de præſenti ſeculo nequam, ſecundùm voluntatē Dei & Patris noſtri, cui*
" *eſt gloria in ſecula ſeculorum. hanc rationē arcanis verbis Vates indicabat:*

Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian.

QVONIAM *myſteriorum quæ ad hominis iuſtificationem pertinent,*
*rationem tantam eſſe arbitramur: vt breuibus commentariis colligi non li-*
*ceat: integrum enim, & iuſtum opus ea ſibi poſtulat res: interim dum id,*
*Deo auctore, aggredimur, Verborum quæ de hoc genere apud Vates obſer-*
*uantur, arcanam ſignificationem piis, & qui noſtra commentaria legentes,*
*contulerint, hominibus indicare ſatis eſſe duximus. Igitur homini poſt pri-*
*mi parentis peccatū ſeruitutis conditio triplici nomine miſera prorſus ma-*
*nebat; quòd peccatorū multorum iugū culpæ grauißimū ferretur: quòd pœ-*
*næ peccatorū luendæ eſſent: quòd adiuncta ſibi concupiſcētiæ corruptio per-*
*petuò ſentiretur: vnde aßidua multorum ſcelerum tributa moleſto & acri*

*ſemper*

*ſemper flagitatori Diabolo conferretur. Illud autem primum portandorum peccatorum grauiſſimum onus* iugum humeri eius *Vates appellauit, Iugo Chriſti ſuauiſſimo prorſus cõtrarium. Pœnam peccatis commiſſis debitam,* virgam humeri eius dixit. *Illud porrò corruptæ concupiſcentiæ inſitum membris hominum vitium, vnde concepti peccatorum furores, morti (vt Paulus inquit) fructificaturi erumperent, & creſcerent.* & ſceptrum exactoris eius *nuncupauit, quod hac veluti baſi Diaboli in omnes homines niteretur poteſtas; quam morte ſua Chriſtus admiranda & arcana ratione præcidens deleuit. S.S.E. Delens quod aduerſus nos erat chirographũ decreti, id eſt, peccatum quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio: affigens illud cruci, & expolians principatus & poteſtates. Quantam verò huius libertatis lætitiam eſſe oporteret iis, quibus communicari contingeret, facilè conijciebant reges illi, & Prophetæ multi, qui olim deſiderãtes noui teſtamenti ætati gratulabantur, & enthuſiaſmo iam, velut præſentem intuiti, nobis accinebant. Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Hanc autem victoriam & libertatem omnem Deo acceptam gratis, & ſupplicationibus, & gratulationibus celebrandam fore, Vates oſtendit.* Lætabuntur coram te, & confregiſti, ſicut in die Madian. *Illa enim Iſraëlitarum de Madianitis, Gedeone duce, victoria & libertas non humanis viribus & induſtriæ, ſed Deo accepta referri debuit: in qua noctis luminisq́, & verbi illius* Gladius Domini & Gedeonis, *reſonantis admirando & arcano inuento res acta eſt, dicente Domino ad Gedeonem: Surge, & deſcẽde in caſtra; quia tradidi eos in manu tua. Cùm tamen tanta hoſtium multitudo eſſet, quantam ſacræ hiſtoriæ indicari, quàm numerari faciliùs eſſe docuerant. Cumq́ ſediſſet Iſraël, aſcendebat Madiam, & Amalech, cæteraq́ Orientalium nationum: ipſi enim, & vniuerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum vniuerſa complebant innumera multitudo hominum, & camelorum, quidquid tetigerant deuaſtantes. Ad hunc modum in illa Chriſti aduerſus humani generis hoſtes expeditione, ex diuinæ miſericordiæ conſilio & virtute res geſta eſt: nam Chriſtus Lux vera, quæ illuminat omnem hominem, qui ſeſe illuminandum parat, denſiſſimas peccatorũ noſtrorum tenebras purus ipſe & inſons adiuit, & verbo Dei, ſuaq́ immenſa virtute diaboli opera diſſoluit: atq́ illas hoſtium omniũ innumeras copias fudit, & profligauit. In quo cùm Deus eſſet mundum reconcilians, ſibi optimè vocis illius referebatur myſterium,* Gladius Domini & Gedeonis. *Sed de duabus naturis in Chriſto, deq́ vtriuſq́ efficientia, & de his arcanis rationibus aliàs fuerit commodiùs agendum: atque victoriam hanc Chriſti de humani generis hoſtibus non carnali aliqua ratione, ſed ſpirituali modo interpretari oportere, Vates noſter docuit.*

[Margin notes: Rom. 7. — Coloſſ. 2. — Lucæ 10. — Pſal. 117. — Iud. 6.]

Quia omnis violentia prædatio cum tumultu, & veſtimentum mixtum ſanguine, erit in combuſtionem, & cibus ignis.

EARVM *quæ hominibus reportantur victoriarum triumphos magnos non victorum tantùm, ſed eorum etiam qui vicerint, labore & detrimento conſtare, ex eo vates confirmat, quòd rem igne ferroq́ agi neceſſe ſit, quarum rerum vim, & qui pro victoria, & qui pro vita certant, experiuntur. adeò vt nullus ſine cæde & ſanguine, magnoq́ etiam vincentium diſcrimine triumphus eſſe cenſeatur. vt S. E. Fremens & fremens ſorbet terram,* Iob 37.
» *nec reputat tubæ ſonare clangorem, & cætera quæ de belli impetu & tumultu ſcribuntur plurima. Hanc autem rem ab euentu & ſignis arguit Vates.* Veſtimentum mixtum ſanguine, erit in combuſtionem cibus & ignis. *At verò ea quam hoc loco prædicens Vates celebrat victoria; nō igni, non ferro, non bellico apparatu, non deniq́ eorum quibus pariunda erat periculo, aut incommodo vllo, ſed vnius Ducis à Deo vncti virtute, labore, & officio, & deuotione reportanda fore dicitur.*

Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis. TRIVMPHVM *illum quem de victis & perditis hoſtibus homines habituri eſſe prædicti ſunt, non bello, non armis, non victorū ipſorum detrimento & periculo; ſed vnius hominis, eiuſdemq́ Dei obedientia & opera reportandum eſſe, vates ſibi, domuiq́ Dauidis, atque omni Iudææ cum primis, deinde gentibus omnibus cæteris gratulabundus affirmat. Atque eorum quæ ab illo præſtanda eſſent munerum, ſumma capita ampliſsimis & ſignificantiſsimis verbis indicat. Atq́ adeò rem omnem certo ordine diſponit: eius, per quem gerenda res eſſet, natura, deinde officio & perſona; demum auctoritate, & dignitate, ſtudio, atq́ euentibus ſignificatis. Atque adeò ipſum hominem verum futurum eſſe ait, natum in tempore ex muliere; eumq́ noſtra omnium cauſa naſciturum.* Paruulus enim natus eſt nobis. *Hebraicè*, quia natus eſt nobis. *Vox* CHI, *Hebraica, vt aliàs docuimus, præcedenti ſententiæ aduerſantem ſignificationem, & cauſam etiam dicendorum continet: elegantiùs multo quàm, ſed, apud Latinos. Atque ita ſenſus eſt, non ferro, aut igne agenda res eſt.* Sed enim natus eſt nobis. *Futuram rem Vates enthuſiaſmo præſentem, vt ſæpè aliàs, proſpicit, & gratulatur. Eſt autem prima vox* natus, *nomen; ſignificat autem filium ex humana natura verè hominem, certæq́ familiæ, eundemq́ iis, quibus oportuerit, parere obſequentem; vt patri, matri, præceptori, domino: hæc omnia ex collatione locorum in quibus eſt vox* IELED, *obſeruauimus. Quamobrem optimè interpres noſter Latinus vertit* Paruulus, *Hebraici nominis vim quàm proximè reddens. Illud verò myſterio non caret, quòd eiuſdem vocis verbo vſus eſt Vates,* Natus eſt nobis, *quo verbo matrem naſcituro feminam in terris fore affirmauit quidem, ſed patrem hominem illi fore non dixit, neque arguendum reliquit; præcipuè cùm verbum Hebraicum* Ialad, *matrem potiùs quàm patrem ſpectet. certè cùm arguitur natus eſt, ergo ex femina*

(margin: כי ; ילד)

*ſemina natus: non autem certè conſequitur, ex verborum vi natus eſt, ergo à viro genitus. Naſci enim vnde naſcatur, non à quo ſit genitus dicit. Atq; hæc ad naturam natiuitatemq; humanam in tempore ſpectandā referātur; ad diuinam autem non propriè referuntur naturam: namq; naturæ diuinæ repugnat naſci in tempore ex muliere, vt natura diuina eſt; hunc eundem matri, & iis quibus curæ eſſet, & patri ſuo Deo, & legi audientem fore, vox* Paruulus, *ſiue Hebraica proprius,* IELED, *oſtendit. Eius autem in carne aduentum noſtri cauſa futurum eſſe vates confirmauit,* nobis: *atque eundem illum, quem hominem fore docuerat, Deum verum, Deiq; Filium futurum quoque eſſe Vates indicauit.* Filius datus eſt nobis. *Nomen filius hoc loco eſt* BEN, *à verbo eductum, quòd ædificare ſignificat: diciturq;* בן *de iis propriè, per quos familiæ & nomina propagantur: vt aliquando, Deo auctore, in Geneſeos commentariis exponemus. ex eodem verbo non diſſimili ſignificatione deducitur* ABEN, *quòd lapidem Latinè vertimus. Nulli* אבן *autem vel perſonæ, vel rei in vniuerſum, nomen hoc filij meliùs & certiùs, & propriùs quàm verbo Dei cōuenit antiquiſſimo filio vnigenito, & primogenito: non facto, conſubſtantiali Patri, per quem omnia facta, & ædificata, reſtituta, & perfecta ſunt, ſecundam perſonam in diuinis: Ideoq; nomen duarum tantùm literarum obtinens, cuius myſteria aliàs indicabimus* בן *exponentes illud, In principio erat verbum. Qui igitur fuit æternè Dei Filius, & dari nobis in tempore, & in tempore caro fieri, & homo naſci potuit. Atque ita voces* datus, *&* natus, *vtramque naturam & myſterium illud admirabile incarnationis, & virtutem efficientiamq; ipſius Chriſti indicat. Huius autem obedientia, ſtudio, & cura, triumphi illius, quē commemorauerat victoriā, non hominū potentia, viribus, & cladibus allatis, aut acceptis bellorum tumultibus, reportandam eſſe illo tropo Vates docuit:* Et factus eſt principatus ſuper humerum eius. *Humerum ſeruitutis, & obedientiæ ſignificationē habere in libris de Arcano ſermone docuimus. vt, Suppoſuit humerum ſuum ad portādum, factuſq; eſt tributis ſeruiens.* Gen 49. *& paulo antè, Virgam humeri eius Iſaias dixit. &, Ad ſeruiendū humero* Seph. 3. *vno, dixit Sephonias. Itaq; obedientia, & omniū ſibi à Patre impoſitorum mandatorum, omnium laborum, vigiliarum, mortis denique duriſſimæ impoſita conditione vltrò accipienda, & libenter ferenda, illum principatum Chriſto conſtituturum Vates prædicebat. Atq; iiſdem rationibus conſtitiſ-* Gen. 4.
*ſe Apoſtoli confirmarunt. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus* Philip 2.
“ *Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege: vt eos qui ſub lege erant,*
“ *redimeret. Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe*
“ *æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimi-*
“ *litudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſe-*
“ *metipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autē crucis. Propter*
“ *quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne no-*
*men. Huc pertinent ea quæ à Vate noſtro ſubiuncta ſunt.* Et vocabitur no-

men eius Admirabilis, conſiliarius. *Cuius admirando cõſilio humanum genus inſtauratũ, reſtitutum, ac perfectum fuit: quod callido olim ſerpentis conſilio, & primorum parentum imprudẽtia & culpa fuerat perditum. Idem aliàs à Vate magni conſilij Angelus vocatur. Dicitur autẽ Hebraicè*

פלא PELE, *id quod Latinè Admirabilis, & arcanum abſconditumq́; dicitur. Alluditq́; verbum ad humanæ ſalutis myſterium: quod celatum fuit ſeculis & generationibus. Omnem autem rectè gerendam, atque euentu ipſo probandam rem, conſilio, facultate, & ſtudio eius qui ſuſceperit, conſtare oportet: quas omnes partes iure optimo, & veriſsimis nominibus Chriſto tribuendas eſſe, Vates ait: namque vltra conſilij copiam, facultatem quoque diuinam, & voluntatem atque ſtudium ardentiſsimum erga hominum ſalutem illi fore docet.* Deus fortis, *Ex nominibus Dei Hebraicis hoc loco eſt*

אל *vſurpatum* EL, *quod potentem efficacemq́; ſignificat. Id quoniam gerenda atque efficienda re oſtendendum erat, cognomẽto* Fortis *ornatum eſt. He-*

גבור *braicè* GIBOR, *fortem atque ſtrenuum, rebuſq́; feliciter gerendis ſpectatiſſimum ſignificat: pro quo interdum noſter Interpres Gigantem reddit. vt,*

Pſal. 2. *Exultauit vt gigas ad currendam viam: hæc ad facultatem, ad ſtudiũ verò illa,* Pater futuri ſeculi. *Hebraicè,* Pater vſque. *quod ampliorem etiam & auguſtiorem ſignificationem obtinet. Neque enim minori animi affectu & impulſu Chriſtus hominum, quàm pater filiorum curandas & perficiendas ſuſcepit res. immo ita reſtituit & renouauit, vt veteri homine ex-*
„ *tincto, nouas creaturas & nouos homines repoſuerit, qui ſecundùm Deum*
„ *creati ſunt in iuſtitia, ſanctitate, & veritate per lauacrum regenerationis*
„ *& renouationis Spiritus ſancti, quem effudit ſuper ſuos abundè; vt iuſti-*
„ *ficati gratia ipſius, hæredes ſint ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Ex his igitur Chriſti virtutibus, & facultatibus atq; ſtudiis, illud porrò nomen euenturum erat, quod re geſta, compoſita, & perfecta, atq; abſoluta pace terris parta meritò fuerat reportãdum.* Princeps pacis. *Huius namque Chriſti Dei virtute & efficientia, pax inter Deum & homines impetrata: pax etiam inter carnem & ſpiritum conciliata fuit. Quæ res in ipſius pueri nobis na-*

Lucæ 2. *ti, Genethliaco carmine à cæleſtibus ſpiritibus decãtata eſt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Iam verò deinceps hanc à ſe indicatã felicitatem ampliſsimã propriamq́; fore Vates cõfirmat. Idq́; diuinæ miſericordiæ conſilio & virtute, atq; gratia efficiendũ eſſe ait:*

Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia, amodò & vſque in ſempiternum. zelus Domini exercituum facit hoc.

OMNIA *hæc & à nobis aliàs, & ab Angelis apud Lucam de cæleſti Chriſti regno per Euangelium propagando explicata ſunt. Confirmandum verò & corroborandum regnum eſſe dicitur virtute ſancti Spiritus, qui ſuorum corda renouauit ad ſeruiendum Deo viuenti, vt vltra non ſeruia-*

*tur*

quæ hic et alibi differit auctor de extinctione belli quo caro concupiscit adversus spiritum, ne quemquam offendant, quasi velit in justis et piis novi testamenti extingui peccati fomitem, intelligenda sunt eo modo quo idem autor loquitur in comment. Ioelis 2. in enarratione illius loci. et eum qui ab aquilone est et c. pag. 227. ad medium, illis verbis. De quo domestico et perpetuo hoste etc atque adeo omnia exigenda ad normam eorum, quæ docet S. Thomas 1.2. q. 61. a. 5. in corp. ad finem —

*tur peccato: quamquam verò hoc regnum omnibus hominibus proponẽdum fuerit, non tamen cum omnibus communicandum eſſe ait: ſed delectu bonorum & malorum facto cum iis qui Euangelio credituri audituriq́; eſſent. S. S. E. Hunc Principem & Saluatorem Deus exaltauit dextera ſua, ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſsionem peccatorum : & nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quẽ dedit Deus omnibus obedientibus ſibi. Hoc ſignificans Iſaias, addidit :* In iudicio & in iuſtitia.

*Iudicium* MISPAT, *Hebraicè dictum ratione æquitateq́; definitur, vt aliàs diximus, & delectum ſignificat à Deo faciendum eorum, qui credentes, dictoq́; audientes fuerint; quibus iuſtitiam illam Deus impartietur. De qua S. E. Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorũ liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Itaq; hoc diuinum donum non temerè, ſed magno iudicio delectuq́; facto communicandum cum hominibus fuerat. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. Atque adeò hanc admirandam rem omnem ex Dei conſilio, voluntate, gratia, & liberalitate atq; conſtantia profecturam eſſe Vates ait, Vt propoſitũ Dei maneret, inquit Paulus. Namque Deo initum & ſuſceptum ſemel de hominis dignitate & amplitudine conſilium perſecutus eſt, quidquid aduerſarius conſilij calliditatis, malitiæ, curæ, diligentiæ, & virium ad impediendum adhibuerit. Tamen* Zelus Domini exercituum facit hoc. משפט

*Nomen zelus, Hebraicè* KINAH, *contentionem, æmulationem, perſeuerantiam, emptionem, acquiſitionem, conſtantiamq́; exiguo diſcrimine ſignificat. Hunc locum Chaldæus Paraphraſtes de Chriſto interpretatus eſt hoc modo :* Dixit Propheta domui Dauid : Nam puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, & ſuſcipiet legem ſuper ſe ad cuſtodiendum illam : & vocabitur nomen eius ab ante, admirabile conſilium, Deus fortis permanens in ſecula. Meſſias in cuius diebus pax multiplicabitur ſuper nos. Multiplicans amplitudinem, facientibus legem, & cuſtodientibus pacem non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper ſolium eius ad conſtituendum illud, & ad ędificandũ in iudicio & in iuſtitia ex nũc & vſque in ſeculũ in dicto Domini fiet. *Sic Chaldaicè.* קנה

## ARGVMENTVM VATICINII VII.

PVBLICÆ *atq; communis in Iſraëlitas animaduerſionis cauſam Vates docet fuiſſe diuini verbi neglectionẽ, & legis ſanctiſſimæ contemptum, & religionis puræ prophanam in deorum vanorum cultus mutationem. Deinde etiam Dei in illos clementiam & lenitatem: contraq́; eorundem in Deum ingratos animos, & in ſe ipſos auctam culpam, & cumulatam inuidiam indignationemq́; arguit. Quippe qui diuina animaduerſione non perdendi, ſed corripiendi cauſa paulatim caſtigati, & à ſceleribus auocati, tamen reſipiſcere, & ad bonam frugem ſeſe recipere noluerint: ſed ſceleribus magis indies cumulatis grauiores pœnas, &*

 *inſtiſ-*

*iuſtiſſimam calamitatem ſibi ipſis fuerint machinati, quam Deus zelotes ipſe iuſto iudicio per Aſſyrios hoſtes afferendam decreuerit: non in Aſſyriorum gloriam & felicitatem; ſed in publicum diuinæ ſeueritatis exemplum illis etiam victoribus timendum: quod tamen, quia ſecus atque res habebat, definitum fuiſſet: non leuiori, ſed duriori etiam caſu experiundum eſſe Vates confirmat.*

Verbum miſit Dominus in Iacob, & cecidit in Iſraël.

IACOB *nomine priuatam & obſcuram tum antiqui patris illius, tum illius poſteritatis conditionem; Iſraël verò ipſius, & patris, & ſobolis amplitudinem & dignitatem diuino beneficio obtentam ſignificari, iam ſæpè aliàs docuimus. Deniq; diſtinctionem perpetuò obſeruandam commendauimus, vt his, & aliis multis locis illuſtrandis perquàm oportunam. Atq; illud ſingularis præcipuè cuiuſdam gratiæ beneficiũ fuit. Quod ex omnium hominum & gentium nationibus ignorantiæ caligine oppreſſis, vnà Iacobi humillimæ illo tẽpore conditionis familia miſera & dura ſeruitute redẽpta, delectaq; fuerit, cui diuini verbi lux ampliſſima, & legis atq; prophetiæ diſciplinæ facultas, copia, vſus, & exercitatio crederetur, atq; eo ſummo beneficio nomen etiam illud humile & obſcurum Iacob in celebre illud alterum Iſraël mutaretur. Cuius nominis vt memoriam, celebritatem, & gloriam,*
Deut. *ita virtutem retentam conſeruatamq; operuit. S.S.E. Legem præcepit no-*
Pſal. 147. *bis Moiſes hæreditatem multitudini Iacob. & rurſum, Qui annuntiat*
" *verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſraël. Non fecit taliter omni*
" *nationi: & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Iam verò culpæ crimen huic populo aſcribendum ex comparatione & contentione nominum amplificatur; cuius argumentationis illa ſumma eſt, quòd, cùm Iacob accepto verbo Domini, Iſraëlis dignitatem & nomen obtinuerit: tamen tueri, & cõſeruare minimè voluerit; ſed per maximum ſcelus eam rem qua ornatus, auctus, amplificatusq; fuerat, hoc eſt, diuinum verbum, neglexerit atq; abiecerit. Verbum, inquit, quod Deus miſit in Iacob, cecidit, & iacuit neglectum, apud Iſraëlitas, qui tamen illius verbi beneficio Iſraëlis nomen fuerant adepti, atq; hîc apertè Iſraelitarum, hoc eſt, decem tribuum ſcelus notatur, quibus poſt diſſidium illud, & diſceſſionem à Iudæa tribu nomen Iſraelis retentum eſt. Cauſa verò illa vnde nomen habuiſſent: hoc eſt, diuinæ legis, & religionis, atque prophetiæ obſeruatio omnino prodita & deſerta fuit.* Cecidit in Iſraël. *verbum illud,* cecidit, *inter Iſraëlitas, neque vnquam curatum, ſublatũ, inſtauratumq; fuit. Namque hac ſignificatione verbum*
: Sam. *cadere dicitur, hoc eſt, irritum, vanum, neglectumq; haberi. vt, Creuit au-*
" *tem Samuel, & Dominus erat cum eo: & non cecidit ex omnibus verbis*
" *eius in terram: & cognouerunt omnis Iſrael, à Dan vſque ad Berſabee,*
" *quòd fidelis Samuel Propheta eſſet Domini. Atque diuinæ legis culturam, & in vana & ambitioſa potentiæ humanæ cõſilia & ſtudia fuiſſe illis mutatam Vates docet. Namque huiuſmodi cogitationibus diuinæ legis & pietatis*

*tatis pura ac ſimplex ratio negligi ac labefactari ab hominibus ſolet: quibus diuina lex, quòd iniuriam, cupiditatem, pompam, auaritiam, ambitionemq́; vetet; & innocentiam, modeſtiam, atque beneficentiam doceat, & præcipiat, ad opes potentiamq́; augendam, atque ad ea quæ mundus maxima ducit comparanda, minùs idonea videtur. Igitur cùm primùm Iſraël de humana magnitudine, gloria, & amplitudine humano modo cogitare cœpit, Legis ac diuini verbi concordiam, pacem, & modeſtiam præcipientis pertæſus, ambitioſa & ſuperba iniuit conſilia, & communi conſenſu ſublimia verba iactare, ſibiq́; maximam ſapientiam, alia ratione initam, perſuadere occepit, hoc eſt quòd Vates ſubiungit:*

Et ſcient omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam, in ſuperbia & magnitudine cordis, dicentes.

COMMVNI *conſenſu, ſponte, & ſtudioſè verbum diuinum ab Iſraelitis neglectum fuiſſe docet, & illam alteram rationem ſapientiæ initam, quæ à religione & pietate ad eam, quam mundus magnificentiam, magnanimitatemq́; vocare ſolet, deſciſcit: namque hominibus prauo carnis vitio corruptis, ſimplex illa, & innocens vitæ ratio, quam diuinum verbum docet & præcepit, ignaua & iners habetur. Illud verò ambitioſum genus, quod rebus amplificandis propriis, alienis occupandis iniuria, & vi inferenda exercetur; cuiuſdam animi magnitudinis nomine celebratum commendatur, & præfertur: hoc inſaniæ genere flagrantes olim Iſraelitæ, Reipub. illius, cui Deus præerat, faciei pertæſi, regiæ maieſtatis nomen & vſum ambitioſè optare, & importuniſſimè efflagitare cœperũt. Nequaquam rex* 1 Sam.
*enim erit ſuper nos, & erimus nos ſicut omnes gentes, & iudicabit nos rex* "
*noſter: & egredietur ante nos; & pugnabit bella noſtra pro nobis. Huiuſ-* "
*modi ſcientia diuini verbi diſciplinæ prælata Iſraelitas poſt diſciſionẽ dementatos ad magnas ſuſcipiendas, & agendas res, animum ſermonemq́; conuertiſſe Vates ait. Appellat autem Iſraelitas Ephraim, quòd omnes habitantes in locis Sichimorum, atque eorum nomine omnes tribus Ephraim dicerentur: vt aliàs iam docuimus. Ipſum autem ambitionis & regni caput præcipuè notatur.* Habitantes Samariam. *Qui regni nomine ſuperbientes, huius rationis auctores erant. Quibus tamen, quia cæteræ ciuitates inſania & ambitione non cedebant, à vate conſultò præpoſitæ ſunt. Ephraim hoc vitio laborabat, & habitantes etiam Samariam laboraſſe conſequitur. Sic ſæpè aliàs ſacer ſermo vniuerſitatem aliquam à minori parte incipiens, complecti ſolet. &, Viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vſque ad ſe-* Gen. 21.
*nem, omnis populus ab extremo. Sic hoc loco,* Omnis populus, tum Eph- "
raim, tum habitantes Samariam. *Verbum autem* ſciet, *in futuro conſuetudinem & morem ſtudiumq́; ſignificat, vt ſæpè de futuro docuimus: referendumq́; eſt ad antecedentem, & conſequentem ſententiam.* Omnis *inquit,* populus, *diuinum verbum iacere apud ſe conſultò patientur, & aliud ſcientiæ genus profitebuntur.* In ſuperbia & magnitudine cordis.

*Ambi-*

*Ambitioſam illam & inſolentem potentiæ conſequendæ, & rerum hoc nomine gerendarum rationem & notitiam Hebraicus ſermo ſcire in ſuperbia & magnitudine cordis appellat, vt contra modeſtam vitæ & morum agendæq; rei inſtitutionem humiliter ſcire, vel humiliter ſentire dicit.*
Pſal.132. *Vtriuſque exemplum illud eſt: Domine non eſt exaltatum cor meum, nec*
» *elati ſunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, nec in mirabilibus ſuper*
» *me. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam: ſicut ablacta-*
» *tus ſuper matre tua, ita retributio in anima mea. Speret Iſraël in Domino,*
» *ex hoc nunc & vſque in ſeculum. Ab huiuſmodi ratione omnino degeneraſſe Iſraëlem Vates dicit, & cogitaſſe excelſa & magnifica. Denique magnitudinẽ cordis Hebraicus ſermo idẽ quòd Græcus μεγαλοψυχίαν, & Latinus magnanimitatem dicit. atque idem demum eſt ſcire in ſuperbia & magnitudine cordis, quod Græcis μεγαλοφρονεῖν, Latinis altum ſapere ſignificat. Id autem à Vate ſubiuncta expolitione explicatur.*

Dicentes: Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus. ſycomoros ſucciderunt, ſed cedros immutabimus.

OMNEM *eorum cogitationem & ſermonem in magnificentia & ſplendore, apparatu ac pompa fuiſſe, vno exempli genere complexus eſt Vates: namq; ædificiorũ magnificentia & ſumptus immodicus longæ pacis ac tranquillitatis cogitationem, & multam pecuniæ facultatem vel conſequitur,*
3 Reg 5. *vel ſibi promittit. S.S.E. Nunc autem requiem dedit mihi Deus meus per*
» *circuitum, quamobrem cogito ædificare templum, &c. Iam verò omnia ſibi ex ſententia aut eſſe, aut fuiſſe, aut futura etiam perſuadebant ij, qui maiores ſuos diuini verbi ſcientia vſos, atq; modeſtiores ædes habitantes propter hanc nouam rationem, & inſtitutum viuendi, ædificiis faciendis longè ſuperare cogitabant: ita vt pro lateritiis ciuitatibus, iam antiquitate & vetuſtate collapſis, marmoreas reponendas; pro contignationibus ſycomorinis, cedrinas inſtruendas iactarent. Hæc enim maximi cuiuſdam, & perpetui imperij maximarum opum quoque iactatio eſt: cuiuſmodi ſibi laudem Romæ Auguſtus arrogaſſe fertur. Sunt qui hunc locum ex tranſlatione interpretentur, nos ſimplicem ſignificationem ſecuti, argumentum ex euentis ſiue ex ſpecie ad genus eſſe exponimus: namq; ædificandi magnificè & ſumptuosè commune ſtudiũ cætera omnia arguit quæ ad Reip. magnificentiam, potentiam, opes, & faſtum ſpectant. Iam verò Sycomorus materies Iſraëliticæ regioni vt familiariſsima, ſic etiam viliſsima eſt. Cedrus verò, & quòd natura ſua diuturnior & pulchrior, & etiam longè petita eſt, pluris multo æſtimatur vſu ſui, magnificentiã arguit, ſicut de Salomone ſcriptum eſt: Fecitq; vt tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem, quanta & lapidum, & cedrorum præbuit multitudinem; quaſi ſycomoros quæ naſcuntur in campeſtribus. In has cogitationes, in hæc ſtudia incumbebant Iſraëlitæ, deſerto, & neglecto iam verbo Dei, tantum aberat, vt ſibi metuentes, reſipiſcerent; & ad iram diuinam placandam, pœnitentiæ operã darent. Quid*

*autem hac negligentia & ſuperbia commeriti fuerint: vtq́; Deo offenſo, exitum conſiliis contrarium fuerint ſibi moliti, Vates indicat.*

Et leuauit Dominus hoſtes Raſin ſuper eum, & inimicos eius in tumultum vertet: Syriam ab Oriente, & Philiſthiim ab Occidente; & deuorabunt Iſraël toto ore.

PRIMAM *illis correctionis cauſa afferendam calamitatem, Deo auctore, iiſdemq́; ipſis miniſtris, qui potentiæ & felicitatis ſuæ ſocij optati conſtitutiq́; fuerant; videlicet Syris, cum quibus amicitiæ fœdus initum erat: hos primùm Deus tollet aduerſus Iſraël* hoſtes Raſin ſuper eum. *Super Iſraël ipſum hoſtes Raſin: genitiuum Raſin poſſeſſiuè, non paſſiuè exponimus. Hebraicè,* anguſtiatores Raſin, *hoc eſt, duces & principes Raſin, bellicisq́; rebus præfectos, qui excurſionibus in Iſraelitam regionem faciendis, agros, vineas, & ſegetes populabuntur. Ex altera etiā parte ab Occidente Palæſtinos excitabit, qui tū hominibus, tum iumentis agrorum prouentus vel corrumpant, vel deuorent; & ita vtriuſque anguſtiatores iſti omni ore hominum & iumentorum, Iſraelem depaſcentes, conſument. Hæc prima calamitatum initia illis à Deo dabuntur, neque enim illi propter cordis magnitudinem his primis calamitatibus adeò frāgentur; vt vel inſaniam illam & contumaciam remittant, vel iram Dei à ſe auertendam leniendamq́; procurent; ſed aucta etiam ſuperbia, & contento ſcelere, magis accendat.*

In omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta: & populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe, & Dominúm exercituum non inquiſierunt.

EX *ſimilitudine eius, qui ira percitus eum à quo offenſus fuerit, cædere cœpit: namq́; is quoad iram deponat, nec vlteriùs ferire cogitet, ſublatam ſemel manum non dimittit, aut retrahit. Sic Moſes Ægyptiorum calamitates nondum Iſraelitarum exitu finitas, ſed poſt exitum etiam auctas ſignificabat. Et eduxit te Dominus in manu forti, & brachio extento, hoc eſt, non ſolùm præteritarum plagarum exemplis, ſed extento etiam brachio ad vlteriorem vindicationem, quàm in mari rubro exercuit. Sic etiam hoc loco Deus manum ad caſtigādum extentam tenere dicitur; idq́; iuſtiſſimè: propterea quòd populus non fuerit reuerſus ad placandum & leniendum percutientem ſe.* & Dominum exercituum, *vltorem & vindicem potentiſſimum & iuſtiſſimum* non inquiſierunt: *Temporum viciſſitudinem & caſum, magis quàm diuinam correptionem, & animaduerſionem eſſe interpretati. Senſit quidem populus damna & calamitates, ſed non conuerſus eſt cogitatione ad percutientem ſe, neque deprecandum duxit Dominum exercituum, cuius conſilio & auctoritate hæc dura tempora fuerant allata. Quid exercituum appellatio ſignificet, iam ſæpè expoſuimus. Cùm autem homines vel ex pœnarum metu, vel ex Dei obſeruantia & cultu, atque timore illo religioſo, qui magis probatur, conuerti, & pœnitentiam*

agere ſoleant, affirmat Vates. Neutram iſtarum cogitationum Iſraelitæ habuiſſe, nec conuerſos eſſe ad percutientem ſe, nec Dominum exercituum agnouiſſe, qui allatas ſibi calamitates propulſare poſſet.

Et diſperdet Dominus ab Iſrael caput & caudam, incuruantem & refrenantem die vna.

IAM aliàs in commentariis noſtris indicauimus eandem rem à diuerſis vatibus, qui vel eodem, vel alio atque alio tempore vaticinati ſint, nonnumquam aliis atque aliis, nonnunquam verò iiſdem penè verbis pronunciari: cuius obſeruationis exempla protulimus manifeſta. Hanc eandem annotationem vt huic loco oportunam memoria repetere operæpretium fuerit. Eſt enim horum locorum ſententia, eadem cum illa Amoſi, qui eadem cum
» Iſaia tempeſtate vaticinatus eſt. namq; apud illum legimus: Vnde ego dedi
» vobis ſtuporem dentium in cunctis vrbibus veſtris, & indigentiam panis
» in omnibus locis veſtris, & non eſtis reuerſi ad me, dicit Dominus. & vl-
» teriùs etiam: Ego quoque prohibui à vobis imbrem cùm adhuc ſupereſſent
» tres menſes vſque ad meſſem, & cætera: quibus ſubiungitur: Et nō rediiſtis
» ad me dicit Dominus. Tertiò addit Amos: Miſi in vos mortem, &c. &
» non rediiſtis ad me dicit Dominus. Quartò demū adiungit: Subuerti vos,
» ſicut ſubuertit Dominus Sodomam & Gomorrham, & facti eſtis quaſi
» torris raptus ab incēdio, & non rediiſtis ad me, dicit Dominus. Quo in lo-
» co populum quater correptum, tamen non reſipuiſſe cognouimus, quāobrem
» illud diuino iudicio decretū audiuimus: Quapropter hæc faciam tibi Iſraël;
» poſtquam autem hæc fecero tibi, præparare in occurſum Dei tui Iſraël. Il-
“ lud autem concluſionis forma ab illo vate demum eſt ſubiunctum: Audite
» verbum iſtud quod ego leuo ſuper vos planctum domus Iſraël. Cecidit, &
» non adiecit, vt reſurgat: virgo Iſraël proiecta eſt in terram ſuam, non eſt
» qui ſuſcitet eam. Eodem ferè modo Iſaias, quaternam Dei erga Iſraëlitas correptionē, & perpetuam ipſorum contumaciam indicauit; ſed non iiſdem verbis eſt elocutus. Primam enim agrorum ab hoſtibus vaſtatorum annotatione indicauit, quam ſtuporem dentium in cunctis vrbibus datū dixerat Amos. Deinde verò ſecundo loco Iſaias alterum correptionis genus additum indicat, caput & caudam incuruantem, ſiue, vt Hebraicè eſt, ramum & iuncum, eodem tempore exſciſſum eſſe ait; quibus verbis principes & ſummos in Rep. viros, & tenuiores etiam iuncis in ſtagno creſcentibus perſimiles eſſe ſignificatur. id quod & Vates ipſe explicat:

Longæuus & honorabilis ipſe eſt caput; & propheta docens mendacium, ipſe eſt cauda.

CAVDIS à natura datis ad motum quoque non efficiendum, ſed gubernandum animantes vtuntur: vtraque autē pars ſi officio ſuo rectè fungatur, probatum motum efficit: ducit enim caput, cauda verò pedes, vt prora in naui moderatur; ſi vitioſum caput ſit, caudaq; ſequatur, tortuoſum, & impotentem motum effici neceſſe eſt. Hæc ex animātibus tranſlatio optimè

*huic loco quadrat. Præterea in ſaltantium choris duo eſſe ſolent, penes quos reſtis ducendæ arbitrium eſt, qui præit caput dictum, & qui extremus chorum claudit, eandemq́ refert: hi ſi ſaltandi periti ſunt, & ſibi conſentiunt, omnem chorum & ſaltationem rectè componunt, ſin vel imperiti, vel diſsidentes id munus exerceant, corrūpent ingratúmque reddent. Huiuſmodi etiam principum & conſiliariorum ratio eſt: qui ſi officium rectè & conſtanter præſtent, populum reliquum omnem probè ducunt; ſin minùs, vel diſturbant, vel perdunt: atq; ex vtraque ſimilitudine* caput & caudam, *dixiſſe vatem arbitramur. Regum enim & principum eſt populū rectè atq; ex diuinæ legis, & rectæ rationis norma ducere: conſiliariorum & prophetarum munus, id conſilij adferre, quod certiſsimum populoq́; vtiliſsimū ſit; atq; ita vtraque pars rectè ſibi conſentiens, caput dici poſsit, quamuis cauda altera appelletur. At verò Propheta is, qui nullum proprium & certū conſilium, ſed principum arbitrium aut libidinē tantùm ſequitur, propriè cauda dicitur: quippe qui populum tantùm excitet, & vrgeat ad agendum; non autem ad rectè agendum adhortetur ac dirigat. Quamobrem Vates ait:* Et propheta docens mendacium ipſe eſt cauda. *Hos omnes à Deo exſcindendos Vates ait, ſiue ea exſciſsio peſte, ſiue bello fiat. Cuius ſententiæ cauſam apertam exponit; quod peruerſo iſtorum officio populus deceptus, & corruptus fuerit, ideo ſubiungit:*

Et erunt, qui beatificant populum iſtum ſeducentes, & qui beatificantur, præcipitati.

CONIVNCTIO, &, *hoc loco cauſam indicat, vt aliàs adnotauimus: deinde futurum in præteritum conuertit: vt Hebraica lectio apertè indicat: Illi, inquit, per quos hunc populum & rectè agi, & beatè agere oportuerat, perperam ducentes & mouentes, præcipitem exturbauerunt: quibus omnibus ex rebus populum illum cunctum, tam duces & magiſtros, quàm iſtorum culpa cæteram plebem, & pueros & anus, corruptiſsimos, & impietatis vitio contaminatos eſſe conſtat: atque ideo & Deo ingratos, & inuiſos, & grauiſsimarum pœnarum dignos.*

Propter hoc ſuper adoleſcentulis eius non lætabitur Dominus: & pupillorum eius, & viduarum non miſerebitur.

ADOLESCENTES, *ſiue, vt Hebraicè eſt*, electi iuuenes, *dicuntur, per quos in bello aduerſus hoſtes res geritur. Horum virtutem vt diuini auxilij gratia deſtitutam, inutilem bello fore, vates ait: ita vt his pereuntibus & occiſis, nec viduis & pupillis parcatur: quorum miſeria diuinam miſericordiam commouere aliàs ſolet. Huius verò deſertionis cauſam eſſe ait Vates in religione & pietate negligenda, communem omnium culpam, facilè enim & pueri & feminæ corrupta maiorum & virorū iudicia ſequuntur; & vitia libenter imitantur. hoc eſt quod ait:*

Quia omnis hypocrita eſt & nequam: & vniuerſum os locutum eſt ſtultitiam. OMNES, *inquit, à minimo vſque ad maximum*

*à virtute alieni ſunt: & qui meliores videntur, ſpeciem quandam & umbram virtutis mentiuntur: idq́ ſuorum commodorũ gratia effingunt. Produntur autẽ facilè ſuis ipſorũ ſermonibus, nullis veram pietatẽ; ſed meram ſtultitiam referentibus: Ex abundantia enim cordis os loquitur. Neque verò hac etiam animaduerſione ſapientiùs illos ſibi conſulturos ait Vates; ſed pertinaci vitiorum conſuetudine diuinã in ſe iram vlteriùs adhuc concituros.* In omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. CONVENIT *autem ſecunda hæc à Vate indicata*
Amos 4. *animaduerſio cum tertia illa apud Amoſum: Miſi in vos mortem in via
» Ægypti, percuſsi in gladio iuuenes veſtros vſque ad captiuitatẽ equorum
» veſtrorum; & aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares
» veſtros, & non rediiſtis ad me, dicit Dominus. Tertiam præterea calamitatem famis ab Amoſo expreſſam Iſaias tranſlatione indicauit.*

Succenſa eſt enim quaſi ignis impietas, veprem & ſpinam vorabit: & ſuccendetur in denſitate ſaltus, & cõuoluetur ſuperbia fumi.

FAMEM, *ſiue ex pluuiarum defectu, ſiue alia ex cauſa adductam ſimilitudine ignis, vates deſcripſit: quem ignem ex impietate (quæ apta materies & fomes ad incendendum eſt) excitatum eſſe ait; qui conſumat & deuoret cùm minores & tenuiores, tum etiam potentiores & ditiores, argumento certiſsimo diuinæ indignationis & animaduerſionis; quippe fames aliàs pauperioribus exitio eſſe tantùm ſolet; ſi verò & diuites perdat, ſingularem quandam Dei iudicis & vltoris indignationem teſtatur.* Veprem & ſpinam. *Duo nomina Hebraica ſunt, quorum alterum tenuius ſpinarum genus (qualibus texuntur ſepes) alterum verò conſtantiorem eius generis, & firmiorem naturam ſignificat: cuiuſmodi ſunt ruſtica pyra, pruna, dumi, quæ in ſepibus texendis columnarum modo firmitudinẽ præſtant. vtrumque genus in tranſlatione improbos diſparum conditionum homines indicat. Tandem verò & potentiſsimos atq; ditiſsimos etiam illius famis vi opprimendos fore explicuit: namq; fames à tenuiſsimis initio facto ad locupletiſsimos demum pertinebit: quos neque diuitiæ, neque ambitio & faſtus ab ea calamitate tutos efficient. hoc eſt quod dicitur:* & ſuccendentur in denſitate ſaltus: & conuoluetur ſuperbia fumi. *Impietatem & malitiam multorumq́ ſcelerum culpam latè per omnes hominũ conditiones diffuſam eſſe hic ipſe exitus arguit: namq; impietas ſuccenſa fore dicebatur. idq́ incendium ab humilioribus ad ampliſsimos vſque peruenturum confirmatur: & denſiſsimo fumo, qui ex maioribus lignis & arboribus efflatur, omnia eſſe confundenda: adeò vt ipſa perturbatio, & rerum omnium perſonarumq́ confuſio diuinam iram teſtetur.*

In ira Domini exercituum conturbata eſt terra.

*Hebraicè, Ira Domini incendio dicitur. Eſt enim vt ignis incenſus ira Domini. Verbum conturbari, flagrare exponimus. ignis enim ſemel incenſi vis, nulli naturæ, quæ comburi poſsit, parcit: manifeſtũ autem erit rem non*

*caſu,*

*caſu, ſed irati Dei conſilio agi, vbi nullus inferendi potiùs perſonarum & conditionum ſelectus habeatur, neque quiſquam alium reuereatur, aut obſeruet; ſed omnes ſibi mutuis damnis & iniuriis noceant. Hoc enim communem & publicam culpam arguit, & diuinum iudicium apertè teſtatur. Iam verò illa conturbatio, quænam futura ſit, expoſitione indicatur: fames enim deſcribitur grauiſsima, quæ populum inuſitata rabie in ſua potiùs viſcera inuadere cogat.*

Et erit populus quaſi eſca ignis: vir fratri ſuo non parcet. Et declinabit ad dexteram, & eſuriet: & comedet ad ſiniſtram, & non ſaturabitur: vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit. Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſen, ſimul ipſi cõtra Iudam. In omnibus his nõ eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extẽta.

SATIS *aperta ex præſenti expoſitione horum verſuum ſententia eſt; qua docemur publicè illatam inter neceſſarios iniuriam, peccati pœnam diuinitus decretam interpretari oportere. Huius autẽ famis efficientem cauſam ſecundùm naturam à Deo ſtatuendam indicauit Propheta, ignis, & incenſionis, & terræ conturbationis nominibus: quibus pluuiarũ defectus, & vehemens æſtus apertè ſignificantur; iuxta id quod S. E. Det tibi Deus imbrẽ terræ tuæ puluerẽ, & de cælo deſcendat ſuper te cinis, donec conteraris. Ideo hîc dictum eſt:* Et erit populus quaſi eſca ignis. *Nimio enim ſolis terram exurentis æſtu abſumendos, in rabioſamq́; famem agendos indicat: ita vt frater in fratrem impetum faciat, quidquid prædari poßit, direpturus. Famis autem vehementem vim deſcribit omnium locorum pererranda indignatione, & inuaſione indicata.* Et declinabit ad dexteram, & eſuriet. *Non ſatis inde ſibi iuuenis ſe putabit quo famem ſedet, & comedet ad ſiniſtram, & non ſaturabitur. Huiuſmodi in ſe, & inquietam vagationem fames animantes adire ſolet. S. S. E. Conuertentur ad dexteram & circuibunt ciuitatẽ: & famem patientur vt canes. Si verò non fuerint* " *ſaturati, & murmurabunt. Hanc autem famem eouſque miſeriæ, & inſatiabilis rebus proceſſuram ait, vt vnuſquiſq; carnem ſuam voret: quod manifeſtum ipſorum culpæ, & diuinæ iræ atque vltionis argumentum erit. S. S. E. Et comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum; adeò vt hac fame compulſi, prædandi & diripiendi cauſa Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſem fratrem ſuum adoriatur; & vterq; ſimul in Iudam fratrem inuadant. At verò neque tertia hac grauiſſima arrectione illos ad pœnitentiæ ſtudium redituros præuidit Propheta. Sicut Amos dixit: Ego prohibui vobis nubem, cùm adhuc tres menſes ſu-* Amos *pereſſent ad meſſem: & plui ſuper vnam ciuitatem; & ſuper alteram ciuita-* " *tem non plui. & peruenerunt duæ & tres ciuitates ad vnam ciuitatem,* " *vt viderent aquã, & non ſunt ſatiatæ: & non rediſtis ad me dicit Domi-* " *nus. Atq; hactenus tertia correctio eſt, cui proximo capite quarta ſubiicitur.*

## CAPVT X.

VÆ qui condunt leges iniquas: & ſcribentes, iniuſtitiam ſcripſerunt.

SCRIBAS *& iudices proprij officij violati & corrupti Iſaias Dei nomine accuſat, & ſubeundi ob culpam ſupplicij ſentẽtiam audire facit. Sunt enim duo hæc in Repub. hominum genera pro obſeruati aut proditi muneris ratione vel vtiliſsima, vel peſtilentiſsima. Scribæ, qui leges interpretentur, & deſcribant: & Iudices qui cauſas cognoſcant & iudicent: illi ex munere & officio condientes leges; ſiue, vt Hebraicè propriè ſonat, Decretores, etiam eadem ratione ſcribentes, ſiue ad verbũ magis ſcribere facientes dicuntur. Eſt enim Scribarum leges interpretari; & in pactionibus, & conuentionibus faciendis, quid aperti & plani æqui ſit ſtatuere. ab his autem ſi indoctè aut malignè & iniquè agatur, multorum malorum & litium importuniſsimarum ſemina ſpargi ſolent, quorum deinde corrigendorum auctoritas penes iudices eſt; per quos etiam vel cupiditatis, vel impietatis vitio laborantes, iura omnia & phas atq; nephas confunduntur, & perturbantur. Igitur grauem vtriuſque partis culpam & crimen atrociſsimũ arguit. In hac Prophetæ actione pronunciatum,* Væ, *& graues etiam pœnas expectandas indicat.* Væ qui condunt leges iniquas, *Hebraicè* decreta, AVEN. *Eſt autem* AVEN, *à verbo* AVAH, *quod malè cõcupiſcere plerumque ſignificat. Erunt itaq; leges in quos hoc loco notatæ, quæcunque non publicam vtilitatem, ſed ad priuata commoda vel potentiam, vel tyrannidem ſpectant. Ea enim cupiditatis decreta verè dici poſſunt.* Et ſcribentes iniuſtitiam, ſcripſerunt. *Hebraicum verbum duplicis annotationis eſt: quod verti ſimul rectè poſsit,* Et ſcribere facientes, & ſcribentes GHAMAL, Scribere fecerunt, & ſcripſerunt. *Iam verò qui ſcribere faciunt Iudices, qui ſcribunt, Scribæ ſunt. Vtriſque idem crimen iniquitatis & proditi iuris: idem etiam diripiendi populi ſtudium obiicitur.* GHAMAL *autem laborem animi & corporis importunam moleſtiam ſignificat. Cuiuſmodi negotia mali Scribæ iudicéſque afferunt. quorum mentes quales eſſe ſoleant, adnotauit Propheta.*

Vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humiliũ populi mei: vt eſſent viduæ præda eorũ, & pupillos diriperẽt.

VT *opprimerent in iudicio pauperes. Hebraicè ad inclinare faciendum à iudicio tenuem. & vim facerent cauſæ: Hebraicè, & diriperent cauſam ſiue iudicium, illud autem & affectum dicentes, hoc eſt, Dei & ſtudium vlciſcendi indicat.* humilium populi mei. *hoc autem ex cupiditate proficiſci & admitti docet apertè Deus.* Vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. *Ferè enim iniqui iudices & ſcribæ ſimpliciſsimis & conſilio atq; ope carentibus inſidiãtur: quos minore diſcrimine ac labore ſpoliare poſſent. Sed quid nos longam horum verſuum interpretationẽ contexim9:*

*teximus: quis non omnem ſententiam in noſtris moribus apertè agnoſcat? Multis omnium temporum exemplis res clara eſt: dicere vix poßis, quàm multi talia plorent. Iam olim quidam affirmabat, id verò quod ab iſtis minimè cogitatur & timetur, audire operæpretium fuerit: hoc eſt, quem demum illorum cupiditas & audacia ſit exitum habitura.*

Quid facietis in die viſitationis & calamitatis de longè venientis? ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis gloriam veſtram, ne incuruemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis?

IVDICIVM *diuinum, quamuis lento gradu aduenienb, certißimum tamen eſſe indicat oratio illa* viſitationis. *Eſt autem viſitatio diuinæ prouidentiæ argumentum, tam in ſalutē bonorum, quàm in pœnā & animaduerſionem improborum; quam ob rem alterum genus aperta expoſitione expreſſum hoc loco fuit.* Calamitatis de longè venientis. *Atque hac oratione calamitas ipſa terribilior oſtenditur: & Dei vltoris ira vehementior arguitur, & ſententia certißima atq; conſtantißime probatur. Namq; calamitas de longè adducta, auctoris conſilium certum, maturū, & diu agitatum, atq; ſtudioſè initum oſtendit. Quicumque enim non proximis, ſed remotis rebus, vel perſonis, ad rem gerendam adductis vtitur, ſatis ſibi certam & decretam atq; ſubductam rationem probat, quam niſi recta & peracta mutaturus non ſit, ſi modò id efficere poßit. Cùm autem Deus qui nihil non poteſt, de longè calamitatem afferat, adductis Aſſyriis, ſuam prouidentiam, & certam puniendi ſententiam teſtatur, & calamitatem ipſam terribiliorem oſtendit: & remotis, & minùs notis atque ideo magis formidandis hoſtibus allatam: deinde auxilij ſpem præcidit, quod cùm apud vicinos & finitimos inueniri non poßit, vtpote quos hoſtes & inimicos apertißimos iam pridem ſenſiſſe licuit. Sicut vates paulo antè dixit: Syriam ab Oriente, & Philiſtiim ab Occidente à remotis expectandū: non erat à quibus calamitas ipſa afferebatur: atque ob eam rem oratio hæc à grauißima illa voce* Væ, *inchoata ſit, & nunc etiam illa interrogatione amplificatur,* Quid facietis? *qua nihil leuius quàm ſumma anguſtia, & maxima conſilij & ſubſidij inopia ſignificatur: vel quòd conſuetudo iniuriæ cogitandæ & inferendæ. & . . . . illis ſtudiis tantùm hactenus intenta ineptior, nunc & perturbatior ſit, quàm vt præſentis mali remedia diſpicere valeat: vel quòd res ipſæ malè partæ, & dominos magis habeant ſolicitos, quemadmodum cuſtodire poßint; & hoſtes ad expoliādum magnæ prædæ certa ſpe alacriores efficiant; vel etiam quòd nullius certi externi auxilij aut præſidij ratio conſtet, hominibus Deo ingratis, & genti omni tam ſuorum, quàm finitimorum & remotißimorum quoque, penitus inuiſis. Hoc eſt quod addit,* ad cuius confugietis auxilium? *Num Dei, de quo S. E. Protector* Pſal. *meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. Num legis & verbi diuini à vobis obſeruati promißis nitemini. atqui & Deum, & Dei verbū vos iſta animi*

magni-

*magnitudine contempſiſtis, & neglexiſtis, hactenus & nouam rationem agendi magis magnificam & excelſam vobis perſuaſiſtis: vt paulo antè dictum fuerat. Et ſciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam in ſuperbia & magnitudine cordis. & per eam igitur magnitudinem qua vos pietate & modeſtia, & diuinæ tutelæ prætuleratis; num iſtis animis iſta veſtra tanta ſuperbia deponetis. hoc eſt, quòd ironicôs addidit vates.* & vbi derelinquetis gloriam veſtrã. *Eodem verbo hîc vſus eſt, quod ſuperiùs vſurpauerat, in magnitudine cordis. Vbi, inquit, deferetis illam vobis tam glorioſam cordis magnitudinem, quàm pietatis culturæ poſthabẽdam communi conſilio duxeratis. Tandem Vates tantæ ſuperbiæ, arrogantiæ, & inſaniæ, quam ex eorum verbis magnitudinem & gloriam vocauerat, exitum prædixit.* Ne incuruemini ſub vinculo; & cum interfectis cadatis. *Hebraicè ad verbum ſubobſcuriùs, ſed ad contextum ſententiæ commodiùs legimus: Niſi incuruare ſub vincto, & ſub occiſis cadent. Eſt autem argumentationis concluſio hoc modo: cùm vos ob iniuriam publicè factam veſtris populis infenſos, & vicinis inuiſos de longè veniens calamitas ex diuini iudicij viſitatione oppreſſiſſet; nec propter illam ad diuinum auxilium implorandum, & pœnitentia procurandum, confugere iſta animi magnitudine & gloria ſiuerit: illum eam profectò tantæ gloriæ euentum habere neceſſe eſt, vt vel ſeruitutis iugo collum ſubdatis; vel, ſi durior hæc fuerit conditio, iugulum hoſtium gladio detis. Hic enim exitus tantæ magnitudini, atq; animi pertinaciæ apprimè decet: ſapientiſſima & opportuniſſima irriſione illorum inſaniam, quam animi magnitudinem ex vulgi opinione vocauerat, Propheta redarguit, & turpiſſimum, & conſiliis contrario exitu indicato. Namque eo, qui Deo ſeſe ſubdere nolebant, hoſtibus vel manus in ſeruitutem; vel corpus in necem daturos affirmat: egregiam verò laudem & gloriam.* Sub vinculo, *vel*, ſub vincto. *Sub, ſæpiſſimè in Hebraico ſermone, quod pro, apud Latinos eſt. vt, Dedit mihi Dominus ſemen alterum ſub Abel. & vbi Latinè legimus Oculum pro oculo, Hebraicè eſt, Oculum ſub oculo. Significat igitur hæc oratio eos vel vinctorum, vel occiſorum locum ſubituros: hoc eſt, pro ſeruis aut occiſis numerãdos. itaque, ſub, conditionem aliquam certam ſignificat, vt apud Latinos, etiam. &, Præbere caput domina venale ſub haſta. Neque verò hæc de extrema Samariæ & Iſraëlitarum clade prædicta ſunt, ſed de primis illis per Aſſyrios grandibus bellis, in quibus magna regionum iſtarũ pars incolis partim occiſis, partim captis, vaſtata fuit: in qua clade numerantur inſignes vrbes, & Abel, & Bethmagacæa, & Ionoab, & Hatades, & Hobaſia, & Gilgath, & Gallilea, & omnis terra Nephtali. Hoc autem accidit in diebus Phacee Regis Iſraël. Hanc verò nondum extremam cladem, ſed animaduerſionẽ fore; neque tamen àb Iſraëlitis, qui ſupereſſent, rectè & ſapienter excipiendã, ſubiuncta oratione Iſaias docet:* Super omnibus his non eſt auerſus furor eius: ſed adhuc manus eius extenta.

*Manifeste oſtendit Vates, hanc quartam calamitatem non perdendi, ſed animaduertendi cauſa illi fore afferendam: ſed quia mens pertinax & contumax, adhuc permanſura, nullam cogitationẽ ſuſcepit redeundi ad percutientem ſe ob eam rem: neque Dei quoque furor auerſus, ſed adhuc manus eius extenta eſt. Hæc autem eſt eadem quæ ab Amoſo quarto etiam loco prædicta eſt correptio. Subuerti in vobis, ſicut ſubuertit Deus* «
*Sodomam & Gomorrham: & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio, &* «
*non rediſtis ad me, dicit Dominus. Non enim illam extremam cladem, ſed* «
*hanc calamitatẽ Amos indicauit, cùm dicit: Subuerti in vobis (ita ad verbum Hebraicè legimus) ſicut ſubuertit Dominus Sodomã & Gomorrham, quibus aliquam loci & hominum partem ſuperſtitem vti precibus reliquit, nempe Segor; ſic etiam Samariam ex illa Theglatæ Peloſſeris vaſtatione facta eſt quaſi torris ereptus ab incendio, quæ cùm non rediret ad Dominum percutientem ſe, extremã tandem cladem Dei iudicis decreto accepit, quam proximò ſequentibus carminibus Iſaias prædicit.*

Væ Aſſur virga furoris mei; & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea.

*Minatur Iſraëli extremam calamitatem, eamq́ per Aſſyrios afferendam ſignificat: quorum potentiam & opes non caſu, ſed diuino conſilio auctas indicat: idq́ ad populos caſtigandos, quos ideo auxilio deſtitutos, debiliores redditos exiſtimari oportuerit. Neque enim tanta res aduerſus tantum populum, & tantæ olim felicitatis nominibus florentem, ſuſcipi, ſine diuino inſtinctu augeri, & confici ſine Dei auctoritate potuit. Ipſa itaque rerum & perſonarum animaduerſio & comparatio diuinam auctoritatem, prouidentiam, & ſententiam probare potuit apertiſsimè. Væ, minantis vox eſt, ſpectat autem Iſraëlitas, cui minarum ratio expoſitione adiungitur: Væ Iſraëli & Samariæ, namque Aſſur comparatur, vt ſit virga furoris mei; qui non ſua virtute, ſed meo inſtinctu & conſilio rem conficiet: neque enim illius manus niſi indignationis meæ efficacitate adhibita, tantam habere vim poſſet. Baculum & virgam caſtigationis inſtrumenta & ſigna eſſe in ſacro ſermone docuimus. vt, Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Sed virga furoris, & baculus indignationis grauiſsimam caſtigationem ſignificat: grauiùs enim & vehementiùs fecit, qui iratus percutit. Itaq; res ab Aſſyriis geſtas, ad diuinam auctoritatem referendas eſſe cõfirmat: tum ex eorum ſucceſsibus, omne commune exemplum ſuperantibus: tum etiam ex conſideratione eorũ, in quos impetus factus ſit: aliàs enim fuiſſe gẽtem hanc inuictam, dum ſe Dei verbo regi & gubernari pateretur; nunc verò manifeſtæ impietatis, & violatæ religionis, & admiſſorum vitiorum notis inſignem ſic meritò puniri: ergo, ſi rectè animaduerſum fuerit, & exiſtimatum, quinam, à quibus inuaſi fuerint, ex vtraque parte iudicium diuinum agnoſcetur.*

Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei

 manda-

mandabo illi vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quaſi lutum platearum.

VNIVERSVM *populum à maximis ad minimos Deo inuiſum, & pœnis obnoxium pactione ſignificauit: gentem enim fallacem Seniores & Prophetas dixit: mendacij & vanæ doctrinæ auctores & magiſtros: reliquum vulgus, populum furoris diuini appellauit actiua ſignificatione, hoc eſt, populum qui Deo iram incitauerit: deinde mandatum Aſſyriis datum exponit:* Vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quaſi lutum platearum. *Direptionem & vaſtationem integram Iſraëlis hac circuitione ſignificauit: atq; extremam illam Samariæ deſolationem, ciuiumq; abductionem, quæ nulla hominum & rerum habita ratione per Aſſyrios tandem facta fuit. Hæc prædictio planè cum illa conuenit, quam Amos poſt quatuor animaduerſionum expoſitionem, addidit:*
» *Quapropter hæc faciam tibi Iſraël: poſtquam autem hæc fecero tibi, præpa-*
» *rare in occurſum Dei tui Iſraël. Quibus verbis illos Dei auctoritate & decreto partim perditum, partim captum iri indicauit: ideoq; extremam illam migrationem, vt calamitatum omnium miſerrimam, elegia decantãda*
» *proſecutus eſt: Cecidit, & non adiiciet vt reſurgat virgo Iſraël, &c. Atq; ita planè eadem tum quatuor animaduerſionum, tum extremæ captiuitatis ratio ab Iſaia fuit hoc in loco expoſita. Eodem fere orationum genere, iiſdem figuris, & tandem miſerrima hæc vltima clades Elegiaco carmine deplorata eſt: Væ Aſſur virga furoris mei, &c. Ideoq; vt nec Amos quinto loco addidit: Non rediiſtis ad me, dicit Dominus. ſic Iſaias quoque huic extremæ prædictioni non ſubiunxit, vt in aliis:* In omnibus his non eſt auerſus furor eius. *Atq; hactenus Iſraëlitarum ſuperbiæ exitum Iſaias expoſuerat; & quemadmodum quibuſque argumentis rem omnem ad diuinam prouidentiam & auctoritatem referre oporteret, docuerat: nunc verò iam deinceps oſtendit quemadmodum huiuſmodi geſtarum euentus rerum Aſſyriorum imperatori pro prudentia & religione, atq; ſupplicatione; & diuinæ virtutis agnitione arrogantiam inſolentiamq; effecturus erat; atq; hac ratione Propheta humanæ proſperitatis pericula apertè indicat.*

Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius ita exiſtimabit: ſed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. RATIONES *rerum & perſonarum ſapienter collatas & comparatas plurimum lucis afferre ad cauſas conſiliaq; rerum ge-*
» *ſtarum cognoſcenda, Iſaias Dei ſermone inaucto oſtendet. Aſſur virga*
» *furoris mei, baculus ipſe eſt: in manu eorum indignatio mea, ad ſcientẽ fal-*
» *lacem mittam eum, &c. Verùm enimuerò hominum ſtultitia euenire plerumque ſolet, vt quæ rectè ſubductis rationibus ad veram cauſam, ſcilicet, Dei prouidentiam & conſilium referri oportuerat, arreptis perperam argumentis, ad vanam quandam propriæ virtutis & felicitatis cogitationem referantur: id quod Aſſyriorum imperatori vſu venturum Iſaias prædicit.*

Quā

*Qui geſtarum à ſe rerum, & laudem atq; ſpectationem non Deo auctori,
ſed virtuti propriæ, atq; à ſe ſuo genio acceptam referret, ipſe, inquit, ſua-
rum rerum & victoriarum rationem non ex his nominibus deducet, vide-
licet, ſe virgam furoris mei eſſe, indignationisq́; meæ vim, in manibus ſuis
permiſſam exercere: nec populi Samaritani, & Iſraëlitici mores & vitia;
atq; eam qua aduerſus Deum ſuum flagrauerint, impietatem conſiderabit:
quam vel ex hoc ipſo facile fuerit arguere, quòd quater antea eadem gens
calamitatibus ferè cõtinuis affecta, populus furoris mei meritò dici debuit:
neque exiſtimare ſibi tantum virtutis, vt gentem, tam diu olim felicem &
inuictam, populum tantum niſi diuini iudicij permiſſu atq; auctoritate la-
befactari & conuelli facile eſſet. Nihilominus tamen ille ab huiuſmodi co-
gitatione alienus à Deo fuerit, vt tantam rem, facultatem rerum nulli mi-
nùs quàm Deo, nulli magis quàm ſibi tribuerit. &, Cor eius non ita exiſti-
mabit. Cor, pro cogitationis humanæ officina, ſed inſipientum plerumque
vſurpatur. Ex quo illud ſæpè dicitur: Et cogitationes aſcenderunt in cor* “
*tuum. &, Cogitatio humani cordis intenta eſt ad malũ. Cor etiam magni-* “
*tudinem animi, quam vocant, ſiue potiùs arrogantiam & ambitionem ſu-
perbiamq́; ſignificat, vt cùm regi præcipitur: Nec eleuabitur cor eius ſuper* “
*fratres ſuos. Vtraque ſignificatio ad huius loci expoſitionem tenẽda eſt. Ait
etenim Propheta: Aſſyrij regis cor non exiſtimauit eam eſſe Iſraëlitas vin-
cendi & abducendi facultatem ſibi à Deo conceſſam, ſed cordi, hoc eſt, ma-
gnanimitati ſuæ tribuendam: vtpote cuius animus ad conterendum & per-
dendum gentes, atq; ad omne totius orbis imperium ferro & armis capien-
dum ſit natura informatus & effectus; atq; ex propria fortuna id obtineat,
vt gentes non paucas excidere, & perdere, aut conuellere, & transferre
poßit. Quod cùm ita ſit, gloriari nõ debebat ſibi plurimarũ gentium victori
vnà etiam inter cæteras gentes Iſraëliticã fuiſſe victam & abductã: atque
ad hanc arrogantiam ratione & argumentatione conſeruandam aliis argu-
mentis vſurum eſſe illum Propheta ait, & comparationes facturũ non à ſu-
perioribus ad inferiores, ſed ab inferioribus ad ſuperiores colligentem. Hoc
modo propria mihi & quaſi agnata eſt animi magnitudo ad multas gen-
tes vincendas & expoliandas, atque ſub iugum mittendas, in gentibus au-
tem Iſraëlitica connumeratur, & Iudæa etiam. Igitur ex eadem virtute
efficitur, vt ego Iſraelitas & Samariam perdiderim, & Iudæam & Ieru-
ſalem perditurus ſim. argumentum autem inductione probatur: quòd mul-
tas vrbes & nationes ante Samariam ſuperauerim, & labefactauerim;
non minùs populos frequentes potentia & vrbibus, illuſtréſque Sama-
riam & Iſraelem; quos nec Regum ſuorum conſilia & opes, nec propria
bellorum virtus, & tentata prœliis & pugnis defenſio; nec bella, munitio,
aut vis communis reipublicæ liberare potuerunt. Hanc Aſſyriorum argu-
mentationem Propheta ſic retulit:*

Dicet enim, Numquid non principes mei ſimul Reges ſunt?

Numquid non vt Charcamis, ſic Calano: & vt Arphad, ſic Emath? numquid non vt Damaſcus, ſic Samaria?

*PERINDE inquit, atq; mihi proprium eſſe omnium regnorum & prouinciarum clauum tenere principes & miniſtri mei probant, qui omnes reges ſunt, & Charcamis & Caleno, Arphad & Emath celeberrimæ & opulentiſsimæ regiones; ſic Iſraëliticarum regionem illam regiam, Samariam mihi debitam fuiſſe, Damaſcus Syriæ quoque regia oſtendit; & hæc etiam Samaria Ieroſolymam mihi deberi indicat: nam ſi gentem, & regionem ſpectemus, nullo vel potentiæ, vel opum nomine illæ his cedunt; ſin verò diuinæ alicuius tutelæ præſidium cogitemus; nihil aduerſus virtutis & cordis mei fatũ maius efficere poßit Ieroſolymitanorũ Deus, quàm illi qui apud victas iam commemoratas à me gentes colebantur, effecerint. Quorum omnium ſimul aras vnà cum ipſis cultoribus cùm ego ceperim, & demolitus aliò traduxerim: Ieroſolymitanorũ quoque ſacra à me ſuperanda, euertendaq; fore confirmo: quibus Iſraelitarum & Samaritanorum ſacra iam à me exciſa, & labefactata, valde affinia fuiſſe, vel nomen ipſum, & genus vtrique populo commune indicat.*

Quomodo inuenit manus mea regna idoli, ſic & ſimulacra eorum de Ieruſalem & de Samaria. Nũquid non ſicut feci Samariæ & idolis eius, ſic faciam Ieruſalem, & ſimulacris eius?

*EST etiam hæc argumentatio à contentione, facileq; exponitur, vna tantùm orationis explicata particula, DE, quam ex Hebræo MIN, verti conſtat. Cuius autem vocis vnum officium eſt comparationibus ſeruire. vt, Iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis. &, Deſcendit hic in domum ſuam iuſtificatus ab illo: id eſt, præ illo. Eſtq; huius argumentationis illa ſententia: Vt, inquit, manus mea inuenit, &c. vt, Facile mihi fuit ſuperare tot regna cultis Diis plena, ipſaq; Deorum ſimulacra, pluráque in Ieruſalem demoliri & abducere: ſic facile quoque fuit Samaritana ſimulacra auferre: quæ & pauciora numero, & virtute non maiora aliis fuiſſe videntur. Igitur & idem mihi apud Ieroſolymitanorum Deos eueniet; quod apud Samaritas contigit; quando eadem videntur vtrique populo numina eſſe. Hoc modo humana ſtultitia, vbi à vera ſapientia abalienata eſt, atque ad hanc rationem gerendas res dirigere, aut geſtas interpretari, & adminiſtrare ſolet. Huic autem errori anſa datur, cùm iudicium non à cauſis, ſed ab inuentis inchoatur. Verùm enimuerò eiuſmodi argumentationum ſtultitia extremo exitu expectato redarguenda eſt: nam cùm hominibus omnia ex euentis iudicari ſoleant; efficit ſemper Deus, vt notabili aliquo aduerſoq; exitu, & iudicia ipſa, & cœpta factaq; omnia ſtulta atque improba fuiſſe deprehendantur, verumq; conſilium tandem agnoſcatur, & cauſa ipſa quamobrem illa euenerant, inueniatur; diuina voluntas eſſe id, quod hoc loco Propheta noſter indicabit.*

Et erit, cùm impleuerit Dominus cuncta opera ſua in mõte Sion

& in

& in Ieruſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum eius.

E A *ipſa re quam Aſſyriorum rex per ſummam ſtultitiam & arrogantiam ſibi promiſerat, redarguendus, & euertendus eſſe dicitur: nam cùm compleuerit Dominus cuncta opera ſua quæ aduerſus Iſraelitas improbos, & Samariam, & per hunc miniſtrum edenda decreuerat, tunc vbi ad Ieroſolymam, & montem Sion expugnandum, non ex diuino conſilio, ſed ex proprietate merita, aſpirantis regis Aſſur conatus infringentur. Namq; vt Iſaias ex Dei perſona ait*: In Ieruſalem & in monte Sion viſitabo ſuper fructum magnifici cordis regis Aſſur. *Namq; inuadenti in Ieroſolymam & Senacherib, atq; Dei auctoritatem & ſanctitatem contemnenti exercitu magna clades diuinitus eſt, ipſiq; deinde in patriam reuerſo, regi à propriis filiis allata eſt.* viſitare *autem idem in loco eſſe, quòd viciſti, iam aliàs docuimus.* Fructum *verò* magnifici cordis regis Aſſur. *Dicuntur cogitationes ſuperbæ & ambitioſæ de Ieroſolyma expugnanda: namque alia omnia vt diuino conſilio decreta, ſic ab illo ſolemniter geſta erant. hoc verò quod non diuino cõſilio, ſed propria illius temeritate cõſtabat,* Fructus cordis magnifici, *hoc eſt, ambitioſa ipſius cogitatio rectè dicitur, &* gloria altitudinis oculorum, *ſupercilium ſignificat, quo ille cuncta humana diuinaq; deſpiciens, contemnebat: totiuſq; orbis imperium ſibi etiam præter Dei voluntatem & conſilium deberi iactabat.*

Dixit enim, In fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi: & abſtuli terminos populorum, & principes eorũ deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes.

D V A S *res in bello gerendis rebus apprimè idoneas, & maximè neceſſarias eſſe, communiter ab omnibus eſt definitum: ſicut in quo conſilio, vel fortitudine rebellare diſponis. Id autem verum eſt, dummodò rectè intelligatur, vnde vtriuſque rei facultas petenda ſit: propriè enim & certiſſimè à Deo peti debet, & cùm contigerit, Deo auctori accepta referri: contrà quàm Aſſyrius hic faciebat, qui & fortitudinis & conſilij copiã & facultatẽ ſibi vni arrogaret:* In fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi. *Hebraicè ſic diſtinguitur,* Et in ſapientia mea quid intellexi. *Verbum Hebraicum Intellexi, prudentiam propriè ſonat. Quia inquit, corde ſapienti & prudenti fui à Deo, & omnia gentium conſilia & præuenire, & impedire; deinde etiam vires & impetum frangere potuerim: atque hæc res imperium mihi dilatauit, regnorum omnium remotis, & ad meam ditionem ampliatis terminis, necnon & principibus ipſis expoliatis, & dignitate abdicatis. Præterea ærariis omnibus, & theſauris abductis: ita vt neque repugnandi facultas, neque reſtituendi ſupereſſet ſpes. Hanc adeò victos ſpoliandi, leges & iura mutandi, terminos confundendi, captos in colonias mittendi, rationem ſatis idoneam opportunamq; eſſe ad imperium tum amplificandum, tum confirmandum, humana indicat pru-*

*dentia; atque huius felicitatis fundamenta ſibi iacit :* Quia intellexi, *inquit, quia prudenter me geßi in populis, quos fortiter viceram, diripiendis, terminis reuellendis & mutandis, principibus expoliandis, & magiſtratibus abdicandis & mutandis. Huiuſmodi enim prudentiæ & fortitudinis exempla mihi rerum geſtarum initio credita, & magnum nomen apud omnes gentes peperere, & viam facilem ad omnes nationes in ditionem meam redigendas muniuere; aliis reſiſtere non valentibus, aliis vltrò ſibi conſulendo credentibus, & meis parentibus, ita vt nihil mihi non natum eſſe facilè euētus ipſi probare poßint; vbi nos legimus :* Principes eorum deprædatus ſum. *Hebraicè eſt oratio, & id ſignificās, quod noſter interpres vertit; & illud etiam quod nos aduertimus.* Et futura eorum perdidi. *Significat autem non modò principes exſpoliatos, ſed omnia quæ gentibus vel ad conſeruandam rem, vel ad reſtituendam opportuna, vtilia, vel aliàs comparata eſſent, ab Aſſyrio rege fuiſſe ſublata. In hoc genere futurorum ſunt etiam auguria, auſpicia, & cætera diuinationum genera, quibus fidere gētes conſueuere. Huius autem promiſſæ ſibi, & arrogatæ felicitatis, & rerū omniū dominationis ac direptionis ſuperbißimā ſimilitudinē Aſſyrius affert.*

Et inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum : & ſicut colliguntur oua quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui : & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret.

TOTIVS *orbis terræ diuitias, opes, & potentiam vni ſibi ceßiſſe, atq; nullo vindice direpta fuiſſe ait: nō aliter quàm nidus ouorum plenus, ab aue paſtorem accedentem fugiente deſertus, copiam ſui diripiendi, nullo impedimento facit. Solent autem aliquando & aues ex doloris impotentia, vel diripienti in oculos aduolare, vel manum ala percutere, vel vehemēter voce obſtrepere, quod ſi non impediant, tamen moleſtiam aliquando exhibent: quæ verò nimio metu perterritæ ſunt, nihil horum conatæ aufugientes, nidos direptori nullo negotio deſerunt. Huiuſmodi autem metum, & animi conſternationem ſua prudentia & fortitudine gentibus omnibus iniectam, Aſſyrius iactabat : ita vt non modò repugnantium bello, ſed neque*
Pſal. 113. *reclamantium verbo impeditus vſquam fuerit ab iis qui rerum à ſe geſta-*
" *rum exemplis præteritis perterriti. Hanc ſtultam & inſanam Aſſyrij arrogantiam Iſaias argumento ſapientißimo redarguit : oſtendens efficacitatem orbis debellandi, non humanæ virtuti aut prudentiæ, ſed diuinæ voluntati & permißioni eſſe tribuendam.*

Numquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur? quomodo ſi eleuetur virga contra leuantē ſe, & exaltetur baculus qui vtiq; lignū eſt.

STVLTAM *Aſſyrij regis argumentationem argumento ex contentione Propheta euertit, oſtenditq; nihil magnum, aut admirandum ab homine, quamuis virtute & prudentia maximo, ſiue diuino conſilio & inſtinctu*

*poſſe*

poſſe præſtari; nedũ à vili, & vulgari hominis ingenio egregij aliquid præſtetur: nam quamquam cæteri homines, & gentes omnes inferioris & infirmioris naturæ, vt lignum, Aſſyrius autem Rex durioris & firmioris, vt ferrum eſſet: tamen ferrum in lignum nihil efficere poteſt, niſi arte paratum, acutumq́; ſit. Quamobrem terram vel in ſecuris formam acui, vel in ferri ſpeciẽ componi neceſſe eſt: nihilominus tamen niſi faber aliquis adſit, nec ſic acutum & comparatum ferrum efficere per ſe quicquã valet, quando nec ſpiritum, nec animam, nec vllam ſui exercendi facultatem, inſtrumenta ipſa, ſemoto artifice, ſortita ſunt. Quibus ex rebus colligitur, opus ipſum quodcumque ferreis inſtrumentis fit, non ad ferrum, non ad inſtrumentorum vim & formam; ſed ad artificem eſſe referendum: qui, quamquam inſtrumentis vtatur, omnem tamen artificij & operis auctoritatem iure obtinet. Iam igitur ſi cæteri omnes lignum eſſent, Aſſyrius autem Rex non ſolùm ferreus, verùm prudentia & virtute ad maximas res agendas, ad ſecandum, diuidendum, dolandum, effingendumq́; conformatus; tamen opus omne in terris editum, non ſibi, virtutiq́; ſuæ, ſed motoris, hoc eſt, Dei conſilio, auctoritati, & virtuti acceptum referre debuit: nedum ſi nihil ille egregium, vel ingenij, vel conſilij, vel roboris præ aliis habuerit, vt qui homo eiuſdem cum cæteris naturæ ſit, non vnus omnium aut fortiſsimus, aut prudentiſsimus; id quod res ipſæ geſtæ declarãt. Quidquid enim hactenus fecerat, barbarum & omni ingenio carens fuit, vt occidere, diripere, mutare terminos, traducere gẽtes, expoliare, diruere, vaſtare: hæc enim non ingenium eius per quẽ fiunt, ſed iram Dei erga eos qui patiuntur, arguunt. Namq; omnia opera hæc non ferri, non ſecuris dolantis, ſed percutientis baculi, & virgæ ferientis à numine irato motæ & exercitatæ dicenda ſunt. Itaq; ſtulta eſſet gloriatio ſerræ & ſecuris aduerſum artificem, nedum baculi & virgæ aduerſus mouentem ſe, iactatio fuerit ſtultiſsima: non igitur ſerræ, aut ſecuris in ligna, ſed ligni in ligna, atque à Deo baculi & virgæ vim ſibi attribuere debet Aſſyrius: quæ, niſi à Deo percutiente adhibita eſſet, neque maiori quàm cætera ligna dignitate, nec ſolidiori virtute eſſet. facile enim eſt ei qui arborum fructus excutere, vel folia & frondes deijcere velit, quocunque ligno vel baculo ad eam rem vti. Atq; hoc loco latens allegoria à Vate eſt vſurpata, qua diuinum erga gentes conſilium indicatum eſt. Etenim homines & gentes omnes ex frequẽtiſsima ſacri ſermonis trãſlatione arborum inſtar haberi dicuntur, quas cùm luxuriantes compeſcere Deus voluerit: virga & baculo vſus, percutere, & fructibus, floribus, ac frondibus aliquantum expoliare decreuit. Huiuſmodi enim Dei conſilium in gentibus caſtigandis eſſe ſolet; non perdẽdi, ſed corripiendi, & compeſcendi; idque baculo & virga, non ferro: quòd ſi baculus & virga, ſerræ & ſecuris vim & officium ſibi arrogent, & pro caſtigatione & animaduerſione exciſioni & vaſtationi inſeruiant, crudelitatíque immaniſsimæ ſtudeant, officij ſui præuaricatione ſcelera grauiſsima

*expient neceſſe eſt ex vltoris & iudicis Dei ſententia & decreto.*

Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum, in pinguibus eius tenuitatem: & ſubtus gloriam eius ſuccenſa ardebit, quaſi combuſtio ignis.

ASSYRII *regis ſuperbiam & arrogantiam grauiſſimo exemplo, & ſtragis in eiuſdem exercitu addendæ depreſſurum eſſe Deum, Iſaias docet probaturum mundo, ſe eſſe hominũ omnium Dominum & imperatorem, nulliq́ alij eam laudem eſſe vſurpandam. Atque orationem ipſam quòd Chaldæus Paraphraſtes rectè explicuerit eiuſdem interpretatione Latinè reddita exponere placet. Eo quòd magnificauit ſe ipſum rex Aſſur, propterea mittet Dominus mundi, Dominus exercituum in magnates eius percuſſionem, & ſub vaſis gloriæ ipſorum comburendo comburetur: vt combuſtione ignis, cognomentum Domini exercituum in vltionis & potẽtiæ, caſtigationiſque rationibus appellari ſolere, iam ſæpiùs docuimus. Cætera aperta ſunt: Chaldaico, pingues, idem quòd principes, & magnates ex tranſlatione ſignificare. vt, & occidit pingues eorum. Perſtat autem Propheta in ſumpta arborum & lignorum tranſlatione, in qua pinguiſſimæ arbores potentiſſimorum hominum ſignificationem obtinẽt, quæ ex arbore, & reſina, & oleoſo ſucco pleniores, commodiùs ab igne, atq́ à viduis exuruntur. Significauit autem hoc loco Vates admirabile illud incendiũ, quo Deus in Aſſyriorum exercitu puniendo vſus eſt: cuius rationem in libris Regum, ipſius beneficio exponendis, explicabimus. Atque à Deo huiuſmodi exemplo diuino omniũ hominũ poteſtatem probatũ iri Propheta ſignificat: nimirum erga improbos & impios ad vltionem & pœnã; erga bonos verò, atq́ pios ad ſalutem, vitam, & felicitatem: vt ignis natura aliis lumen, aliis aduſtionem, & interitum affert pro alia aliorum affectione.*

Et erit lumen Iſraël in igne, & Sanctus eius in flamma: & ſuccendetur, & deuorabitur ſpina eius, & vepres in die vna.

IDEM, *inquit Deus, qui Iſraeli pio, & fideli populo lumen eſt, ignis adurens Aſſyriis erit: & qui Sanctum, atq́ à vulgari & vana deorum & numinum ratione longè ſemotum, ſeſe iam Iſraele liberando ſæpè probauerat, vt S. E. In exitu Iſrael de Ægypto, Domus Iacob de populo barbaro: facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius, &c. Idem ipſe flammæ vim & efficacitatem in hoſtes, nominisq́ ſui contemptores, exhibebit.* Vepres & ſpina in die vna. *Quoniam Iſraëlitas & Ieroſolymitanos vexauerant, vepres & ſpinæ ab Iſaia dicti ſunt: quibus in illa à Deo inflicta plaga, principes quoque, & magnates adiunctos fuiſſe legimus, vt ſtatim Propheta indicat.*

Pſal. 113.

Et gloria ſaltus eius, & carmeli eius ab anima vſque ad carnem conſumetur, & erit terrore profugus.

PRINCIPES *& potentes gloria ſaltus & carmeli dicuntur eadem tranſlatione, qua reliquus exercitus vepres, & ſpinæ dictus eſt: atq́ tranſlatione*

*latione interpretationem ipſemet indicauit, dicens* : Ab anima vſque ad carnem conſumetur. *Tunc ex antiquis qui Senacherib exercitum vna nocte occiſum, igni abſumptum fuiſſe traderent, veſtibus tamen omnino illæſis, idq́ ex hoc loco definirent*: Et ſubtus gloriam eius ſuccenſa ardebit. *Gloria, interpreti veſtes, quibus homini decor additur. Fuere etiam qui animam tantùm igni (hoc eſt, ſpiritus animales, in quibus vitæ ſedes eſt) abſumptam dicerent, quòd ſcriptum ſit: Cumq́ diluculo ſurrexiſſet,* " *vidit omnia corpora mortuorum. Hebraicum nomen* ZEGARIM, *inania* " *corpora ſignificat. Sunt etiam qui vtramque partem, animam & corporis igni incenſam interpretentur ex hoc loco*: Ab anima vſque ad carnem conſumetur. *Nos verò has omnes ſententias aperta Scriptura confirmatas & recipimus, & ſimul certas miraculi ratione indicata interpretabimur. Incendium illud ab anima inchoatum, interiora membra omnia, vt cor, epar, viſcera, & præcordia; hisq́ proximam carnem corripuit, hominibusq́ extinctis, reſtinctũ eſt; exteriori corporis manente forma: quamobrem ſcriptum eſt: Vicit omnia* PEGARIM, *quod eam corporis formam ſignificat, quæ conſpici exteriùs poteſt: cæterùm interiora, quæ videri non poſſunt, & ſpiritus ipſe quibus vita alitur, nefando conſumpta fuere*, ab anima vſque ad carnem. *Non dicit, & animam, & carnem; ſed initio ab anima facto, ad carnem vſque pertinebit incendium: ſic & animam incendio reſolutam, & corpus ipſum, hoc eſt, carnis partem correptam intelligimus; atq́ corporis exteriorem formam, hoc eſt,* PEGER, *fuiſſe relictum. Animam autem hîc vitam, & vitæ ſpiritũ definimus; quæ apud Hebræos* NEPHES *dicitur: namque immortalem illam animæ vim ignis à corpore ſoluere potuit, conſumere non potuit. Ignem autem hunc, immundũ quendam, & peſtilentem calorem interpretamur, illis circa præcordia incuſſum, quo vitalis ſpiritus, & præcipua corporis vitæq́ miniſtra membra correpta, exuſtaq́ fuerint. Quod verò ab Iſaia additum eſt*, Et erit terrore profugus, *ad incendij modum deſcribendum pertinet: ſignificat enim interiora membra viresq́ omnes ſubitò abſumpta fore, & euaneſcentiũ rerum modo profugitura. Hebraicè enim ad verbum eſt*: Sicut euaneſcentia profugiẽs. *Itaq́ illum terrorem Latinũ paßiuè exponimus. Erit, inquam, illorum corporis terror quidam profugiens, & vita ſua ablata diſcedens, inania ſolùm cadauera relinquens. Maximam autem Aſſyrij exercitus partem hac diuina vltione afficiendam, minimamq́ ad iudicij diuini exemplum & argumentum euaſuram eſſe Vates confirmat.*

Et reliquiæ ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur, & puer ſcribet eos.

NVMERI *nomen raritatem & paucitatem ſignificat, quæ vno proſpectu numerari poßit, id quod in magna aliqua turba non contingit. Atq́ hæc phraſis familiaris Hebræis eſt, numerũ pro raritate dicendi. ſic Iacob, Nos, inquit, viri numeri ſumus. ibi Latinus vertit, Nos pauci ſumus: atque hoc*

*loco Hebraicè eſt,* numerus erunt. *Tantam autem raritatem ſuperfore vates ait, vt non ſolùm oculis comprehendi numero, verùm nominibus à puero ſcribere diſcente, citra laßitudinem ſcribere contingat. Oportet autem centum octoginta millibus illa nocte occiſis, rarißimos fuiſſe reliquos. Atque harum rerum omnium euentum certum, conſilio afferendum, Iſaias prædicens, addidit:*

Et erit in die illa: non adiiciet reſiduum Iſraël, & hi qui fugerint de domo Iacob, inniti ſuper eo qui percutit eos: ſed innitetur ſuper Dominum ſanctum Iſraël in veritate.

Ex *grauißimis illis in Iſraëlitas animaduerſionibus & caſtigationibus, ex Ieroſolymitarũ, Aſſyriis occiſis, liberatione & ſalute, rectè diuinarum atque humanarum rerum æſtimationem in iis, eorum qui reliqui fuerint, animis futurã eſſe Propheta confirmat; quibus antiqua ſtudia & conſilia damnantibus vera & concilij petendi, & ſperandi via inedia erit. Namq; hactenus Iudæi & Iſraëlitæ alij rerum ſuarum ſalutem & felicitatem vel in magnificentia cordis, vel in humano præſidio collocauerant: id verò quàm mendoſè fecerint, exitus ipſe oſtendit. Quando nihil Iſraëlitis decem tribubus illa ſuperbia, niſi frequentes calamitates, & extremam vaſtationem attulerit; Ieroſolymitanis verò petitum, auctore Achaz, ab Aſſyriis auxilium, & impenſi auri atq; argenti copiam primum, & deinde laborem, dolorem atq; periculum attulit; nõnullam ſimulatam & fictam tutelam aduerſus Raſin primùm, deinde verò repentinam inimicitiam, & inopinatam fraudem, atq; mali machinationem expertis, perinde atq; iis accidit, qui ſpinoſo, vel vitioſo baculo innitũtur; quibus, quãuis aliquid adiumẽti afferatur quo minùs præſenti periculo corruendũ non ſit; plus tamen detrimenti manibus læſis & corruptis, allatũ tandem fuiſſe deprehẽditur.* Sed innitentur ſuper Dominum ſanctum Iſraël. *Nomina ipſa & veram auxilij petendi rationem indicat* Dominum. *Aliàs Dei nomen eſſe docuimus, cuius interpretatio ad ablatam vltrò & certam, atq; opportunè præſtandam miſericordiam pertinet.* Sanctus *verò* Iſraelis, *idem dictus eſt, quod ex omni Deorum & numinum, atq; adeò principum, & cæterorum hominum nominibus vnus hic ſit Deus; quem Iſraëlitæ omni exemplo ſibi ſalutarem, & beneficentißimũ fuerint experti, atq; adeò ſolum verum Deum, ſibiq; propitium, optimum & maximũ agnoſcere debuerint,* in veritate. *Verè, inquam, huic omnes ſupplicantes, innitentur.* Reſiduos Iſrael *vocat Iudæos, qui ex Iſraëlis florenti & illuſtri cõditione & nomine reliqui eſſent: eos verò qui ex decẽ tribubus, & Samariæ vaſtatione euaſiſſent, hac deſcriptione indicauit:* Qui fugerint de domo Iacob, *namq; decem tribus, vbi in illam vaſtationis & abductionis miſeriam incidêre; gloria nomine Iſraëlis illuſtrata amiſſa, vix humile Iacob nomen tuentur. Atque ita illa improborum caſtigationem & pœnam, exemplũ, & eruditioni melioribus & ſimplicioribus ad ſuam ſalutem fore Propheta oſtendit: id quod*

in

*in diuino de caſtigandis hominibus conſilio perpetuum eſt: vt improbiſſimis mulctatis, ij qui ſaniore ſunt mente, ſibi conſulentes, diuinam miſericordiam agnoſcant; agnitam, implorent; imploratamq́, experiantur. Hanc enim rationem perpetuò ſecutus Deus Iudæorum gentem, quamuis ſæpè caſtigatam, ad promiſſi vſque Euangelij oportunitatem conſeruauit. Ita à noſtro Propheta paulo pòſt oſtendetur.*

Reliquiæ conuertentur, reliquiæ, inquã, Iacob ad Deum fortem.

D E I *miſericordiam & veritatem ſi maxima hominum pars negligat, ſibi ipſi auertit, Deo verò nihil ſubducitur. qui cùm præſtare omnibus cupiat benignè; tamen multis ob propriam culpam reiectis, reliquis abundè præſtitum probat, & confirmat. Iis, inquam, qui diuinas conditiones fidei & obedientiæ non reſpuerint, his enim quod promiſſum fuerat, abundantiſſimo exemplo & argumento exhibitum, ad Dei laudem & gloriam confirmatur; cæteris verò quod non præſtitum idem fuerit, ſoli ipſorũ culpæ aſcribitur, hunc locum Chaldæus Paraphraſtes optimè eſt interpretatus.* Reliquiæ, *qui non peccauerint, & qui conuerſi ſunt à peccato*, Reliquiæ domus Iacob, *redibit ad cultum Dei fortis: Fortem appellat eum qui ſeruare ſolus poteſt. Eſt enim Hebraicum nomen* CRIBOR, *pro quo interpres noſter nunc fortem, nunc gigantem, interdum etiã potentem reddere conſueuit. vt illud, Exultauit vt gigas, &c. Etſi Latinè idem quod & Hiſpanicè, & Gallicè verbum omnino ſignificaret: valentem dicere non ineptè poſſemus. Galli enim huiuſmodi* vaillant *dicunt adiectiuè, ſed Hiſpani meliùs ſubſtantiuè* barragan *vocant. Atq; hanc ſententiam expoſitione ſubiuncta Iſaias confirmat, aſſeritq́, non omnes qui ex ſemine Iſraëlis ſunt, Iſraëlitas propriè vocandos eſſe; ſed eos tantùm, qui fide & pietatis ac pænitentiæ ſtudio & exercitatione nomen Iſraëlis tuentes, vocationem ſuam, & promiſſionum exitum certum faciunt: qui, quamquam pauci fuerint, tamen diuini ſpiritus beneficio & dono, virtute magna, & teſtimonio atque efficacia ad aliarum gentium vocationem & cooptationem præſtantiſſimi euaſuri eſſe dicuntur.*

Si enim fuerit populus tuus Iſraël quaſi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo: conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam.

D I V I N O R V M *& beneficiorum & iudiciorum perpetuam & conſtantem rationem hoc loco Iſaias indicauit: quam ab initio mundi ad extrema vſque Euangelij tempora eadem forma editam conſtat, antiquis exemplis futurarum rerum argumentum propoſitis. Semper enim Deus & iudicij ſeueritatem integritatemq́ erga ſceleratos & contumaces, & miſericordiæ benignitatem erga pios & pœnitentes oſtendit; neque vllam vmquam numeri, ſed virtutis rationem ſemper habuit. Sic igitur inquit Propheta, quãquam Iſraëlitarum populus immenſus, ſe arenarũ maris inſtar habeat; in vniuerſum tamẽ diuino iudicio ob ſuam culpã vaſtabitur & abducetur, illis tantùm reliquis & ſuperſtitibus, qui conuerſi ad Dominum Deũ ſuum*

*fuerant.* Reliquiæ conuertentur ex eo. *Meminiſſe oportet, nomen vni ex Iſaiæ pueris ex hac oratione fuiſſe factum,* SEAR IASSVB, *quod eſt, reliquum conuertetur: atque ideo verba non ad verborum, ſed ad nominum rationem hoc loco eſſe exponenda. ita vt* conuertentur, *ſiue* conuertetur, *alterius in propoſitione extremi, ſiue ſubiecti locum obtineat. Eſt autem hoc modo propoſitio Latinè explicanda,* reliquum (*erit*) conuertetur. *hoc eſt, ij tantùm qui conuertentur ad Dominum, reliqui & ſuperſtites erunt, facta autem conſummatione, breuitas illa & paucitas quæ reliqua fuerit, diuinæ iuſtitiæ beneficiis abundabit. Illa enim iuſta erit, iuſtitiæq́ omnis ex Dei liberalitate fruetur. Etenim iis tãtùm iuſtitiæ & miſericordiæ ſuæ*
» *munera largiri ſolet Deus, qui ad ſe conuertũtur. S. S. E. Niſi pœnitẽtiam*
» *egeritis, omnes ſimul peribitis. Atq́ hoc loco* iuſtitiam, *interpres noſter ex Hebraico, . . . . . . vertit: quæ vox iuſtitiam, eleemoſynam, & benignitatem ſignificat. Sunt & illa in Euangelio: Attendite ne iuſtitiam*
» *veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Significatur autem hoc nomine iuſtitiam hominum cum Dei miſericordia eſſe coniunctã, eam verò hominibus ad Deum conuerſis, & præterita peccata confitentibus, atq́ auerſantibus contingere. De quibus omnibus argumẽtis nos aliàs, Deo docente, multa & vtiliſſima dicturos ſperamus. Iam verò hoc loco peropportunè Euangelij efficaciam tot antè exemplis & ſimilitudinibus à Deo indicatam, Propheta noſter inſinuans, oſtendit impios, infideles, & contumaces Euangelij impugnatores abalienandos, & iudicandos ac puniendos: contrà verò, pios, credẽtes, & pœnitẽtes, illuſtrandos, ſeruãdos, & demum beandos eſſe. Idq́ iam omnibus figuris, & priuatis publicisq́ hiſtoriis oſtenſum fuiſſe indicat: quòd perpetua, & ſibi ſemper conſtans diuinorum conſiliorum, & iudiciorum ratio & explicatio ſit.*

Conſummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

Rom. HVIVS *carminis argumentum & explicationem ad Euangelij efficientiam pertinere D. Paulus ad Romanos apertè declarauit. Iſaias autem*
» *clamat pro Iſraël: Si fuerit numerus filiorum Iſrael tamquam arena ma-*
» *ris reliquiæ. Verbũ enim cõſummans & abbreuians in æquitate. quia, Ver-*
» *bum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram. Atq́ ad Iſraelitarum & Iudæorum qui Euangelio repugnaturi erant, abdicationem & punitionem huius loci argumentum ſpectare, præterquam quòd Apoſtolus apertè docet, Iſaiæ deſcriptio indicauit;* in medio omnis terræ: *nam Iſraelitidẽ regionem totius habitabilis orbis medio ſitam eſſe, iam aliàs demonſtrauimus. Quamquam verò magna Iſraelitarum calamitas & vaſtatio futura eſſet; atque ea res reliquis tribubus & gentibus Iudæ periculum afferre videretur: tamen diuini conſilij explicandi cauſa Iudæam Ieroſolymitanámque gentem ſuperſtitem fore Iſaias enuntiat.*

Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum, Noli timere

populus meus habitator Sion, ab Aſſur, in virga percutiet te, & baculum ſuum leuabit ſuper te in via Ægypti.

PROPTER hoc. *Propter abbreuiatum illud Euangelij verbum, quod in medio terræ facturus eſt Deus ipſe potens vltor, atque exercituum imperator maximus vobis Sionis incolis, qui verè populus eius eſſe, & permanere volueritis, fidei & pietatis rationibus purè & ſanctè præſtitis: nolite, inquam, vos timere ab Aſſyriis, iiſdē calamitatibus & miſeriis vexandos & perdēdos, videlicet, percuſſuris vos in virga, & leuaturis ſuper vos baculum affligendi, & penitus conterendi ſtudio; Ægyptiorum inſtar, qui grauiſsimis operis & tributis impoſitis, Iſraelitas olim perdere cogitabant. S. S. E. Venite ſapienter, opprimamus eum, ne fortè multiplicetur: & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſq; nobis, egrediatur de terra. Præpoſuit itaq; eis magiſtros operum, vt affligerēt eos oneribus. Nihil huiuſmodi grauiſsimum timebis tu popule Ieroſolymitane.* Exod.

Adhuc enim paululum modicumq́;, & conſummabitur indignatio & furor meus ſuper ſcelus eorum.

DIVINVM *de Aſſyriorum exitu conſilium Iſaias apertè hoc loco indicauit: fore videlicet vt ij, qui ad populos puniendos à Deo culpis & ſceleribus totius orbis irritato, excitati fuerant; poſtremi etiam, idq́; propediem, eandem diuinam indignationem & iram in ſe ipſis expeditam, ſentirent: atq; ita eius iræ indignationiſq́; conſummatio ſuper ſcelus eorum fieret.*

Et ſuſcitabit ſuper eum Dominus exercituum flagellum, iuxta plagam Madian in petra Oreb, & virgam ſuam ſuper mare, & leuabit eam in via Ægypti.

ASSYRIORVM *exercitus Iudæorum gentem perdere cogitantis, & ipſorū principis Sennacherib exitus, conſiliis cœptis conueniens fore prædicitur: vt enim ille ambitione & ſuperbia elatus, Iudæorum populum, veri Dei auctorem in virga percutere cogitabat; ſic ille in flagello, quod virga grauius eſt, feriretur: vt Ægyptiacam aliquam oppreſsionem meditabatur; ſic etiam ad Ægyptiorum inſtar grauiſsima clade afficeretur. Excitabit enim ſuper eum Dominus flagellum iuxta plagā Madian, cuius exercitum nocte vna Gedeon dux fudit, & perdidit, caſtraq́; omnia euertit; deinde verò ducem ipſum Oreb perſecutus, comprehenſum tandē in petra Oreb, interfecit: ſic Dominus ipſe Aſſyriorum exercitum, Ieroſolymam expugnare parantem, vna nocte perdidit. Regem verò in ſuam regionē vix dum illa clade euaſum, propriis filiis occidendum tradidit; neque verò ad Madianitarum tantùm, ſed ad Ægyptiorum exemplum hæc diuina vltio edetur. Vt enim Ægyptij vna nocte in mari perirent, atq; ita Ægyptiæ res labefactatæ ſunt; ſic Senacherib exercitus eleuata virga Domini vna nocte interiit, atq; ita deductus eſt in via Ægypti, eodemq́; iudicij genere affectus.*

Et erit in die illa: auferetur onus eius de humero tuo, & iugū eius de collo tuo, & computreſcet iugum à facie olei.

ONVS & *iugum duplicem Aſſyriorum erga Iudæos oppreßionem ſignificat, alteramq́ perſonis, alteram verò quæ rebus & fortunis inferebatur. Vtramque autem Aſſyriorum exercitu dißipato & perdito, rebusq́ imminutis, ex diuino beneficio auferendam eſſe Propheta confirmat: idque duabus de cauſis, quas vna ſimplici oratione ſignificat.* Computreſcet iugum à facie olei. *Huius orationis explicatis verbis apertior ſententia reddetur.* Computreſcet, *verbum* HHABAL, *duo contraria ſignificat, ligare, & ſoluere, frangere, corrumpere. atque res ipſa indicat poſteriorem ſignificationem hoc loco obtineri: vt interpres noſter vertit,* computreſcet, *vel rumpetur, & frangetur,* à facie. *Frequenti obſeruatione cognouimus cauſam efficientem, ſiue etiam finalem, ſiue quam ob rem aliquid fiat, ſignificare. vt,*

„ *A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob. &, Abſcondere in*

„ *petra à facie timoris Domini. &, A facie enim gladiorum fugerunt, à facie gladij imminentis, & à facie arcus extenti, à facie grauis prælij.* Olei. *Hebraicum nomen,* SEMEN, *oleum & pinguedinem, deinde etiam & cuiuſcunque rei laßitudinem & grauitatē ſignificat. Atq́ olei nomen ex argumento à deſtinatis arcana ratione Meßiam, id eſt, Chriſtum indicat, cui cognomē vncti propriißimè & verißimè tribuitur. Deinde verò craſſitudinis adnotatio ad iugum ipſum referenda eſt: quemadmodum enim boues & tauri grauiùs quàm ferre poßint, iugum ſuſtinentes, connixi, & commouentes, aut abijciunt, aut rumpunt potiùs quàm perferant; ita etiam populi Dominorum iniquum, & inimici tyrannicum imperium iniquitatis omnis, vindice Deo adiuuante, tandem detrectantes abrumpunt, & deijciunt. Igitur quoniam Deus Meßiam ſuum ex illo populo vniuerſo orbi ſeruatorem dare decreuerat, Aſſyriorum iugum nimium graue & intolerabile antè rumpi & perdi voluit, quàm genti illi vehementius, & moleſtius iuſto imponeretur. Caſtigare enim interim Iudæos, nō perdere decreuerat, dum vnctus ille omnibus ſalutaris adueniret. Itaq́ ſimplicis orationis duplex illa ſententia eſt.* Computreſcet iugum à facie SEMEN. *Iugum quod nimis craſſum fuerit, eſſe corrumpendum propter expectatū vnctum Domini. oleum præterea miſericordiam, ſed longiùs petita ratione, ſignificat. Promiſſa ergo Iudæis propter Chriſtum ſalute & liberatione, Aſſyriorum ſuperbum conſilium, & inceptum conatumq́ referens Propheta irridet, oſtenditq́ hominū cogitationes & actiones, quæ aduerſus diuinam prouidentiam ſuſcipiuntur, quo grauiores maioresq́ fuerint, eo infeliciori & ignominioſo magis exitu terminari.*

Veniet in Aiath, tranſibit in Magron: apud Machmas commendauit vaſa ſua. Tranſierunt curſim Gaba ſedes noſtra: obſtupuit Rama, Gabaath Saulis fugit.

SENACHERIB *Ieroſolymam capere cogitantis expeditißimam feſtinationem Propheta ſignificat; indicatis itinerum locis, quæ conficiendæ rei auiditate nimia breui tempore pertranſeunda erant, cùm militari greſſu*

ince-

*incedenti exercitui ſatis longum ſpatium ſingula quæ hic recenſentur oppida, ad vnius diei iter dare poſſent: tanta autem celeritate hic viam confecit, vt decem ſtationes vno die pertranſierit. Primùm enim venit in Aiath, vel vt Hebraicè eſt, ſuper Aiath; quæ vrbs quod munitior eſſet, non antea ſeſe dedit, quàm ab ipſo obſeſſa eſt. Hinc verò facilè fuit Magron oppidum, nec natura, nec arte munitum obtinere, curſimq́; ſubigere: ideò Hebraicè ſcriptum eſt in ablatiuo caſu,* Tranſiuit in Magron. *Deinde verò inſtrumenta, & impedimenta bellica, quibus ad Ieroſolymam ſibi ipſi iam promiſſam, expugnandam nihil opus eſſe viderentur, itineris expediendi cauſa apud* Machmas *depoſuit, oppidum ad eam depoſitionem ſatis idoneum. Poſt hæc verò Iordanem eo vado, qui eſt ſecundùm* Gaba *Beniamin, pertranſiuit celerrimè, Hebraicè eſt,* Tranſierunt tranſitu vadum Gaba. *Atque eo loco pernoctatum eſt, id quod ſtatim indicatur ex illorũ narratione.* Sedes noſtra, *ex Hebraico ad verbum, hoſpitium nocturnum nobis. Tantam verò celeritatem & contentionem, atque adeò tantam potentiam* Rama, *quamuis edita & munita ciuitas, terrore & pauore conſternata obſtupuit.* Gabaath *verò* Saulis, *quòd muris careret, aufugientibus ciuibus deſerta eſt. Hæc autem omnia à præuidente Vate per enthuſiaſmum dicta ſunt, ab eodémque ad fugam admonitæ ciuitates illæ, quæ venientibus Ieroſolymam, Aſſyriis obiter perdi & excidi poterant.*

Hinni voce tua filia Gallim, attende Laiſa, paupercula Anathoth.
Migrauit Medemena, habitatores Gabim confortamini.

GALLIM *vrbis nomen ipſum tumulos editioremq́; locum ſignificat, notum ſatis apud Iudæos oppidum: cuius olim ciuis Phalti, Lais filius fuit Dauidi à Saule in Micholis filiæ nuptiis prælatus. Huius vrbis populũ editiori loco ſitum, ad vicina adiacentiaq́; oppida monenda ad fugámque vrgenda Iſaias teſtatur: idq́; voce & tubæ corneæ ſonitu agendum ſuadet. Deinde* Laiſam *monet, vt Gallinienſium audita voce, fugâ ſalutẽ ſibi conſulat. Medemam quoque migraturam canit. At verò habitatores* Gabim, *quòd, vt nomen ipſum ſonat, munitiorem ſedem tenerent, reſiſtereq́; aliquantum poſſent; non ad fugam, ſed ad ſuarum rerum copiam comportandam & tuendam adhortatur.* Confortamini, *Hebraicum verbum* HEGHISV, *ſignificat confortationem, & corroborationem, quæ fit collectione; ſicut in illo exemplo apparet: Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta, & omnia quæ habes in agro: homines enim & iumenta, & vniuerſa quæ fuerint foris, nec congregata de agris, &c. morientur. Huiuſmodi armentorum, pecorum, hominúmque collectionem ſuadet Gabinienſibus Propheta: deinde verò Aſſyriorum Regis celeritatem, expeditionem, & arrogantem quoque inſolentiam indicat: qui cùm ad Nob. propinquam Ieroſolymis vrbem ante ſolis occaſum perueniſſet, Ieroſolymam proſpectam minantis & contemnentis habitu & vultu facilè ſibi capiendam promiſit.*

Adhuc dies eſt, vt in Nobe ſtetur: agitabit manum ſuam ſuper montem filiæ Sion, collem Ieruſalem.

SV-

SVPERARET, *inquit, illi dies, vt vel vlteriùs tranſire poſſet: tamen in Nobe ſtare decreuit; atq; inde proſpectæ vrbis collibus & montibus manu agitata, proximum excidium ſignificauit. Qualis autem tantæ ſuperbiæ & inſolentiæ exitus futurus eſſet, à Propheta prædicente oſtenditur.*

Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, & excelſi ſtatura ſuccidentur, & ſublimes humiliabuntur. Et ſubuertentur condenſa ſaltus ferro: & libanus cum excelſis cadet.

MVLTÆ *cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit. Quid Senacherib, quid Aſſyrij hoſtis de Ieroſolymitano & Iudaico excidio cogitauerit, ſibiq; inſolenter promiſerit, audiuimus: quemadmodum verò Deus illis perditis & deiectis, conſilium ſuum de Meßia ex Iudæis exhibendo, atq; ad publicam ſalutem orbi donando, firmaturus eſſet, Propheta indicante, docemur: qui arborum tranſlatione aſſumpta, Iudæorum gentem, cum principibus & Regibus perditum iri denunciat.* Confringet lagunculam, *Hebraicè eſt, deramat frõdem. frondes in primis magno impetu decutiendas eſſe ait,* in terrore, *vehementi fragore, ſic ex Hebraico interpretamur. Deinde verò cæteras arboris partes perſecutus addit,* & excelſi ſtatura ſuccidentur. *Hebraica lectio trãſlationem arboris cõtinuat, ramoſq; indicat celſiores, deinde editißimos quoſque.* Sublimes humiliabuntur, *& altißimæ arboris partes decident. Atq; his nominibus Reges, Principes, & Duces ſignificantur: quibus reliquum militum vulgus inſigni clade periturum additur, eadem ſyluæ & arborum tranſlatione obſeruata.* & ſubuertentur condenſa ſaltus ferro: & Libanus cum excelſis cadet. *Hebraicè,* cum excelſo potente cadet. *Libanum autem appellat Ieroſolymam, ex varijs hominum conditionibus conſtantem; Romanũ verò imperium* excelſum potentem *dicit. Hactenus ſeptimum vaticinium ab Iſaia decantatum, à nobiſq; tenuiter explicatum eſt.*

## ARGVMENTVM VATICINII VIII.

QVEMADMODVM *Deus ad Iudæorum conſeruandam gentem futuri Meßiæ cauſa Aſſyrios hoſtes, & Iudaicis rebus exitium molituros, punire decreuiſſet, proximi vaticinij initio Propheta expoſuit. Idemq; ex eadem ratione occaſionem nactus, non modò Iudæorum ſalutem, ſed etiam omnium diſperſarum Iſraëlis reliquiarum reſtitutionem futuram annũciare cœpit, eiuſq; rei præſtandæ modum deſcribens, vniuerſum orbem labefactatum & conquaſſatum iri ſignificauit.* Ecce, *inquit,* dominator Dominus exercituum, &c. *Atque ita eodem capite Iſraëlitis ferendas calamitates denunciauit, & futuræ ſalutis iniicere cœpit ſpem. At verò quonam conſilij genere, cuius perſonæ opera, quibus argumentis, virtutibus, commoditatibus, quibus etiam vijs ineundis, rebuſq; ſuſcipiendis & gerendis id explicandum eſſet, hoc capite, quod*

*cum*

*cum ſuperioris duobus poſtremis verſibus cõiunctum eſt, indicatur. Oſtenditurque Chriſtus ex Dauidis familia futurus, cuius virtute & efficientia impietas omnis perdatur, ac veræ pietatis & virtutis ratio ſuſcepta propugnetur, & confirmetur. Multa autem, & maxima Chriſti virtutis & amplitudinis argumenta & ſigna à Vate indicantur: quorum exactè cognita ratione, quantum boni & felicitatis ex ipſius aduentu orbi aceſſurum eſſet, intelligi facilè poteſt.*

## CAPVT XI.

ET EGREDIETVR virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.

QVIDNAM *Iſraëlitis ob impietatem & ſcelera calamitatum & exitij euenturum eſſet, paulo antè Iſaias prædixerat: quibus quis tandem malorum modus, quis illius abdicationis exitus expectandus, quóque auctore, quibus etiam actionibus explicandus fuerit, hoc loco Vates oſtenſurus, certos prius Iudaicarum rerum euentus indicauerat: futurum enim dixerat, vt antequã ille omni orbi expectandus pacis & ſalutis publicæ interpres & procurator Chriſtus adueniret; Ieroſolymorũ ciuitas, & omnis Iudæorum gens duplici calamitate premeretur: altera per Aſſyrios, altera verò per Romanos omnium gentium potentiſſimos afferenda, atq; ita vtramq; ſignificauit:* Ecce dominator Dominus confringet lagunculam in terrore, *ſiue,* deramauit frondem. *Ieroſolymam enim langunculam, ſiue frondem appellauit, Iudæos verò ipſos excelſos ſtatura dixit: qui tum Aſſyriorum, tum etiam Romanorum potentiæ ex diuina ſententia ceſſuri erant. Eas verò duas calamitates ſigillatim expoſuit, priorẽ illo hemiſtichio:* Et ſubuertentur condenſa ſaltus ferro. *Allegoricôs Nabuchodonoſorem indicans, qui ferro & igni vrbem templumq; vaſtauit. Poſteriorem verò, qua potentiæ, regni, atq; dominationis vſus Iudæis per Romanos auferendus erat, illo etiam altero ſignificauit hemiſtichio:* & Libanus cum excelſis cadet. *Hebraicè ad verbum:* & Libanus in potente cadet. *Huius vaticinij euentus Pompeij magni tẽpeſtate cœptus, vſque ad extrema Herodum tempora durauit: namq; illis diebus Reſpub. omnis Iudæorum conuulſa & turbata, labefactataq; fuit, Romanis rerũ ſummam gubernantibus. Appellatur autem Romanum imperium potens, ſiue excelſum, eadem ſignificatione qua* ROMA *dicta eſt, quam alij Potentiam, alij Valentiam Latinè interpretati ſunt. His autem rebus explicatis, Meſſiam omnium redemptorem exiturum Propheta indicauit, Regem à Deo vnctũ, potentiſſimum, atq; ad impiorum exitium piorumq; ſalutem miſſum, virtute efficaciſſimum, quem ob duplicem vim aduerſus impios & contumaces duram, aduerſus credentes & obedientes blandam & ſuauem virgam, & florem dixit. Virga Hebraiſè* HHOTER, *durius lignum ad feriendum idoneum ſignificat. Bis enim hoc nomen in ſacris libris inuenitur: hoc in loco ſemel, vt in Prouerbiis Salomonis*

Prou.14. *lomonis iterum: In ore ſtulti virga ſuperbiæ. At verò* NESZER, *pro quo interpres florem reddidit, ſurculum tenerum atq; ad cuſtodiendam & cōſeruandam arboris naturam colendum ſignificat. Ex qua ratione Ieſum Nazarenum à Prophetis cognominatum Euangeliſta docet. Erit igitur idem virga aduerſus contumaces durior, & germen florens tenerrimum atque ſuauiſſimum erga pios & bonos pœnitentiæq; ſtudioſos. Magnis autē & ſignificantiſſimis verbis natiuitatis Chriſti myſterium indicatur: nam quod non humana opera, ſed diuina virtute oriturus eſſet, verbum* Egredietur *oſtendit, quod verti etiam poteſt* Exſtabit. *Quid verò* Virgæ *vocabulum ſignificet, iam docuimus: cur autē* de radice Ieſſe *orituram dicat, paucis exponemus, nominū in primis diſtinctione obſeruata: namq; duo nomina ſunt, quorū vtrumq; interpres radicem vertens dixit,* GESAGH, *&* SORES. *Prius propriè eam trunci partem ſignificat, quæ exciſſa arbore, ſub terra manet, neque ferè apparet foris; ita vt ab iis qui incidunt, nihil omnino curetur:* SORES *verò radix ipſa eſt, quibus truncus innititur, & arbor omnis alitur. Meſſiam autem ad priorem partem Vates retulit; hac ratione ſignificans ex humilibus & obſcuris parentibus, quorum in proſapia regia ab Herodibus delenda nulla ratio habita fuiſſet, oriturum fore: videlicet è Virgine paupere, quæ, quamquam ex Ieſſe familia verè eſſet, tamen propter humilitatē in Dauidis ſplendore & illuſtri gente; neque ipſa, neq; eius parētes cōnumerarētur. Et quemadmodū vix credibile fuerat ex Iſai humili homine Bethlehemita filium aliquē, præſertim omnium minimum, Regem fore; ita vt paſſim ignobilitatis obiiciendæ, & dignitatis detrahēdæ cauſa, non Regem, non etiam Dauid, ſed magno contemptu filium Iſai aduerſarij appellarent, miraculoq; diuino adſcriptum eſt illum in tantum regem euaſiſſe; ſic etiam Chriſtus antiquum Dauidis & Iſraëlis regnū miris diuiniſq; modis inſtauraturus ex obſcura & abiecta, iuxta iudicium mundi, & ambitioſorum hominum cenſuram, proditurus; maximumq; orbi miraculum facturus erat. Hæc omnia de Chriſto dicuntur ea parte qua homo eſt. Præterea quod vt Dauid primus regnum in ſua familia iniuit, ſic Chriſtus primus regnum cælorum inſtituit: atq; ideo ipſe etiam Dauid appellatus à Prophetis fuit ſæpiſſimè. S. S. E. Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem*

Ezech.34. *„ vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis „ in paſtorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & ſeruus meus Dauid „ Princeps in medio eorum. Igitur conſentaneum fuit eum, qui Dauid voca- „ retur, ad Dauidis patrē Ieſſe referri: maximè quòd externa ſpecie, & Iſai magis humilitatem quàm Dauidis illum in bellicis rebus ſplendorem relaturus eſſet Chriſtus. Fuit enim Dauidis regnum præter Iſai patris imitationem ſplendidum, & illuſtre in oculis hominum: Chriſti verò exterior ſpecies humillima, interior autem virtus & efficientia ampliſſima & præſtantiſſima fuit. Nam qui in hoc mundo non habebat vbi reclinaret caput ſuum, cælorū regni Princeps maximus, atq; ſuis omnibus feliciſſimus lar-*

*gitor erat. Eſt etiam & illud ad hanc rem adnotandum, Ieſſe ſanctiſſimum virum habitum fuiſſe, cuius præter maximam modeſtiam, maxima etiam virtus ſine vlla exceptione prædicatur. Id verò ingenium à Meſſia referendum eſſe Propheta indicabat: oſtendens ex cuiuſnam ſigni natura virga illa oritura eſſet: ſed tamen illam Ieſſe virtutem magno perfectionis diſcrimine à Meſſia ſuperatum iri ſtatim Iſaias indicauit, maximis diuini ſpiritus muneribus adſcriptis.* Et flos de radice eius aſcendet. *Hebraicè ad verbum:* Et virgultum de radicibus eius florebit. *Atq; ita Latinus interpres noſter eandem ſententiam oratione per hypallagen conuerſa reddidit. Radices verò plurali numero propter antiquos patres dictũ eſt, Iudam, Iacob, Iſaac, Abraham, ex quibus radicibus Iſai ortus fuerat. Atque ita Meſſiæ originem ſecundùm carnem, non ſolùm ad Iſai, ſed ad patres etiam ipſos promiſſionis eiuſdem participes referendã eſſe Propheta docet, eadem ſententia qua D. Matthæus originem eandẽ perſecuturus, exorſus eſt: namque vt proximum, & explicatiſſimum, celeberrimumq; Chriſti parentem Iſai, hoc eſt, vt truncum illum principio indicaret, ita ſcripſit: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid: vt verò radices adnotaret, addidit, Filij Abraham, Abraham autem genuit Iſaac.* Aſcendet. *Hebraici verbi ampliſſimam ſignificationem interpres reddere conatus eſt: namq;* PARAHH *omnem germinationis, floriditatis, fructus plenam, deniq; & felicem fœcunditatis rationem complectitur: coq; verbo Vates florentiſſimũ, fructuoſiſſimum, & omnino feliciſſimum Chriſti aduentũ, & totius vitæ, mortis & reſurrectionis myſterium ſignificauit, atq; illam humanæ naturæ admirandam renouationem indicauit. Totam denique filiorum Dei ſobolẽ Chriſti virtute atq; efficientia propagandam, quam ipſe Chriſtus ſæpiſſimè promittens, prædicauit huiuſmodi orationibus: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, fructum affert multum. Iam verò quibus, quãtiſq; virtutibus inſtructum, quibus rebus & muneribus præſtantem Meſſiam expectari oportuerit, Propheta deinceps exponit:*

Mat. 1.

Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.

DECEM *illuſtriſſima virtutis & efficientiæ argumenta à vate indicantur noſtro, quibus veri Chriſti auctoritas, dignitas, & amplitudo examinari, agnoſci, probari, atque ſuſcipi debuit, aliàs his argumentis deſideratis, aut eorum parte aliqua, eius nominis dignitas nulli tribuenda erat. Primum ſignum ſiue argumentum:* Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. *Spiritum, idem quod virtutem & efficacitatem, habilitatémque ad agendum ſæpiſſimè ſignificare, præſertim autem expoſitione virtutis in genitiuo adiuncta, aliàs oſtendimus. Atq; primam hanc virtutis Meſſiæ definitionem, ex qua cætera efficacitatis genera orirentur, præſtantiſſimam Iſaias indicauit, nomine Domini arcano illo appellato, quod præter cætera Deo propriiſſimè tribuitur: eius autem interpretationem ad miſericordiæ*

*& veritatis rationes præcipuè referẽdum eſſe, non vno loco docuimus. Verùm enimuerò illud ſemper in omni huiuſmodi argumento animaduertendum eſt, quòd cùm in Chriſto duæ naturæ ſint, humana, & diuina; quæcunq; ad virtutem pertinentia, de illo prædicantur, diuinæ naturæ ſua ipſa ratione, & non accidenti aliquo attribuenda ſunt: humanæ verò in eodem naturæ, propter communicationem cum diuina propriiſſimè tamen illa omnia conuenire. Atq; hîc ab Iſaia quæcumque de Meſſia indicantur, ad humanam naturã referenda ſunt: ita tamen vt propria, certa, ac perpetua eſſe dicantur: quamobrem Propheta ait:* Requieſcet ſuper eum. *Manentem enim & perpetuam virtutem, ac propria in ſede collocatam ſignificare hoc quieſcendi verbo voluit: atq; hac oratione puriſſimã in Chriſto humanam naturam, & ab Adami corruptione & vitio longè alienam fore, apertè Propheta indicauit. Etenim puriſſimus & ſimpliciſſimus ille Dei ſpiritus nihil cum homine veteri & antiquo illo animali, atque propriè carnali cognominato cõmercij & cohabitationis habere poteſt, adeò ſibi inuicem diſſen-*
Gen.6. *tiunt, & aduerſantur, caro ſpiritusq; diuinus. S. S. E. Non permanebit ſpi-*
" *ritus meus cum homine, quia caro eſt. Puriſſimum igitur & ſanctiſſimum hunc florem Ieſſe fore exiſtimandum eſt, ſuper quem ſpiritus Domini libentiſſimè & aptiſſimè quieturus eſſe prædicebatur. Ita vt qua parte Deus eſt, idem ſpiritus Domini eiuſdemq; omnino naturæ ſit: qua verò virga de radice Ieſſe diceretur, ſpiritu Dei, vt in propria ſede, aptè, quietè, atq; per-*
Ioan.1. *petuò manente, auctus & plenus eſſet: de cuius plenitudine (vt Ioannes aie-*
" *bat) omnes accepturi erant, & gratiam pro gratia. Spiritus itaq; Domini, virtus, inquam, efficacitas, auctoritas, & amplitudo Dei miſericordiſſimi & præſtantiſſimi erit in illo: id quòd in Chriſto Ieſu Mariæ filio ex Naza-*
" *reth verè & reapſe, atq; efficientia fuiſſe Paulus confirmat: Deus, inquit,*
" *erat in illo mundum reconcilians ſibi. Poterant quidem à nobis magna volumina ſcribendo impleri hoc tantum Iſaiæ vaticinium exponentibus: verùm quòd ſimplicis ac breuis interpretis perſonam ſuſceptam ſuſtinere cogitamus, réſque omnes indicatione magis quàm expoſitione commonſtrare instituimus, quæ ex hoc loco argumenta ad veritatem Chriſti probandam producimus, ad decem tantùm capita commodè referri poſſe arbitramur.*

*Primam igitur notationem & veritatis Chriſti inſigne primum in genere & familia obſeruari oportuit: vt is, cui hoc nomen tribuendum foret, ex Dauidis familia, & Ieſſe iuſti proſapia certo ſtemmate orbis cognoſceretur: namq; Iudæ tribui regnum & dominationem in reliquas Iſraëlita-*
Gen.49. *rum tribus teſtamenti ſententia Iacob reliquerat, & confirmarat. Non au-*
" *feretur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mitten-*
" *dus eſt: ipſe erit expectatio gentium. Atq; ex omnibus Iudæ familiis Dauidis domum Deus delegit, cui & temporale hoc regnũ addiceret, & futuri*
Iſai. 40. *Chriſti perpetuũ ſolium polliceretur. Iurauit Dominus Dauid veritatem,*
" *& non fruſtrabitur eam: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.*

*&,*

*& Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum* "
*manebit; & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta* "
*in æternum, & teſtis in cælo fidelis. Oportuit itaq; Chriſtum ex Iudæ tribu,* "
*Ieſſe proſapia, Dauidiſq; familia ortum Dauidem ipſum præſtantiſſima tamen virtute & nomine referre. Hac autem notatione Ieſum Chriſtum ſatis inſignem eſſe, Euangeliſtæ omnes frequenter, & Matthæus atque Lucas præcipua quadam diligentia docuere.* Matt. 1. Lucæ 3.

*Secundam verò notationem in prophetici muneris & officij præſtantiſſima exercitatione, atq; omnem antiquorum Prophetarum gradū ſuperante vſu ſacra oracula ſtatuerunt: adeò vt neminem eſſe voluerint, neque in hominum, neque in Angelorum miniſteriis, cuius virtus & in cognoſcendis & indicandis rebus, animis atque conſiliis hominum præſtantia cū Chriſto comparari ex æquo poſſet. S. S. E. Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, eleuabitur, & ſublimis erit valde. Quem locum ſic antiquiſſimi Hebræorum interpretati ſunt: Exaltabitur præ Abraham, eleuabitur præ Moiſe, ſublimis erit valde vltra Angelos miniſterij. & iterum apud hunc Prophetam: Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus complacuit ſibi in illo. Anima mea, dedi ei ſpiritum meum, iudicium gentibus proferet. Nemini enim Prophetarum, præter Chriſtum, proprium fuit, hominum non ſolùm dicta & facta cognoſcere, ſed interna etiam animi conſilia perſpicere, & arguere: quam ob rem Iſaias hanc notationem cùm primis obſeruandam explicatiſſimis verbis indicabat: Non ſecūdùm viſionem oculorum iudicabit, neque ſecūdùm auditum aurium arguet; ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Hoc adeò virtute propria vnius Dei, ſcrutantis corda & renes hominum, Chriſti dignitatem maximam probatum iri Vates noſter affirmabat: cui ſpiritū Domini, vt propria ſede commoraturum tribuebat.* Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. Iſa. 52. "

*Tertiam Chriſti autem notationem ex ſapientiæ præſtantia & vſu obſeruandam Propheta indicauit, tribus ſpirituum nominibus & binis in vnoquoque nomine perfectionibus oſtenſis:*

Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis.

VERBVM *Requieſcet, per Zeugma figuram ad omnem ſpiritus in hoc verſu appellationem referendum eſt, vt virtus illa Chriſto propria ac perpetua fore oſtendatur. Spiritum autem pro virtute efficacitateq; dici, eamq; ex illius ſpiritus Domini facultate & copia proficiſci, iam ſuperiùs indicauimus: nunc binas quaſq; perfectiones exponentes, quamobrem Propheta coniunxerit, oſtendemus. Eſſe quidem in nobis intelligendi & cognoſcendi vim, nemo eſt aut qui neget, aut probari poſtulet. Verùm enimuerò in ipſa huius facultatis exercitatione non omnia rectè, & ex veritatis & perfectionis ratione ſuccedere omnes videmus: quod certa impedimenta hominibus, Adami filiis, poſt illam naturæ humanæ primam ruinam relicta ſint,*

*quorum interuentu ſapientiæ, intelligentiæ & iudicij recta ratio perſæpè turbari ſoleat, ea autem impedimenta, ſiue defectus potiùs appellandi ſint, tria eſſe conſtat. Primùm, quòd intellectus, quem contemplatiuũ vocamus, ſi nimium exerceatur, alterum, quem actiuum dicimus, ita impedit, vt ad prudentiam & conſilium, agendarumq́ rerum oportunam cognitionem hebetiorem ineptioremq́ reddat: vbi enim intenderis ingenium, valet. Videmus autem quotidiano experimento eos, qui in rerum naturis cognoſcendis & contemplandis perſpicaciſsimi habentur, in deliberando & conſulendo nimium plerumque ineptire. Priùs autem genus ab Iſaia,* Sapientia, *poſteriùs verò,* Intellectus, *ſiue* Intelligentia, *vel* Prudentia *dicitur. Hoc enim ſignificat vocabulum* BINAH, *quod aliàs non ſemel ſumus interpretati. Secundus verò defectus in hominibus eſt: quòd homines actiuo intellectu præcipuè valentes, qui prudentia & conſilio præſtare poſſunt; tamen ipſi agendis & gerendis rebus minus vtiles idoneiq́ ſunt, propter viriũ corporis imbecillitatem. Rariſsimè namq́ contingit eundem hominem & animi viribus, & corporis robore atq́ agilitate eſſe præditum, id quod omnibus ferè & hiſtoriarum, & poëtarum, immo & vulgaribus exemplis eſt manifeſtum. Tertius autem in hominũ vſu & conſuetudine defectus eſt, quòd is, qui ſapientiam & contemplationem rerum nimium ſequitur, à fidei & religionis diuiniq́ verbi obedientia & ſimplicitate plerumque declinat; quando nihil aut diſcere, aut cognoſcere, aut ſuſcipere huiuſmodi ingenia ſoleant, cuius cauſam & rationem hum ano modo ineundam deſiderent: eóque vitio ferè omnes ſummi mundi ſapientes, & magni philoſophi laborauere, qui in Dei ſapientia, Deum non cognouerunt. cuius periculi vitandi*

1. Cor. 1. *cauſa Salomon ita ſuadebat: Ne plus ſapias quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.*

Sap. 7. *His igitur defectibus alienam, immo perfectionibus & numeris omnibus abſolutam ſapientiam; vtpote planè diuinam, & à vulgari omnium hominum vſu longiſsimè remotam, Iſaias Chriſto adſcribit, agnoſcẽdamq́ prædicat. Illius namq́ & contemplatiuum, & actiuum intellectum virtute, facultate, & exercitatione perfectiſsimum fore affirmans, ait:* Spiritus ſapienciæ & intellectus. *Quod qui in Ieſu Nazareno agnoſcere velit, Euangeliſtarum ſapientiæ ac prudentiæ, & ad hominũ malitiam redarguendam, & calliditatem fraudemq́ reprimendam dexteritatis exemplis refertiſsimas hiſtorias legat: & huiuſmodi etiam annotationes obſeruet. Hoc*

Ioan. 6. *autem dicebat tentans eum; ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Eundem præterea & conſilio pollentem, & virtute efficaciſsimum, atq́ interioribus exterioribusq́ viribus præſtantiſsimum fore, ſecunda virtutum geminatione vates docuit.* Spiritus conſilij & fortitudinis. *Præſtantiſsimis enim & diuinis conſiliis ineundis, dandis, & explicandis Chriſtum valuiſſe, vniuerſa nouorum librorum ſeries probat; iiſdem etiam virtute maxima præſtandis & efficiendis efficaciſsimum ingens hominum admiratio de-*

Mat. 1. *monſtrauit: & ſtupebant ſuper doctrina eius: Erat enim docens eos, quaſi poteſta-*

*poteſtatem habens; & mirati ſunt omnes, ita vt conquirerent inter ſe di-* “
*centes: Quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc noua? qua in poteſtate* “
*etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei? &, Diſcipuli timẽtes,* Lucæ 8.
*mirati ſunt ad inuicem, dicentes: Quis, putas, hic eſt, quia & ventis &* “
*mari imperat, & obediunt ei? Atq; adeò hanc etiam rem præter alia multa* “
*D. Lucas illo exordio indicabat: Primùm quidem ſermonem feci de omni-* Act. 1.
*bus, ó Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere. Demum cum ſumma &* “
*perfectiſsima ſcientia ſummam erga Deum, diuinasq; res pietatẽ in Chri-*
*ſto coniunctam fore Propheta canit:* Spiritus ſcientiæ & pietatis. *Illa*
*namque perfectiſsima ſcientia eſt, quæ pietatem perfectam complectitur.*
*S. S. E. Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio* Pſal. 118.
*mea eſt. Igitur de Chriſti ſapientia perfectiſsima, omnibusq; oportunis vir-* “
*tutibus cumulata, omniq; defectu aliena, tres illos ſpiritus binis complexus*
*facultatis nominibus, Propheta prædicauit; qui natura vnicus ac ſim-*
*plex, viribus & efficacitate multiplex ſpiritus eſt. Quoniam verò de facul-*
*tate ipſa, hoc eſt, de ſapientia in hac notatione agebatur, nõ addita ſunt alia*
*multa quæ in Chriſto fuerunt, vt iudicium, modeſtia, humanitas, iuſtitia,*
*peccati carentia; quòd hæc ad aliam definitionem pertineant: ſapientiæ ve-*
*rò perfectiſsimam rationem, hæc quæ dicta ſunt, conſtituant. Quarta quo-*
*que Meſsiæ notatio ad inferioris animi partis virtutem & perfectionẽ in-*
*dicandam pertinet: namque duplicem humani animi vim eſſe, omnes qui*
*rectè de rebus ſenſere, docent. alteram ipſi animo magis propriam, quàm*
*intellectum, ſiue cognoſcendi facultatem dicunt: alterã verò ad animæ qui-*
*dem virtutes pertinentem, ſed in corpore propriè ſitam, & certis organis*
*diſpoſitam, quam ſenſum vocant. De qua modò cùm multa diſputare non*
*poſsimus, ea quæ ad Cõmentarij vſum faciũt, indicare ſatis fuerit. Sunt igi-*
*tur quinque in corpore noſtro ſenſus, ex quibus duo craſsiſsimi, & corpora-*
*les ſunt, nimium, tactus & guſtus: in quorum vſu vel abuſu potiùs ignobi-*
*liſsimæ & fœdiſsimæ omnino voluptates exiſtunt; & eorũ, qui præter mo-*
*dum his ſenſibus indulgeãt, ignominioſa & probroſa vita eſſe exiſtimatur.*
*Ex qua re effectum eſt vt multæ in diuina lege prohibitiones erga vtrumq;*
*hunc ſenſum ſtatutæ legantur: vt quæ de turpitudinibus, & de quorundam*
*ciborum interdictionibus myſticis, & de vini immodico hauſtu, deq; ieiu-*
*niis & continentia decreta ſunt: neque verò Prophetas & Sanctos viros*
*tantùm, ſed multos etiam ex ethnicis ſapientibus, horum duorum ſenſuum,*
*vt animalium maximè, &, vt ita dicam, brutorum cupiditates continuiſſe*
*accepimus. Quamobrem huiuſmodi ſenſuum vſus, vtpote craſsiſsimorum,*
*& diuina ſimplicitate & puritate longiſsimè inferiorum, neque in tranſ-*
*latis ſermonibus Deo vſquam apud ſacros ſcriptores adſcribitur. Tertius*
*autem ſenſus olfactus eſt, minùs quàm primi illi duo craſſus, & magis ad*
*tenuem & ſimplicem diuinamq; naturam accedens: vtpote qui & remotio-*
*res etiam res, neque ſibi adeò coniunctas vſu ſentiendi cognoſcat; & tenui*

*etiam*

Iob 39. etiam minuſq́; craſſa, & nobili magis ſenſatorum natura afficiatur. S. S. E.
Iud.16. Procul odoratur bellũ. &, Quomodo ſi quis rumpat filum de ſtupa tortum
» ſputamine cùm odorem ignis acceperit. Ex his locis conſtat odorem longiùs, magiſq́; quàm in guſtu & tactu ſemotis, minuſq́; craſsis rebus percipi: atq́; hic ſenſus, vt ſimplex magis, &, vt ita loquamur, ſpiritualis, Deo tranſlatis
Gen.8. ſermonibus tribuitur. vt, Odoratus eſt Dominus odorẽ ſuauitatis. Quamobrem principibus, regibus, & ſummis viris huius ſenſus elegans, & conquiſita exercitatio delectationem iucunditatemq́;, & florum, aromatum, ceterarumq́; fragrantium rerum curam ſtudiumq́; affert, ſicut in myſtico illo
Cant.5. carmine S. E. Veni in hortum meum ſponſa mea; meſſui myrrham meam
» cum aromatibus meis. itaq; minùs in hoc ſenſu, quàm in duobus primis vitij & abuſus eſſe poteſt. Reliqui autem ſunt duo ſenſus magis omnino tenues, & ad ſpiritualem ſimplicitatem accedentes: quorum vſus non modò circa proxima, ſed etiam circa valdè remota & ſepoſita obiecta eſt; ij ſunt viſus, & auditus: vterq; quidem ad cognoſcendum opportunus, & ad eam præcipuè rem hominibus datus. etenim ſingulari ac præcipuo quodam vſu intelligendi virtuti ſeruire dicuntur; atq;, vt perfectiores & digniores, ſic etiam homini ipſi cæteris ſenſibus chariores hi duo ſunt: quamobrem à Sa-
Prou.20. lomone ſapienter eſt adnotatum: Aurem audientem, & oculum videntem
» Dominus fecit vtrumque. Quoniam verò ad ſapientiam & diſciplinam comparandam oportunior & neceſſarius magis audiendi ſenſus eſt, ideo ab
Prou.15. eodem eſt dictum: Auris audiens increpationes vitæ, in medio ſapientum
» commorabitur. Duo itaq; ſenſus craſsiores ad corpoream mixtionem; duo ad ſpiritualem ſimplicitatem; tertius velut medius quidam, ad vtramque rationem referri commodè poſſe videntur. Magis autem ad ſimplicitatem & puritatem, quàm ad craſsitudinem inclinare, olfactum conſtat; atq; de duorum primorum animalium ſenſuum illecebroſo, atq; ab omni ſapiẽtum & maximorum virorum perfectione alieno vſu, nihil quod ad Chriſtum hominum omnium ſapientiſsimum & perfectiſsimum pertineret, à Vate noſtro eſt indicatum: ignobile enim nimium id genus erat, & indignũ cuius ſtudium Chriſto adſcriberetur; qui neque ad voluptatem comederet, ſed ad humanæ tantùm vitæ tuendæ vſum, quocumque oblato cibo, eoq́; ſimplici veſceretur. (ſicut ipſe Marthæ ſuadens dixit, Porrò vnũ eſt neceſſarium) neque tactus illecebris delectaretur, qui laborioſiſsimam, & exercitatiſsimam, omninoq́; puriſsimam vitam egit in carne illa ſanctiſsima, & totius labis ac vitij experte; quàm Spiritus ſancti virtute & efficientia, de inte-
Lucæ 1. gerrimæ & puriſsimæ Virginis vtero ſuſceperat. S. S. E. Ideo quod naſce-
» tur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Verùm enimuerò in tribus reliquis ſenſibus, qui minoris vitij capaces eſſe exiſtimantur, & humanũ vſum propriùs ſpectant, maximam etiam perfectionem vltra omne hominũ aliorum exemplum, Chriſto attribuit Propheta: qui non aliorum principum & regum, ſummorumq́; virorum more olfactum, in aromatum, vnguen-

torum,

*torum, cæterorúmque grati odoris florum, aut rerum ſtudio exercebit, ſed ſuauiſſimis pietatis rationibus cognoſcendis, & ſentiendis aſſueſcet. Id eſt quod dicit Iſaias: Odor eius in timore Domini. Timorem Domini, idem quod pietatem interpretamur ex proximo verſu*, Spiritu ſcientiæ & pietatis. *Vbi interpres pro iiſdem verbis* IIRATH IEHOVAH, *pietatem reddidit. Igitur ſiue odorem, ſiue (vt Hebraicè legimus)* olfactum, *qui ſenſus, quòd corporeus nonnihil ſit, corporeis quidem, verùm purioribus ac ſuauioribus obiectis ducitur: tamen Chriſtus in iis tantùm quæ pietatem oleant, rebus ſentiendis exercebit. Quidnam de reliquorum viſus & auditus ſpiritualium ſenſuum vſu exiſtimandum eſt? niſi omnino ab omni imperfectione humana alienam rationem eſſe ab eo tenẽdam: alij enim homines his ſenſibus propter cognoſcendi auiditatem libenter & ſtudioſè vtuntur, & plurimum delectantur: quod ſine horum ſenſuum miniſterio nec ſcire, nec ſapere, nec iudicare de rebus poſſint. Chriſtus autem his ſenſibus quidẽ vtetur, non tamen ad cognoſcendum, ſapiendum, & iudicandum, vel arguendum ipſi maximè neceſſariis, vtpote qui ſapientiæ & intellectus, conſilij, ac ſcientiæ & pietatis, ſpiritu pleniſſimus quidquid ad ſapientiam, iudicium, & prudentiam pertineat, non à ſenſibus, ſed à ſpiritu ſuo petiturus & habiturus ſit. ſicut de eo ſcriptum eſt: Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quòd ipſe noſſet omnes: & quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine; ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. &, Cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorũ, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? &, Videns Ieſus fidem illorum, dixit paralitico: Confide fili. Id autem in Chriſto obſeruandum Propheta noſter indicauerat.*

Ariſt. 1. Meta. c. 1.

Ioan. 2.

Matth. 9.

Et replebit eum ſpiritus timoris Domini: non ſecundũ viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundùm auditum auriũ arguet.

ATQVE *de ſenſuum vſu in Chriſto iam pauca expoſuimus, quæ tamen dilatari in immenſum poſſent. Supereſt vt aliam rationem ad idem quoque genus pertinentem, & iiſdem verborum ſignificationibus contentam, exponamus breuiſſimè.* Odor eius in timore Domini. *Nomen odor Hebraicè eſt* HARIAHH, *ex cuius etymologia illæ ſignificationes petũtur, recreatio, iucunditas, odor, olfactus. Odorem verò & olfactum actiuè interpretamur, hoc eſt, ipſum olfaciendi vſum & ſenſus exercitationem: actiuam enim ſignificationem, hoc eſt, voluntatem eius qui olfacit & ſentit, hæc ſignificant. Neq; verò nunc diſputamus de actione & paſſione ſenſuum ipſorum, quos philoſophorum plerique pati ſentiendo affirmant: perinde enim eſt ad Commentarij noſtri rationem, ſiue patiantur, ſiue agant ſenſus: qua de re aliàs fortaſſè commodiùs agemus. Illud autem certũ eſt, eius, qui ſentit voluntatem ad exactè ſentiendum exigi, aliàs hebetiùs, & minùs attentè ſenſata percepturi, atq; ita, quamquam ſenſus ipſe patiatur, is tamen qui ſentit, præcipuè agit. Demum ad rerum naturam penitiùs cognoſcendam, olfactus magis quàm viſus aut auditus valet. Sæpè etenim videmus*

*multa ſimulata & efficta, quæ oculorum ſenſum auditumq́; fallant: cuiuſmodi admirandas res à peritiſsimis artificibus olim factas accepimus, & à noſtri temporis etiam elegantibus ſculptoribus & pictoribus fieri videmus, vt à Villega Hiſpalenſi viro & probitate, & artibus inſigni, qui omniũ generum fructus & cibos ad viuum adeò effingere, & depingere nouit, vt non ſolùm antiquos Apelles ac Parrhaſios fallere poſsit, ſed ſe ipſum perſæpe idem fallat, incertus vtrũ exemplum eſſe iudicet, quod ipſe imitatus fuerit, an viuum ipſum, & à natura productũ, ſi vtrumq; ſimul collatum apponatur: adeò ſpecie, magnitudine, pondere etiam neutrum ab altero ſuperatur. atq; hoc modo quæcumque ad viſum & auditum pertinent, ſimulari & fingi poſſunt, vt ſenſum fallãt. At verò odor ipſe, quod ex interioribus rerũ virtutibus & facultatibus vnà cum ſubſtantiæ parte aliqua remiſſus proferatur, vniuſcuiuſque rei naturam præcipuè oſtendens, minimè omnium ſenſatorum fallit: hinc eſt quòd in feris indagandis, & in aliis rebus inquirendis, canes optimi habentur qui ex odore id quod quærunt, veſtigare ſolent. Ad hanc adeò rationem illud pertinet, quòd de natura & arte à Philoſophis eſt traditum; artem rerum ſpecies imitari poſſe, & referre, motum verò & vitam ipſam non poſſe referre: inter vitæ verò & motus genera, odorem ex rebus remiſſum connumeramus. Maximam igitur Chriſtus cognoſcendi & ſentiendi atq; iudicandi vim præſtiturus, à Propheta indicabatur, nõ modò ex ſenſuum vſu, vt ſuperiùs expoſuimus; ſed ex ipſorum quos cognoſcere vellet etiam ratione, à quibus nulla ſimulatione, fictione nulla, externaq́; tantùm pietatis ſpecie falli poſſet; qui pietatem ipſam ex timore Domini, non ex oſtentatione cuiuſque, non ex verbis definiet, ſed ex ipſa cogniti animi & cordis virtute olfaciens iudicaret, ſicut & ipſe aiebat: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum; » ſed tantùm qui facit voluntatem Patris mei qui eſt in cælis, &c. & quæ ſuperiùs de Chriſti virtute cognoſcenda citauimus; & plurima alia, quæ in illius hiſtoria ſunt. Supereſt tertia illa verbi* HARIAHH *ſignificatio, quam recreationem vertimus: ad quam etiam Propheta noſter alludens, oſtendit Chriſti non modò ſtudium, & perpetuum laborem; ſed animi etiam recreationem, & relaxationem in timore Domini, veræq́; pietatis rationibus conſtituendis, & confirmandis fore; cùm alij reges & principes hortorũ amœnitatem, venationem, ſpectacula, ludos, & huiuſmodi inanes, & minimi momenti res, animi cauſa petere, apparare, adornareq́; ſoleant.*

Aimonius in Prædicament. Ariſt. c. 3.

*Sequitur quinta veri Chriſti notatio, quæ in muneris vſu, exercitationeq́; ſpectanda fuerat. Namq;, vt antè expoſuimus, Chriſtus Euangelij à ſe allati, & confirmati virtute hominum ingenia, mores, facta, cogitatáque omnia certiſsimè cogniturus, atque pro vera iudicij ratione vel premio, & laude, vel reprehenſione & reiectione proſecuturus, eámque virtutem non ſolùm ipſe in corpore carnis ſuæ, præſens Iſraëlitico populo; ſed eiuſdẽ Euangelij à diſcipulis prædicati efficientia & vi probaturus eſſe, à Prophetis*

*tis prædictus eſt. Sicut in primis libri huius vaticiniјs legimus: Et indicabit inter gentes, & arguet populos multos. & inferiùs, Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferet. & paulo pòſt, Donec ponat in terra iudicium, & legem eius inſulæ expectabunt. Cùm verò cæterorum hominum iudicationes eæ, quæ præcipuæ & certiſsimæ habētur, quòd vel expectationū, & videndi ſenſu, vel ex auditis & examinatis aliorum hominum teſtimoniis profectæ ſint, falli poſſe, & ſolere dicantur, atq; iudicia nonnumquam ex ea re peruerſa oriantur; quòd vel ſpecies ipſa quæ viſu percipitur, vel teſtimonia quæ audiuntur, non rarò etiam attentè animaduertentes eludant, Chriſtū tamen nulla omnino vel ſenſuū præſtrictio, vel teſtimoniorum vanitas fallere poſsit, eiuſmodi coniecturis minimè indigentem, & quidnā in homine ſit, ſpiritu illo quo plenus erat, cognoſcentem.* Iſa. 2. Iſaiæ 42. " " "

Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet: ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ.

NAMQVE *Euangelij Chriſti munus & officium eiuſmodi futurum erat, eiuſmodiq; fuiſſe ſacræ hiſtoriæ teſtantur; vt pauperes quibus diuinus ſpiritus, & regnum cælorū promiſſum eſt, non ex ſpecie paupertatis & humilitatis externa tantùm, ſed multò etiam certiùs ex interna humilitate, & rerū, atq; adeò ſui ipſorum deſpicietia definiat, & iudicet. S.S.E. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. hoc ſignificabat Iſaias illa oratione:* & iudicabit in iuſtitia pauperes. *Illud verò ſuſceptam proborum, & piorum, modeſtorumq; hominum aduerſus impios, & improbos, tutelam & cauſam ſpectat.* & arguet in æquitate pro māſuetis terræ. *Arguere, idem quod reprehendere, increpare, & propugnare hoc in loco ſignificat: quòd piorum aduerſus impios, proborū aduerſus improbos, & humilium aduerſus potentes & inſolentes, ac demum aduerſus inferorum poteſtates tutelam Chriſtus Euangelij virtute & efficacitate ſuſcepturus eſſet, id quòd ipſe non vno loco profitetur: Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Idem etiam diſcipulos ſuos ad perſeuerantiam & pietatis cultum ſummo ſtudio exercendum, hortatus confirmat. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Sexta præterea veri atque diuini Chriſti obſeruandi notatio in prophetiæ facultate, & miracula edendi virtute indicatur: etenim ferendæ olim legis, & publici ſtatus renouandi auctoritas, duobus diuinis argumentis confirmata eſt: videlicet, Prophetia, & miraculorum oſtenſione, quibus Moiſes inſtructus, legationis murerisq; ſui fidem certiſsimam fecit. S.S.E. Qui annunciat verbū ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſraël. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Eam verò prophetiam ad leges ferendas,* Matth. 5. " Lucæ 12. " Ioan. 10. " " "

*mutandasq́; morum conſuetudines ſpectantem, miraculorum teſtimoniis*
Exodi 34. *confirmari voluit Deus, vt ſcriptum eſt: Ego inibo pactum videntibus cun-*
" *ctis, ſigna faciam quæ nunquã viſa ſunt ſuper terram, neque in vllis gen-*
" *tibus: vt cernat populus iſte in cuius eſt medio opus Domini terribile, quod*
" *facturus ſum. Atq; prophetiæ & miraculorum opportunè edendorũ vſus*
*Iſraëlitis vſque ad primi templi euerſionem conſtitit: ab eo autem tempore*
*quo templũ à Chaldæis eſt incenſum, rara vaticiniorum, rariſſima mira-*
*culorum fuere expectata exempla. Nam poſt Egæum, Zachariam, & Ma-*
*lachiam, prophetiam & miracula deſiderata eſſe, illa obmurmurantium à*
Pſal. 73. *Vate inducta oratio indicat: Signa noſtra non vidimus, iam non eſt Pro-*
" *pheta, & nos non cognoſcet ampliùs. Oportuit autem Chriſti hominum res*
*mutaturi, atque in melius nouaturi auctoritatem, maximo & copioſiſſimo*
*prophetiæ vſu, atq; miraculorum frequenti ſpectaculo confirmatã, orbi pro-*
Ioel. 2. *bari. S.S.E. Et erit poſt hæc, effundam ſpiritum meum ſuper omnem car-*
" *nem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & ſenes veſtri ſomnia*
" *ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbũt. Sed & ſuper ſeruos meos*
" *& ancillas effundam ſpiritum meum, & dabo prodigium in cælo & in ter-*
" *ra, &c. Igitur poſtquam Iſaias ſuperioribus notationibus Chriſti propheti-*
*cum munus & legationem ſatis apertè indicauerat, eiuſdem in ſignis, mi-*
*raculis, & prodigiis edendis facultatem hac ſexta notatione innuit, oſten-*
*ditq́; maximam & efficaciſſimam Euangelij vim in eos qui ſalui fierent,*
*& in eos qui perirent. Etenim Euangelij allati in hominibus euentum pro-*
*batione audientium animorum habita, bifariam ſpectandum fore, ſpecta-*
*tumq́; denique eſſe, iam aliàs perſæpè docuimus; iis quidem, qui crederent*
*& obedirent ſalutarem; iis verò qui repugnarent & repellerent, pernitio-*
*ſum. Eius autem rei exempla non armis, non hominum copiis, verùm ipſa*
*ſpiritus vi & efficacitate edenda eſſe, propheta præcinebat.*

Et percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.

VIRGAM *oris Chriſti, & ſpiritum labiorum, verbum Euangelij Ieſu*
*Chriſti Propheta appellat; quòd tanta virtute polleret, vt auditum & ac-*
*ceptum, ſalutem; repulſum verò exitium hominibus parere poſſet, non vno*
*tantùm exterioris efficientiæ exemplo confirmatum fuit, cuiuſmodi fuere*
*in minoribus (non tamen ſignificationis myſterio carentibus) rebus. Ficus*
Mar 11. *arboris arefactio illo tantùm verbo inducta: Iam non ampliùs in æternum*
" *ex te quiſpiam fructum manducet. & in hominibus puniendis grauiſſimus*
Act. 5. *ille Ananiæ & Saphiræ caſus Euangelico miniſtro reprehendente interue-*
*niens; & multa alia, quæ in Chriſti & Apoſtolorum hiſtoriis euangelicæ*
*efficacitatis commemorantur argumenta: quibus & Chriſti auctoritas ex*
*prophetiæ & miraculorum apertiſſimis rationibus oſtenditur: qui de vtro-*
Ioan 15. *que hoc genere illud infidelibus & contumacibus Iudæis obyciebat: Si non*
" *veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, & opera non feciſſem quæ nemo alius*
*fecit,*

*fecit, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* " *Septimum veri Christi inſigne, eiusq́ virtutis & dignitatis cognoſcendæ veſtigium pacis, & concordiæ facultate & vſu ſpectando, Propheta indicauit: neque enim inter Deum & homines tãtùm, ſed inter homines etiam ipſos pacem compoſiturus erat Chriſtus. S. S. E. Et vocabitur nomen eius Admirabilis cõſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis.* Iſaiæ 9. *Bellorum autem inter homines gerendorũ altera ex duabus cauſis, vel vtraque ſimul eſſe ſolet, aut alienarum appetitio rerũ, aut prædæ cupiditas, cuiuſmodi genus antiquos olim bellatores exercuit; aut nominis & potentiæ ſibi comparandæ auiditas, ſicut de primo illo poſt diluuiũ bellorum auctore ſcriptum eſt: Porrò Chus genuit Nimrod, ipſe cœpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator coram Domino.* Gen. 10. *Vel etiam variorum, & ſecum pugnantium religionũ, & diſciplinarum ſtudium. S. S. E. Venite, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſraël vltrà: quoniam cogitauerunt vnanimiter: ſimul aduerſum te teſtamentum diſpoſuerũt tabernacula Idumæorum & Iſmaëlitæ. Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalech: Alienigenæ cum habitantibus Tyrum.* Pſal. 82. *Vtramq; autem cauſam Christi doctrina Euangelio & virtute præſciſſum iri, Propheta noſter prædixit; idque duplici nomine & ratione inducta: altera iuſtitiæ & æquitatis cultu, altera verò fidei, religionis, atq; diſciplinæ eiuſdem concordia & ſtudio. Namq; iuſtitiæ munus eſt, omnẽ iniuriam arcere, ius ſuum, reſq; omnes vnicuique tueri & conſeruare: fidei verò & religionis veræ argumentum eſt, idem ſapere, idemq; velle, idipſum noſſe, idipſum ſentire in Deo. Ex quibus rebus magna cum primis concordia, & admirabilis quædam charitas oritur. Hanc autẽ notationem ſubiuncta oratione Propheta indicauit:* Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius: & fides cinctorium renum eius.

CINGVLVM *ad gerendas expediendasq́ res, quòd membrorum vires coniungere, confirmareq́ poßit, adhiberi ſolet: quamobrem iter facientibus, pugnam capeſſentibus, ad aliosq́ labores ſubeundos paratis lũborum cinctura, & compreßio cõuenit. vnde illud ſcriptum eſt: Sint lumbi veſtri præcincti.* Lucæ 12. *& , Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum.* Prou. 31. *Ita fit, vt lumborum præcinctura expeditionem & ſtudiũ ſignificet. Ex qua re huius loci explicatio petenda eſt: videlicet, iuſtitiæ, & veræ fidei ſtudium Chriſto adeò certum, proprium, coniunctumq́ fore, vt id præcipuè agendum, intendendum, & curandum ſit, quemadmodum hæc duo æternæ & piæ pacis fundamenta in hominum mentibus quàm ſolidißimè iaciantur; vt nemo qui ſe Chriſti diſcipulum profiteatur, alterum lædat, iniuria vt afficiat; nemo in veræ & ſolidæ fidei rationibus diuerſum ab altero, & à veritate ipſa ſapiat, aut ſentiat; vt de Chriſtianis illis, qui prima Chriſtianæ virtutis exempla protulere, ſcriptum eſt: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna; neque quiſquam eorum quæ poßidebat, dice-*

*bat aliquid eſſe ſuum: tantum abeſt vt aliena appeteret. Hæc igitur perpetuæ*
Pſal. 71. *pacis fundamenta Chriſto, pacis auctore, iacienda Vates præcinebat: Suſci-*
» *piant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Iudicabit pauperes populi,*
» *& ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem: & orietur*
» *in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna. Quod*
*verò vnius fidei profeſſionem ſpectat, ſic etiam à Prophetis prædictum eſt:*
Zach. 14. *In die illo erit Deus vnus, & erit nomen eius vnū: hoc autem ipſum in illo*
*celeberrimo genethliaco carmine à cæleſtibus ſpiritibus de Ieſu Chriſto præ-*
Lucæ 2. *dicatum legimus: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, &c. Atque huius*
*optandæ, admirãdæq; pacis imaginem pulcherrima ſignificatione Iſaias no-*
*ſter deſcripſit, inductis varius generis animantibus, quibus cùm nulla ſe-*
*cundùm naturam antea ſocietas interceſſerit, maximam concordiam ſecu-*
*ritatémque futuram promittat.*

Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum: & leo quaſi bos comedet paleas.

HORVM *generum atque nominum manifeſta ſignificatio eſt, quorum altera pars potentia, ferocitate; altera imbecillitate, ſimplicitate, innocentiaq; definitur. Nuſquam verò imbecillitas, & innocentia à potentiæ impetu & ſæuitia tuta eſt, niſi vbi Chriſti doctrina præcipuè viget atq; exercetur. Varia autem nocendi genera variis animantium nominibus indicata ſunt. Lupus enim ſæuitia, calliditate, & immanitate; Pardus impetu, & crudelitate; Leo fortitudine; Vrſus viribus & robore, cum bruto quodam ingenio coniunctis pollet. Contrà verò, Agnus ſimplicitate ſumma, Hœdus verò infirmitate, Vitulus teneritudine tenetur: vtriuſque autem & nocentium ferarum, & imbecillium animantium generis catuli alteri propter ætatis inſcitiam, & periculorum imperitiam petulantiores, alteri verò ſimpliciores, & magis imbecilli ſunt: atq; ideo fortiores, imbecillioribus magis infeſti. Summam autem pacem & ſecuritatem inter potentes & infirmos, ex Chriſti doctrina orituram, hæc animantium appellatio ſignificauit; nullamq; fore tam exiguam & tenuem vitæ ſortem, qua vel fortiſſimus quiſque contentus non ſit; ſeſeq; ab inferenda iniuria & vi contineat. Hoc eſt quod dixit:* & leo quaſi bos paleas comedet. *Nulla enim iuxta naturæ definitionem imagine aptiùs, & explicatiùs ferarum lenitas & manſuetudo indicari potuit, quàm vt ferarum fortiſſimo leoni paleæ cibus commodus & gratus fore diceretur. Siquidem herbarum & paleæ victus ferarum animantium genera à lenioribus & innocentioribus adeò latè ſeparat, vt quæcumque carnibus alantur animantes, eo ipſo carnium vſu feritatem & crudelitatem induere, & retinere, rapina atq; cæde viuere videantur. Contrà verò, quæ fœno aut fructibus, ſimplicioriq; paſtu viuunt, omnino innocentes, & crudelitatis expertes cognoſcantur: idq; tam in quadrupedum, quàm*

*quàm in volatilium natura obſeruatum eſt. Adeò autem carnis eſus crudelitatem parit atq; alit, vt hanc rationem cogitaſſe Deus nobis videatur, cùm permiſſo hominibus carniũ eſu à cæde & humano ſanguine abſtinere præcipiebat: Excepto, inquit, quòd carnem cum ſanguine non comedetis: ſanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris eius: Illud verò:* Gen.9 " "
Et puer paruulus minabit eos. *Elegantem ſignificationem habet obedientiæ & ſinceritatis ex Euangelij doctrina orituræ. Quòd omnium tam potentiorum, quàm imbecilliorum hominum ordines omnes Euangelij præceptis & inſtitutis à ſimplici & innocentiſſimo miniſtro (quales Apoſtolicum munus exigit) prædicatis obtemperaturi eſſent. Omnis autem hæc rerum deſcriptio manifeſtam pacem & ſecuritatem, atq; admirandam felicitatem indicat; iis animantiũ nominibus inductis, quæ, cùm vulgò nocentiſſimæ habeantur, tamen innocentes omnino fore confirmantur. Namque hoc modo veteres felicitatem canere, & depingere conſueuere. vt:*

*Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ*
*Vbera, nec magnos metuent armenta leones.*
*Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni*
*Occidet, Aſſyrium vulgo naſcetur Amomum.*

*Atque hæc ratio non modò ad cæteras animantes, quæ feritatis vim exprimunt, ſed ad ſerpentiũ vſque nocentiſſimum genus à Propheta producitur; quorũ venenata natura nihil omnino Chriſti diſcipulis nocitura eſſe canebatur.* Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauernam reguli qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.

INNOCENTIÆ *& ſinceritatis viam tutiſſimam cultoribus ſuis fore Propheta prædicit; ita vt qui infantium more Chriſti diſciplinam ſuſceperint, nullius malitiæ, aut nequitiæ hominum maleuorũ inſidias metuant; ſed omnino ſecuri, contemnant omnia eiuſmodi venena, quibus maligni homines infeſtare, & lædere alios ſolent. Scimus horum venenatorum nominibus homines malos & peruerſos, terrena ſapientes, & ad nocendum promptos ſignificari: quorum genus in Sacris libris, Viperarum genimina dicuntur. Puerorum verò & infantium nomine ſimpliciſſimi & candidiſſimi Chriſti diſcipuli indicantur: qui, vt regno cælorum apti ſint, ab omni malitia, ſuperbia & contentione alieni, infantium more ſimpliciſſimè viuunt, ſeſeq; regendos & ducendos, Deo totos tradunt. Taliũ eſt enim regnum cælorum. Cuiuſmodi innocentem ſimplicitatis infantiam diuinus ille Pſaltes profitebatur: Domine non eſt exaltatum cor meum, nec elati ſunt oculi mei, nec ambulaui in magnis, nec in mirabilibus ſuper me: ſi non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam, ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea. Atq; in Euangelicæ quidem felicitatis partibus definiendis ratio omnis myſticè, vt hactenus adnotauimus, exponenda eſt: ita tamen vt ſimpliciter atq; ex verborum ipſorum ſignificatione* Mat.4. Pſal.130. " " "

*tione non inconcinnè interdum exponatur. Etenim plurima miracula publicè inter homines in externarum & ſenſibilium rerum genere edenda à Chriſto fore, & edita eſſe; tum Prophetæ vaticinati, tum Euangeliſtæ etiam teſtati ſunt: vt videlicet corporearum, atque manifeſtarum mutationibus rerum occultæ mentium animorumq; renouationes, velut ſignis quibuſdam*
Iſa. 52. *certiſſimis oſtenderentur. Ex quo genere illa ſunt: Deus ipſe veniet, & ſal-*
» *uabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt.*
Mat. 8. *&, Verè languores noſtros ipſe portauit, & infirmitates noſtras accepit. Huiuſmodi namq; loca ad vtrumque, & ſimplicem, & arcanam ſignificationem, ab Euangeliſtis referuntur: & illud etiam huius rei apertiſſimum*
Mat. 9. *exemplum eſt: Vt ſciatis quòd Filius hominis habet poteſtatem in terra di-*
» *mittendi peccata: tunc ait paralitico: Surge, tolle lectum tuum, & ambula. Ad hunc ergo modum huius loci ſententiam expoſitam volumus: aſſerentes non modò arcanam animorum humanorum mutationem Euangelij Chriſti virtute faciendam, ſed etiam magnam admirandamq; rerum aliarum erga eos qui Euangelio credituri eſſent, temperamentum eſſe futurum: ita vt nullam earum quæ nocere aliàs atq; obeſſe ſolent, rerum, infeſtam & pernitioſam illam vim in ſanctos & innocentes, atq; puros Chriſti diſcipulos, hoc eſt, in paruulos illos pueros, experiri efficacē poſſit: idq; Euangelicæ vir-*
Mar. vlt. *tutis, & renouationis obſeruandum quoque ſignum datum ſit. S. S. E. Si-*
» *gna autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eii-*
» *cient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferū quid bibe-*
» *rint, non eis nocebit, &c. Atq; ita qui de ferarum lenitate, corde, ſimpliciſſima animantium ſecuritate, ab Iſaia hoc in loco prædicta ſunt, ad vtramq; definitionis rationem, hoc eſt, ad hominum ſecuritatem & pacem cum primis, deinde verò ad ipſas etiam ferarum naturas referri oportere dicimus: ſic tamen, vt poſteriùs hoc genus prioris ſignū eſſe interpretemur. de vtroq; autem genere ſubiunctum eſt: Non nocebunt, & non occident in mōte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientis. Omnem latè patentis Eccleſiæ ditionem, montem ſanctum ſuum appellat Deus: in qua magnam ſecuritatem fore promittit, atq; omni nocumento & offenſione carentem ſocietatem: quandoquidem potentibus & ſuperbis omnis morum feritas, omnis barbara immanitas propter Euangelij obedientiam deponenda eſſe dicitur; ne quis cui vllo modo aut nocere, aut infeſtus eſſe arguatur. Huius autem feliciſſimæ pacis cauſam, cognitionem Domini fore confirmat: qua qui præditi ſunt, lenitate, manſuetudine, atque morum facilitate plurimum commendantur: benignus enim & leniſſimus ille cognitionis Domini ſpiritus eſt: Diſcite (inquit Chriſtus) à me, quia mitis*
» *ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Quicūq; hoc ſpiritu Dei aguntur, filij Dei ſunt, & Deum cognoſcūt. Non poſſumus breuibus commentarij modis huius myſterij rationem explicare pro rei dignitate & amplitudine: ſed ne nihil tamen de tantis, tamq; hominum ge-*

*neri*

neri vtiliſſimis ſacramentis dicamus, illud indicare poſſumus: Maximam
animis hominum renouationem cum vera hac Dei cognitione afferri. Atq́
hanc cognitionem Dei illam eſſe, de qua Chriſtus dicebat: Hæc eſt autem Ioan. 17.
vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum "
Chriſtum. Neque verò ad futuram ſeculi felicitatem tantùm, ſed ad præ-
ſentis etiam vitæ renouationem huiuſmodi Dei cognitio referenda eſt. De
qua nos ſuo loco plura admirandaq́ ab ipſo bonorum omnium auctore de-
ducti, dicere cupimus & ſperamus. Illud autem hoc loco animaduertendum
eſt, Prophetam in huiuſmodi cauſa reddenda, recto quodam orationis gene-
re non ſine adnotatione fuiſſe vſum, hoc modo Hebraicè ad verbum: Quia
repleta eſt terra, ſcire Dominum, ſicut aquæ mare operientes. Infinitiuo ob
eam rem vates vſus eſt, quòd certam, conſtantem, atq́ actu ipſo exercitam
Dei notitiam, & cognitionem ſignificare vellet in Eccleſia Chriſti futu-
ram, Spiritu ſancto accepto; cuius virtute ij qui crederent, & obedirent Eu-
angelio, baptizandi erant in ſanctificationem. S. S. E. Ego vos baptizo tan- Lucæ 3.
tùm in aqua in pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me Ioan. 1.
eſt, cuius ego non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in "
Spiritu ſancto & igni: cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit "
aream ſuam. Fuerat quidem olim Dei notitia & cognitio in orbe, ſed non ea "
quæ terram, hoc eſt, naturam hominum perfunderet, vt penitus repletã ob- "
tegeret, & velaret: perinde atq́ terrarum illa pars, quæ ſalſa, ſterilis, atque
humanis vſibus inepta erat, aquis maris obtecta, nõ terræ faciem, ſed aqua-
rum continentem, & æquabilem copiam, eamq́ varius animantibus & re-
bus alendis idoneam, & fœcundiſſimã oſtendit; qualem pòſt Chriſtus Ec-
cleſiam ſuam diligens, præbuit, vt illam ſanctificaret, mundans eam laua-
cro aquæ in verbo; vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem
maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immacu-
lata. Quoniam verò hæc omnia ex diuinæ miſericordiæ dono hominum na-
turæ præſtanda erant; vtpote quæ ad felicitatem illam admirandam, co-
gnoſcendi Dominum referebantur: ob eam rem nomen illud ſanctiſſimum
יהוה ab Iſaia commodè & ſignificanter appellatum eſt. Cuius interpretandi
rationem præcipuam ex miſericordiæ locis & definitionibus petendã eſſe,
iam aliàs perſæpe docuimus. Huius enim nominis perfecta cognitio nõ mo-
dò primis illis mundi ſeculis, ſed etiam Abrahæ, Iſaaci, & Iacobi tempo-
ribus deſiderata fuit; atque tum demum proferri & oſtendi cœpta, cùm
Iſraëliticum populum de Ægyptiaca ſeruitute Deus liberauit: quòd illa
liberatio huius publicæ ſalutis à Chriſto in orbem afferendæ, illuſtriſſi-
ma & ſignificantiſſima imago, & vmbra quædam exactiſſima eſſet.
S.S.E. Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo om- Exodi 6.
nipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis: Pepigiq́ fœdus cum "
eis, vt darem eis terram Chanaam, terram peregrinationis eorum, in qua "
fuerunt aduenæ. Ego audiui gemitum filiorum Iſraël, quo Ægyptij oppreſ- "

» ſeruntେos, & recordatus ſum pacti mei: ideo dic filiis Iſraël: Ego educam
» vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſeruitute, ac redimam in bra-
» chio excelſo, & iudiciis magnis: & aſſumam vos mihi in populum, & ero
» veſter Deus, & ſcietis quòd ego ſum Dominus Deus veſter, qui eduxerim
» vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & induxerim vos in terram ſuper quam le-
» uaui manum meam: vt darem eam Abraham, Iſaac, & Iacob: daboq́ illam
» poßidendam vobis, ego Dominus. Huius loci ad animorum ſalutem relati,
expoſitionem quicumque cognouerit, facilè coniectare poterit mentem Iſaiæ
» in hoc verſu: Quia repleta eſt terra cognoſcere Dominum, ſicut aquæ ope-
» rientes mare. Ex hac autem Prophetæ ſententia docemur, inſidias, iniurias
malaq́ omnia quibus homines ab hominibus infeſtantur, ex huius cogni-
tionis defectu oriri, atq́ adeò eos, qui verè Dominum cognouerint à nocen-
di vſu & ſtudio longißimè eſſe alienos: ſimplicitatem præterea Chriſtia-
nam innocentem pariter, & periculorum omniū, quæ corpori accidere poſ-
ſint, contemnentem eſſe: quam profectò rationem omnem diuinus Pſaltes
in illo arcano hymno, quem dici ſabbathi non ſine myſterio inſcripſit, ſigni-
Pſal.91. ficantißimè perſecutus eſt: Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomi-
» ni ſuo altißimè. Ad annuntiandum manè miſericordiam tuam, & veri-
» tatem tuam per noctem: quia delectaſti me Domine in factura tua, & in
» operibus manuum tuarum exultabo. In decachordo pſalterio cum cantico in
» cithara. Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ
» ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget
» hæc. Cùm exorti fuerint peccatores ſicut fœnum, & apparuerint omnes qui
» operātur iniquitatem. Vt intereant in ſeculū ſeculi, tu autem altißimus in
» æternū Dn̄e. Quoniā ecce inimici tui Dn̄e, quoniā ecce inimici tui peribūt;
» & diſpergētur omnes qui operātur iniquitatē, &c. Quæ omnia hūc admi-
Heb.4. randū ſabbathiſmū ſpectant, qui populo Dei relictus eſt. Hæc igitur breuis
expoſitio eſt illius ſentētiæ Dn̄i; quæ terrā repletura ab Iſaia prædicebatur.
Ierem.31. de qua S.E. Dabo legem meam in viſceribus eorū, & in corde eorū ſcribam
» eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum; & non docebit vl-
» trà vir proximum ſuū, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum.
» Omnes enim cognoſcent me, à minimo eorum vſque ad maximum, ait Do-
» minus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor
» ampliùs. His autem quæ explicata iam nobis fuere, octauam notationem
Iſaias addit in vero Meßia obſeruandam: quam in Chriſto Ieſu omnino
ſpectatam fuiſſe noui Teſtamenti hiſtoriæ, & libri, & omnium orbis ter-
rarum nationes confirmant. Ea autem fuit gentium ad Chriſtianam diſci-
plinam vocatio, quam Prophetæ omnes ab initio vſque indicauerūt. Siqui-
Gen.49. dem ſenex ille, dum morti iam vicinus, & futura tempora animo præui-
Eſaiæ 2. dens deſcriberet, illud de Chriſto expoſuit: Et ipſe erit expectatio gentium:
» noſter verò Iſaias ſuperiùs dixerat. Et iudicabit gentes, & arguet populos
Eſaiæ 42. multos. Idem etiam inferiùs ait: Et legem eius inſulæ expectabunt. De ea-
dem

*dem quoque re Sophonias dixit: Quia tunc reddet populis labium electum,* Sop. 3.
*vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno vltra* "
*flumina Æthyopiæ. Inde ſupplices mei filij diſperſorũ meorũ deferent munus mihi.* " *Hanc autem notationem illuſtri orationis figura Iſaias hoc loco expoſuit, oſtenditq́ gentium omniũ nationes Chriſti doctrinã ſecuturas, eiuſdemq́ regnũ atq; imperiũ obſeruaturas eſſe: id verò non bellorum & crudelitatis vi, ſed diuinæ cuiuſdã lenitatis, pacis & quietis à Chriſto afferendæ, virtute efficiendum eſſe ait. huius autẽ notationis illa deſcriptio eſt:*

In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.

QVEMADMODVM *ij, qui militiam colunt, certa ſigna & vexilla proſpicere ſequiq́ ſolent, & ſingulæ partes propria habent, ad quæ conuenire debent: ſic omnis orbis nationes vnum elatum & conſtitutum ſignum, quod intueantur, quodq́ ſequantur habituræ eſſe, à Vate prædicantur; idq́ ſignum Chriſtus fore dicitur à Deo omni orbi conſtituendum: qui nũc ideo radix Ieſſe appellatur, qui antea virga de radice Ieſſe appellatus fuerat, quòd ex ſingulari quadam ſimplicitate & vnitate, ad innumeram ſobolẽ & multitudinem populum à ſe propagatum, in æternum conſeruaturus erat. Etenim vt ex vno Adamo, totius hominum generis ſoboles ſecundùm carnem propagata eſt, nomẽnque ipſum vnà cum progenie conſeruatum durat; ſic ex vno Chriſto nouæ regenerationis, & futuri ſeculi patre, omnis nouarũ creaturarum innumerabilis copia iuxta ſpiritum gignenda, producẽda, atq; dilatanda, perpetuoq́ conſeruãda fuit. Atq; vt ex Ieſſe vnus, iſq; minimus, in ſpeciem ſurculus Dauid productus, omnem Iudæorum regum ſobolem propagauit; ſic etiam Chriſtus initio in ſpeciem humillimus & ſingularis, regnum ſuum in æterna ſecula multis hominibus communicatũ conſtituit, & ſtabiliuit. Hoc igitur propoſitum & conſtitutum à Deo ſignum, nõ modò Iſraëlitæ ſecundùm carnem, ſed gentes etiam aliæ, quæ Babylonicæ confuſionis tempeſtate in varia loca & ſtudia diductæ diſperſæq; fuerãt, vnicum proſpicientes, ſecuturæ ſunt.* Ipſum gentes deprecabuntur. *Ipſum, inquit, veneratæ quærent, optabuntq́ ſibi. Hebraicum verbum eſt* DARAS, *quod quærere, & ſequi propriè ſignificat; eſtq́ aptum verbum nomini* SIGNVM, *quo ex tranſlatione Propheta vſus eſt, ſicut apud Latinos verbum, Sequi, aptè cum ſigno coniungitur. Illud verò huic ſententiæ ſubiunctũ eſt:* & erit ſepulchrum eius glorioſum. *Si ita vt Latinè eſt exponatur, facilem explicationem habet: Chriſti ſepulchrum glorioſum & celebre propterea futurum; quòd & mortis pro hominum ſalute ſuſceptæ, & admirandæ reſurrectionis propter eorundem ſanctificationem, ab eodem victore & triumphatore repetitæ, argumentum & teſtimonium præberet. Atque hoc modo & mortem & reſurrectionem Chriſti hæc interpretatio indicat. Si verò locum ex Hebraica lectione explicare placeat, illa nobis metaphora ab initio vſurpata, vrgenda potiùs fuerit, atque eo modo elegans totius ſen-*

*tentiæ ratio exponetur. Habet autem Hebraicum exemplar:* Et erit MEN-
VHHATHO CHABOD. *Quod ad verbum ſonat,* & erit quies eius gloria.
*Græci interpretes ita vertunt: & erit requies eius honor. Eſtq́; huius loci
illa explicatio: Gloriam illam & amplitudinem atq́; imperiū in omnes gen-
tes, non bellis & cædibus atque humanarum rerum perturbatione, vt aliis
gentium imperatoribus contigit, ſed pace, quiete, tranquillitate, atq́; quodam
lenitatis vſu conſtare: cæteris enim ſummis ducibus gloria, rebus per vim
& arma geſtis, & perturbatis confuſisq́; aliorum hominum regnis ac ditio-
nibus parari ſolet, eaq́; res triumphi cauſa expeti videtur. At verò Chriſtus
auctor & Princeps pacis, paupertatis magiſter, ambitionis oſor, lenitatis
& modeſtiæ princeps ſummus, nullis alienis rebus, aut vitæ inſidiatur, ſed
ſaluti, quieti, tranquillitatiq́; omnium conſulit: atq́; hac ratione omnium
animos gentium ſibi conciliat; nullo bello indicto, ſed pace & miſericordia
Dei omnibus nationibus, quæ Euangelio obedierint, propoſita. Atque hunc*
Rom. 15. *locum de Chriſto apertè in hanc ſententiam Paulus expoſuit: Dico autem
» Chriſtum miniſtrum fuiſſe circuncisionis propter veritatem Dei, ad con-
» firmandas promiſsiones patrum. Gentes autem ſuper miſericordia honora-*
Pſal. 7. *re Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine,*
2 Reg. 22. *& nomini tuo cantabo. & iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe eius.*
Pſal. 116. *& iterum: Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes
» populi. & iterum Iſaias ait: Et erit radix Ieſſe, & qui exurget regere gen-
» tes, in eum gentes ſperabunt, hæc Paulus. Chaldæus verò Paraphraſtes non
adeò his diſſentanea ſcripſit: quem interpres noſter, vt ſæpè aliàs conſueuit,
in exponendo ſecutus videtur. Et erit locus habitaculi eius in honore.
Ex loco habitaculi Chaldaicè reddito, & ex quiete Hebraicè ſcripta à no-
ſtro interprete ſepulchrum conſtructum fuiſſe arbitramur. Illa verò nono
loco obſeruanda notatio quæ ab Iſaia indicata eſt, longiores paulò explicatus
habet: quibus dum ſtudemus, virtutis efficientiæq́; Chriſti grauiſsima ar-
gumenta obſeruamus, & Iudæorum aduerſus Chriſtianam veritatem fri-
gidas ieiunasq́; calumnias coërcemus: cuius aperta, & diligenter explicata
ratio, ad omnem argumentandi vſum idoneam ſuppeditabit materiam. Eſt
igitur notatio hæc de vocatione, redemptione, & ſalute Iſraëlitarum expo-
nenda: quam poſt vocatas admiſſas, & in Eccleſiam Chriſtianam receptas
gentes expectandum eſſe, & Prophetæ omnes, & Chriſtus, & Apoſtoli
prædixerunt. Quamquam enim naſcentis Eccleſiæ initio multi ex Iudæis
& Iſraëlitis, Euangelio audito credentes, Chriſtianæ ſalutis, & regni cæ-
lorum participes teſtesq́; fuerint; neque id ſolùm illis, qui in Iudæa regione,
ſed multis etiam ex iis qui diſperſi fuerant, contigit; vt Apoſtolorum acta
Epiſtolæq́; docent: illa tamen abſoluta, perfecta, communisq́; omnium reli-
quiarum, Iſraël reſtitutio & ſalus tam diu expectatur, quoad plenitudo*
Rom. 12. *gentium admiſſa introductaq́; in regnum fuerit. S. S. E. Nolo enim vos
» ignorare fratres myſterium hoc (vt non ſitis vobiſmetipſis ſapientes) quòd*

*cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, & ſic* "
*omnis Iſraël ſaluus fieret. S. S. E. Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat* Iſaiæ 59.
*impietatem Iacob; & hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eo-* "
*rum. Atq; de hoc integro & abſoluto omnibus Iſraëlis reliquiis, liberatio-* "
*nis ac ſalutis diuinitùs præſtando munere, non autem de Iudæis ex Baby-
lone reducendis, ab Iſaia hoc in loco agi, ipſa tantùm ſimplici verborum ex-
poſitione, & rerum inter ſe collatione cognoſcemus.*

Et erit in die illa: adiiciet Dominus ſecundò manum ſuam ad poſ-
ſidendum reſiduum populi ſui, quod relinquetur ab Aſſyriis, & ab Ægypto, & à Phetros, & ab Æthiopia, & ab Ælam, & à Sennaar, & ab Æmath, & ab inſulis maris.

HANC *rem vt certiſsimam, & diuino conſilio decretam expectari opor-
tere Propheta indicat, illa oratione vſus:* Et erit. *illud verò ad temporis ra-
tionem obſeruandam additum eſt,* in die illa. *Totum tempus humanæ ſa-
lutis à Chriſto allatæ, vnius diei nomine Prophetæ definiunt: quod tempus
acceptabile, & ſalutis diem Apoſtolus interpretatur. At verò rerum ipſa-
rum ſeries, & conſequentiæ certa ratione diſtinctæ & prædictæ, cumpri-
mis fuerint obſeruandæ: vt quòd vocationem gentium Iſraëlitarum reſti-
tutioni & collectioni Prophetæ & Apoſtoli dicendi, etiam ordine præpoſi-
tam indicatamq; voluerint: namq; proxima quæ præceſsit notatio, ad coop-
tandas in Eccleſia gentes pertinebat; quam rem Iſraëlitarum ſalus deinde
conſecutura eſſe dicitur. atque de temporum ſerie hæc indicaſſe ſat fuerit.
Iam rem ipſam, verba explicantes, obſeruemus: atq; hunc locum de Baby-
lonica reductione non poſſe exponi, multa vt affirmemus nos argumenta
cogunt. Cum primis autem quòd hîc de perfecta & abſoluta redemptione,
& liberatione agitur, cuiuſmodi nomen Babylonica illa reductio nunquam
obtinuit, ſed viſitatio tantùm appellata eſt. S. S. E. Hæc dicit Dominus:* Ierem 29.
*Cùm cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos; & ſuſ-* "
*citabo ſuper vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum iſtum.* "
*Viſitationem itaq; & reductionem illam potiùs quàm ſalutem & liberatio-
nem dici conueniat: cùm tamen hanc, de qua Iſaiæ nunc ſermo eſt, libera-
tionem & ſalutem, redemptionemq; ad Ægyptiacam antiquam imaginem
referendam, longè tamen præſtantiſsimam definiri oporteat; quippe quam
Propheta verbo redemptionem, acquiſitionem, & poſſeſsionem ſignificante
appellat.* Ad poſſidendum reſiduum populi tui. *Verbum* CANAH, *eme-
re, redimere, acquirere, vendicare, iuriq; ſui facere, propriè ſignificat. Cu-
iuſmodi ius in eundē populum ſibi Deus per Prophetam vendicabat: Num-* Deut. 32.
*quid non ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te? & illud: Cognouit bos poſſeſſo-* Iſaiæ 1.
*rem ſuum, Iſraël me non cognouit, &c. Itaq; verum ex alieno dominio, ex* "
*ſeruitute liberationem, & redemptionem erga populi ſui reliquias factu-
rum ſe Deus pollicetur. Atque hoc vnum primum, idq; ſatis inſigne diſcri-
men vtriuſque rei eſt. Illud etiam ſecundum quod indicatur hac oratione:*

Adiiciet Dominus ſecundò manum ſuam. *Quatuor verbis, quatuor inſignes annotantur ſignificationes: namque Domini nomen appellatum, rem ad magnæ miſericordiæ & promiſſionis rationes explicandas ſpectare indicat. Deinde verbū, adiiciet, non modò numeri, ſed magnitudinis etiam*

יוסף *augmentum ex Hebraico vocabulo,* IOSZEPH, *ſignificat: ita vt res denuò maximaq́ cum amplificatione gerenda, atq́ ideò multo præſtantior admirabiliorq́ intelligatur. Præterea vox ſecūdò Hebraicè* SENITH, *repetitionem exemplumq́ renouatū, verùm præclariùs & magnificentiùs, maioriq́ ſtudio atq́ molimine editum ſignificat: quam ſi ex vi ipſa vertamus, duplicatò dicere non ineptè poſſumus. Atque hoc modo duplex opus hoc facturum eſſe indicabatur à Propheta: qui liberationem ex Ægypto, quamuis magnam, illuſtremq́ cognoſceret, tamen cum hac collatam ſimplicē fuiſſe exiſtimabat. Hanc verò non ſolùm rei ipſius gerēdæ magnitudine & dignitate, ſed ſubiecto etiam duplicem fore aiebat: vtpote quam ad animorum corporúmque ſalutem pertinere intelligeret; cùm illam corporum tantùm libertate definitam cognoſceret. Porrò quid vates ſentire vellet, illo vltimo nomine indicatur apertiſſimè,* manum ſuā: *namq́ manus Domini rei cuiuſpiam apparata victoria, potentia, triumphoq́ maximo gerendæ ſignificationem obtinet: neque vmquam de leui aliqua liberatione aut reſtitutione dicitur; ſed de grauiſſima & illuſtriſſima rerum vendicatione, in qua diuina virtus & potentia expectatiſſimis exemplis oſtendatur: ideoq́ propriè ad Ægyptiacam liberationem ſignificandam vſurpatur. S.S.E. Ego ſcio, quòd non dimittet vos rex Ægypti vt eatis, niſi per manum validam: extendamq́ manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum: poſt hoc dimittet vos. & iterum: Et viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: Sit igitur huius loci quem exponimus, breuis & paraphraſtica explicatio hæc:*

Exodi 3. Exodi 14.

Et erit in die illa: addet amplius Dominus miſericordia & veritate præſtantiſſimus, repetito & duplicato exemplo, virtutem efficacitatemq́; ſuam, ad redimendum reliquias populi ſui.

ATQVE *hæc oratio manifeſtè oſtendit, nec Babylonicam reſtitutionem, nec aliquam corporalem tantùm libertatem, vt Iudæi hallucinati interpretantur, in hoc loco deſcribi; ſed veram, abſolutam, & perfectam cùm corporum, tum maximè animorum ſalutem & redemptionem (qualem Chriſtus morte & reſurrectione ſua effecit:) quæ nō ad Iudæorum modò gentē, ſed ad omnes tribuum omnium olim à Salmanaſſare diſperſarum reliquias pertinebat; ita omninò eſt communem, atq́ illa corporalis ab Ægyptiaca ſeruitute liberatio communis omnibus Iſraëlitis fuerat. Quamquam autem illius victoriæ & liberationis, quam Chriſtus rubrum & ſanguineū mortis ſuæ mare pertranſiens, orbi peperit, multi ex Iudæis, & cæteris Iſraëlis illo tempore participes (vt iam diximus) extiterint; non tamen eius virtu-*

*tem*

*tem omnes experti ſunt: quoniam multi ex illis non crediderunt, & in incredulitate ac perfidia permanentes, miſerrimam corporum & animorum ſeruitutem ſua culpa ſeruiunt: quoad gentium introducta plenitudine, diuinæ miſericordiæ, & promiſſorum Patribus antiquis factorum efficacitatem ſuo magno bono ſentiant; & manũ illam validam, qua Deus per Chriſtum, filium, legatum, interpretemq́; ſuum, vniuerſum orbem à tyrannide illa grauiſſima & moleſtiſſima inferni Pharaonis & Ægyptiorũ, hoc eſt, peccatorum eripuit, ſua etiam ipſorum libertate agnoſcant. Tum verò cæteræ deſcriptionis partes noſtram expoſitionem abundè ſatis illuſtrant: omnibus illis nationibus indicatis, apud quas Iſraëlitarũ omnium diſperſæ tribus cõmoratæ ac detentæ fuere.* Reſiduum populi, quod relinquetur. *Non omnes Iſraëlitas liberandos eſſe dicit; ſed eos, qui relicti illo tempore fuerint: quos, quia vocatos Euangelio credituros eſſe cognoſcebat, reſiduum populi ſui appellauit. Neque enim omnes qui ſecundùm carnem Iſraëlitæ dicuntur, populus Dei ſunt; ſed ij tantùm qui Iſraëlis fidem imitantur: ceteri, quamquam vocati, à populi nomine, dignitate, & communicatione abdicati reiectiq́; ſunt. S. S. E. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Nationũ verò apud quas Iſraëlitæ ex illa prima diſperſione detenti fuerunt, nomina, ex Chaldæo Paraphraſte interpretari ſatis hoc loco fuerit, nobis aliàs in geographicis noſtris, & in aliis quoque commentariorum locis pleniùs expoſita. ſic autem Chaldæus habet: De Aſſuria, de Ægypto, de Bathiozz, & de India, & de Ghelam, & de Babel, & de Hhamath, & de inſulis maris. Hhamath, Syriam Damaſci; Inſulas maris, Græciam, Germaniam, & Galliam, Italiam, Hiſpaniam, interpretamur: cæteris autem notis, ob quas Aegyptiaca libertas Babylonicæ reſtitutioni diſsimillima cenſetur, illæ quoque adduntur, quòd ex Aegypto omnes Iſraëlis filij, quotquot ſupererant, educti ſunt; ex Babylone verò, tãtùm Iudæi & Beniaminitæ, neque ij tamen omnes in patriam remigrauere. Præterea qui ex Aegypto educti ſunt, ſeruitutis conditionem vera libertate mutauerunt; vt eſſent in populũ Dei, nulli extero regi vel tyranno addicti. Qui verò Babylone redierunt Ieroſolymam, nunc Perſis & Medis, nunc Græcis ac tandem Romanis ſeruierunt perpetuò, quàm diu ſecundum templum durauit. Item ex Aegypto eductis, illa maxima & illuſtriſſima atque vtiliſſima diuinorum ſignorum cõmoditas & vſus Dei beneficio conſtitit: Arcæ teſtamenti, maieſtatis inhabitantis prophetiæ, Spiritus ſancti Vrim & Thumim, & ignis cæleſtis: quæ omnia ſecundi templi tempore Babylone reductis, deſiderata ſunt. His illud etiam maximi momenti accedit, quòd Aegyptiacam libertatem illuſtriſſima, & omni populo ſpectatiſſima ſigna ac miracula, & præceſſere, & conſecuta ſunt: qualia in Babylonica viſitatione nulla legimus extitiſſe. Demum poſt Aegyptiacam ſalutem rerum gerendarum & gubernandarum*

Mat. 8.

*ſumma*

*ſumma penes Iudæorũ tribum fuit, antequã reges conſtituerentur: atq; illis
conſtitutis, regni ius & vſus perpetuò in Dauidis familia vſque ad tranſ-
migrationem permanſit. At verò Babylone reducti, nullum ex Dauidis do-
mo, aut ex Iudæ tribu regem habuere. Hæc igitur omnia manifeſtè arguũt,
& oſtendunt quantum interſit inter Babylonicam viſitationem, & Aegy-
ptiacam liberationẽ, qua populus omnis à miſerrima ſeruitute, ad illuſtrem
liberamq; conditionem diuino beneficio traductus eſt. Hanc autem emptio-
nem, ſalutem, redemptionem, & liberationem ſermo ſacer appellat, cuius
inſtar, multò tamen amplius, auctius, & illuſtrius liberatio illa, de qua
nunc Propheta diſſerit, habitura fuit, veniente in terras Dei Filio Ieſu
Chriſto, qui humanum genus (cuius pars Iſraëlitæ ſunt) à miſerrima mor-
tis & peccati diaboliq; ſeruitute (cui per totam vitam obnoxium fuiſſe dici-
tur) liberaret. Atq; omnium illorum argumentorum quæ ad vitam & pie-
tatem pertinent, vſu ſpirituali & perfecto augeret; regnumq; ipſum in do-
mo Dauid conſtitutum & confirmatũ, in perpetua æternitatis ſæcula pro-*
Act. 2. *pagaret. S. S. E. Viri Iſraëlitæ audite verba hæc: Ieſum Nazarenum, virum
" approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & ſignis quæ fecit
" Deus per illũ in medio veſtri, ſicut & vos ſcitis, & cætera quæ in illa my-
ſteriorum plena concione populo Diuus Petrus oſtendens, probauit: cuius
" ille Epilogus eſt: Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia Dominum
" eum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis. & paulo
" pòſt: Pænitentiam (inquit) agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in
" nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis
" donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & om-
" nibus qui longè ſunt, quoſcumque aduocauerit Dominus Deus noſter. At-
que de ornamentis illis ſpiritualibus plurima, quæ Euangeliſtæ, Apoſtoli-*
2. Pet. 1. *que omnes prædicauere, breui oratione idem Petrus eſt complexus: Quomo-
" do omnia nobis diuinæ virtutis quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per
" cognitionem eius qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quem maxi-
" ma & pretioſa nobis promiſſa donauit: vt per hæc efficiamur diuinæ con-
" ſortes naturæ; fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptio-
nem. Quod verò ad orationis perſpicuitatem facit, illa verba: Ab Aſſyriis,
& ab Aegypto, & à Phetros, &c. ad illud referenda ſunt:* ad poſſiden-
dum, *ſiue* ad redimendum. *& hoc de Chriſti redemptoris beneficio, cum
reliquis Iſraëlitarum communicando (vt iam expoſuimus) intelligitur.
Atque adeò hunc Iſraëlitarum ad diuinam gratiam reditum, & ad ſalu-
tis vitæ & regni communicationem aditum omnibus gentibus notiſſimum
cumprimis, magnáque expeditionis celeritate expectabilem fore, Prophe-
ta ſignificat:*

Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſraël: & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.

CERTO, *& omnibus conſpicuo ſigno, ac veluti vexillo conſtituto, Iſ-
raëli-*

raelitas atque Iudæos conuocandos adducendosq́ fore, vates ait. Vtriuſque autem partis conditionem duobus aptiſsimis verbis adnotat. profugos Iſraël & diſperſos Iuda. eo quòd Iſraelitæ ſemel tantùm abducti in eandem orbis terræ partem migrare coacti ſunt; nempe in Hhalah, & Habor, & in cæteras Mediæ regiones. Iudæi verò bis & à Chaldæis, & à Romanis victi, eiecti, atq; in varia orbis terræ loca adacti, atq; per quatuor mundi plagas diſperſi, & perpetuò ferè diuagati ſunt. Atq; hæc ſignificatio eſt vocum Profugos, ſiue vt Hebraicè ad verbum ſonat, Impulſos, & Diſperſos. Atq; de certa huius ſigni definitione, cùm multa à multis expoſitoribus variè dicta & ſignificata ſint, nobis illud ſignificare placuit, manifeſtiſsimum & illuſtriſsimum ſignum ſalutis populo allatæ, ipſam eſſe Chriſti virtutem cum diſcipulis per Spiritum ſanctum communicatam: qua, qui præditi ſunt, lucere ſolent, ſicut luminaria in mundo in medio nationis prauæ & peruerſæ, verbum vitæ continentes. Hanc adeò virtutem ſolus Chriſtus Filius Dei allaturus, cumq́; ſuis communicaturus erat verè, atq; reapſe in viuum veritatis ſuæ teſtimonium atq; miraculorum omnium, quæ à ſe ederentur præſtantiſsimum genus, cuius qui compotes eſſent, manifeſtum argumentum diuinitatis efficientiæ & auctoritatis Chriſti gentibus omnibus præberent. Huius autem ſigni ratio omnis crucis & reſurrectionis efficacitate nititur: quarum quicunque myſteria nouerit, is huius expoſitionem ſigni aptiſsimè tenebit. De hoc ſigno ſcriptum eſt: Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti, & gratia magna erat in omnibus illis. namq; huius diuini atq; vnici ſigni ea virtus, eaq́; efficientia eſt; vt eos qui ſe proſpectent & ſequantur, ab omni contentione, inuidia, & ſimultate alienos in gratia & charitate pacis, & amicitiæ communitate conſeruet: quippe quos, vt eiuſdem capitis viua & ſana mẽbra idem ſapere, idem ſentire, idemq́; velle conſtet. ideo ſubiunctum in ſacra hiſtoria eſt: Et gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quiſquam egenus erat inter illos: quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorũ erant, vendentes offerebant pretia eorũ quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum; diuidebatur autem ſingulis prout opus erat. Hanc adeò virtutem in primis, atq; hanc gratiam manifeſtum ſignum Chriſtianæ veritatis non ſolùm fore Prophetæ præcinebant, ſed noui Teſtamenti ſcriptores fuiſſe aſſeuerant, & ipſi religionis Chriſtianæ impugnatores gentium tyranni, magiſtratus, principes ac populi magna cum admiratione confeſsi ſunt: id quod apertè ab inimicis & æmulis conteſtatum videbit, quiſquis Porphyrij, Luciani, & Plinij Iunioris ſcripta perlegerit, vt interim eos, qui à nobis fuere, prætermittamus auctores. Hunc autem concordiæ, charitatis, & pacis, & communitatis vſum vnius ſigni ſpectationem in Iſraëlitis conſecuturum, Propheta etiam noſter ita expreſsit: Act. 4.

Et auferetur zelus Ephraim, & hoſtes Iuda peribunt: Ephraim non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contra Ephraim.

ILLAM, *quam Chriſtus ſuis dat pacem, nec mundus propter peccatũ, & ambitionis contentioniſq́ ſtudia: nec lex vetus propter infirmitatem dare poteſt: quamobrem ſimul cum illius ſigni vinci à Deo ſtatuti ſtudio & vſu expectandam Iſaias prædicabat. Atq́ vt ſententiæ omnis ratio à principio repetita cognoſcatur, operæpretium fuerit meminiſſe illius olim diſpoſitionis & ordinis ſignorum & vexillorum quatuor, quæ filij Iſrael itinere conficiendo ſequi, atq́ caſtris conſtituendis, comitari, & frequẽtare iuſſi*
Num.1.2.10 *ſunt. Quorũ ratio eiuſmodi fuerat inſtituta, vt Iudæ vexillum cum ſigno*
„ *ſuo tabernaculi locum ab Orientali plaga præcedens primas, Ephraim ab*
„ *Occidentali poſtremas obtineret; latera verò hinc inde à Meridie & Se-*
„ *ptentrione duobus alteris clauderentur Zabulon & Iſſachar. Ex qua re (vt hominum ingenia moreſq́ ſunt) inuidiæ occaſio oblata videtur, quòd ancillarum filij vxorum primarum liberos anteirent. Atque hanc perpetuò æmulationem apud Ephraitas aduerſus Iudæos, vſque ad manifeſtas diſsidij cauſas, ob quas tandem regnum diuiſum eſt, perduraſſe, & Hebræi auctores tradunt, & nos, legendis hiſtoriarum ſacrarũ libris, obſeruauimus. Huiuſmodi autem contentionem inuidiamq́ vno Chriſto, quẽ omnes communi ſtudio ſequantur, propoſito ſigno, tollendam abolendamq́; pacem verò & concordiam, ſummamq́ gratiam inter omnes tribus, inprimiſq́ inter duo capita illa, Iudam & Ephraim conciliandam eſſe Propheta ait. Idq́ verbis Hebraicè appoſitiſsimis eloquitur; quæ nos explicandi cauſa ſic vertimus:* Et abſcedet Ephraim, & anguſtiatores Iuda ſcindentur: Ephraim non zelabitur Iehuda, & Iehuda non anguſtiabit Ephraim. *Zelus, Græcum vocabulũ, & zelari Latinis idem quod æmulatio, & æmulari eſt. Sed quidnam ſit, anguſtiator, eſt nobis breuiter explicandum: Qui poſteriori loco, aut tempore, vel natus, vel aſcitus, aut admiſſus, priores vel honoris, vel familiaritatis, vel gratiæ partes alteri qui ſe præceſſerat, eripit. Hebraicè* TSORER *dicitur: nobis verò Latinè anguſtiatorem, ſiue depreſſorem, ſiue prementem verti poteſt. Eſt enim tranſlatio à loco ſumpta, quem vnuſquiſpiam, ceteris compreſsis, aut in anguſtiam coactis, præoccupatam, ſibi commodiſsimè tenere contendit: atq́ adeò hoc nomine dicuntur eæ, quas pellices Latinè, vel potiùs ſecundas vxores nominare poſſumus. vt quod in*
Leuit.18. *lege ſcriptum eſt: Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies. Hebraicè ad verbum, ad anguſtiandum non accipies. & in libro Samuelis, de*
1.Sam. *altera poſteriori Elcane vxore Hannæ infeſtiſsima legimus. Affligebát-*
„ *que eam æmula eius, & vehementer angebat. Eſt etiam hoc loco* SZARA *huius ſignificationis, atq́ huius moleſtiæ tam erga viros, quàm erga feminas: cuius plus quàm centum exempla in ſacris libris ſunt. Concordem igitur, & æquabilem, atq́ omni contentione inuidiaq́ alienam Eccleſiæ cõmunionem Iudæis & Ephraitis vno ſub ſigno, & ſub vno duce Chriſto militaturis, & victuris Iſaias prædicit, quando nec Ephraim æmulabitur Iudæ, nec Iuda primarum partium tuendarum ſtudio & contentione Ephraim*

ſt[illegible]

*fratrem lædere coget. Rurſus etiã Ephraim, qui hactenus regni ius Iudæorum tribus intertarbabat, Chriſto legitimo Regi libẽtiſſimè cõcedet, hoc eſt,* auferetur. *Zelus Ephraim porrò reſtitutionis & reductionis Iſraelitarũ ad Eccleſiæ communionẽ, quanta eo tempore celeritas futura ſit, quantaq́; omnia vel remotiſſima loca adeundi facilitas, apertiſſimis antiquorũ exemplorum ſimilitudinibus, atque ſignificantiſſima oratione oſtenditur.*

Et volabunt in humeros Philiſtiim per mare, ſimul prædabuntur filios Orientis: Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filij Amon obedientes erunt.

PALESTINI *olim infenſiſſimi Iſraelitis & inuidentiſſimi fuerũt, omniumq́; commodorũ oppugnatores acerrimi: neque verò eis mitiores aut æquiores Orientis filij; vt Aſſyrij, Parthi, Aelamitæ, Arabes, & Iſmaelitæ extitere: Idumæi, Moabitæ, atq; Amonitæ tum duri ſemper æmuli, tũ etiam propter legem inexpugnabiles, quòd ab horum populorum expulſione, aut internecione expreſſis præceptis fuerit interdictum. S. S. E. Non pugnes contra Moabitas, nec inibis prœliũ aduerſus eos: non enim dabo tibi quicquam de terra eorum. Et accedens in vicinia filiorum Ammon, caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad prælium, non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon. De Idumæis verò: Videte ergo diligenter ne moueamini contra eos, neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum poteſt vnius pedis calcare veſtigium: quia in poſſeſſionem Eſau dedi montem Seir. Atq; hoc modo Iſraeliticus populus anguſtis vndique terminis, vel apertiſſimis hoſtibus vel interdictis gentibus, ſine vlla vitæ vel commodorum communicatione claudebatur: nunc etiam vbicumque diſperſus vel impulſus agit, ſolus degit omnibus gentibus inuiſus. Cùm verò illud aureum tempus aduenerit, quo in diuinam gratiam recipiendus ſit, neminem habebit oppugnatorem; aut aduerſarium: ſed omnium gentium ſtudia & operam in ſuam commoditatem experietur; atq; vt filius regni, vt radix arboris, vt maſſa ſancta ab omnibus amabitur & obſeruabitur, tamquam frater cuius ſunt promiſſiones & teſtamentum, & myſteria; vnde & Chriſtus ſecundùm carnem eſt. Tunc adimplebitur etiam ad verbum id quod ſcriptum eſt: Et maior ſeruiet minori. Hanc adeò rationem omnem Iſaias ſignificauit, terræ Iſrael & finitimarum gentium deſcriptione propoſita; qua non tantùm terras & regiones ipſas, quantum gentes iam per omnem orbem diffuſas, indicare voluit: namq; Paleſtini, Orientis filij, Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi ferè per omnes orbis partes commixti ſunt propter temporũ mutationes; vt nos aliàs, Deo præſide, docebimus. Et volabunt in humeris Philiſtiim per mare omnibus, inquit, ex partibus orbis: facilis illis ad Eccleſiam recipiendis, & plauſibilis omnino aditus & tranſitus erit: namq; à mari, hoc eſt, ab Occidentali tractu celerrimè venient adiuti opera Palæſtinorũ. Ab Oriente iuuabuntur ope, & copiis nationum; vt olim Iſraelitæ decedentes ex Aegypto, vaſis aureis & argenteis, aliiſq; ornamẽtis, gratioſè cõmodatis, aucti ſunt.*

Deut. 2.

n 2 (ſed

(*ſed hîc omnia ſpiritualiter ſunt exponenda.*) Idumæa, & Moab præceptum manuum corũ. *Hebraicè,* Immiſſio manus eorum. *quidquid, inquit, ab his optauerint, accipient in auxilium ſuum, habebuntq́ ſibi morem gerentes Ammonitas: nihil præterea impedimenti erit in terris, nihil difficultatis illis obijcietur, quo minùs in vnius Eccleſiæ & regni cõmunionem conuenire integrum ſit; non flumina, non viarum longitudines, non vanarum ſectarum impedimenta, quæ harum imaginibus rerum ſignificantur: quandoquidem vnus omnium Deus, vnũ ouile, vnus paſtor erit; erroribus omnibus & ſuperſtitionibus atq; ſectis de medio ſublatis, omniq́ ſapientia humana, & errorũ cauſa exhauſta: ita vt à ſimpliciſsimo quouis ſuperari, & peruinci poſsit. Hoc illa, quæ ſubiuncta eſt, deſcriptio, ſignificat:*

Et deſolabit Dominus linguam maris Ægypti, & leuabit manum ſuam ſuper flumen in fortitudine ſpiritus ſui: & percutiet eum in ſeptem riuis, ita vt tranſeant per eum calceati.

ANTIQVORVM *miraculorum imaginem quandam refert; ſed omnia hæc in figura contingebãt, Iſraelitis de Aegypto eductis. ſcripta ſunt autem propter noui Teſtamenti populum, tam ex Iaacob ſemine, quàm ex alijs nationibus, in vnã ſpiritualis Iſraelis communionẽ conſcribendum; & à miſerrima animorum ſeruitute liberandũ. Cuius ratio in illis paucis Iſraelitis inchoata, & ad gentes deducta, in reliquiis Iſraelitarum abſoluenda & conſolidanda eſt. Vt verò verba ipſa ſimpliciter exponamus,* Lingua maris Ægypti Nilus dicitur, *amnium in noſtrum mare permeantium maximus, quem Lybicum mare excipiens quatenus pertinet, marini ſinus inſtar reddit.* Flumen *verò, quod in fortitudine ſpiritus Domini diſſecandum, in pluresq; alueos deriuandum eſſe ait, Euphratem cum Chaldæo Paraphraſte intelligimus: quod Aſſyriam præter fluens, atq; in Perſicum ſinum delapſum, ex Media redeuntibus viæ impedimento eſſe poteſt: ideoq; exſiccandum atq; comminuendũ eſſe dicitur, vt Iſraelis, qui vltra Hhalac, & Chobar exultant, redeundi, & cum cæteris Eccleſiæ populis communicandi ſocietatis copiam faciat. Namq; hanc Iſraeliticam gentem vltra Euphratem impulſam, hæc vatis adnotatio ſpectat; ſicut ſubiuncto verſu expoſitum eſt:* Et erit via reſiduo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyriis: ſicut fuit Iſraëli in die illa qua aſcendit de terra Ægypti.

CVI *in terram patribus promiſſam iter facienti, & Arabici maris ſinus & Iordanis fluuius viam conceſſere apertiſsimam. Hactenus nouem ſigna & argumenta, quæ in ipſius Chriſti virtute & efficientia obſeruari oportuit, ab Iſaia indicata ſunt. Conſequitur autem poſtremo loco decimum ſignum, atque veri Chriſti argumentum, quod ex ipſorum qui ſalutis compotes participeſq́ fierent teſtimonio, confeſsione, atq; ſupplicatione petendum eſſe Prophetæ docuerunt.*

CAPVT

## CAPVT XII.

ET dices in die illa: Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.

DIVINÆ *Chriſti virtutis teſtimonium ab iis ipſis, qui compotes participesq́; fuerint, vno ore, eademq́; ſentētia, admirandaq́; gratulatione datum, ſumendum quoque eſſe antiquis Prophetarum oraculis eſt indicatū. Huius autem teſtimonij Iſraelitas ab ea in qua nunc ſunt miſeria & repudiatione in diuinam gratiam reuocatos, & in veram animorum libertatem aſſertos, prædicatores quoque vnà cum aliis eiuſdē ſalutis conſortibus fore, nunc Vates ait; argumentumq́; dictat eius carminis, quod ab omnibus illis ſupplicatione communiter inſtituta, atq; à ſingulis etiam erat decantandum. cuius illa ſententiæ ſumma eſt: Agnoſcere homines ſeſe propria ſua culpa, & malo merito diuinam gratiam à ſe abalienaſſe, iramq́; irritaſſe, atque repudiationem, & mala omnia quæ hactenus ſenſerint, prouocaſſe: nunc verò rurſus diuina benignitate ac miſericordia reuocatos, ad ſalutis & libertatis incomparabilem vſum admiſſos reconciliatoſq́;, in gratiam ſtabili felicitate vſuros, eiuſdem Dei virtutem & benignitatē perpetuam expertos: quamobrem huius tanti beneficij commendationem & laudem perpetuam omnibus ſeculis illis canendam ac celebrandam fore certum eſſe. Hæc adeò regeneratorum & ſanctificatorum hominum confeßionis ſumma ab Iſaia paulò latiùs refertur, ſed copioſißimè ab Apoſtolis explicatur; quam nos, vbi huius explicauerimus ſententiam, adſcribemus.* Dices in illa die. *Enthuſiaſmo vſus Propheta, certißimam ſalutis ſpem Iſraëlitis facit: adeò vt acceptæ iam & retentæ ſpecie quadam propoſita, quemadmodū gratulatorium carmen celebrandum ſit, iam nunc meditandum proponat:* Confitebor tibi Domine. *Confiteri, verbum in his orationibus vſurpatur, quibus Dei conſilia, rationesq́; omnes rectißima, iuſtißima, aut ex miſericordiæ contemplatione admirabilia eſſe agnoſcuntur. Atque non minùs ad pœnarum animaduerſionumq́; iudicia, quàm ad clementiæ, benignitatis, ac miſericordiæ beneficia refertur. vt, Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam; & tu remiſiſti iniquitatē peccati mei.* (Pſal. 31.) *&, Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi.* (Pſal. 75.) *Eſt itaque confiteri, vel diuinum iudicium, vel beneficium, vel vtrumque prædicando agnoſcere: vt hoc loco præcedentis ſeruitutis & vitæ conditionem miſerrimam indicantes, & præſentis ſalutis beneficium admirati Iſraelitæ, prædicant.* Quoniam iratus es mihi. *Hebraicum verbum eum feruentem ſpiritum deſcribit, qui irati hominis naribus concipitur; numquam verò niſi irritatum atq; excitatum concipi manifeſtum eſt. Huiuſmodi iram & indignationem Deo non ſponte, ſed hominum ſceleribus excitatam, Propheta ipſorum perſonam ſuſtinens, agnoſcit: ita vt neminem vltrò & gratis odio habere Deus, ſed tamen iratus & offenſus, repellere, repudiare atq; punire*

» dicatur. Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? abſit, inquit Paulus,
» alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundũ? Itaq; Deus non infert iram vltro cuiquam, ſed tamen concitatam, & excitatam ſibi ab hominibus concipit; quam tandem miſericordia motus, miſſam facit. Aliquando autem Deus ipſe nobis de his affectionum imaginibus ſibi adſcriptis, diſſerere donabit multa; quæ & lectu grauiſſima, & cognitu digniſſima eſſe exiſtimamus. Oſtendimus autem quid ira in Deo ſignificet; quot nominibus, & quo ſignificatorum diſcrimine dicatur: quid inter iram, pœnitentiam, & iudicium interſit. Nunc verò illud dixiſſe ſatis fuerit; hanc iram quæ verbo
Habac. 3. ANAPH Hebraicè indicatur, miſſam tandem fieri à Deo miſericordiæ recordato; eamq; ab odij & fraudis genere omni alienam eſſe, atq; malo hominum merito tãtum excitari, vt omnis in vniuerſum ira numquam niſi con-
Lucret. cita incendatur. vt & ille apud Latinos Poeta indicat: Iram non fraudis eſſe in amore meo. Confitetur igitur Iſrael Deum meritò fuiſſe ſibi iratum, ob grauiſſimas quas agnoſcit culpas: in eaq; re diuinam iuſtitiam probat, atq; miſericordiam rurſum ſummis laudibus prædicat; quam ex mera Dei benignitate expertum, ſe denuò eſſe fatetur: Conuerſus eſt furor tuus,
Habac. 3. & conſolatus es me. Sicut & Habacuc ſcripſit: Cùm iratus fueris, miſe-
Pſal. 102. ricordiæ recordaberis. & Dauid: Non in perpetuum iraſcetur, neque in
» æternum comminabitur. Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, neque
» ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis. Quoniam ſecundùm altitu-
» dinem cæli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.
» Quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras.
» Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe.
Pſal. 89. Hoc eſt quod in gratulatione dicitur: Conſolatus es me. Lætati, inquit,
» ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala. Reſpice
» in ſeruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorũ: & ſit ſplendor Dñi Dei
» noſtri ſuper nos, & opera manuũ noſtrarũ dirige ſuper nos, &c. Quã autem conſolationem Iſaias hîc ſignificare voluit, Apoſtolus manifeſtè docet. Eam nos admirãdam, & gratiã, & pacem animorũ interpretamur, qua qui
Matth. 5. ſpiritum Chriſti reapſe acceperint, perfruuntur. De qua S. E. Beati qui lu-
2. Cor. 1. gent, quoniã ipſi conſolabuntur. &, Benedictus Deus, & Pater Dñi noſtri,
» Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos
» in omni tribulatione noſtra: vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni
» preſſura ſunt, per exhortationẽ qua exhortamur & ipſi à Deo: quoniã ſicut
» abundãt paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio
2. Theſſ. 2. noſtra. & idẽ alio loco: Ipſe autẽ Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus
» & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationẽ æternã, & ſpem bo-
» nam in gratia. Hoc genus conſolationis æternæ & ſpei bonæ à Deo acceptæ quicũque experiuntur, magnis de Dei conſtantia & paterna erga ſe voluntate atq; protectione & tutela, tum præſentibus beneficiis, tum in poſterum promiſſis excitati, ad inceptam gratulationem illud addunt:

Ecce

Ecce Deus ſaluator meus, fiducialiter agam, & non timebo.

MANIFESTE *confirmat ſalutem ſibi præſtantiſſimam atque maximam firmiſſimamq́; allatam eſſe, ex parte auctoris, nempe Dei: cuius nomen ipſum* EL, *hoc loco appellatum, fortitudinem & virtutem, atq; efficacitatem maximā ſignificat. Hebraicè ſic eſt:* Ecce fortitudo Deus ſalus mea. *Quidquid autem à fortiſſimo Deo effectum eſt, ab alia nulla vi reſcindi, ſuperari, aut diſſolui poteſt: quamobrem ex parte ipſius auctoris certum, firmum, & inſuperabile eſt: atque ideo ſalus hæc maxima habetur, vt à Deo fortiſſimo facta, & eiuſdem virtute conſeruata. S.S.E. Salus autem iuſtorum à Domino: & protector eorum in die tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos: quia ſperauerunt in eo. Atq; adeò hanc ſalutis retinendæ ſpem firmam ſibi deinceps fore populus Iſraeliticus ſperaturus canitur: ita vt non ampliùs ab hoſte ſuo, & communi omnium hominum ſatana labefactatus, aut perterritus, in illam antiquam miſeriam & ſeruitutem recedere timeat: vtpote qui Deum miſericordem, ſeruatorem, & tutorem nactus iam ſit.* Fiducialiter agam, & non timebo. *De ſtatu rerum Iſraëlitarum poſt reſtitutionem, & de iis qui Spiritu ſancto accepto, in Dei tutela atq; præſidio latent, ſermo eſt: non autem de iis, qui nondum ad eum gradum deducti ſunt, quibus timere & cauere expedit, vtpote aduerſarium habentes, tamquam leonē rugientem, & quærentem quem deuoret: cùm in fide fortiter reſiſtendum eſt, vigilando, orando, atq; pietatis exercitiis, & militiæ incumbendo. Atque adeò omnem hanc confidentiam & ſpem Deo ipſi auctori & conſeruatori ſalutis innixam fore indicat, neque vmquam ex hac parte labefactandam ab hoſte, dummodo hominis ipſi officio ſuo, ſibiq́; cōſtet. Hæc verò ratio omnis ad eam figuram, ex qua tranſlata ſunt, à Propheta nobis reuocanda eſt; hoc eſt, ad liberationem ex Aegyptiaca ſeruitute: in qua tametſi Iſraelitæ liberati, Aegyptum iam reliquiſſent; tamen hoſtem ponè ſecutum, vehementer metuebant. S.S.E. Cumq́; appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſraël oculos, viderūt Aegyptios poſt ſe, & timuerunt valde: clamaueruntque ad Dominum, & dixerunt ad Moyſem, &c. Verùm enimuerò idem vbi mari iam pertranſito, hoſtes mortuos, atq; in littore eiectos conſpexere, certam diuinamq́; ſalutem cognoſcentes, timuit populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moiſi ſeruo eius. Tunc cecinit Moiſes, & omnes filij Iſraël: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem deiecit in mari. Fortitudo mea, & laus mea, Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Huiuſmodi ſententia huius hemiſtychij eſt.* Fiducialiter agam, & non timebo. *Nempe certam à Deo ſalutem adeptus: Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Eadem cum illa Moiſis oratio, eademq́; ſententia ab illa figura & vmbra, ad perfectum hoc argumentum tranſlata. Cauſam verò quamobrem ſalutis huius perpetuum vſum illis promittit Iſaias, alterā quoque indicat: nempe aſſiduum diuinæ*

legis

Margin notes: Pſal. 36. — 1 Pet. 5. — Exodi 14. — Exodi 15.

*legis ſpiritualiter & libenter adimplendæ ſtudium, ex Dei in ipſis beneficio, & Spiritu ſancto inhabitante profectum, quē vnà cum ſalute accepturi erant: vt eius vnctione docti, cognoſcant Deum, & quem miſit Filiū eius, ſicut ſcriptum ſuperiùs eſt: Quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientis. Hanc autem ſcientiā qua Iſraelitæ docti à Domino appellandi erant, à quarum tamen perpetuarum nomine Propheta dixit:*

Iſaiæ 11.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris. *Hebraicè eſt,* fontibus ſalutis.

NOMEN *fontis Hebraicum perpetuò manentes ſcaturigines ſignificat: namq; ſapientia & ſcientia, qua homines ante acceptum à Deo bonum verbum præditi fuerant; exigua admodum eſt. Hinc etim illa in obſeruanda lege difficultas creſcit. Qui verò illius ſalutis plenū vſum in ſe ipſis à Deo per gratiam experiuntur, Spiritu ſancto & igni baptizati, ſummo cū gaudio, & maxima cū ſpiritus iucunditate aquas indeficientes hauriunt: quas qui biberint, non ſitiunt in æternum; ſed fiet in eis fons aquæ viuæ, ſalientis in vitam æternam. De quibus aquis ſcriptum aliàs eſt: Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis, emite abſque argento, &c. Et Ieſus clamabat, Si quis ſitit, veniat ad me: qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat, ait Euangeliſta, de Spiritu ſancto, quem erant accepturi credentes in eum. Huius autem optādæ ſaturitatis comes indiuiduus, gaudium perpetuis laudibus atq; illuſtre diuinæ virtutis, miſericordiæ & fortitudinis atque magnificentiæ laudibus publicè conteſtatum iri Propheta præcinit:*

Ioan.

Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius: mementote quoniam excelſum eſt nomen eius.

HÆC *pars propriam ipſorum, qui huius compotes ſalutis fuerint, gratulationem ſpectat: qua mutuis exhortationibus diuini conſilij & beneficij erga ſe magnitudinem, omnes illi celebrandam & prædicandam curant.* Inuocate nomen eius. *Nomen non ſolùm pro vocabulo, quo res aut perſona appellari ſolet; ſed pro auctoritate, virtute ipſa, atq; efficientia vſurpatur. Hi in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Domini ſperamus. &, Notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſraël, quia in nomine Ieſu Christi Nazareni, quē vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte ſtat coram vobis ſanus. Atque nomen inuocare, vel, vt Hebraicè eſt, clamare, vel vocare in nomine eius; eſt ipſum ſalutis & bonorum omnium auctorem agnoſcere, & colere, aliisq; agnoſcendum, colendumq; prædicare. Sic Habraham ædificaſſe dicitur altare Domino in terra Canaham, & inuocaſſe nomen eius. Quod verò nomen celebrandū ſit, Hebraicè apertè indicatur, nempe arcanum illud* יהוה*, quod miſericordiæ definitiones præcipuè continet: cuius virtutem Iſraël expertus agnoſcit, aliisq; gentibus gratulabundus prædicat; & quòd magno arcanóque conſilio ex diuinæ ſapientiæ*

Pſal 19
Act. 4.
Gen. 12. 15.

*pientiæ admirandis rationibus hæc reconciliatio, liberatio, & ſalus Iſraelitis contigerit; vltra omnem hominum aut Angelorum etiam captum, & intelligendi vſum. additur in cantico hoc:* Notas facite in populis adinuentiones eius. *Hunc eundem Iſraeliticæ liberationis & ſalutis atq; felicitatis euentum in eandem ſententiam Diuus Paulus admiratus, ita celebrabat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis cōſiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſecula.* Mementote quia excelſum eſt nomen eius. *Verbum mementote Hebraicè in tertia coniugatione memorare, aliisq; notum facere ſignificat. Veſtræ, inquit, ſalutis exemplo omnibus gentibus demonſtrato, diuinæ virtutis incomparabilem magnitudinem & præſtantiam prædicate; cuius miſericordia ſuper cælos exaltata eſt: nam propriè* NISGAB, *altum, arduumq; atque excedens comprehenſionem omnem eorum qui contendere capereq; velint. Dici autē ſolet de impugnabili loco. Sic apud Sapientē, Turris* NISGAB, *nomen Domini, ad eam curret iuſtus, & exaltabitur. &, Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* NISGAB. *Confortata, vel excedens facta eſt, & non potero ad eam.* Prou.18. *Animaduertendum autem eſt hoc loco nobis à Propheta indicari illius Pſalmi argumentum præcipuum, quē Dauid Leuitarum promiſſam patriam ingredientium nomine condidiſſe dicitur: cuius initium hic aſcriptum eſt: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: annuntiate inter gentes opera eius.* Pſal.104. *Eadem vtriuſq; carminis Hebraicè verba ſunt. Quoniam autem cantus ipſe, atq; muſicorum inſtrumentorum ſonitus, canentium mentes ad laudem, & auditorum animos ad plauſum vehementiùs excitare, & commouere ſolent; iccirco laudes has cantu celebrari iubet Propheta.*

Cantate Domino, quoniam magnificè fecit: annunciate hoc in vniuerſa terra.

*Hebraicum verbum* ZAMERV, *& inſtrumentis muſicis, pariter & voce canere ſignificat. Eſt autem ad verbum oratio* Cantate Domino: *id, inquit Vates, ſtudium vobis perpetuum eſto, celebrare laudibus miſericordem Deum, quarum laudum argumentum illud erit:* Quòd magnificè fecit, *qui vos, veſtra culpa reiectos & repulſos, ſua miſericordia magna ad iſtam felicitatē denuò vocatos, traduxit. Id beneficium quod nullo vos tanto officio promereri poßitis, aut aliqua æquali gratia rependere; tamen laude, & gratiſsima apud omnes gentes prædicatione, proſequi moneo.* Annunciate hoc in vniuerſa terra. *Iam verò quòd Iſraelitæ in gratiā recōciliati, & ſalutis illius compotes, ciuitatem illam Ieruſalem ſpiritualē, hoc eſt, Eccleſiam Chriſtianam, filiam Sion completuri, abſoluturiq; erant: atque cum gentibus in tantam fidei, virtutis & ſalutis, commodorumq; omnium ſpiritualium communionem iungendi, habituriq; Regem vnum, & Patrem*

O Deum,

*Deum, vnumq́; caput Chriſtum, cuius virtute & beneficio ornandi, amplificandi, & vt regni cælorum ciues magna ſpiritus felicitate cumulandi ſint, Propheta gratulatus declarat, Eccleſiamq́; ipſam ad lætitiæ, & laudis publicæ celebritatem appellans, hortatur.*

Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui ſanctus
Iſrael. D V O *verba manifeſtæ & publicæ lætitiæ ſignificantiſſima
vſurpauit Propheta: prius, geſtum corporis & commotionem, interioris
affectus indicem; poſterius, vocem iucundam eiulatui & fletui omnino op-*
Pſal. 126. *poſitā adnotat: quod vel ex illo verſu oſtendemus: Qui ſeminant in lachry-*
» *mis, in exultatione metent. Huius verò indictæ orationis, & celebrandæ
lætitiæ elogium, illud Iſaias addidit:* Quia magnus in medio tui ſanctus
Iſraël. *Horum omnium verborum definitiones iam aliàs indicauimus; ex
quibus hanc hemiſtychij huius ſentētiam interpretamur: quia ille qui ſalute & libertate, deuictis hoſtibus & perditis, Iſraëli afferenda ſeſe poten-*
Pſal. 117. *tiſſimum efficientiſſimumq́; omni orbi oſtendit. S.S.E. In exitu Iſrael de*
» *Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius,*
» *Iſrael poteſtas eius: ille idem ipſe nunc ſeſe quoque maximum oſtendit, ſpirituali liberatione & ſalute tibi allata, ſanctitateq́; ſua addita, qua tu ſan-*
Leuit. 11. *ctus & appellēre, & ſis. vt ſcriptum de te fuerat: Sancti eritis mihi, quo-*
» *niam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. Atq́; hactenus decem illæ notationes explicatæ ſunt, quibus verus Dei Chriſtus probandus fuerat: ex quibus decima reliquarum nouem virtutem, & efficacitatem euentu ipſo obſeruandam continet. Etenim diuina Chriſti virtus eiuſmodi confeſſionem in hominibus effectu ipſo atq́; experimento ad ſui commēdationem, & gloriam paritura erat: eam autem confeſſionem breui argumento ab Iſaia propoſitam, nos, quoniam opportunum locum nacti ſumus, ex noui Teſtamenti ſcriptoribus & teſtibus productam, altiùs repetito principio, perſequemur, Ieſum Nazarenum verum Dei Chriſtum fuiſſe docentis. Eſt autem confeſſio eorum, qui diuini ſpiritus dono aucti atque regenerati ſanctificatiq́; fuere. Hi enim capitibus præcipuis conſtans teſtimonium de Chriſto proferunt: ex quibus primum eſt oſtenſio prioris conditionis miſerrimæ & ſeruilis, quam primorum parentum, & ſuis ipſorum etiam culpis obtinuere. Secundum eſt coniunctionis admirandi illius myſterij vnionis indicatio Chriſti & Eccleſiæ: quod ſacroſancta illa corporis & ſanguinis ſui celebrata communione, arcano & planè diuino conſilio peractum eſt. Vnde non imputatiuæ, ſed veræ atq́; viuæ iuſtificationis diuinum etiam opus ad omnes Euangelio credentes & obedientes, ex communione etiam mortis & reſurrectionis Chriſti Ieſu pertinuit. Tertio loco, diuinæ liberalitatis ratio exponitur. Quemadmodum Deus Filium ſuum, in quo ſapientiæ & diuinitatis theſauri omnes pleniſſimè continebātur, tamen ad humanæ naturæ ſalutem & ſanctificationem procurandam & efficiendam, hominem fieri decreuerit. Quartò autem oſtenditur, quemadmodum Chriſtus ipſe ad*

*Patris*

*Patris dexteram perpetuus hominum ſibi credentium & obedientium apud
diuinam miſericordiam aduocatus & tutor opportunus, ſeſe piè ac purè ap-
pellantium ſuſcepto patrocinio aſsideat. Quintum verò caput profeſsionem
continet ſpiritus illius, qua eiuſmodi qui diuini ſpiritus ex Dei beneficio
compotes facti ſunt, omnes huius vitæ moleſtias, omnemq́ aduerſariorum
impetum ſuſtinent propter propoſitam expectatamq́ ſibi futuræ pleniſsimæ
felicitatis vitam ſempiternamq́ gloriam. Poſtremo loco, ſtudium illud of-
ficiumq́ docetur, quod ab iiſdem ipſis, cæleſti illa patria ex Dei munere ob-
tenta, præſtandum eſt, diuinas laudes & gratulationes perpetuas commu-
niter celebraturis. Illa autem Apoſtolica confeſsio huiuſmodi eſt: Commen- Rom. 5.
dat charitatem Deus erga nos, qui cùm eſſemus mortui delictis & peccatis "
noſtris, in quibus aliquando conuerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, "
facientes voluntatem carnis & cogitationum; & eramus natura filij iræ. "
Deus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatē ſuam, Ephes.
qua dilexit nos cùm eſſemus mortui in delictis & peccatis noſtris, conuiui- "
ficauit nos Chriſto, & conreſuſcitauit; & conſedere fecit in cæleſtibus, "
vt oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ "
in bonitate ſua ſuper nos in Chriſto Ieſu. Qui egenus factus eſt, cùm eſſet 2 Cor. 8.
diues; vt nos inopia ipſius diuites eſſemus: cui in eius ſacratiſsima cœna, vt "
ſponſa in nuptiali thalamo copulati ſumus. O ſacrum cōmercium, & diui- Heb. 3.
num conuiuium! O immaculatum torum, & cæleſte connubium; in quo par- "
ticipes Chriſti & diuinæ ſubſtantiæ eius, & membra corporis eius, & de "
carne eius, & de oſsibus eius cæleſtes, & immortales, ſancti & immaculati "
per communicationē ſuæ vtriuſq́ naturæ effecti ſumus, vbi renati, cōmor- "
tui, & conuiuificati, oblati, purificati, & redempti ab omni iniquitate, & "
peccato ſuo pretioſiſsimo ſanguine, dignum tabernaculum, & templū Dei "
ſanctum, & decoratum in ſapphiris, gemmis, & margaritis micātibus cum "
auro puriſsimo coagulati ſumus; bene & firmiter fundati ſupra firmā pe- 1. Pet. 2.
tram Chriſtum Ieſum, angularem lapidem, viuum, pretioſum, probatū & "
electū: in quo & nos tanquā lapides viui, probati & electi ſuperædificamur "
domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum; offerentes ſpirituales hoſtias, ac- "
ceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum: in quo omnia nobis diuinæ virtutis 2 Pet. 1.
ſuæ, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donata ſunt per agnitionem eius, "
qui vocauit nos propria gloria & virtute; per quem maxima, & pretioſa "
nobis promiſſa donauit: vt per hæc efficiamur diuinæ conſortes naturæ, fu- 1 Pet. 1.
gientes eius quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem. Quia non ex Tit. 3.
ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum Dei viui renati ſumus. "
Saluati per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem "
effudit ſuper nos abundè, per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum: vt iu- "
ſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Apparuit Tit. 2.
enim gratia Dei ſaluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, id eſt, "
doctos à Deo faciens, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſo- "*

» briè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo: non configurati ampliùs deli-
1 Pet. 1. ctis & peccatis noſtris, ſed ſecundùm eum qui vocauit nos, ſanctum, vt &
Leuit. 11. nos in omni conuerſatione ſancti ſimus. S. S. E. Sancti eritis mihi, quoniam
» ego ſanctus ſum. & propterea Chriſtus reconciliauit nos in corpore carnis
» ſuæ per mortem, vt exhiberet nos ſanctos & immaculatos, & irreprehenſi-
» biles coram ipſo, & ſine querela in medio nationis prauæ & peruerſæ; inter
Rom. 8. Coloſ. 1. quos luceatis, ſicut luminaria in mundo ad gloriam Dei. Qui proprio filio
Heb. 1. Coloſſ. 2. (qui eſt imago Dei inuiſibilis, & ſplendor gloriæ, & figura ſubſtãtiæ eius,
in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & abſconditi
» ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei) non pepercit; ſed pro nobis
» tradidit illum in mortem, vt reconciliaret, & gratificaret nos ſibi in ſan-
Rom. 3. guine vnigeniti Filij diuinitatis ſuæ. Quem propoſuit propitiatorem per fi-
» dem in ſanguine ipſius: ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionẽ præ-
» cedentium delictorum in ſuſtentationem Dei (id eſt, vt ſuſtentẽtur à Deo)
» ad oſtentionem iuſtitiæ ſuæ, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui ex fide
Philip. 2. Ieſu Chriſti. Qui cùm in forma Dei eſſet, & æqualis Deo, ſemetipſum
» exinaniuit, formam ſerui accipiens: & factus eſt pro nobis obediens vſque
» ad mortem: vt per mortem & ſanguinem ſuum, nobis pacem cum Patre
» conciliaret, & liberaret à ſeruitute diaboli, in filioſq; Dei adoptaret; vt co-
Coloſſ. 1. hæredes æterni regni eius efficeremur. Lauãs nos à peccatis noſtris in ſan-
» guine ſuo: delens quod aduerſus nos erat, chyrographum decreti, id eſt, pec-
» catum, quod erat contrarium nobis; & ipſum tulit de medio, affigens illud
» cruci; & expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palàm
Heb. 2. triumphans nos in ſemetipſo. Decebat enim eum propter quem omnia, &
» per quem omnia: qui multos filios adduxit in gloriã, auctorẽ ſalutis noſtræ
» per paſſionẽ conſummare, id eſt, perfectos nos facere: vt per mortẽ deſtrue-
» ret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum: vt liberaret nos, qui
Heb. 4. 7. 8. 9. timore mortis per totam vitam obnoxij eramus ſeruituti. Idem poſtea vir-
» tute, imperio, triumpho, & gloria ſurrexit à mortuis, & penetrauit cælos;
» ſedetq; ad dexteram Patris, ad interpellandum pro nobis: vt repromiſſionem
» accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis, ac fortiſſimum ſolatium ha-
» beamus, qui confugimus per ipſum, ad tenendam propoſitam ſpem, quã ſicut
» anchoram habemus (nos teſtes diuinitatis eius) animæ tutam ac firmam, &
» incedentem vſque ad interiora cælorum: vbi præcurſor pro nobis introiuit,
» Ieſus Chriſtus Pontifex factus in ipſum cælum, vt appareat nunc vultui
» Dei pro nobis: ſempiternum habens ſacerdotium, vnde in perpetuum ſalua-
» re poteſt accedentes per ipſum ad Deum. Habentes itaq;, fratres, fiduciam
» in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam
» nouam, & viuentem per velamen, carnem ſuam, & Sacerdotem magnum
» ſupra domum Dei Ieſum Chriſtum, aſſiſtentem pro nobis ante thronũ Pa-
Heb. 4. tris eius. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericor-
» diam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Acce-

damus

*damus cum vero corde in plenitudine fidei: aſperſi corda à conſcientia mala,* Heb. 10.
*& abluti corpus aqua munda. Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indecli-* Rom. 5.
*nabilem. Fidelis eſt enim qui repromiſit in Chriſto Ieſu Saluatore noſtro,* 1 Tit. 2.
*per quem ſtamus in gratia iſta, & gloriamur in gloria filiorum Dei: expe-* "
*ctantes illam beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei. Quando re-* Phil. 3.
*formabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, vt* "
*ſimus in laudem & gloriam diuinæ maieſtatis ſuæ. Etſi nondum apparuit* Eph. 1.
*quod erimus, ſed vita & gloria noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo:* Ioan. 3.
*ſcimus tamen per Spiritum ſanctum qui habitat in nobis, in iuſtitiam &* "
*certitudinem hæreditatis noſtræ; quòd cùm apparuerit Chriſtus, vita &* Apoc. 7.
*gloria noſtra, tunc & nos cum ipſo apparebimus in gloria, amicti ſtolis al-* "
*bis, cum palmis & coronis aureis, cantantes & benedicentes Deo, & Pa-* "
*tri noſtro, qui dignos nos fecit in parte ſortis ſanctorum: qui eripuit nos de* "
*poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, læta &* "
*magnifica voce ſine fine dicentes: Benedictio, & claritas, & ſapientia, &* "
*gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro, qui feciſti nobiſ-* "
*cum miſericordiam tuam. Te decet hymnus, tibi gloria Deo Patri & Filio* Apoc. 5.
*cum ſancto Spiritu, qui feciſti nobiſcum miſericordiam tuam. Dignus es* "
*Domine, qui redemiſti, & lauaſti nos à peccatis noſtris in ſanguine tuo,* "
*& feciſti nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri tuo, accipere gloriã, &* "
*honorem, & fortitudinem, & gratiarum actionem vnà cum Patre & ſan-* "
*cto Spiritu, cum quo viuis & regnas per infinita ſecula ſeculorum Amen.* "

*Hactenus Apoſtolorum confeſſio eſt magnis myſteriorum Sacramentis refertiſſima, cuius qui bene ſubductas rationes tenebit; is profectò totius Scripturæ ſacræ argumenta tum à Iudæorum ignoratione & cæcitate, tum ab hæreticorum & opinantium erroribus liberrima, tum etiam omnibus piis & modeſtis Chriſtianis gratiſſima & vtiliſſima cognouerit.*

## ARGVMENTVM VATICINII IX.

IRATVM *ob ſcelera atque impietatem, diuq; fruſtra expectatam pœnitentiam, Deum pœnas tandem à populis per alios homines bello illato repetere ſolere, multis hiſtoriarum ſacrarum exemplis docemur. Atque rurſus etiam non rarò obſeruauimus, eos homines, quorum opera in aliis puniendis vteretur Deus, ob nimiam in gerendis rebus crudelitatem, ambitionem, ſuperbiam, arrogantiam, & ſæuitiam, atq; adeò impietatem fuiſſe iuſto etiam iudicio euerſos & perditos. Huiuſmodi cauſam in hoc vaticinio Iſaias perorat aduerſus Nabuchonodonoſoris domum & familiam, totumq; Babylonicum regnum: quos & erga cæteras gentes iniquiſſimæ dominationis, atque erga Ieroſolymam euertendam, religionemq; vnius veri Dei extinguendam, contemptionis, ſacrilegij, atq; immanis crudelitatis conuictos, internecione & vaſtatione, diuino iudicio damnatos, Perſarum & Medorum manu mulctandos prædicit. Namque vt*

*Aſſyriorum in Samaritide atque Iſraëlitica clade edenda nimiam illam crudelitatem, & Iſraëlitici nominis inuidiam, ſupplicio per Babylonios allata, luendam eſſe iam antea Propheta hic denunciauerat; ſic rurſus Babylonis ſuam in Iudæos, cæteraſq́ gentes feritatem, & præcipuè in Iudæos impietatem, non impunitam fore confirmat. Inſcriptionem verò prophetiæ ſuæ quamobrem huiuſmodi faciat*, ONVS Babel, *antequam vaticinij ſententiam exponimus, breuiter indicare operæprecium fuerit.*

## CAPVT XIII.

ONVS Babylonis, quod vidit Iſaias filius Amos.

MVLTA *eſſe verba quibus Prophetia appelletur, & in primo libri huius capite oſtendimus. & in communibus de Prophetia diſputationibus, quæ duodecim Prophetarum expoſitum à nobis conſcriptæ, præpoſitæ ſunt, diligenter diſſeruimus. In iis autem verba duo ſunt: alterum Videre, ſiue Viſio; alterum verò Onus. Illud vaticinij modū; hoc verò eos ad quos vaticinium pertinet, ſpectare diximus. Docuimus namq́ Onus idem eſſe quòd Prophetiam grauem, & pœnarum denũciationes continentem; non tamen à Propheta ipſo præſente decantatam, ſed epiſtolæ modo ſcriptam, ac per nuncios ad eas perſonas, quarum cauſa ageretur, tranſmiſſam. Huiuſmodi vaticinium ad ſcribendum dictatum à Deo Iſaiæ vigilanti, & rem, vt gerenda erat, obiectis ſpectris, contemplanti inſcriptio hæc indicat. Prophetæ autem & patris ipſius nomen ad veræ legationis auctoritatem confirmandam appellatur; quòd credi non poſſit, virum grauiſſimum & celeberrimum paternum nomen, atq́ ſuum in re tanta vano indicio profeſſurum eſſe. Præterea etiam ad aliorum Prophetarum, qui de eadem quoque re vaticinati eſſent, firmandum teſtimonium addita grauiſſimi nominis auctoritate, & rei ipſius proſpectæ, apertiſſimeq́ à Viuente & Vidente, ſenſibuſq́ integris vſo teſte enarratione: ita vt in ore duorum vel trium teſtium omne verbum ſtare & confirmari poſſet. Hæc inſcriptionis ratio ſumma eſt; iam vaticinium audiamus.*

Super montem caliginoſum leuate ſignum, exaltate vocem, & leuate manum; & ingrediantur portas duces.

TRANSLATIONEM *quam Oneris nomine inſcripto indicauit Propheta vaticinio deſcribendo propriè obſeruat. Iubet enim eos, qui deferendi mandati nuntij futuri ſunt, montem aliquem editiſſimum conſcendere; indeq́ longè conſpicuo ſigno ſublato, manuq́ ad attentionem parandam, orationemq́ adiuuandam commota, clamoſa voce denũciare portas magnatum & magiſtratuum Babylonis ab hoſtibus victoribus petendas atq́ ſubeundas eſſe: quibus cùm hoſtium impetus ac direptio imminet, cæterorum inferioris ordinis ciuium domos non tutas fore cõſequitur; vtpote quas minùs* muni-

*munitas eſſe conſtet. Atq; hac oratione regni Chaldæorum interitus apertè ſignificatur; namq; præcipua calamitas magnatum domibus denuntiatur, id quod ab iis, qui de monarchia & regno certāt victoribus, plerumque agitur: vt victo populo, potentioribus de medio ſublatis aut occiſis, aut ad extremam inopiam redactis, cæteri, qui minùs opibus valentes nihil aduerſus principes moliri aut conari poſſunt, vel omnino intacti, vel tantùm expoliati relinquantur. Alia autem ratio alia via initur, vbi propter gentis inuidiam, vel religionis contentionem bella geruntur. Quod verò ad orationis perſpicuitatem attinet:* montem caliginoſum, *altiſsimum mōtem interpretamur, qui culmine nubes tangens, plerumq; nebulis obductus viſitur: huiuſmodi namque altiſsimorū montium proſpectus eſt. Hebraicum adiectiuū* NISPEH, *editiſsimū ſignificat.* Portas duces. *Appoſitiuè legendum eſt, portas principes; & præcipuas maximarū ædium interpretamur. Hebraicè ad verbum eſt,* portas magnificum. *Tribus autem manifeſtandi, ac denunciandi modis, quibus ad rem apertiſsimè & publicè ſignificandam vti homines conſueuere, futuram Babylonis calamitatē indicari Deus iubet. Signo ſublato, commota manu, ac præconio; ne aliàs repentina & non prædicta calamitas vbi acciderit, vel caſu accidiſſe diceretur, vel ideo imprudentibus atque inopinantibus allata, ne ſeſe aduerſus hoſtes parandi & inſtruendi, atque dimicandi tempus relinqueretur; atq; ita aſtu magis quàm virtute & dexteritate bellum illatum, victoriaq; parta fuiſſe definiretur. Solent enim homines in rebus perditis, vel leuandæ aliqua conſolatione miſeriæ, vel alienæ laudis minuendæ cauſa huiuſmodi verba & orationes comminiſci. At verò Deus, quòd Babyloniorum gloriam, celebritatem, & potentiam omnino labefactare & euertere decreuiſſet, nullis huiuſmodi vel rationibus, vel orationibus locum relinqui voluit: ideoq; calamitatem multo antea quàm illis afferret, iubet prædici, publiceq; denunciari; ſpatiumq; ad ſe præparandos, conſtitui curauit: vt geſta deinceps aduerſus potentes monitos & paratos res diuinæ virtuti & ſententiæ ſine vlla exceptione, adſcriberetur. Hæc adeò à nobis indicata prædicendi ac denunciandi ratio, ſubiuncto verſu exponitur:*

Ego mandaui ſanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.

NVLLAM *magnarum rerum inuerſionem vel mutationem abſque Dei conſilio, ſententia, & decreto in orbe exiſtere ſacris diuinorum oraculorum aſſertionibus ſæpiſsimè docemur: iam verò quæ diuino decreto fieri mandantur; infringi, impediri've quo minùs efficiantur, nulla hominum potentia, nulloq; inferorum ſpirituum aſtu poſſunt. Tribus autem ordinibus Perſarum & Medorum exercitus, per quem Babylonios Deus vlturus erat, diſtinguitur; regnum ducum, & militum: atq; populi reliqui, qui ſponte aliquando bellum ſequi ſolet. De regibus Cyro & Dario ait:* Ego mandaui ſanctificatis meis, *iis, quos ego illuſtres auguſtosq; ea cauſa feci, vt eorum*

*opera*

*opera vterer in puniendis iis, à quibus offenſus fueram: id mandatū meum ab illis, vtpote ſanctificatis, & à me, regibus citatis, diligenter curabitur.* Et vocaui fortes meos in ira mea. *Duces & milites, belli ſtudio vſu atq; exercitatione aſſuefactos, & ſtrenuos tanquam ſtipendium apud me factu-res vocaui, qui iram meam vlciſcerētur. Optimè autem militum & ducum ingenia expreſſa hoc loco ſunt: maximè eorum qui militari mercede viuunt; eaq; mercede inſtructi, ſeſe non ad ſuas, ſed aliorum offenſiones vlciſcēdas, vel repetendas res, vel etiam voluntates efficiendas, mercede accepta locāt. Ego (inquit Deus) robuſtos meos, & bellicis rebus exercitatos, ad irā meam in Babylonios explendam vocaui. Vocaui etiam alios, qui, quamuis militiæ ſtudioſi non ſint, tamen bellum hoc ſpontè ſequentur: vtpote, qui meam gloriam, dignitatem, amplitudinemq; læti & alacres, magno ſtudio cultam celebratamq; eſſe percupiant. Venient igitur omnibus his officij, mercedis, & voluntatis nominibus adducti, atq; à me vocati; nec niſi re confecta, ſibi ſatisfacturi: vtpote qui vel viribus & robore, arteq; præſtantes, turpe putent commiſſam ſibi rationem deſerere; vel ſplendore & magnitudine inſignes, propoſitum regum vrgere, atq; exequi planè regium ducant; vel gloriæ meæ cauſſam ſponte ſuſceptam, promouere iucundiſſimū, maximeq; expetendum ſibi arbitrentur. qualibus animis & artibus inſtructos milites ſibi Deus facere ſoleat, hoc in loco, & aliis etiam docemur. Quis ergo diuinam vltionem effugere ſe poſſe ſperet, tanta auctoritate, tantisq; virtutis, voluntatis, & ſtudiorum facultatibus paratam? Hæc omnia per tranſlationem dicta, Dei conſilio & efficientia Medorum ac Perſarum animos excitatum iri ſignificant. Atque hactenus ab animo, ſtudio, & voluntate adducendi exercitus ratio indicata eſt: nunc verò rei gerendæ facilitas ab eiuſdem exercitus copia, facultate, & inſtructione demonſtratur.*

Vox multitudinis in montibus, quaſi populorum frequentium: vox ſonitus regum & gentium congregatarum: Dominus exercituum præcepit militiæ belli.

HOSTIVM *animus, copiis, & facultatibus oſtenſis, rei gerendæ facilitatem confirmat: Babyloniorum ſalutis & liberationis indicat cogitationē. Prædicit enim in Babylone vrbe ſtrepitum & tumultum hominum ab ipſis vſque montibus auditum iri, certiſſimo maximæ multitudinis hoſtium, & alacritatis animorum, atq; conficiendæ rei perſuaſionis argumento.* Quaſi populorum frequentium. *Neque verò imbellium, aut contemnendorum hominum; ſed ſtrenuiſſimorum.* Vox enim ſonitus regum, & gentium congregatarum. *Selectarum gentium ex regnis variisq; prouinciis, nomen regum pro regnorum interpretamur: gentium regum, hoc eſt, gentium ex regnis adductarum, non ſine delectu. ſic ex Hebræo exponimus, atque ex ratione ipſa rei. Qualis itaque exercitus, quantusq; ſit futurus, cùm ex his rebus, tum ex Imperatoris ſummi auctoritate & magnitudine facilè conijcietur.* Dominus exercituum præcepit militiæ belli. *Antiquiſſimus*

*ille*

*ille, ſapientiſsimus & fortiſsimus exercituum omnium Imperator, ex variis gentibus milites illis, quæ iam commemorauimus nominibus addictos, recenſuit ad prœlium ineundũ omnes idoneos; ne quis putet oblatos temerè quoſuis homines fuiſſe admiſſos, qui numerum magis, quàm exercitũ compleant. Omnia orationis huius verba certam ex bellica re ſignificationẽ atq; interpretationem habent.* Dominus exercituum, *quid ſignificet, aliàs expoſuimus.* præcepit PAKAD, *in bellicis rationibus recenſere & conſcribere militem ſignificat; qua ſignificatione ſæpè à Deo hoc verbum vſurpatur. vt, Tollite ſummam, &c. omnium virorum fortium in Iſraële, & numerabitis eos per turmas ſuas. Quòd verò in præſenti tempore coniugationis ſecũdæ Hebraicè hoc verbum legitur, illud indicat, eam quam Vates noſter refert militum inſcriptionem, diligẽtiſsimè omnino fieri, Deo ipſo præſente & inſpectore, atq; examinatore virtutis ac dexteritatis ſingulorum militum, per quos res conficienda erat; atq; ſelectore optimorum iudicioſiſsimo: id quod adiunctorum verborum expoſitione declaratur.* militiæ belli, *non numerũ, inquit, promiſcuum recenſet; ſed milites prœliis exercitatiſsimos, & ad pugnam paratiſsimos. Hebraicè* militiæ prœlij. *ad verbum eſt, quod certiſsimè Græcus interpres tranſtulit.* Num. 1. 3.

Venientibus de terra procul, à ſummitate cæli: Dominus, & vaſa furoris eius, vt diſperdat omnem terram.

PERSARVM *& Medorum Babylonicum regnum vaſtabundos reges, numeroſam ex aliis nationibus multitudinẽ Babylonis odio incitatam, vel potiùs Dei vltoris inſtinctu actam ſecuturam eſſe, hoc verſu Iſaias declarat; illorumq; conſtans propoſitũ hac oratione indicat, quos ad illam vaſtationem non leuis aliquis furoris impetus, verùm deliberatum, atque certum conſilium multorum & longiſsimorum itinerum mora ſtabilitum, laboreq; firmatum, acturum erat. Neque enim adeò longus & diuturnus itineris labor imbellibus animis atq; viribus effetis, ſed aſsidua potiùs & continua exercitatione cõfirmatis ſuſcipi exantlariq; poterat; neque re infecta tantam viam remittendi, ac proprias ſingulorum regiones repetendi, cogitationem res ipſa atq; pudor admittebat. Itaq; hæc itinerum & laborum indicatio ſignificationem habet animi conſtantis, atq; roboris virtutiſq; præſtantis.* A ſummitate cæli. *Ab extrema parte orbis habitabilis, quæ cæli extremo axi ſubeſt. Hæc oratio nationes eas indicat, quæ ad Septentrionem in orbe noſtro ſedes habent ſuas, vt Parthos & Scytharum partem: namque Meridionalis plaga, quæ hominibus colitur, neque nimis extenſa eſt, neque à Babylone longè diſiungitur: ſiquidem Medi Babylonenſem ditionem ferè contingunt, ad Caſpium vſque mare extenſi. Perſæ verò à Meridie alterum Babyloniorum ſiue Chaldæorum latus claudunt ad Perſicum ſinum ſiti: multas verò alias gentes hîc acceſſuras ab ea cæli parte, quæ ab Arcto ad ortum eſt: illo enim tractu terra quàm longiſsimè continuato ſitu, vt in libro Phaleg docebamus, extenditur. Ne vero hoc mirum*

audientibus videretur, expoſitione Iſaias excipit; affirmans hoc ita eſſe facillimè poſſe, ſi ad auctoritatem ipſam, vnde hoc conſiliũ & bellum oritur, referatur: nimirũ ad Deum, cuius potentia, quæ maxima eſt, multas etiam copias inſtruere ſolet ad iræ ſuæ in homines ſceleratos vlciſcendæ vſum, id autem ſic pronuntiauit Vates: Dominus & vaſa furoris eius: vt diſperdat omnem terram. Pronuntiatum, ſiue expoſitio eſt, quam dicendi figuram antiqui auctores, ij præcipuè, qui altiori genere dicendi ſcribunt, vt Poëtæ vſurpare ſolent, cùm rei magnæ alicuius, & à vulgari conſuetudine remotæ, rationem reddere volunt, vt Homerus: Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή; & Heſiodus: Διὸς μεγάλοιο ἕκητι: huius, inquit, rei auctor eſt Dominus, qui omnia poteſt, & vbique terrarum habet inſtrumenta quibus ſuã iram vlciſcatur: adeò vt omnem terram perdere poſſit; & non ſolùm Babylonicam regionem, ſed vniuerſum orbem, cùm iratus fuerit, vaſtet: vt diluuij tempore fecit, & aliquando etiam extremis diebus eſt facturus. Itaq; non ſolùm ad rem præſentem, ſed ad vniuerſalem ſententiam à nobis hic verſus exponitur: qui ex verbo ſatis rectè à noſtro interprete redditus eſt. Explicatiùs autem, veluti paraphraſi expoſitus, hoc modo ſonabit, vt Chaldæus interpres vertit. Dominus, ac ſi dicat, ita decreuit, & ſtatuit, & vaſa calicis maledictionis coram eo: vt diſperdat omnes impios terræ. Habet, inquit, multa inſtrumenta vbique præſens, vbique etiam præſentia, & parata ſibi: bella, peſtes, fames; & ad hæc paranda, multas phalanges, variasq; turmas; vt ventos, diluuia, uredines, locuſtarum bruchorumq; genera innumera; ignis, & ſpirituum nocentium efficacitates vniuerſas. Præterea illud his verſibus indicatur, quod paulo pòſt à Vate ipſo declarandum eſt. Exercitus illos non paupertate impulſos, cupiditatéve actos Babylonem diripiendi; ſed vaſtandi omnino atq; exſcindendi cauſa venturos. vtpote, vaſa furoris Domini, ad hoc tantùm præcipuè delecta; & qui nihil regionibus iis, per quas tranſierint, nocituri ſint: id quod aliàs dubio procul facerent, ſi prædæ ſpe, & cupiditate moti eſſent. At verò nulla de alterius prouinciæ calamitatibus aut damnis mentio in omni hoc vaticinio eſt: Babyloni tantummodo malum denuntiatur.

Vlulate, quia propè eſt dies Domini: quia vaſtitas à Dño veniet.

SVPERIORIS ac proximæ propoſitionis concluſio hoc verſu pronuntiatur cum affectuum & animorum commotione: aſſeuerant enim Vates ruinam illam babyloniorum, non ſolùm extremam fore, ſed iam proximam eſſe, iamq; impendere; ideoq; etiam præſentis ætatis hominibus grauiorem eſſe oportere: nam quæ ſub incerta temporis indicatione prædicuntur mala; timentur quidem à multis, verùm non ſentiuntur, & tardiora fore exiſtimantur, interimq; ab aliis minùs cogitantur: nimirum vel à ſenioribus, qui breuiorem vitam ſibi ſupereſſe putent, quàm vt illo videant, & ſentiant; vel à delicatioribus & iunioribus, qui interim dum calamitas differtur, genio, ac voluptatibus indulgent, iactitãtes enim ſibi fructum percipiendum

donec

*donec laboris acceſſerit hora : qua tamen aduentante, imminenteq́; periculo, omnes ad luctum, gemitum, fletum, & vlulatum conuertuntur. Vehementer enim mouet ac turbat, & premit hominum mentes & animos adueniens inſtansq́; malum. Igitur ne vllus locus interim huiuſmodi cogitationibus & conſilijs daretur, eiulatus illis ex imminentis laboris imagine ab Iſaia denuntiatur, non ſolùm breuiſſimè adferendi, ſed grauiſſimè inferendi; futuri, inquam,* quaſi vaſtitas à Domino. *Hebraicè figura eſt, quam artifices Adnominationē dicunt, Dialectici proprio vocabulo Coniugationem appellāt, ex qua locus inſcribitur à coniugatis.* CHE SOD MISADAI. *ex eodem verbi themate* SADAD *vtrumque nomen deductum videtur.* SOD, *vaſtitatem, ſiue vaſtationem.* SADAI, *vaſtum, vt magnitudinem, cum virtute & efficacitate perfecta coniunctam indicet: eſt enim vox conflata ex duobus verbis* SAD, *&* DAI: *alterum vaſtitatem, alterum, copiam, propriè vertere poſſumus : vnde* SADAI, *vaſtum copia, exponimus; quod vnum ex arcanis Dei cognomentis eſt: eiusq́; vſus ad efficientiam in rebus omnibus maximam, omninoq́; ſupremam, & propriè Deo tribuitur hoc adiunctum, quod in hac ſignificatione quinquies quadrageſies apud ſacros ſcriptores obſeruatur: ex quibus vnus ille, ac primus locus eſt: Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus; ponâmque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. Vt ex illo epiteto, Omnipotens, illa expoſitio atq́; amplificatio vehementer nimis deducta eſt: ita etiam ex nomine eodem* SADAI, *vaſtitatem vehementem nimis futurā, intelligi voluit Iſaias, cùm diceret, vt ex verbo reddere verbū liceat, quaſi vaſtitas, à vaſtè copioſo. Illud verò quaſi per expoſitionem legendum eſt: Vaſtatio, inquit, illa erit qualis à vaſtè copioſo edi poteſt. Sacro hoc cognomine Dei interpres noſter aliquando Dominum, ſæpè autem Omnipotentem Latinè reddit; vtrumque rectè. Atq́; eam vaſtitatem inſuperabilem illis fore, vel eo ipſo cognomine* SADAI *appellato declarauit: Quis enim reſiſtere valeat Omnipotenti? quam ob rem ait:* Gen. 17.

Propter hoc omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis tabeſcet. PROPTEREA *quòd à Domino Omnipotente vaſtitas veniet, nemo erit qui vel ſuam defendere, vel alienam propugnare ſalutem valeat; membris artibusq́; corporis, quibus animus ad res gerendas vtitur, diſſolutis: atq́; adeò animis ipſis metu, & repentino grauiſſimoq́; dolore, atq́; Dei vltoris robore conſternatis: ita vt nulla vel in membris virtute, vel in animis fortitudine manēte, reliqua ſit illis perturbatio, afflictio, anguſtia, ac demum acerbiſſima cum morte miſeria. Hæc ſententia Hebraicorum verborum ſignificatione magis etiam confirmata declaratur: namq́; vbi Latinè hominis legimus, Hebraicè eſt* ENOS: *quod hominem ea notatione ſignificat, qua fragilis, caducus, imbecillus, multisq́; tum corporis infirmitatibus, tum animi languoribus & erroribus etiam obnoxius homo eſt. Ad verbū nos proxima Hebraicæ notatione Mortalis vertere ſolemus. Eſt*

*autem orationis exornatio ex verborum oppoſitione: ex altera enim nũc omnipotens eſt, qui vaſtitatem affert; cui verò affertur, homo caducus & fragilis, ac mortalis. Eadem porrò appellatione Babyloniorum, atque adeò omnium hominum ſuperbia & arrogantia à vate irridetur.*

Et conterentur, torſiones & dolores tenebunt, & quaſi parturiens dolebunt. H V I V S M O D I *erit ſingulorum & omnium communis tum affectus, tum habitus: ita vt neque ſinguli ſibi conſulere, neq; ſimul coniuncti plures mutuo auxilio eſſe poſſent, conteretur animo & corpore: nam verbum Hebraicum conſternationem, & perturbationem ſignificat, qualis repentino ac ingenti dolore oppreßis, accidere ſolet. Suſpicor in vulgaribus codicibus Latinis deeſſe n; conterētur, verti pluralis temporis, ſcribarum, non interpretis culpa. Hebraicè enim, Chaldaicè atq; Græcè plurale verbum eſt.* Torſiones, & dolores. *Ex ipſa parturientis ſimilitudine ſatis clarè horum nominum ſignificatio explicatur: animorum enim turbationes, corporis dolores, omnium membrorum tremores parturientibus accidunt; ita vt aſtantium auxilio opus ſit, alias grauißimè laboraturis, ídque non ſine periculo plerumque; atq; hoc quantum ad animi & corporis virtutem ad malum vel tolerandum, vel propulſandum. Erunt, inquit, animo fractißimi, corpore verò maximè impotentes, etiam in ipſo dolorum ſenſu: namq; ereptionem, aut ſalutem iam ſuperiùs nullam fore declaratum erat.*

Vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, facies combuſtæ vultus eorum.

T A N T V M *abeſt, vt auxilium ſibi mutuò petere, aut præſtare poßint, vt ſinguli obſtupeſcant ſpectaculo alterius, & intelligat vnuſquiſque alios eadem miſeria pari ſecum dolorum magnitudine atq; impotentia laborare: id apertè ſingulorum vultus declarabunt nimium incenſi ob æſtuantem dolore animum, & ſanguinem efferueſcentem, atq; totum corpus vt in maximis doloribus accidit, peruagantem. Videre eſt quotidie huiuſmodi facies in iis feminis quæ difficiles partus habent: namque hæc vultus habitudo ac deſcriptio non propriè timentium, ſed grauißimè dolentium eſt, vt in Ieremia noſtro expoſuimus in Apparatu ſacro.*

Hier. ſiue de habit. libert.

Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furoriſque, ad ponendam terram in ſolitudinem: & peccatores eius conterendos de ea.

E X *vniuerſali & communi Dei conſilio particulare etiam & ſingulare probatur. Hæc enim ratio à Prophetis plerumq; obſeruari ſolet: vt cùm Deus ſalutaris alicui vel populo, vel ciuitati, vel homini futurus prædicitur; illius communis ſalutis omni orbi per Chriſtum, Deo auctore afferendæ, mentio commodè fiat. Facilè enim colligitur, eum priuato alicui miſericordem atq; ſalutiferum ſeſe libenter exhibiturum, qui totius mundi ſalutem vltro cupiat, & velit, & adornet afferendam, aut allatam, denuntiet. Sic Dauid: Domini eſt ſalus, inquit, & ſuper populum tuũ benedictio tua.*

Pſal. 3. 9.

*Ad*

*Ad eundem etiam modum cùm de iudicio in aliquem populum vel hominem exercendo ſermo incidit; illud commune vniuerſo orbi futurum Dei iudicium, quod extremum dici ſolet, commemorant Vates: ex cuius certiſſima cõmemoratione priuati iudicij, de quo ſermo eſt, ratio confirmetur: nam qui iudicat (vt Abraham aiebat) omnem terram, iudicium etiam priuatorum faciet. Huc etiam illud pertinet: Iudicabit orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate ſua. &, Factus eſt Dominus refugiũ pauperis, etc.* Pſal. 97. "
*Igitur Babyloniis iudicium à Deo conſtituendum fore, immo conſtitutum iam eſſe, ex eo cõfirmat Iſaias, quòd non ſolùm priuatum hoc, ſed publicum omni terrarum orbi iudicium conſtitutum ſit; idq; adeò certum, vt in præſenti, vel potiùs præterito tempore Hebraicè hoc oraculũ pronunciet: vt rem non minùs certam accipiamus, quàm ſi vel præſentẽ viderimus, vel factam iam, trãſactamq; eſſe cognouiſſemus. atque hoc pacto intelligimus antiquos Eccleſiaſticos ſcriptores non ab re hunc locum ad iudicium illud extremum retuliſſe. Verùm indignationem, furorem, & cætera grauia verba, quæ Domini diei hoc hoco adiunguntur, eos dumtaxat ſpectãt, quos vates ipſe continuò indicat, nempe peccatores. Namq; illis grauiſſima & acerbiſſima dies Domini eſt, ſeueritatem Domini experturis, tum omnibus peccatoribus in illa poſtrema mundi, tum Babyloniis in illa ipſis impẽdenti calamitatis extremæ die. Siquidem piis huiuſmodi dies Domini gratiſſima & lætiſſima erit, ſecuritatem quippe ac pacem allatura. S. S. E. His autem fieri incipientibus, leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra. Certam autem ſententiam, ſtabileq; Dei & irreuocabile iam pœnæ exigendæ propoſitum, idq; ſeueriſſimum & grauiſſimum, illa omnia adiuncta exponunt.* Crudelis, *verbum Hebraicum* ACHZIR, *opponitur clementiæ omnino. vt apud Ieremiam: Crudelis eſt, & non miſerebitur. Erit, inquit, dies illa certiſſimæ irreuocabiliſq; vltionis: propriè hoc nomen verti poſſit* Inclemens. *ſi quis certè ſciat clementiæ ſignificationem apud Latinos: itaque ad certitudinem ſtabilitatemq; propoſiti refertur: ad actionem verò ipſam, illa,* indignationis plenus, & iræ furoriſquè. *Hebraicè ad verbum,* Indignatio, & excandeſcentia naſus. *Qua oratione, pœnarum vehemens exactio indicatur: namq; iræ excãdeſcentis tempore, quamquam breui, multo plura & celeriùs expediuntur in pœnis expetendis, quàm ſi ſedatiore animo ſit is qui pœnas perſequitur. Vt autem huiuſmodi deſcriptione ira grauiſſima & efficaciſſima indicetur, docuimus in Ieremia. ad quos verò hæc diuinæ vltionis ſententia attineat, ſtatim exponit Vates:* Ad ponendam terram in ſolitudinem; & peccatores conterendos de ea. *De vniuerſa terra iudicio extremo vaſtanda, non eſt quòd in exponendo laboremus; apertus namq; is ſenſus eſt, verùm Theſim ipſam perſequamur ad quam Hypotheſis illa extremi iudicij fuit inducta. Indicat hac oratione Iſaias Babyloniorum regionum cultores omnes vna peccatorum ſententia inuolutos, vna etiam pœna conuoluendos eſſe: viſam enim ſibi terram omnem*

Orig. in ep. ad Rom. c. 2. Chryſoſt. in Mat. c. 10. Ambroſ. ſub de Helia, & ieiunio. c 21. Hier. lib. de pœna. Greg. in Iob. lib. 20. c. 23. Lucæ 21. " " Ierem. 6. 23. Apparat. Sa... lib ... tom. 3.

*nem ſceleratis hominibus plenam atq; onuſtam, illis occiſis, ac de medio ſublatis, liberam & leuem apertamq́; relictum iri affirmat; idq́; Deo auctore, & vltore. Eſt autem hæc exornatio orationis Metonymia dicta, oppoſita illi ſchemati, quod frequenter legi ſolet, vbi de copia maxima ſermo habetur.*
Num. 22. 5. *Ecce egreſſus eſt populus de Ægypto, qui operuit ſuperficiem terræ, ſedens*
" *contra me. Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me eſt; ſi quo-*
" *modo poßim percutere, & eiicere eum de terra mea.*

Quoniam ſtellæ cæli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo.

GRAVISSIMAM, *maximè horribilem & formidabilem tum Iudicij extremi diem vniuerſo orbi, tum exciſionis illius Babylonicæ fore, hac luminarium obſcuratione à Propheta indicari, omnes interpretes & expoſitores docent. Verùm præter hæc quæ verè & rectè exponuntur, aliud etiam à vate, vt res ipſa indicat, ſignificatum: nimirum Babylonios cælorum, ſtellarum, ac ſiderum virtute; quæ ſibi maximè præter omnes alias orbis nationes cognitam arrogabant; vt certam, fauſtam, ſecundamq́; exiſtimabant, eamq́; perpetuam ſibi promittebant, inanem atq; inefficacem, nullam deniq; prorſus experturos eſſe. Quamquam enim magna cælorum & aſtrorũ efficacitas aliter aliis nationibus per huiuſmodi artiũ profeſſores tribuatur, quamquam, noſtro etiam aſſenſu, nonnulla eſſe poßit, in iis præcipuè rebus quæ naturam, naturæq́; ætates ac tempora, opportunitates & loca attingũt: nihilominus tamen non vſque adeò illa neceſſaria & conſtans eſt, vt Dei gubernantis & prouidentis nutibus, & voluntati non obtemperet; ſiue edi, ſiue ceſſare ſeq́; continere iubeatur. Omnia enim, vt Prophetæ & Pſaltes canunt, Dei voluntatem faciunt. Ita adeò efficietur, vt cùm Deus aliquid aduerſus populum, prouinciam, vel perſonam ſingulariter conſtituerit, edereq́; voluerit; ipſius voluntati omnis cùm ſuperorum luminum, tum inferorum etiam elementorum, atq; omnium aliarum rerum natura obſecuta cedat. id quòd in eandem ſententiam idem hic Propheta declarat: Et erit in*
Infra 20. 24. " *die illa, viſitabit Dominus ſuper militiam cæli in excelſo, & ſuper Reges*
" *terræ, qui ſunt ſuper terram. Igitur nihil vel terrarum omnium habitatores in extremo iudicij, vel Babylonicos populos in excidij à vate prædicti die iuuabit ille aſtrorum fauentium aſpectus & ordo; nihil ſolis lumen, cuius efficientia cæterorum aſtrorum pro ſitus & reſpectus ratione virtus augetur, excitatur, vel reprimitur; nihil denique illa temporum, horarum, atq; momentorum obſeruatio illis certi promittet.* Quia ſtellæ cæli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum. *Hebraicè: Non ſplendere facient: neque ſolum ſplendorem ſignificat verbum; ſed efficientiam quandam atq; commotionem & laudem etiam: vt omnis ſignificatio ſimul, & cum re ipſa, & cum noſtra expoſitione conueniat.* & ſplendor earum. *Hebraicè eſt,* CHEZZILEHOM, *nomen plurale cum affixo maſculini generis ad cælos relato.*

*relato. Eſt autem* CHEZZILIM *pluralis numeri; ſignificatq́; lumina à ſtellis, quas fixas vocant, diſtincta: pro quibus variè varia Latina & Græca reddunt nomina. Sed nunc de his differendi locus nō eſt; dabitur aliàs, Deo nobis propitio, in diſputatione de rerum natura. Quod verò additur,* Sol in ortu ſuo: *ad efficientiam ſolis refertur, quæ perpetua eſt, dummodo oriatur: namq́; dies à ſole temperatur, nox verò à luna; alternis partibus, alterius lumen princeps eſt. S. S. E. Solem in poteſtatem diei, &c. Lunam &* Pſal.135.
*ſtellas in poteſtatem noctis. Eſt autem eius naturæ ſol, vt poſtquam exortus* "
*fuerit, perpetuò ſplēdeat; vtpote qui lumen proprium habeat, atq; ideo ſuam efficacitatem, niſi aliàs impediri externa cauſa accidat, perpetuò probet. Luna verò, quæ non à ſe, ſed à ſole lumen habet, inefficax eſt interim, dum non lucet, etiam ſi oriatur; cùm verò lucet, lumen ſuum noctu præcipuè efficax oſtendit, vtriuſque aſtri virtutem impediendam à Deo fore, Vates declarauit.*

Et viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.

DEVM *hominum omnium iudicem, quem nulla aſtra, nulla naturæ potentis vis in iudicio exercendo impedire poßit, in ſuperiori verſu cognouimus: illum enim eſſe, qui vltra naturæ communem ſtatutum curſum, vitam & bonum & mortem, & malum pœnæ dictum mandare ſolus poßit, cùm res ratioq́; exigit, ſemper apud illum iuſtißima: ita tamen, vt non omnem naturam teneat, vt cohibeat; ſed pro iudicij ſui ratione nunc noxias, nunc vtiles rerum virtutes ad homines vel iuuandos, vel puniendos exerceat. S. S. E. Facite præcepta mea, & iudicia cuſtodite, & implete ea: vt* Leuit.25.20
*habitare poßitis in terra abſque vllo pauore: & gignat nobis humus fru-* "
*ctus ſuos quibus veſcamini vſque ad ſaturitatem, nullius impetum formi-* "
*dantes. & rurſum: Sin autem nec ſic obedieritis mihi, addam correptiones* Leuit.26.19
*veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra, & conteram ſuperbiam duritiæ* "
*veſtræ; daboq́; vobis cælum deſuper ferreum, & terram æneam. Conſume-* "
*turq́; incaſſum labor veſter: nō proferet terra germen, neque arbores poma* "
*præbebunt. Si ambulaueritis ex aduerſo mihi, neque volueritis audire me,* "
*addam plagas veſtras vſque in ſeptuplū propter peccata veſtra: immittámque* "
*in vos beſtias agri, quæ conſumant vos, & pecora veſtra; & ad pauci-* "
*tatem cuncta redigant, deſertaq́; fiant viæ veſtræ. Ex hoc loco ſatis apertè* "
*docemur, quemadmodum Deus rerum à ſe conditarum efficacitatibus & virtutibus hominum cauſa vtitur; interdum mala, interdum bona præter communem conſuetudinem & efficientiam exercens. Hanc autem rationem ſe obtenturum aduerſus Babylonios docet, quam aduerſus omnem orbem obtinere poteſt, & ſolet: vt malum tātummodo malis, & ſceleratis hominibus puniendis mandet, omnibus rerum vtilium virtutibus impeditis. Sic vniuerſalis diluuij tempore fecit, ſic in extremo iudicio, quod hîc per hypo-*

hypotheſim indicatur. Facturus eſt. Verborum ſignificationes noſtram expoſitionem confirmant. Eſt autem, vti in ſuperioribus diximus, ſententia vniuerſalis; quæ non ſolùm Babylonios, verùm omnes orbis populos, & nationes omnes improbas comprehendit: quorum vindicem ſe Deus eſſe declarat. Itaq; coniunctionem &, expoſitionis, vel rationis vim habere hoc loco obſeruamus. qua de re diligenter diſſeruimus in Apparatu ſacro. Et viſitabo: nam, vel, quippe viſitabo optimè Græci interpretes verterunt, mandabo: nam verbum viſitare imperatorium eſſe diximus. Mandabo, inquit, cælo & ſtellis, aliisq; exercitibus meis, & vt malum orbi inferant, imperabo. Ita viſitare ſuper orbis malum, malum orbi mandare, & immittere exponimus; malum, inquam, punitionis, vel animaduerſionis, ſiue, vt Theologi rectè diſtinguunt, pœnæ. iuxta illud: Quia non eſt malum in ciuitate, quod non faciat Dominus. Hebraicè ad verbum eſt, malum; Chaldaicè etiam. Atq; ita illius mali, ſiue publici & communis omni orbi, ſiue Babyloniis inferendi, auctorem arbitrumq; ſe Deus iuſtiſsimũ profitetur: ne quis caſu aut fortuitu, aut alia rerum pereuntium, & ſecum externè pugnantium naturæ inimicitia accidere interpretari poſsit: ne verò id præter leges ac iura naturæ conſtituta fieri exiſtimetur, declarat Deus cælum & elementa communem curſum ex bono in malum, hominum culpa, inuertere poſſe: quorum cauſa rectus & certus ordo ſeruari, & amplificari etiam poſſit. Namque vt rebus hominum publicis ac priuatis rectè & ex diuini verbi ſententia inſtitutis omnia proſpera ac ſecunda, vltrà communem etiam naturæ efficientiam, eueniunt: ſic contrà etiam corruptis ac deprauatis hominum animis, & publicis priuatisq; rebus perturbatis, omnia aduerſa, perturbato etiam naturæ ordine, accidunt: hoc eſt, quod, expoſitione & ratione ſignificata, adiungit: Et contra impios iniquitatem eorum. Hebraicorum verborum vis ex tranſlatione obſeruata, ſic habet: Et aduerſum improbos prauitatem eorum. Mandabo, inquit, vt ab impiis & improbis officium humanum peruertentibus, par etiam peruerſitas & turbatio naturæ virtutis, & aliorum hominũ impetus expectetur. Improbos, RESSAGHIM verbum forenſe eſt propriè, eosq; ſignificat, qui in iudicio malæ cauſæ damnati ſunt; maximè verò iniuriæ illatæ aliis: Latini interpretes plerumque impium vertunt: ſed latiorem ſignificationem habet quàm impietas. Pietas eſt officium erga Deum, patriam, parentes, & amicos. Impietas huiuſmodi officij non exhibiti culpa eſt. Improbitas autem ad quamcumque iniuriam, non ſolùm in perſonam, ſed in rem etiam alterius quomodocunque illatam, extenditur; eſtq; propriè tranſgreſsio, ſiue audacia modeſtiæ contraria. Atque ita obſeruari & exponi impiorum & impietatis nomina, & verbum, impiè agere, cùm à Latinis interpretibus ex Hebraico redditur, plurimum ad ſententiæ rationem cognoſcendam contulerit. Non eſſe autem hoc omnino præter naturam, ſed à recta ratione proficiſci Deus ipſe docet: quippe in temperatis, & bene conſtitutis corporibus, aut in leuioribus etiam morbis curan-

[Margin notes: Lib. de Idiotiſmis in principio. — Amos 4. — Improbitas. — Pietas. — Impietas.]

*curandis, ſimplex & conſuetus modus rectè obſeruatur, atque ita naturæ communi, & æquabili efficientia omnia componuntur. Verùm vbi morbus incidit grauis & contumax, ſiue ex plectoria, ſiue ex cacochimia ille morbus effectus fuerit; contraria contrariis curanda ſunt, & extremis extrema exquiſita remedia adhiberi debere, antiquæ medicinæ certa & recta diſciplina docet. Ad hanc naturæ tranſlationem illa poſterior verſus huius pars referenda videtur.* Hippocr.

Et requieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. V ERBA *ſunt ex tranſlationibus ſumpta ferè omnia.* Requieſcere faciam. *Siſtam Latinè dicere poſſumus, explicandi gratia: eſtq́ impetum, aut curſum, aut motũ impedire.* Superbiam GAON, *propriè Elationem vertimus: namq́ interpres noſter ſententiam ipſam rectè tenens, ſecutus eſt; tranſlationes prudenter & conſultò in loco omiſit, quòd maiori expoſitione egere intelligeret. ſic in aliis verbis egit. Vt infidelium propriè intumentium, vel tumidorum & arrogantium* GHAVAH, *Elationem verò fortium, ex verbo Inſolentium ſiue turgentium, exponere poſſumus. Eſt enim* GHARATS *contrarium pronunciatione ac ſignificatione verbo* GHATSAR, *quod anguſtiare, & cõſtringere ſignificat. Nũc adeò ſi totam orationem ſuis tranſlationibus legamus, comperiemus ſanè ex medicinæ artis verbis eſſe compoſitam elegantiſſimè; eámque ad animi vitia transferentes, interpretis noſtri mentem probabimus, qui rem ipſam attigit.* Siſtam, *inquit,* elationem tumentium, *ne vlteriùs intumeſcant, videlicet,* & ſublimitatem turgentium deprimam. *Rectè etiam vertêre hanc orationem Græci, ſentẽtiæ ratione habita, verbis Hebraicæ ſignificationi proximis. Vides hîc duplicem cauſam malæ in corporibus affectionis, nempe humorum redundantiam, & eorundem corruptionem aperiè indicatam: quarum altera materiam ipſam exuperare naturæ virtutem, altera verò corrumpere deprehenditur: quæ extremè grauem morbum gignit, & non ſeruato medicinæ ac naturæ communi ordine, curãdum: concocta enim medicari oportet & mouere; non cruda, niſi turgeant: nam ſi turgent, etiam cruda & turgentia mouenda & minuenda, deiiciendáque ſunt. Iam verò quemadmodum hæc ad animorum atque vitæ morum peruerſitatem & corruptionem tranferantur, facilè quiuis intelligit, ſi noſtri interpretis verba ſapienter æſtimet.* Hippocr.

Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo.

A D *magni pretij atque æſtimationis eximiæ comparationem auri & gemmarum nomina à Sacris ſcriptoribus, Deo etiam dictante, afferuntur. Auri vnam naturam, verùm triplex eſſe in natura diſcrimen obſeruauimus, ex puritate & ſoliditate ſumptum: nam quòd aliqua parte mixtũ eſt, tamen bonum,* ZAHAB; *quod igni probatum & defecatũ eſt diligenter,* PAZ *Latinis; vocabulo eodem nonnihil immutato* PVTVM. *Quod citra ignis, aut artificij operam ſolidum ac puriſſimum, ſordibusq́ alienum in mi-*

neralibus, atque ſecundùm flumina inuenitur; maiori pondere quàm cætera grana minima, ſiue arenulæ; id omnium optimum, maximéque pretioſum eſt: eoq; magis æſtimatum, quò maius eſſe contingat. appellatur autem CHETHEM, Hebraicè: quod nomen, ſemotis punctis, purè, ſimplex, atque perfectum, nullisq; rebus admixtum ſignificat. Huiuſmodi auri portiones natiuæ ac ſimplices à Barbaris ipſis auidè conquiruntur, & inuentæ, magni æſtimantur; præcipuè quæ grandiores ſunt. Atq; vt ex Scripturis ſacris obſeruauimus, maximæ atq; optimæ harum ex Ophir adferuntur. Quam regionem eandem eſſe cum PERV noſtra ætate reperta, in libro Chaleb docuimus. Ex hoc genere auri portio ſimpliciſſima, optimi coloris, ac ſolidiſſimi corporis apud me eſt, pondere drachmarum quinquaginta ferè, rarum magnitudinis exemplum, à chariſſimo mihi fratre Gaſparo Velezio illinc cum aliis rerum naturæ generibus, quarum cognitione delector, dono miſſum. Atq; hæc de auri ratione ſæpiſſimè indicata ac repetita apud Sacros auctores hoc loco adnotaſſe ad ſcripturarum vſum ſatis fuerit: iam verò verſus huius rationem cum ſuperioribus connectamus. non tantùm videtur nobis Vates hic de auri æſtimatione, atq; hominis comparatione in eam ſentẽtiam locutus, quòd Chaldæos ab hoſtibus captos, nullo auro à morte redimendos affirmaret; ſed etiam præuertiſſe admirationem eorum, qui ob hominũ corruptibilem & mortalem cælorũ & naturæ curſum & ordinem, ſiderumq; efficientias impeditum ac perturbatum iri audirent. Hanc admirationem Vates Dei oratione excipiens, ait: Omnium quæ in mundo conditæ ſunt rerum, hominem vel mortalem eſſe Deo æſtimabiliſſimum: adeò vt huius vnius generis cauſa orbem totum in hanc vel in illam partem conuertere ipſe ſoleat: id autem propter ſe ipſum: nam ſi homo officium faciat, pietatémque diligenter, ſtudioſè, purè, ac ſanctè obſeruet; promiſſionem habet ab ipſo maximæ proſperitatis ac ſolidæ, ſine vllo cælorum aut elementorum impedimento. Sin verò contra officium peruertat, pietatemq; prodat; habet etiam denunciationem miſeriarum ac pœnarum, conſentiente & inſeruiente rerũ natura, ipſius Domini & conditoris arbitrio atq; conſilio obſecuta: mũdi enim natura ad hominem; homo ad Deum refertur: id quod in ſubiuncto verſu declarabitur: Propter indignationem Domini exercituũ, & propter diem iræ furoris eius. Verborum ſimplicitatem ex Hebraico ſic reddemus, ſententia tam cognita: Æſtimari faciam mortalem præ puro (auro) & hominem præ puto Opheir. Opheir in genitiuo caſu nomen adiectiuè ſolent vertere interpretes, Ophrizo, vel Obrizo. Ex huius ſententiæ ratione ita conſiderata Chaldæus interpres hunc locum ad alteram, hominum videlicet bonorum, partem retulit: ſic enim tranſtulit: Diligam diligentes me, magis quàm aurum quo gloriantur filij hominis, & operatos legem, magis quàm maſſam Opheir. Huius interpretationem Græci expoſitores ſecuti, bonos viros ac pios in die Iudicij Deo chariſſimos & gratiſſimos fore, ídque rectè, confirmarunt. Noſtra autem ſententiæ deductio, & cum ſuperioribus & inferioribus connexio, nihil cum his pugnat.

Chryſoſt. in Mat. 24. & Orig. Euſeb. de Demõ. orat. Euang. lib. 2. c. 2 Baſil. in hũc locum.

Super

Super hoc, cælum turbabo: & commouebitur terra de loco ſuo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius.

HVIVS *verſus ſententia ex ſuperiori pendet: eſt enim ratiocinationis concluſio, quæ propoſitionis in quæſtione obtinuerat locum. Quæſtio enim erat: An hominum cauſa naturæ curſus impediri, aut mutari oporteret. Reſpõſio verò: Hominem à Deo æſtimabiliorem fieri auro, &c. Cauſa enim hominum mundus conditus eſt, ideoq́ hominum cauſa poſſe mutationibus affici variis, præter communẽ ordinem: maximè quòd hæc omnia ad Deum ipſum referenda ſint, qui hominem ſui cauſa creauit: itaque res hominum Deum ipſum attingũt, tanquam hominum finem vltimũ. Laudabiles quidem res honorem gloriámve illi, vt bonorum auctori, atque adeò iucunditatem (ſi his verbis de Deo loqui licet) afferunt; corruptæ verò ac peruerſæ, iram indignationemq́ mouẽt. Ira vltionis voluntatem excitat; demum voluntatem Dei, ſiue ad beneficentiam, ſiue ad vltionem, natura omnis ſequitur. Hoc igitur eſt quòd hoc loco Deus propoſitam ſententiam amplificatione cõfirmans, ait: Non ſolùm Stellarum, Solis ac Lunæ virtutes impedientur, hominum ſceleribus me commouentibus & irritantibus. Verùm enimuerò ſuper hoc, (ſiue, propter hoc (nam cauſalis dictio eſt) cælum ipſum, cùm opus fuerit, turbabo; totum, inquam, commouebo: ita vt neque locum, neque ſitum, neque tempus, neque motum ex ordine ſeruent; & terra, quæ immota locum ſuum obtinet ſemper, de qua ſcriptum eſt: Non commouebitur in ſeculum ſeculi; ea etiam mouebitur de loco ſuo, naturæ totius auctore irato atque ſuccenſo. Omnia, inquam, diſsipabuntur, & fracta compage ruent propter indignationem Domini exercituum, quando Dominus exercituum vltorem ſe præbere voluerit: tunc enim omnes exercitus eius indignabũtur, & turbabuntur.* Et propter diem iræ furoris eius. *Hebraicè eſt ad verbũ: In indignatione, & in die excandeſcentiæ naſus eius. Quo die illius naſus incenditur, leniſsimusq́ ille ſpiritus excandeſcit, omnia commouentur, ardent, & perturbantur. Verùm ſignificantiſsimè ad hanc ſententiam appoſitum eſt nomen Hebraicum* GHEBRAH. *pro quo Latinus interpres reddit, Indignatio. Significat enim ex etymo, Tranſitũ, ſiue, Tranſitionem vlteriorem: ea eſt, cùm animus lenitatem, patientiam, manſuetudinẽ aliqua vehementi cauſa prouocatus, tranſilit: is enim affectus grauiſsimus & efficaciſsimus eſt. Cogitandum itaq́ nobis indicauit Vates, illam propriam Dei lenitatem, diuturnamq́ patientiam, & longam pœnitentiæ expectationem, quæ propriæ ipſi ſunt; irritari, & commoueri hominum ſcelerata pertinacia. Tunc verò genuinam (vt ita dicam) illam ſuam lenitatem prætergredi videtur Deus: atque ideo hoc verbum à Vatibus in hanc vſurpatur ſententiam. Cognomen, Domini exercituum, vltionis & vindictæ rationem ac ſignificationem ſpectare, iam aliàs ſæpè, & in Apparatu ſacro abundè docuimus. Itaq́ Dei naſo excandeſcente, cælum terræ, & mare* Apparat. lib. Ioſeph.

*cælo miſceri non eſt mirandũ : id quod ante extremũ iudicij diem futurum eſſe, ſacris reſponſis accepimus, & hic Vates hoc loco non obſcurè ſignificat. Iam verò qualis Babyloniis, qualis Babylonenſibus metus, qualis pauor, quis rurſus hoſtibus ipſis animus, qualis impetus futurus eſſet; quis ciuitatem illam, atque adeò totum imperium maneret exitus, commemorata Dei auctoritate, & cælorum atque ſuperiorum exercituum ad nocendum promptitudine, vti iam audiuimus, ſubiectis verſibus Vates exponit.*

Et erit quaſi damula fugiens, & quaſi ouis : & non erit qui congreget : vnuſquiſque ad populum ſuum conuertetur, & ſinguli ad terram ſuam fugient.

IMMINENTE *ciuitatibus bello, cùm ciuium timidiſſimorum pars, tum exterorum atque hoſpitum turba omnis recedit, ſi tamen grauiſſimum & cruentiſſimum bellum fore credatur. Hunc animum non modò Babylonenſibus, qui in illam vrbem negotiorum aut recreationis cauſa ex aliis locis confluxiſſent, ſed multis etiam ex ciuibus ipſis futurum Propheta prædicit. Erit, inquit, populus ille, tum ex ciuibus, tum ex hoſpitibus mixtus, vt damula leonem fugiens. Hoc propriè ad exteros referri videtur: magna, inquit, & celeri fuga, vaga tamen & errabunda, ſaluti ſuæ turba illa cõſulet: nonnulli quoque qui vel iam diu eò commigrauerant, vel aliàs ibidem manſerant, vt ſibi, vel filiis, & iis quos charos habent, conſulant, celerrimè aufugient. Erunt autem celeritate damulæ, animi verò turbatione & imbecillitate, vt oues è caulis à lupi metu diſiectæ; neque enim præ conſilij inopia, metu ac trepidatione cõiuncti, vel turmatim abibũt, ſed diſperſi ſinguli; vt latêre meliùs, effugereq́; conmodiùs poſſint: neque quiſquã cæterorũ curam ſuſcipiet. Tãtùm vna ſingulis mens erit, quacũq; poſſint, ad populum ſuum conuerti: atq; ita ſinguli alij, alia parte ac via ad terrã ſuã fugient. Eſt enim hoc damularum ingeniũ, vt vndecunq; exterritæ aufugerint, ad cubilia ſua notaq́; loca contendant: oues etiã errantes in caulas feruntur, earumq́; deſiderio balantes oberrãt. Itaq; nulla tum ratio exteris habebitur perſonarum, aut amicorũ quos Babylone reliquerint, exiſtimantibus tutius ſibi, & melius fore apud populum ſuũ, nulla cura ciuitatis, aut regionis relinquendæ, vtpote ſuam regionem tunc, etſi tamen aut ipſis non antea ſatis commodam, præferentibus : alioqui enim, qui id non fecerint, non ſecus atque ciues ipſi Babylonij, ſæuientium hoſtium arma & vim experientur.*

Omnis qui inuentus fuerit, occidetur : & omnis qui ſuperuenerit, cadet in gladio.

QVI *inuentus fuerit ex Babyloniis, quos præcipuè hoſtis quæret, exquiretq́; diligentiſſimè, confodietur ſagittis atque miſſilibus; tum etiam enſe: quicunque verò ſuperuenerit ipſis ciuibus, aut hoſpes, aut alius externus, etſi non tanto impetu atque tumultu, tamen non euadet mortem; occumbet enim gladio percuſſus.* Superuenerit. *Hebraicè eſt omnis additus, additus ciuibus & hominibus Babylonicis, quos hoſtis præcipuè quærebat.*

*Addit*

*Addit autem Vates alia bellorum mala, quæ, Deo permittente, Babylonij videntes & ſentientes experturi erāt, non ſolùm corpore, ſed animo etiam: nimirum filiorum occiſiones, fortunarum direptiones, & contumelias.*

Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, & vxores eorum violabuntur.

IN HVMANÆ *felicitatis ratione, filij, familiaris res, & vxor vulgò numerari ſolent: ſed omnibus his plerumque humana inſolentia ad faſtum, ad luxum, ad impietatem & improbitatem abutitur. Quamobrem diuinæ vltionis tempore horum etiam bonorum calamitate improbi homines mulctantur.* In oculis eorum. *Ad omnia orationis huius membra refertur. Viuentes ipſi ſentientesq́; adhuc videbunt filios ſuos paruulos, quos tenerrimè amabant, allidi; domus conculcari & diripi, vxores violari; quod grauiſſimum contumeliæ genus eſt.* Diripientur. *Hebraicè, conculcabuntur. quod diripientium impetum, inſolentiam, & concurſationem ſignificat; deinde rerum direptarum diſtractionem: pretioſarum autem, aliàs gratarum ædium aut partium domus, aut etiam ornamentorum diſſipationem. Indicatis iam apertèq́; nominatis iis ad quos vaticinium hoc ſpectaret, atq; pœnis omnibus non obſcurè explicatis, quas Dei iudicio Chaldæos manere Vates præuideret, huiuſmodi diuini iudicij exercendi miniſtros ipſos nominibus declarat ſuis: vt vaticinium certa nominum, temporum, ac rerum expoſitione præcantatum, & maiorem in auditorum animis fidem faciat, & Deum illum verū, qui futura omnia ſolus prænouit, auctorē ſui probet. Hactenus quidem id quod caput, & primum erat, expoſuit Vates: videlicet, Deum illum miſericordem erga pios & probos, eundem iudicem & vindicem potentiſſimum, communem omnium hominum eſſe, paratéque pœnas, iratum & infenſum alicui genti, quam in inſcriptione tantùm Propheta indicauerit: nunc verò deinceps quibus potiſſimùm exercitibus, quibus ſatellitibus id efficiēdum eſſet, à quibus gentibus ferendū, commodè exponit.*

Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, neque aurum velint: ſed ſagittis paruulos interficiant, & lactantibus vteris non miſerebuntur, & ſuper filios eorum non parcet oculus eorum.

VICTORES *iam victoria potitos duæ affectiones temperare, & retinere ſolent ab extrema crudelitate exercenda: auaritia, videlicet, ac miſericordia. Pars enim militum, aut aliorum etiam qui bella gerunt, cupiditate acta, quem occidere poſſet, captum aut deditum promiſſæ ſibi pecuniæ ſpe facilè ſeruat; idq́; plerumq́; accidit, vbi diues aliquis victus victori contingit: nonnulli autem miſericordia commoti, vel naturæ, vt feminis; vel ætati, vt pueris parcunt. Atqui eos hoſtes à ſe aduerſum Babyloniam excitandos eſſe Deus ait, qui natura conſuetudineq́; ſua neque auari ſint, neque miſericordia vlla detineantur, quò minùs conceptum animo furorem, odiumq́; expleant: idq́; cum ſuo ipſorum ingenio proprium eſt, tum etiam Dei excitan-*

tis ſpiritum illorum magis augebitur. Ideo autem non meminit Perſarum, qui in illam expeditionem educti etiam fuere; quòd illi, cùm delicatiores eſſent, & apparatus magni cupidiores, atq; adeò clementiores viderentur, non tantum à Deo mutandi, quantum Medi, ſuopte ingenio truces, magis inflammandi erant; maximè quòd rex ipſe Darius totius exercitus caput & Princeps, Medus genere erat. & quamquam Perſæ multi numero eſſent, nomen tamen ad caput & principem omnium referendum fuit. Sic
Dan. 5. enim ſcriptũ legimus: Eadem nocte interfectus eſt Balſaſar rex Chaldæus,
» & Darius Medus ſucceſſit in regnum. Quæ verò addita ſunt à vate noſtro, hac ratione exponimus, vt probationem & confirmationem eſſe dicamus propoſitæ imaginis ingenij Medorum; qui neque argentum æſtiment. Non venient, inquam, argenti cupiditate, ſed iugi Chaldæorum à ſe depellendi, & tyrannidem in orbem exercitam vlciſcẽdi, cauſa: ideoq; à Deo excitati, aurum omnino nolint. qui ſtrenuorum militum, & imperium affectantium, aut iniurias vlciſcentium animus eſt. Ita enim prima illa Romanorum orbis terræ imperium ineuntium fortitudo commendata eſt:

Hor. lib. 3. Od. 3.

*Aurum irrepertum, & ſic meliùs ſitum,*
*Cum terra celat, ſpernere fortior,*
*Quàm cogere humanos in vſus,*
*Omne ſacrum rapiente dextra.*

Huiuſmodi ingenium indicabat Iſaias, ita ad verbum locutus: Argentum non æſtimabunt, & aurum non complacebunt in eo. *hoc eſt, aurum ſpernent, vt neque iucundum neque gratum ſibi. Quod verò ad clemẽtiam attinet: nullius ætatis, nullius ſexus miſericordia mouebũtur; vt qui ſoleant pro ludoq; habeant, pueros, tanquam ſagittas, arcu iaculari; feminas etiam in vtero habentes, cum fœtu ipſo interficere: nec in alienis tantùm huiuſmodi crudelitatem exerceant, ſed neque filiorum etiam propriorum rationem habeant. Ita ſimpliciter hunc verſum interpretamur; non qui ad ipſorum Chaldæorum cladem propriè referatur (namque id ſuperiùs iam erat explicatum verſu decimo ſexto) ſed qui ad Medorum ingenium natura ſua crudele, ſed excitante Deo magis incenſum, indicandum pertineat. Hæc*
Habac. 1. *enim ratio à vatibus obſeruari ſolet. vt: Ecce ego ſuſcitabo Chaldæos gẽtem*
» *amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat ta-*
» *bernacula non ſua. Horribilis & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium &*
» *onus egreditur. & cætera multa, quæ in deſcribenda illius gentis imagine Habacuc adiunxit.* Ecce ego excitabo. *Hebraicè,* Ego excitans, *in præſenti tempore certiſſimam rem, & iam cõſtitutam, atq; adeò captam ſignificat.* Sed ſagittis paruulos interficient *Hebraicè propriis iaculatorum verbis:* Et arcus pueros iaculabuntur. *ita vt ſagittarum inſtar pueri arcubus extentis aptati ad muros, aut aliàs ad ſcopum aliquem, aut quàm longiſſimè fieri poſſit, temerè iaciantur. Sunt autẽ paruuli quos hic appellat, ij, qui infantiam exceſſerunt, nec tamen adulti adeò ſunt, vt ſui iuris eſſe poſ-*

*poſſint: pueros Latinè dicimus. quod verò, lactantibus vteris, interpretatio noſtra habet, & fœtus nondũ natos, & infantes recèns natos interpretamur; quippe & hi, & illi vteri materni ſucco aluntur, hoc eſt, ſanguine qui nondũ nati, & lacte qui nati iam ſunt. Hebraicè eſt, fructus vẽtris: Latinè vno verbo fœtus vteri dicere poſſumus. Qui non parcit vteri fœtus, neque vtero ipſi parcet. Illud verò poſtremũ, Super filios nõ parcet oculus eorũ; de ipſorũ Medorũ filiis exponimus: vt argumentatio ex contentione inſtituta nobis videatur. Verbũ verò parcet, quod Hebraicè eſt* HVZZ, *iuxta noſtrã pronũtiandi formã propriè eſt prætermittere aliquid, quod aliàs charũ aut proprium eſt: vt ex illo exemplo, aliisq́ nonnullis cognoſcetur: Ne dimittatis quicquam de ſupellectili veſtra, vbi Hebraicè ſic legimus: Et oculi veſtri, non* IAHVZZV, *ſuper vaſa veſtra; ſolet enim ita conſtrui. At verò tantæ Dei iræ atq; indignationis, tanti imperatoris expeditionis, tanti apparatus, tanti exercitus animi, viribus, ac dexteritate inſtructi, quem exitum denique expectare oporteat, exponit ſtatim Iſaias. Non enim magna conſilia à potentiſſimo principe magnis opibus ex paruis & momentaneis, ſed magnis atq; diuturnis de cauſis ſuſcipiuntur exdeduntur q;.* Gen. 45. 20.

Et erit Babylon illa ciuitas glorioſa in regnis, inclyta in ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubuertit Deus Sodomam & Gomorrham.

QVANTAM *quamq́; grauem ruinam expectari ex illo magno iam indicato molimine oporteret, oratione ex oppoſitis deſcriptionibus conſtructa Vates indicat: nimirum, vt Babylon, quæ mole, fortitudine, murorum ambitu & munitione, rerumq́; bellicarum apparatu; legum, opum, ac potentiæ magnitudine glorioſa in regnis; ſiue, vt Hebræus ſermo habet, tumor regnorum, omnium, inquam, regnorum præſtantiſſima & opulentiſſima regina fuerat; opibus deinde, diuitiis, & deliciis, ornamentorum pulchritudine, ac rerum etiam ad luxurioſam & ſplendidam vitam comparatarum copia, inclyta in ſuperbia Chaldæorũ, ſiue, vt in Hebræo ſignificantius eſt, pulchritudo elationis Chaldæorum. Cuius vnius ciuitatis nomine Chaldæi præter cæteras gentes omnes glorioſi erant; illa eadem ad Sodomæ & Gomorrhæ Dei iudicis ſententia & auctoritate vniuerſarum vrbium conditionem redigenda fuerat. Iam deinceps nulli mortalium vſui futura, neque ad habitandum, neque etiam ad paſtum; ſed tanquam omnino à Deo perpetuæ ſterilitati damnata, deteſtabilis omnibus relinquenda. Legimus autem in Annalibus Hebraicis (cui libro,* SECVLI SERIES, *inſcriptio eſt) Darium vno anno Babylonem à ſe captam habitaſſe; ſequenti verò illam Sodomæ & Gomorrhæ inſtar fuiſſe funditus euerſam. Fuere autẽ Sodoma & Gomorrha cum vicinis vrbibus non ſolùm opulentiſſimæ, verùm & amœniſſimæ ſicut Paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus: adeò vt non ſolùm ciues, incolasq́; ſuos iuuarent; ſed aduenas etiam paſtores ſua commoditate atque opportunitate maxima allicerent, illum agrum propter vtilitatem paſtuſque copiam optantes. S. S. E. Elegitq́; ſibi Loth regionem circa Iordanem, &* Gen. 13. Gen. 13.

*receſ-*

*receſsit ab Oriente. Eadem autem regio omnis, poſtquam diuino iudicio euerſa eſt, in eam redacta eſt naturam, quæ & incolis omnibus perpetuum atque deteſtandum ſepulchrum, & exteris horrendum ſui præberet aſpe-*
Gen. 19. *ctum. S. S. E. Abraham autem conſurgens manè, vbi ſteterat priùs cum*
» *Domino, intuitus eſt Sodomam & Gomorrham, & vniuerſam terram re-*
» *gionis illius: viditq́; aſcendentem fauillam de terra quaſi fornacis fumum.*
» *& paulo pòſt: Aſcenditq́; Lot de Segor, & manſit in monte: duæ quoque fi-*
» *liæ eius cum eo. Timuerat enim manere in Segor, quæ vna ex illis vrbibus*
» *minima tamen erat, quam ab incendio Loti ipſius cauſa exceperat Deus. Et quoniam, euerſis aliis vrbibus, proxima, in eademq́; regionè ſita erat, minùs iam tuta viſa eſt Loto, à quo antea ſtudiosè optata fuerat: quam ob rem is in monte aſperiore, incultioreq́; loco eſſe maluit. Ad huius autem euerſionis exemplum Babylonem traducendam, neque diuturnæ hominum culturæ, neque breuis hoſpitij, aut manſionis vſui aptam relictum iri, Vates noſter prædicebat.*

Non habitabitur vſque in finem, & non fundabitur vſque ad generationem, & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, neque paſtores requieſcent ibi.

IN *duobus verbis à Vate vſurpatis, pro more noſtro diſtinguentes & explicantes, non heteroſim, aut expoſitionem, ſed certam ſingulorum ſignificationem inuenimus.* Non habitabitur. *Hebraicè ad verbum: Non ſedebit ad finem. Id ſignificat nobis apertè, Babylonem in eodem ſitu ac loco ex quo euerſa iam ſemel fuerit, nunquam iterum ſeſſuram aut reficiendam. Ita enim diuino iudicio ad perpetuam ruinã & euerſionem damnata fuit: vt nunquam ibidem quiſpiam hominum habitauerit. Eſt autem verbũ Hebraicè* THESEB, *quod ſedere ſignificat; & affinitatem maximam habet cum verbo* THASVB, *quod reuerti, aut redire interpretamur. Ait ergo Vates, vrbem illã nunquam in æternũ, vt eodem cõſtituatur ſitu, reuerſuram. Deinde addit:* Et non fundabitur vſq; ad generationẽ & generationẽ. *Verbũ Hebraicum eſt* THISCHON: *quod, vti ex frequentibus exemplis obſeruauimus, propriè ſonat Latinè, Domicilium collocare. id quod ſatis intelligens vetus interpres rectè reddidit, Fundabitur. Eſt autẽ, domicilium*
Cic. de Seneſt. *collocare; certam ſedẽ, conſilio non commutãdã, figere. Ita Lacedæmon opti-*
Pro Archia. *mum domicilium ſenectutis, & cælum piorum hominum domicilium eſſe dictum eſt. Ait autem Iſaias, Babylonem ſuo loco non conceſſuram in æternum. Deinde addit:* Neque domicilium collocaturam ad generationem & generationem. *Quam ex firmitudine ſitus, & munitione atque inexpugnabilitate murorum, glorioſam in regnis; ex perpetuitate verò ſperata gloria Chaldæorum nominis, inclytam in ſuperbia Chaldæorum appellauerat; eam non ſolùm regni caput, ſed neque priuati hominis habitaculum futuram: deinde neque certæ alicuius gentis ſocietatem & nomen conſeruaturam. Non poſſumus ſatis admirari quàm apertè, quàm dilucidè atque*

*diſtinctè*

*diſtinctè omnium futurorum temporum hiſtorias Prophetæ ſuis locis prædicant: quæ res vt explicatior fiat, Babylonicarum rerũ ſerie repetita oſtendetur; auctoribus, vnde id petitum fuerit, in margine Commentariorum, pro more noſtro, indicatis. Babylon Nimrodi primi omnium tyranni regni initium fuit; ab eodem, vti credimus, vel ſtructa, vel magnæ vrbis nomine amplificata, nomen ab antiqua turri, in ipſa regione quondam cœpta, obtinuit. Eius initium paulo pòſt linguarum diuiſionem fuiſſe videtur, circa annum à diluuio centeſimum ac trigeſimum. Ex eo tempore auctores illi, qui Beroſi & Methaſtenis nominibus circumferuntur, ſiue illis vere, ſiue falsò adſcriptis, temporum ſuorum rationes incipiunt. Quinquageſimo ſeptimo pòſt anno Belus Babylonius, quem Bel, ſiue Bal ſacri ſcriptores vocant, auxit. Poſt quinquageſimum & ſecundum annum Semiramis illam munitione, ſitu, omnibusq; partibus ampliſſimam & opulentiſſimam fecit. Sardanapalo Niniue rege occiſo, Babylon imperij caput facta eſt: mille trecentis quinquaginta vno annis, poſtquam primùm à Chaldæis condita habitataq; fuerat. Imperium inde vſque ad Balſazar obtinuit annis ducentis & octoginta, maxima & opulentiſſima omnium regnorum facta; atq; adeò aucta & firmata, vt perpetuò eſſe duratura videretur: quamobrem à Vate noſtro Regnorum tumor appellatur. Chaldæorum autem genus, nomen, & ſplendorem per generationes, ſiue ætates ſeptendecim ferè conſeruauit: nempe annos mille ſexcentos triginta vnum, poſtquam à Dario capta, atq; anno ſequenti euerſa fuit, nunquam ampliùs in eodem loco ædificata rurſus. Verùm ex illius vrbis ruinis, atque ex reliquiis Chaldæorum, qui in illa regione habitauerant, noua ciuitas, Babylonis nomine tãtùm conſeruato, à Cambyſe, Perſarum regis filio, non longè ab illa conſtructa eſt; Perſarum, Chaldæorum, & aliarum gentium familiis eò coactis: quæ tamen neque Chaldæorum, neque Perſarum, neque alicuius alterius gẽtis certum domicilium per duas generationes conſeruare potuit: namque poſt prioris Babylonis euerſionem anno trigeſimo quarto, à Dario Hiſtaſpis filio, qui à ſacris auctoribus Artaxerxes dicitur, defecit: à quo rurſus poſt longam menſium viginti obſidionem, capta eſt; atq;, vt deficientibus ciuitatibus euenit, ſuis honoribus & commoditatibus expoliata. Deinde, extincto Perſarũ regno, per Alexandrum expugnata, capta, & Græcis, aliisq; nationibus tradita, anno poſtquam à Dario defecerat, centeſimo octogeſimo quarto: qui nõdum duas generationes compleuit. Poſt triginta ferè annos à Seleuco Armeniorum rege occupatur, vndecimo ipſius Seleuci anno: à quo ad Armenici regni finem anni fluxere ducenti & quinque. Poſtquam Armeniorum regnum eſſe deſiit (qui fuit à Diluuio bis millienus ducentenus vndecimus, ab vrbe condita ſexcenteſimus quinquageſimus octauus) numerantur anni centum nonaginta ſex, ad expugnatam & captam à Traiano Babylonem. Sed quantis mutationibus Aſiæ omnes vrbes & regiones ſubiectæ fuerint, poſtquam à Græcis primùm, deinde à Romanis adiri cœperũt, nemo in hiſtoria-*

Ioſeph lib. 1. cap 9.
Diod. Sicul. lib 1.
Beroſ. 4. 5.
Iuſtin. lib. 1.
Herod. lib. 1.
Diod Sicul. lib. 13.
Dion.
Beroſus.
Iuſtin. lib 1.
Diod. 1. de fab. antiq. geſt. 3.
Oroſ. lib. 1. c. 19.
Herod. lib. 3
Iuſt. lib. 2.
Herod. lib. 3
Euſeb.

*rum lectione mediocriter verſatus eſt, qui neſciat. Poſtquam verò Traiano Imperatore capta, diruta, & direpta Babylon illa ſecunda fuit, nihil amplius fuit quàm oppidum, quod hodie etiam nomine Baldak exſtat. Quod à Perſis, Syris, Arabibus atq; Turcis alio atq; alio tempore occupatum, nihil ampliùs illius antiquitatis Chaldææ præter ſolum agrúmque retinuit. Hoc autem eſt quod vaticinari, imò indicare, tanquam præſens, nobis videtur Iſaias.* Non fundabitur vſque ad generationem & generationem. *Etenim nullius gentis nomen in illa regione duarum generationum, nedum plurium ætate duraſſe comperimus. Animaduertendum autem eſt, totam illã regionem, turri illi antè linguarum diuiſionem inchoatæ adiacentẽ, appellatam fuiſſe Babylonem; in qua triplex ædificium fuerit, eodem nomine: primum illud quod diximus, laterum & bituminis comportatione inchoatum: ſecundum Babylonem illam magnam, quam ſemel euerſam, nunquam ampliùs reſtitutã legimus: tertium Babylonem minorem, à tot, tamq; variis gentibus poſſeſſam. Atq; huiuſmodi diſtinctione Prophetarum oracula faciliùs explicantur, & hiſtoriarum etiam prophanarum tempora rationéſque conſolidantur. Iam verò ad prius membrum Vates redit expoliendum, qui Babylonis illius magnæ ruinam & euerſionem Sodomiticæ euerſioni ſimilem futuram dixerat. Atqui Sodoma & omnino euerſa, ciuibus incolisq; inhabilis reddita, exteris etiam & vagis, neque certam ſedem tenentibus, ſed paſcuorum commoditate locum mutantibus, formidabilis relicta eſt. Cuius rei exempla in Loto, & in Abrahamo obſeruauimus. quorum alter, hoſpes & aduena cùm eſſet, paucis diebus commoratus, timuit in illa regione apud Seghor eſſe; alter neque vno die ibi ſiſtendum, neque adeò eò perueniendũ eſſe putauit, vtpote qui videt fumum tanquam ex fornace aſcendentem. Hanc eandem rationem ac ſimilitudinem Iſaias perſequitur:*

Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi: ſed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus; & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi: & reſpondebũt ibi vlulæ in ædibus eius, & ſirenes in delubris voluptatis.

NEC *breuis etiam temporis ſtatio Arabibus alicuius vſus cauſa ibidem placebit. Arabes enim incertas ſedes habent, ſed paſcuorum commoditatem opportunitatemq; ſecuti, nunc in vno, nunc in alio loco tentoria,*
Gen. 16. *vagaſq; domos figunt. S.S.E. Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes,*
" *& manus omnium contra eum; & è regione vniuerſorum fratrũ ſuorum*
Lib. Phal. *figet tabernacula. De his in Sacro apparatu ſatis dilucidè ſcripſiſſe videmur.* Nec paſtores requieſcent ibi. *Si enim vel caſu, vel conſilio eò peruenerit aliquis paſtor ex finitimis regionibus, tamen ibidem non pernoctabit; tantus, támque deteſtabilis loci illius futurus eſt horror, tanta paſtus & alicuius vtilitatis inopia. Loci nota ſæpè hîc repetita,* ibi, *ipſum magnæ Babylonis indicat ſitum. Commoditatis autem & iucunditatis, atq; amœnitatis præteritæ copiam, æterna deteſtatione damnatam, ad nocẽtum, maleficarum,*

rum, atq; monſtroſarum animantium vſum transferendam eſſe, ait; quæ corrupto aëre, venenoſoq; ſolo, atq; arida regione nutriuntur, & viuunt: ex quibus aliquot genera commemorat, quæ aliorum ſimilis naturæ formas complectuntur. Beſtiæ. Hebraicum nomen TSIIM, animalia ſiccitate gaudentia ſignificat, cuiuſmodi ſimiæ ſunt. Loco igitur illorum magnorum regum & principum ſimiæ ac cercopitheci loca illa poſsidebunt. Draconibus OHHIM, viuerras docti omnes eſſe aiunt, in quarũ genere muſtelæ etiam ſunt; has ſcimus etiam in ruinis & antiquis ædificiis verſari, vtpote quæ lacertarum, murium, ſtellionum, & aliorum immundiſsimorum animalium, & inſectorum captu viuant: quorum copia in veteribus ruinis gignitur maxima. Hi erunt negotiatorum antiquorũ loco apud Babylonẽ. Struthiones, Hebraicũ nomen, Filiæ IAGHANA. Variè à variis vertũtur huiuſmodi nomina: namq; interpres noſter perpetuò ſtruthionem vertit; quòd ea auis crudelis ſit, & oua ſua neque fouere, neque excludere dicatur, ſed deſerere, vt ſponte coquantur, & excludantur: deinde quòd ſiti laborantes, aut fame, cantu ſibi mutuò reſpondeant: alij Vlulas, Græci interpretes Sirenes. Nobis ex adiuncto auium genere multiplici in Leuitico ac Deuteronomio indicato, omnis illa natura ſignificari hoc nomine videtur, quæ diurnam lucem vitat, noctuq; volat, & cantat; cuiuſmodi aſiones, bubones, noctuæ, vlulæ, & eæ quas Arabicus & Hiſpanicus ſermo Ganghas vocat. Ideoq; appellantur Filiæ, quòd eiuſdẽ generis formæ multæ ſunt, figura, volatu, actione, & voce perſimiles. Vox autem lamentationem potiùs, quàm cantum imitatur. Piloſi, Satyros alij, alij Dæmones eſſe volunt: nos omne ferum animalis horridumq; genus, quale eſt leonum, luporum, vulpium, & vrſorum; & ſi quid huiuſmodi aliud eſt quod ad varia nocentiũ ſpirituum ingenia per ſimilitudinem transferatur: namque genera, vt diximus, ſumma vſurpat hoc loco Vates. Et reſpondebunt ibi vlulæ. Vocem ſignificat triſtem & lugubrem catorum ſiue felium ſilueſtrium, quos hoc loco vlularum nomine interpretamur, ex Chaldæo. In ædibus eius. In porticibus, vel ſtructuris: eſt enim VLAM ante portam domus turri ſimilis porticus; vt in Apparatu docuimus. Et in delubris voluptatis Sirenes. Exiſtimarem Serpentes in codicibus emendatis legi, niſi à verbo Græco σύρειν, Sirenes pro Draconibus vetus interpres poſuerit; quòd id genus corpus per terram trahat. Palatiis igitur antè deliciosiſsimis, draconum & colubrorum genera innumera fruentur. Delubra, palatia interpretamur: quo nomine Principis, Dei etiam templum dicitur HELCHAL. Porrò (quia in ore duorum vel trium ſtabit omne verbum) hoc idem, de eademq; re vaticinium à Ieremia pleniſsimè pronuntiatum poſtea fuit, & expoſitum ad eandem rationem, quam nos hîc explicuimus, cuius ſumma illa eſt: Gladius ad Chaldæos ait Dominus: gladius ad diuinos eius, qui ſtulti erant: gladius ad fortes illius, qui timebunt: gladius ad equos eius, & ad currus eius: & ad omne vulgus quod eſt in medio eius: & erunt quaſi mulieres. gladius ad theſau-

[Margin: De factis fabricis. — Ierem. 10.]

*ros eius, qui diripientur. Siccitas ſuper aquas eius erit, & areſcent: quia terra ſculptilium eſt: & in portentis gloriantur. Propterea habitabunt dracones cum fatuis ſiccariis, & habitabunt in ea ſtruthiones: & non habitabitur vltra vſque in ſempiternum; nec extruetur vſque ad generationem, & generationem. Sicut ſubuertit Dominus Sodomam & Gomorrham, & vicinas eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis. Quòd verò vaticinium hoc duplex ſit, & ad proximam, paulóque pòſt futuram, atq; etiam ad remotiorem, magiſq; arcanam Babylonis cladem pertineat (id quod verbo* HHAZAH, *id eſt*, VIDIT, *Capitis huius initio indicatum eſt) affirmat Vates, priùs exemplum non multos poſt dies ſpectatum iri: id quod poſterioris fidem & expectationem confirmet.*

## CAPVT XIIII.

PROPE eſt vt veniat tẽpus eius, & dies eius non elongabuntur.

CVM *Prophetarum vaticinia & libri perpetua oratione, nec interciſa capitibus, ſcribantur; aliquando Græci ac Latini deſcriptores capitum initia ex ſuperiori adhuc non abſoluta ſententia fecerunt. Rectè autem hic verſus ſuperioribus coniungitur: atq; ita in omnibus Hebraicis codicibus legitur, & in Latinis etiam manuſcriptis; in quibus nulla eſt capitum diſtinctio. Cuiuſmodi optimũ exemplar in cœnobio Affligenſi, non longè à Bruxellis vrbe viſitur. Quadrat autẽ huius verſus lectio rectè cũ ſuperioribus: in quibus quiſnam exitus Babylonios maneret; quo auctore, quibus miniſtris, quamobrem, quomodo expediendus eſſet, expoſitum à Vate eſt: cui ſi adiungatur tẽporis etiam circunſtantia, omnibus partibus ac numeris fuerit ſatisfactum. Iam enim auditis cæteris & cognitis, reliquum erat, ſcire cupere, quando id futurum eſſet quod prædicebatur: namque temporis notatio plurimum in omni re, & ad conſulendum, & ad agẽdum valet. Noluit autem Vates apertè diem & horam indicare: quam tamen non occultè ſignificauit. Verùm enimuerò, ne opinione longi temporis & moræ, expectationiſq; diuturnitate ſecuriores aliquanto redderentur, affirmat propinquam eſſe hanc euerſionem, euerſioniſq; molitricem, hoſtiũ indignationem: idq; maturiùs experiendum & conficiendum eſſe declarat. Propè, inquit, eſt, vt veniat tempus vltionis eius; & cùm venerit, non elongabuntur dies eius. Celerrimè namq; conficietur omnis illa expeditio, breuiſſimeq; euertetur Babylon. Pronomen illud, Eius, bis repetitum, femininum eſt; & Babylonem refert. Quòd verò Babylon illa, quæ totius orbis imperij ſummam tenebat, magnaq; tyrannide gerebat, figura fuerit alterius Babylonis, cuius maieſtatem, auctoritatem, ſapientiam, & prudentiam mundanã, cum omni etiam ſcientiæ nomine, cum præſtigiis, & incantamentis ac veneficiis coniunctam omnes Reges, omniaq; regna terræ colerent, diuus Ioannes in Apocalypſi apertè, aliiq; Apoſtoli non obſcurè in ſcriptis ſuis ſignificauere:*

*cuius*

*cuius myſterium iam operatur in filios diffidentiæ, vt Paulus ait. Eam autem, inſtar illius prioris Babylonis, per Medos diruendam euertendamq́; omnino fore, Dei iudicio atq; auctoritate, hoc loco Vates prædicit, & Euangeliſta ille, Apocalypſis auctor, manifeſtè proclamauit. Sed non intelligimus hoc loco Medos illos, qui ad Caſpium mare ſedes tenuerunt ſuas, ſed alios, quibus nomen* MADAI *rectiùs etiã & aptiùs quàm illis conueniat.*

Miſerebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Iſraël: & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam. Adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob.

BREVITATI, *quam omnino optamus, & expeditioni orationis atque hiſtoriæ commoditati ſimul ſtudentes, rerum explicatu digniſſimarum, & myſteriorum non prætermittendorũ copia occupamur: cui ſi aliqua ex parte non ſatisfecimus, minùs rectè minusq́; ſincerè officio noſtro functi videbimur. Quamobrem orandus eſt Chriſtianus lector, vt quæ ad ſuam vtilitatem nos longiori tempore aliquando ſcribere cogimur, ea breuiori legenti tantùm labore excipere ipſum non pigeat: quæ tamen non ſine fructu excipienda eſſe ſperamus; curabimus autem pro more inſtitutoq́; noſtro, ne vllum verbum vacans, rerumq́; inops à nobis proferatur; ita vt id temporis, & operæ poſitæ pretium non ſine cognoſcendarũ rerum, & ſententiæ vſura pendamus: maximè cùm omnia veterum librorum ſcripta ad noſtrã Chriſtianorum vtilitatem pertinent; & in his, ſi quæ, maximè Iſaiæ vaticinia enumerari debent. Meminiſſe autem oportet, eius rei quam in horum Commentariorum initio indicabamus, Iſaiam non vnum tantùm ſeculum, vnamq́; rerum rationem, vnámve aliquam gentem; ſed totius mundi ſecula, atq; adeò veteris & noui Teſtamenti tempora, fuiſſe intuitum; atque vtriuſque partis res & rationes certis ac ſignificantiſſimis verbis, vnica tamen ratione, prædixiſſe: vnde & ipſum omnium Prophetarum ad interpretandum eſſe difficillimum; & qui multorum Chaldæorum, Hebræorum, Græcorum & Latinorum interpretum ingenia exercuerit, atque hactenus exercet: ferè enim ſingulis annis in illius ſermones noua exiſtũt commentaria; neque ea ſingularia aliquando: nam noſtro etiam tempore terna vno eodemq́; anno in Hiſpania edita ſunt à doctis & piis viris: quorum diligentiam quicunq; ſine inuidia perſpexerit, ſummopere laudabit. Omnium autem, tam antiquorum quàm nouorum interpretum communis ſententia atque affirmatio eſt; Iſaiam ſermone ſimplicem, ſenſu tamen & ſignificatione multiplicem eſſe. cuius vaticinia & ſcripta nos, pro conceſſa Dei beneficio cognitionis portione, exponentes, cùm duplicem rem aut ſententiam repererimus, eam rationẽ obtinebimus; vt priore, atq; Vatis ipſius tempori propinquiore parte diligenter expoſita, poſterioris breue exemplum, ad prioris imaginis inſtar, non omnibus coloribus, eademq́; magnitudine depingamus; ſed deductis per præcipua loca lineis deſcribamus: quod doctus lector intuitus, omnibus partibus ac membris collatis, perſequi poſſit facil-*

 *limè.*

*limè. Duas igitur Babylones à Vate noſtro ſignificari diximus: primam illam, quæ Chaldæorum nomen diu conſeruauit, & orbis obtento imperio, Ieruſalem capta & diruta, Iudæos in captiuitatem abductos miſerè afflixit: alteram verò illam maximam, quæ poſt Chriſti tempora, regni atq; potentiæ fundamentis iactis, occultè quidem, quo ad nomen, ſed quo ad rem apertiſſimè amplificata eſt, & Catholicam Ieſu Chriſti Eccleſiam in magnas anguſtias abduxit. Illius prioris, vtpote ſenſu humano magis cognitæ, apertiorem, huius poſterioris, accuratiorem & propriam ſignificationē apud Prophetas eſſe. Ad vtramq; igitur Babylonem, & quæ hactenus dicta ſunt, & quæ deinceps dicentur, referentes orationum verba ſingula, ex ipſis diuinis ſcriptis hiſtoria, ad quam Vates alludebat, paulo altiùs repetita, exponemus.*

Lib. Ioſeph. *Iacob, vt in ſacro Apparatu docebamus, nomen eſt, quod ita ſimpliciter auditum, priuatam hominis conditionem nobis commemorat: illius, inquam, Iſaac & Rebeccæ filij, qui ex Cananæa regione, paternaq; domo Eſau fratris iræ cùm cederet, ſolus pauper in baculo tantùm ſuo, omnibus diuitiis, copiis, opibusq; carens, Iordanem tranſiens, ſe, resq; ſuas, atq; adeò totius vitæ rationem & gubernationem Domino Deo miſericordi & beneficentiſſimo tradidit, & commendauit. Is autem, hoc patrocinio fultus, in Meſopotamiam Chaldææ regioni proximam atq; Babyloni vicinam, atq; adeò regni illius partem, ad Laban patruum, ceterosq; cognatos ſeſe contulit: à quo exceptus, neque pro cognationis ac neceſſitudinis dignitate & ratione, neque pro ſeruitutis & operæ impenſæ merito habitus eſt; quin immo non rarò ſua mercede fraudatus, atq; adeò tandem odio obſcuro, inuidiaq; preſſus. Is autem longo poſtquam egreſſus fuerat tempore, hoc eſt, vigeſimo anno à Deo monitus, in patriam regionem, promiſſam terram culturus & habitaturus, reuerſus eſt, duabus familiis cōſtitutis, ex duabus, quas duxerat, vxoribus; armentis & pecoribus diues, ſeruis & ancillis ſtipatus, atque mercenariis pluribus auctus. Hactenus Iacob erat, qui nomen illud ſub Dei miſerentis ac prouidentis tutela tuebatur: nec liber tamen omnino, nec, vt ſibi videbatur, ſecurus; ſed & ſoceri, quem fugiebat, vim, & fratris, ad quē acceſſurus erat, iram furoremq; metuens, vna tantùm fide in Deum, cui ſe crediderat, atq; ſpe munitus: cuius fidei impulſu, orationem illam apud Deum habuit admirandā, qua ſe, quidquid eſſet, Dei, cui ſeſe tradiderat, beneficio id eſſe confitebatur, totumq; ipſius patrocinio ac præſidio committebat. Eadem nocte cum Angelo luctatus, fide ac diuina virtute ſuperior victorq; euadēs, glorioſum illud inſigneq; nomen Iſraëlis cum libertate, ac maximarum rerum arcanis certiſſimiſq; promiſſis reportauit. Iam deinceps in poſterum Iſraël appellatus, populiq; dignitate auctus, à fratre non tantùm non læſus, ſed humanè, benignè, & ſtudioſè exceptus, officioſè obſeruatus; habitauit in terra promiſſa. familiam multorum ex Meſopotamia deductorū, & ex aliis regionibus vltrò ſe illi inſinuantium, acceſſione auxit: idemq; ad eundem modum ſibi, poſteritatiq; ſuæ diuina prouidentia & miſericordia conſultum*

*iri,*

*tri, cùm in Ægyptum proficiſci pararet, Dei reſponſo & promiſſo cognouit
& credidit, atq; ſperauit; atq; adeò re ipſa cognouit poſtea, cùm illius poſte-
ritas admirandis Dei beneficiis ex Ægyptiaca ſeruitute educta, per ſolitu-
dines annis quadraginta deducta, promiſſas ſedes, hoſtibus partim occiſis,
partim eiectis habuit. Hæc omnia à nobis breuiter comprehenſa, totis quin-
que libris à Moiſe explicantur pleniſſimè. Igitur ad vtriuſque nominis Ia-
cob ſortem & ſignificationem alludens Propheta noſter, cauſam exponit,
quamobrem tanto molimine Deus Babylonem euerſurus eſſe prædiceretur:
non qui iuſtitiam abſolutè, iudiciumq; exerceret tantummodo, ſed qui cum
iudicij in ſceleratos, & religioni nominiq; ſuo infenſos exemplo, miſericor-
diam à ſe promiſſam populo præſtaret ſuo, ideoq; illud in hac oratione Dei
nomen appellauit Propheta, quod miſericordiæ & beneficentiæ certam, con-
ſtantemq; rationẽ præcipuè ſpectat.* Quia miſerebitur Dominus Iacob.
*Vt Laban omni tempore quærebat cauſas, quò vel neceſſitate, vel inopia, vel
fraude coactum Iacob, in ſeruitute retineret; quem non ſolùm rebus, velut
æquum erat, pro ſeruitutis ratione iuuare, & augere, ſed neque dimittere
vnquam vellet, niſi Deus noctu monitum, & veluti manu deductum, libe-
raret. S. S. E. Per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi, quatuordecim pro* Gen. 31.
*filiabus, & ſex pro gregibus tuis: immutaſti quoque mercedem meam decem* "
*vicibus. Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, for-* "
*ſitan modò nudum me dimiſiſſes. Afflictionem meam, & laborẽ manuum* "
*mearum reſpexit Deus: & arguit te heri. Ita etiam Iacob in captiuitate Ba-* "
*bylonica detenti miſerebitur Deus viſceribus illis miſericordiæ, in quibus
viſitabit illum.* Et eliget adhuc de Iſraël. *Adhuc etiam Iacob ipſum adop-
tatum in populum ſibi, nomine Iſraëlis augebit, delectumq; gubernabit, &
tuebitur; atq; ideo Babylonicum Regem, cuius tyrãnide Iacob oppreſſus de-
tinebatur, de medio tollet. Ille enim non eo animo erit, vt captiuos ſuos di-
mittat; ſiquidem ea eſt Babylonici regni ſuperbia, & violentia; ideo diuino
conſilio ac iudicio decretum eſt, vt Babylonicum regnum Dario Medo ce-
dat, cui poſt annum certum (non enim prolongabuntur dies Babylonis) vtì
ſuperiùs dixerat vates, ſuccedet Cyrus: hic dimittet Iſraëlitas muneribus,
ac donis auctos, vt reſtituant Ieruſalem, & templum ſanctum, in qua ciui-
tate & æde maxima illa promiſſa Meſſiæ venturi ſpectanda erant. S. S. E.* Eſdr. 1.
*Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? Sit Deus illius cum ipſo: aſcen-* "
*dat in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Iſraël.* "
*Ipſe eſt Deus, qui eſt in Ieruſalem. Atq; ita reductos, requieſcere eos faciet* "
*ſuper humum ſuam. Vt Iacob reuerſus è Meſopotamia, habitauit in terra* Gen. 37.
*Canaan, in qua pater ſuus peregrinatus eſt.* Adiũgetur aduena ad eos, & "
adhærebit domui Iacob. *Vt Iacob, poſtquam in promiſſa terra tentoria
fixerat, eos qui ſecum venerant ex aliis gentium familiis, ad veri Dei co-
gnitionem & cultum inſtituit, & familiæ ſuæ, quod ad fidei & religionis
communionem, atque etiam ad generis propagationem adſciuit. S. S. E. Ia-*

*cob*

» *cob verò conuocata omni domo ſua, ait: Abiicite Deos alienos, qui in me-*
» *dio veſtri ſunt: & mundamini, ac mutate veſtimẽta veſtra. Surgite, aſcen-*
» *damus in Bethel, & faciamus ibi altare Deo; qui exaudiuit me in die tri-*
» *bulationis meæ: & ſocius fuit itineris mei. Ad huius etiam imaginis inſtar multos ex Ægypto cum Iſraëlitis aſcendentes, eandem religionem ſuſcepiſſe legimus: cuius exemplum poſt liberationem illam à Babylonenſi captiuitate edendum etiam fore, Vates noſter prænunciat: id quod factum eſſe facilè cognoſcet, qui Machabæorum legerit hiſtorias. Nunc videmus quàm aptè hæc omnia cum antiqua hiſtoria quadrent; quamq́; libenter Vates iiſdem verbis vtantur, quibus initiò diuinus ſpiritus eſt vſus. Illic legimus: Iacob verò conuocata omni domo ſua, ait: &c. hîc legimus:* Et adhærebit domui Iacob. *Rerum autem Iſraelitarum proſperitatem vicinas gentes & nationes ſtudio atq́; auxilio, officio & plauſu proſecuturas eſſe ait Iſaias; id efficiente Deo, qui corda hominum mouere poteſt, gratiamq́; cõciliare iis, qui aliquando inuiſi fuerint.*

Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum ſuum.

1. Eſd. 1. HVIVSMODI *mandatum erat in decretis. Et omnes reliqui in cun-*
» *ctis locis, vbicunque habitant, adiuuent eum viri de loco ſuo, argento, au-*
» *ro, & ſubſtantia, & pecoribus, excepto quòd voluntariè offerunt templo*
» *Dei, quod eſt in Ieruſalem.*

Et poſſidebit eos domus Iſraël ſuper terram Domini, in ſeruos & ancillas: & erunt capientes eos, qui ſe ceperant, & ſubiicient exactores ſuos.

TOTIVS *temporis à reſtitutione Babylonenſi ad Herodum vſque ætatem ſumma ratio hoc verſu continetur: toto enim illo ſecundi templi tempore Iſraëlitæ in Iudæa fuerunt, vſiq́; ſunt regionis ſolo ſibi reſtituto, & diuitiis ſecum ex tranſmigratione aſportatis; poſſederuntq́; ex aliis gẽtibus ſer-*
3. Eſd. 2. *uos & ancillas. S. S. E. Omnis multitudo quaſi vnus, quadraginta duo mil-*
» *lia trecenti ſexaginta, exceptis ſeruis eorum & ancillis, qui erant ſeptem*
» *millia trecenti triginta ſeptem.* Et poſſidebit eos. *Pronomen* eos, *ad Chaldæorum gentem referimus; quorum pars Babylonia deſtructa, & Babylonicus captus, à Iudæis empta eſt: maiorem enim illius numeri ſeptem millium trecentorum & triginta ſeptem portionẽ ex Chaldæis fuiſſe intelligimus; qui, cùm victi eſſent, facilè Iudæis, partim ſponte dediti, partim verò empti, in poſſeßionem familiareq́; miniſterium conceſſere. namque hæc prophetia ad Babylonem, Babylonios & Babylonenſes præcipuè ſpectat. Illorum autem ſeruorum & ancillarum filios, perpetuò manſuros, & ſeruitutis iure ab Iſraëlitis retinendos & poßidendos eſſe, verbum* Poſſidere, *docet. De his autem ſeruis & ancillis ſecum in Iudææ regionem adducendis, hemiſtychium interpretamur:* Et erunr capientes eos, qui ſe ceperant, & ſubiicient exactores ſuos. *Hebraica lectio, vbi nos legimus, Capientes qui ſe ceperant; habet propriè, Abducentes eos, qui ſe abduxerãt: idq́; cum veri-*

*tate ipſa apprimè conſentit. Sicut Babylonij olim Iſraëlitas Babylonem in ſeruitutem abduxerant; ita etiam ipſi ex proprio ſolo, patriaq́; regione ab Iſraëlitis abducentur, inq́; Iudæam regionem, & Ieruſalem tranſmigrabunt.* Et ſubiicient exactores ſuos. *Hebraicè ad verbum.* Et dominabuntur in exactores ſuos. *Verbum dominandi propriè, ſeruitutis actiua eſt, ſæpiſſiméq́; in hac ſignificatione vſurpatur; Latinè propriè exercere ſeruos dicimus, cuius verbi certiſſimum exemplum illud eſt: Omnes autem principes exercitus Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum: hoc eſt, qui populo propria munia imperitabãt. Vt igitur à Iudæis apud Babylonem detentis penſa, tributa, dona, & alia plurima, etiam cantiones, carmina, & muſicæ exercitationes per hos qui abduxerant illos, exigebantur. S. S. E. eodem verbo nunc à Vate noſtro vſurpato: Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum: quod genus dominandi cõtumelioſum ipſi ſibi ducebant: Eodẽ modo non ad penſa ſolùm ac tributa, ſed ad cantiones etiam & delicias muſicas capti & abducti iſti cogentur. Attentè conſiderantibus & conferentibus verba, ac res ipſas nobis hæc expoſitio commodè oblata eſt. Neque enim de nihilo fuit, quod ab Eſdra in numeratione illorum ſeruorum & ancillarum eſt indicatum: & in ipſis cantores & cantatrices ducenti: nam de ſeruis illic agitur. Iam verò figura ipſa apertè ſecundùm omnia membra parteſq́; ſingulas expoſita, altioris ac reconditioris myſterij in hoc vaticinio contenti, breuem quãdam ſignificationem afferamus. Quam quidem ad rem illud in primis obſeruari oportuerit, non omnes antiquas figuras inter ſe cõfundi ac turbari debere, ſingulaſq́; ſuis propriis ponderibus expendi, ac ſuis certis rationibus examinari, componiq́; oportere: nam aliàs (quod à pluribus negligi video) nulla certa ſacrorum myſteriorum cognoſcendorũ norma, nulla nobis exacta methodus conſtabit; quam tamen certiſſimam, abſolutiſſimamq́; eſſe auctoris ipſius, id eſt, Spiritus ſancti ſumma ſimplicitas probat, & confirmat. Diſtingui itaq; oportuerit primùm figuras atque ſigna ipſa, ſuis propriè cùm verbis, tum rebus, rerumq́; partibus, ac deinde ad arcanæ ſignificationis deſcriptionem, iiſdem accommodatis vti. Quidquid Iſraëlis olim populo contigerit, in figura illis contigiſſe, ac propter nos, in quos ſeculorum fines deuenere, ſcripta fuiſſe, Spiritus ipſe ſanctus apertè docuit. Duo autem præcipuè illuſtria Iſraëlitis olim contigere, ex eo tempore quo ipſos à Deo electos fuiſſe legimus ad Ieſu Chriſti Domini noſtri aduentum vſque. Alterum prius, & magis illuſtre, atq; omnino ſalutare fuit liberatio ex Ægyptiaca ſeruitute, ex domo ſeruorum, ex ergaſtulo tyrannico; in quo miſerrima atq; duriſſima ſeruitute detinebantur: ex qua conditione ad populi Dei dignitatem, & faciem admirabilem, maxima rerum omnium mutatione & conuerſione fuere tranſlati; in eiuſq́; dignitatis, libertatis, atq; vitæ poſſeſſione & vſu tam diu vixere, quoad alienis diis aſcitis, & religionis diſciplina turbata, breui tempore ab Aſſyriis victi, diſperſi, ac tandem à Babyloniis*

2. Paral. 8. 10

Pſal. 136.

1. Eſdr. 2.

*omnino abducti ſunt, nonnullis & numero paucis, & potentia debilibus in terra relictis; qui antiquum Iſraëlis nomen vtcumque tuerentur, ac religionis rationem quadamtenus conſeruarent. In hac tranſmigratione Babylonica illorum res ſeptuaginta integris annis fuere conflictatæ: donec antea prædicto diuinæ miſericordiæ beneficio, poſt deſtructum Babyloniæ regnum in patria reſtituti ſunt, Zorobabele duce; ibiq́; variis modis, aliis atque aliis temporibus per hoſtes exercitati: ita tamen, vt religionem & nomen ſuum cõſeruauerint: ſi minùs exactè, tamen ab idololatria publicè (vt anteà) ſuſcepta alieni, & templi ſecundi compotes: quo in loco illorum res vſque ad Chriſti Ieſu ætatem durarunt. Ex eo enim tempore, illæ vmbræ, ipſa iam tunc Euangelij gloria Chriſti præſente atq; lucente, deſierũt. Hæc omnium temporum, & vtriuſque conuerſionis, ſtatusq́; rerum in figura ipſa ſpectatarum ſumma eſt, quam ob oculos habere oportet eum, qui imagines ad res ipſas referre ſtudeat. Verborum autem quibus hæc comprehenduntur, conditiones ſiue cõuerſiones, diſtinctio apertiſſima in ſacris libris obſeruatur: namq; illius prioris ex Ægypto liberationis mentio frequẽtiſſima illis verbiſ fit,* GAAL, *&* GEVLAH. *hoc eſt,* Redimere, *&* Redemptio. *quæ nunquam in poſteriori liberatione ex Babyloniæ tranſmigratione vſurpantur. Hæc enim propriè verbis* PAKAD *&* PEKIDAH *dicitur, id eſt,* Viſitandi, *&* Viſitationis. *Adde quòd illa ſemper* SALVS *appellatur, & verbo* Seruandi, *ſiue* Saluandi, *enuntiatur: hæc verò, miſeratio, & miſericordia, vti nunc paulo antè legimus: Quia miſerebitur Dominus Iacob. Prior igitur ex Ægypto redemptio cum cæteris partibus omnibus, quibus aduſque promiſſæ terræ poſſeſſionem illuſtrata amplificataq́; eſt, cõmunem totius humani generis ſalutem & liberationem à diaboli tyrannide, peccatiq́; ſeruitute per Chriſtum iam nũc effectam ſignificabat. Quidquid in illa vmbra delineatum eſt, ad hanc veritatem referri vates voluerunt; ad eandemq́; Ieſus, Ioannes Baptiſta, & Apoſtoli omnes, quorũ ſcripta nobis conſtant, retulerunt: quã quòd explicare exactè nũc non inſtituimus, indicare ſatis fuerit; aliisq́; relinquere diligẽter diſſerẽdam ex ſacris libris, aut à nobis, Deo propitio, oportuno aliquo loco expectare. Sed quoniam hominum vitio, culpa, negligentia, & oſcitantia, inimicus homo in Chriſtianum populum multa induxit mala, quibus illa mentium animorumq́; ſimplicitas primis Eccleſiæ ſeculis ſpectatiſſima cõtaminata fuit; effectum eſt, vti, Deo permittente, Babylonicum regnum, arcanum illud quidem, verùm latiſſimè per omnes orbis terræ partes propagatum vigeret, atque populum Dei opprimeret, ab illaq́; priſtinæ vitæ & conuerſationis probitate, & ſpirituali ſimplicitate, ac vitæ integritate, ad miſerrimam & laborioſam ſeruitutem abduceret: id quòd futurum eſſe Vates præuiderunt, & prædictum literis ad poſteritatis eruditionem mandarunt. Sed apertiſſimè Chriſtus, Chriſtiq́; Apoſtoli eandem rem ſignificarunt: neque tamen perpetuum fore hoc malum dixerunt, ſed certo tempore duraturum; ſatis quidem longo, ſi miſe-*

*riæ ipſius magnitudo exiſtimetur. at verò ſi ipſorum Babylonici regni principum & magiſtratuum, poteſtatisq́; nequitiæ & malitiæ; denique dæmonorum huic regno præſidentium cupiditas reſpiciatur, ſatis breui. Miſerebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc in Iſraël, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam. Eam terram, benignitate ſua auctam, ad optimorum fructuum copiam ferendam reſtituet, amplificabitq́;. S.S.E. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum: adiungeturq́; aduena ad eos; & adhærebit domui Iacob. Non ſolùm ex ouibus quæ perierunt domus Iſraël, verùm ex gentibus etiam, & infidelibus aliis, ex Machometanis, aliarumq́; ſectarū variis generibus, ad lucē admiſſis, Chriſtiana Eccleſia implebitur; & poſſidebit eos domus Iſraël ſpiritualis, in ſeruos & ancillas, ad ſacrū cultū illi miniſtrātes: & abducent ex errore eos, qui ſe abduxerant in errorem. Hæc omnia apertiſſima ſunt, & certo filo deducentur iis, qui ſacra volumina penitiùs contemplati, attentè legerint. Neq; verò ad vltimum extremi iudicij diem, & ad alterius vitæ poſt illum diem rationem tantùm hæc referenda ſunt; ſed ante illum extremum diem, non breui etiam tempore hîc in terra viuentium expectanda, ſicut prædictum eſt: Et vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua: & apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per annos mille; & miſit eum in Abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum: vt non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummētur mille anni. Ad hunc ſenſum conferre oportet ea, quæ apud Eccleſiaſticos ſcriptores de arcana loci huius interpretatione legimus.*

Apoc. 20.

Et erit in die illa, cùm requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concuſſione tua, & à ſeruitute dura qua antè ſeruiſti.

Tertull. aduerſ. Martia. lib. 3. c. 4. Amb. de vocat. gent. li. 2. & in ver. 118. Iuſti. aduerſ. Tryph.

DIVINORVM *beneficiorum vſum grata commemoratio iure conſequitur, cum expoſitione prioris conditionis, & comparatione cum poſteriore ac præſenti. Ex commemoratione obſeruatio & cura officij faciendi iis oritur, qui beneficium acceperint; cæteris verò exemplum ſtatuitur ad malum vitandum & fugiendum, bonum autem amplectendum pro ratione geſtæ rei. Huiuſmodi commemorationem Ieroſolymorum ciuitati, & Iſraëlitarum congregationi in figura, Eccleſiæ verò Chriſtianæ in veritate indicit & commendat Vates, eo tempore faciendam, cùm libertas & requies ab illa laboris miſeria, & graui ſeruitute diuino beneficio contigerit: vt quæ antea oppreſſa, neque caput leuare, neque verbo hiſcere, Nabuchodonoſoris tyranni, atq; cæterorum Babyloniæ principum metu, poterat; ſuumq́; tantummodo laborem gemitu edendo, vtcumque leuabat; poſtea, iam quieſcens à labore illo, cùm corporali, tum præcipuè ſpiritali, & ſoluta iam pauore illo ſeruili (quē hîc interpres noſter confuſionē vocat) & libera atq; aliena à ſeruitute illa dura, liberè iam eloqui poſſit: & illam tam ingentem, támque ſubitam rerum mutationem admirata, in diuini iudicij & conſilij commemo-*

 *memo-*

*memorationem & commendationem carmen componat, & cantet in Threni formam, vti Græci interpretes verterunt.*

Sumes parabolam iſtam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum?

PARABOLA, *oratio dicitur, quæ vel ex alia re aut perſona, cuius verè id exemplum eſt, ad aliam rem vel perſonam ſignificandam, per ſimilitudinẽ transfertur; vel ex re, cui propriè conueniunt verba, ad rem cui minus propriè conueniunt ſecundùm naturam, ſecũdùm verò ſimilitudinem & efficientiã aptiſſimè quadrant, vſurpantur. ſic ex perſona in perſonam, ex re in rem, ex animata in carentem anima, & contrà, orationes pulchrè transferuntur ab omnibus ſcriptoribus, & poëtis præcipuè: pulcherrimè verò, & ſapientiſſimè à ſacris auctoribus, maximè in argumento, carminibus ſeuerioribus & grauioribus deſcribendo. Eſt autem parabolarum duplex genus, alterum quod vno tantùm, aut duobus, vel paucis omnino; alterum verò, quod omnibus verbis aliundè petitis, orationem contexit: illud tranſlationem, hoc autem allegoriam dicimus. Eſt autem allegoria, Metaphora ſiue tranſlatio perpetua. Atq; hic Parabolæ nomine & verbo* Sumes, *Vates vtitur; idq; aptiſſimè: namq; hæc omnis oratio nominibus ac verbis tranſlatis conſtat, Cedrorum Libani, &c. Deinde quòd verè exemplum ſit, ex præterita iam re ductum, videlicet, ex Luciferi, reprobatorum angelorum principis, caſu. Nam quod Lucifero acciderat, idẽ Luciferi imitatori Babylonis Regi accidit: ideoq; ſignificantiſſimè Iſaias verbum,* Sumes, *vſurpauit illo ſenſu, id quod Lucifero ob ſuperbiam, arrogantiam, & inſolentiam accidit, ad Babylonis regis caſum enarrandum: per exemplũ & commemorationem* Sumes. *Namque verè caſus hic illius imitatur exemplum; quodq; de illo rectè, de hoc per ſimilitudinem dici etiam rectè poteſt.* Quomodo ceſſauit exactor? *Maximarum rerum admirandus caſus hoc modo pronunciari ſolet à ſacris auctoribus. vt: Quomodo ceciderunt fortes? &, Quomodo ſedet ſola ciuitas? Quomodo facti ſunt in deſolationẽ? Admirationis enim ſenſum vox illa; Quomodo, in huiuſmodi exemplis mouet. Quòd ſi certam verborum ſignificationem, vt par eſt, ex Hebraici ſermonis ratione, locis collatis inter ſe, pro more noſtro quæramus; intelligemus planè hunc locum apprimè cum ſententiæ arcanæ à nobis ſuperiùs indicatæ expoſitione conuenire.* NAGAS, *apud Hebræos propriè cogere, adigere, & in arctum redigere ſignificat: id quod multis exemplis oſtendi poteſt. Ex quibus illa ſunt, quæ lectoribus diligenter conſiderata, ſuis etiam locis, in noſtris Bibliis Latinis, certam noſtram expoſitionem reddent. Vidi afflictionẽ populi mei in Ægypto, & clamorem eorum audiui, propter duritiam eorum*
» *qui præſunt operibus. Præcepit ergo in die illa præfectis operum, & exacto-*
» *ribus. In vtroque exemplo, Qui præſunt operibus, &, Præfectis operum, verbum eſt* NAGAS: *namq; poſterius illud, Exactoribus, ex verbo* SATAR
» *eſt redditum. & paulo pòſt; Igitur egreſſi ſunt præfecti operum & exactores,*

2.Reg.1.

Thren.1.

Pſal.72.

Exodi 3. & 5.

res. & apud hunc Prophetam: Irruet populus vir ad virum, & vnuſquiſque ad proximum ſuum tumultuabitur. & illud: Et vnumquemque iuxta vires ſuas exegit, tam argentum quàm aurum, de populo terræ. Itaque NAGAS verbum, non tam ad imperantes, quàm ad exercentes, & adigentes ad penſum operarum, vel tributum refertur. Itaq; Iſraëlis ſocietas, & ſiue congregatio, ſiue Eccleſia, cui hoc carmen dictatur canendum, cùm viderit ſe liberam ab illis exactoribus, & adactoribus, canet: Quomodo ceſſauit exactor? Nam qui in ergaſtulo ſunt, ipſos exercentes, adactoresq; ſui præcipuè moleſtos ſibi ducunt: quamquam illos principis vel domini ſuperioris auctoritate ſibi imperare ſciant. Babylonis Rex multos huiuſmodi adactores Iudæis à ſe captis & abductis atq; aliis etiam gentibus ad operas & penſa præfecerat: qui, deficiente Babyloniorum regno, ceſſauerunt. Diabolus poſt paßionem Chriſti imperio deiectus eſt, iure diuino, ac iuſtißimo iudicio. S. S. E. Princeps mundi huius eÿcietur foras. Sed quoniam nondum ad pœnas illas grauißimas & æternas damnatus, nondum ligatus eſt: quamquam Regem iam & principem non agat, agit tamen adactorem, & exactorem, ſéque miniſtrum peccati in hominum viſceribus tyrannidem exercentis, præbet: ita adigit homines ad peccata, & ad duræ captiuitatis penſa & operas. Cùm verò Spiritu ſancto, ac virtute Chriſti ligabitur, canet Eccleſia Chriſti: Quomodo ceſſauit exactor? Quieuit tributum. Quieuit, ceſſauit, idem verbum eſt cum ſuperiori Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè. Noſter verò interpres propriè (quieuit) vertit: nam eandem ſignificationem vtraque verſio ſpectat. Verbum autem eſt feminini generis Hebraicè, quoniam id poſtulat adiunctum nomen Tributum. Ceſſauit, inquit, ille tributorum ſplendor, illa pompa; quæ omnium gentiũ tributo ac pecuniis alebatur. Hoc modo explicamus ſignificationẽ nominis Tributum: quippe Hebraicè ad verbum eſt MADHEHAH, quod Latinè ad verbum, Inauratam, vertas. Quomodo ceſſauit. Iam & eſſe deſiit Babylon illa omnibus totius orbis diuitiis, opibus, ac deliciis nitens & ſplendens. Namq; pulcherrimam, lateq; ſplendentem rem, inauratam dicere ſolemus. Atque huius verbi ſignificationem, huiusq; hemiſtychÿ expoſitionẽ pleniſſimè proſecutus eſt Apocalypſis auctor Ioannes Euangeliſta: Væ væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis; quoniã vna hora venit iudicium tuum: & negotiatores terræ flebunt & lugebunt ſuper illam, quoniã merces eorum nemo emet ampliùs. Merces auri & argenti, & lapidis pretioſi, & margaritæ, & byßi, & purpuræ, & ſerici, & cocci, & omne lignum thyinum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro, &c. & paulo inferiùs: Væ væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpura, & cocco; & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis: quoniam vna hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ. Hæc omnia illa admirationis plena oratione breuiter complexus eſt Iſaias. Quomodo quieuit tributum? Siue, Aurata. Huic admirationi, ſiue admirabundæ

Iſaiæ 3.5. 4.Reg.23. Apoc.18.

*bundæ interrogationi reſponſum Catholica ſententia pronunciata ſubiunxit, Vates ipſe aſſerens, hoc Dei miſerentis atque integerrimi conſtantiſque iudicio & conſilio effectum eſſe.*

Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium.

SENTENTIA, *vti indicauimus, vniuerſalis, & Catholica eſt, eademq́ perpetua, ad hunc locum opportunè adducta. Hoc, inquit, iudicio Dei factum, qui, vt ſolet, vim omnem, potentiam, auctoritatemq́ improborum, atque adeò imperium dominantium confringit, perrumpit, & euertit: idq́ in hoc regno, ac rege, exemplis editis oſtendit. Duas autem res hîc fractas & cõminutas indicat* Baculum impiorum. *Hebraicum nomen, & verbum iudicialem ſignificationem obtinere, ſæpius docuimus; idq́ nos, Improbum, interpretari ſolemus: quæ vox non tantùm impietatem in Deum, ſed etiam omnem audaciam, fraudem, vim; omnem denique inſolentiam, modeſtiæ contrariam ſignificat. atq́ his verbis principum, magiſtratuum, & miniſtrorum omniũ (qui peſſimi alicuius principis auctoritate in populum graſſari, & ſæuire ſolent) ingenium, & inſolentia ſignificatur: corrupti namque, regis corruptiſſimi ſunt miniſtri.* Virgam dominantium. *Hoc ad ſupremos principes referendum, quorum arbitrio & auctoritate omnes alij vtuntur.*

Cædentem populos in indignatione, plaga inſanabili, ſubiicientem in furore gentes, perſequentem crudeliter.

LATINÆ *tranſlationis participia in accuſatiuo reddita, eam indicant ſententiam, quam commentatores ferè omnes ſequuntur, Contriuiſſe Dominum virgam & ſceptrum, &c.* Cædentem populos in indignatione plaga inſanibili. *Hoc eſt, vim & potentiam nimiam & immodicã regum & principum, qui poteſtate abuſi ſua, homines interficiũt. Rerum autem ipſarum natura, & ſequax connexio, atq́ Hebraicorum verborum certa proprietas, expeditiorem nobis reddit ſententiam. Participia illa in recto excipientibus caſu, id quod à Græcæ interpretationis auctoribus diligenter obſeruatum eſt. Nam cùm Babylonici regni ruinæ auctor Deus eſſe à Propheta indicetur; is Catholica ſententia deſcribitur eſſe, qui principum magiſtratus, & miniſtros, ac principes ipſos inſolenter ac ſuperbè agentes, comminuat, & perdat. Quamobrem & Babylonios, magnates, exactores, & principes, atque adeò Regem ipſum perditurus, prædicebatur idem. Neque verò populum ipſum Babylonicũ & Chaldæum, ſuperbam gentem, illius cladis expertem fore audiebamus; quinimo omnes eadem ruina inuoluendos, auctore inquam illo, qui contriuit baculum improborum, & virgam dominantium: non ſolùm autem in improbos & tyrannos principes animaduertere ſolet, ſed impios, inſolentes, ac ſceleratos populos inſanibili plaga ferire: cùm iratus, & indignatione illa, quam in ſuperioribus explicabamus, commotus fuerit. Sic enim feriit olim Sodomam & Gomorrham plaga inſanabili, ſiue, vt Hebraicè legimus, percuſſione non remouenda, hoc*

*eſt,*

*eſt, continua. Sic gentes omnes totius orbis terræ olim alias alio modo pro culpis, & ſcelerum generibus in furore perſequi ſolet. vt Ægyptios, quos ab exiguis plagarum initiis, ad extremam vſque internecionem, ob contumaciam inſectatus eſt, & perſecutus crudeliter. ſiue, vt Hebraica habent, Inſectatus abſque obſcuratione, hoc eſt, nemine excepto ab illa inſectatione: nemine per tenebras euadente. quod Græci interpretes clarè expoſuerunt, percutiens gentem plaga furoris, qua non pepercit. Iam indicata verò per expoſitionem, auctoritate & virtute eius, cuius iudicio Babylonica clades allata erat, regnumq́; Babylonicum ceſſauerat, redit Vates ad idem carminis argumentum, ex parabolæ artificio producendum & amplificandum. Dixerat priùs :* Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? *Huic admirationi reſponſum illud fuerat: Contriuit Dominus baculum, &c. Atque ita ceſſauit exactor. Pergit ergo, & ait :*

Conquieuit & ſiluit omnis terra, gauiſa eſt, & exultauit.

IVDICIVM *Dei, vt ſumma integritas, ſummaq́; ratio præit; ſic maxima etiam conſequitur vtilitas: improborum enim exitium, terræ incolis requiem tranquillitatemq́; parit. Extincto igitur Babylonis Rege, qui totum orbem opprimebat, terra omnis conquieuit ab illo tributorum & operarum labore. Eſt autem Metonymia, ſiue Synechdoche, apud ſacros auctores frequentiſſima.* Siluit, *verbum, ſignificationem habet tranquillitatis, ex contrario ſenſu clamoris, quem iniuria affecti oppreſſiq́; edere ſolent. ſicut apud hunc Prophetam Deus declarauit: Expectaui, vt faceret iuſtitiam, & ecce clamorem. Signum autem manifeſtum quietis ac tranquillitatis, mutatæq́; miſeræ in iucundam vitæ conditionem, eſt cantus gratulatorius. Non enim ſic ſiluit terra, vt vocem nullam; ſed quòd clamorem nullum ederet: namq́; voces altiùs etiam auditæ ſunt, ſed lætitiæ indices.* Gauiſa enim eſt, & exultauit. *Hunc verſum vetus interpres abſque punctis legit,* פצחו רנה. *Atq; ideo tranſtulit:* Gauiſa eſt, & exultauit. *Græci verò punctis diſtinctum cùm legiſſent, reddidere:* Clamat cum lætitia. *Ad verbum eſt, Perſonuerunt cantionem. Eadem omnium verſionum ſententia eſt: ſed Hebraica lingua metaphoras, figuras, ſchemataq́; omnia elegantiſſimè ſeruat; vt res ipſa docet. Manifeſta autem tyrannorum, & maximorum principum eſt Superbia & Audacia, quam illi animoſitatem, ſiue animi magnitudinem appellant: quæ non ſolùm homines, ſed omnem aliam animatarum atq; inanimatarum rerum naturam, ad ſuos vſque, ſuasq́; delicias vſurpat; atque alienis laboribus & impenſis vndique ad ſe comportat: adeò vt nihil in terris pretioſum ſit, quod illi non appetant, & potentiæ illius vi, à ſe vel quàm remotiſſimè petitum, trahant. Neque ſatis eſt fructibus omnium generum, animalibus variis, cibis, veſtibus, gemmis, & auro, ad ſummas vſque delicias uti; ſed columnas quoque, marmora, & lapides, ex vltima reciſos Africa, atq; ex Iudæa, aliisq́; regionibus peti, & ad ſuarum ædium magnificentiam comportari iubent. His etiam omnem optimo-*

*rum*

*rum lignorum materiam addant; quibus domos ædificiaq́ contignent. Hæc autem à Babylonis Rege ad vrbem illam conſtruendam, quam imperij ſui nidum perpetuum fore ſibi perſuaſerat & promiſerat, fuiſſe comportata,* Habac. 3. *apertè ſignificauit Habacuc: Quia lapis de pariete clamabit, & lignū quod ,, inter iuncturas eſt, reſpondebit, &c. Hoc ipſum quoque diſertis verbis hoc loco Iſaias demonſtrat; verùm ſignificatione non ſimplici, ſed arcana atque allegorica, ſiue parabolica.*

Abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani.

ADMIRABILI *Proſopopœia Chaldæorum regis, ac principum ſuperbia, deliciæ, & faſtus notantur: qui non contenti ſuis lignis ad contignationum ſtructuram, abietum atque cedrorū materiam ex celeberrimo illo Libano monte, vbi huiuſmodi ligna generoſiſsima habentur, comportabant; longè, inquam, petitam; nam multis itineribus à Chaldæa diſtat Libanus:* In Appar. ſacro lib. Caleb. & Carram. *vt ex noſtris Geographicis ſacris cognoſci poteſt. Inſoleſcente autem his deliciarum generibus, ac ſæuiente hominum libidine, montes exhauriuntur & nudantur arboribus, ob innumerabilem ſectorum copiam: qui partim vendendi ac diſtrahendi, partim ſeruitutis cauſa operas in excindenda materia ponunt aſsiduas. Hoc eſt, quòd arbores illas ſibi gratulantes, per Parabolam dicturas eſſe, Vates præcinebat:*

Ex quo dormiſti. *Hebraicè*: Ex quo iacuiſti, iam non aſcendet, qui ſuccidat nos.

DELETO *& extincto Babyloniorum regno, rebúſque mutatis, imò detritis, operæ ædificationesq́. Chaldæorū deſierunt: ſatis enim ex ipſis ruinis materiæ reliquum fuerat ad parua oppida, atq́; etiam ad ſecundam Babylonem extruendum. Medi interim dum rerum potiebantur, iſtiuſmodi deliciis longè petitis, non indigebant; vtpote contenti ſuarum regionum lignis, atq́; adeò neque auri valde appetentes. Per multos igitur annos, ex quo iacuit Babylonis Rex, requies Libani arboribus, & creſcendi ſpatium atq́; cōmoditas contigit. At verò quid hæc Parabola ſignificet ad homines relata, Chaldæus Paraphraſtes optimè docuit: Reges etiā lætati ſunt ſuper te, diuites copiis dicebant; Ex quo tempore iacuiſti, non aſcendit diſsipator noſter ſuper nos. Atq́; hæc expoſitio ad ſpiritualem Babyloniæ deſtructæ, & Eccleſiæ per annos mille quieſcentis ſignificationem tranſlata, Græcorum & Latinorum ſcriptorum de hac re ſententiam aptè elucidat. Pertinere autem non ſolùm ad viuos, verùm etiam ad vita functos, magni tyrannorum caſus cognitionem, Vates exponit eo ſenſu, quo dicere ſolemus omnia morte æquari; neque vllam aut magno aut paruo leti fugam eſſe.*

Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum aduentus tui; ſuſcitauit tibi gigantes. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum.

MAGNÆ *molis ruinam oratione imitatus Vates ait*: Infernus ſubter te conturbatus eſt. *Hebraicè, Contremuit. Ipſum etiam ſepulchrum,*

*chrum, atque adeò ipſa animarũ loca, principis adeò potentis atque ſuperbi ruinam ſenſere, tremuereq́ inferna ea parte qua decidiſti: tanta magnitudinis tuæ moles erat; adeò vt eos, qui in ſepulchris conditi fuerint, grauiſſimo caſus tui tremore terra excitauerit conturbatos, quod te inferiùs deſcendere accideret; atq́ tua ſuperbia territos coegerit, tibi, tanquam ſupremo omnium tyranno obuiam venire admiratos: quòd, relicto illo apud ſuperos regno, ad ipſos qualemcumque conditionem ſubieris, etiam turbaturus. Elegantiſsima figura ſignificauit Vates ſuperbam hominum tyrannidem omnibus etiam remotiſsimis eſſe infeſtam, omnibus formidabilem, etiam mortuis. Sic Latinus Poëta Græcum huiuſmodi oratione imitatus, feri & ſuperbi principis interitum, inferis etiam formidabilem canebat.*

*Aſt illi ſoluuntur frigore membra, Vitaq́ cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.* Hom. ili. 22. Vir. Æn. 12. *Non ſolùm communem & promiſcuam mortuorum turbam Babylonici Regis caſu excitatam ait Vates: verùm ipſos etiam* Gigantes. *Hebraicum nomen* REPHAIM, *Magnos occiſos ſignificat. Præterea etiã* Reges *adduntur, ſiue, vt Hebraicè eſt,* Arietes terræ. *Totius gregis anteſignani & propugnatores, omnes principes nationum. Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè eſt: Omnes reges gentium. omnibus enim his, cùm viuentibus fuiſſet Babyloniæ regnum formidabile; illius regis caſus etiam mortuis fuit horribilis: quorũ orationem eleganti conformationis artificio vates refert:*

Vniuerſi reſpondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es ſicut & nos: noſtri ſimilis effectus es.

VNIVERSI, *tam magni quàm parui inſultantes tuæ ſuperbiæ, quam etiam mortui horruerunt.* Vulneratus es. *Hebraicè,* Infirmatus es. *Illo tuo robore maximo illa tibi promiſſa valenti valetudine atque firmiſsima priuatus, neque cõſiſtere, neq́ permanere potuiſti: tu alios peſſundabas, proterebas, & deijciebas: perinde atq́ nos etiam occidiſti; & ad noſtram hanc conditionem traductus es: illa autem ſuperbia, illa cælorum, illa diuinorum bonorum affectatio: ille ſplendidus delitiarum omnium molliſsimusq́ vſus in hanc infimam mortuorum ſortem eſt permutatus.*

Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum.

ANTITHESI *amplificatur caſus ille, verbis omnino ſibi oppoſitis.* Superbia, *Hebraicè,* Elatio: Detracta eſt. *Hebraicè,* Deſcẽdere facta eſt. *ſiue, Demiſſa ad inferos, ad locum remotiſsimum à cælorũ ſede, quam ambiebas, affectabasq́.* Concidit cadauer tuum. *Satis aperta eſt horum verborum ſententia, atq́ ea etiam, quam Hebraica ſcriptura ad verbum reddita efficit.* Strepitus nablorum tuorum. *Alluſio eſt ad muſica inſtrumenta, quibus Nabuchodonoſor, tanquam Deus aliquis exceptus, adorabatur. Eſtq́ genus pro ſpeciebus multis vſurpatum: ſiue ſpecies pro omni eiuſdem generis forma: Illi, inquiunt, plauſus, qui tibi adorando, & ſuperis conferendo, tanto muſicorum inſtrumentorũ ſtrepitu dabatur, huccine humilitatis recidit? Hæc & illa culcitrarum purpuræ, veſtium, ſtagulorum mollities: hæc illa auri & gemmarum ornamenta, quibus cubans & ſedens, vel etiam incedens, illa geſtamina, quibus publicè vtebaris?*

Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.

TINEA, RIMAH, *lumbricos & humidioris naturæ beſtiolas illas omnes ſignificat, quæ pedibus carent, corporis autem contractione & extenſione progrediuntur: vermes autem breuiores his ſunt, vt ſicciores, veluti conuoluuli illi qui in fimo viſuntur, ſquameis quaſi teſtudinibus tecti. Hoc genus* תולעת *dicitur; ab ebullitione, temeritate, & erodendi vi nomine facto. Corrodunt enim & perdunt huiuſmodi beſtiolæ multo plus quàm comedant. Atque hæc propriè de Babyloniæ rege canenda prædicebat Iſaias. Quæ quamquam de Lucifero illo tyranno rectè dici poſſunt, non tamen de illo primùm, ac de Babylonis rege per parabolam, ſed magis contrà de Babylonis rege per parabolam primùm, deinde verò de Lucifero per parabolam ſecundo referuntur loco. Vt verò hæc ad Chriſtum referantur ad inferos deſcendentem, cùm coactæ nimium & longiſſimè petitæ, ac multis partibus diſſilientis ſententiæ eſt; tum verò maximè indignè tanta maieſtate ac puritate interpretationis, atq; ignotæ prorſus eius, quæ ad humanam ſalutem pertinet, rationis: quam eo tempore quo Chriſtus ad inferos deſcendit nullus iam Dæmonum non intelligebat; quamquam antea ignoraſſent omnes: verùm vnuſquiſque ſuo ſenſu abundat, nos aduerſus neminem neque antiquorum, neque recentiorum contentionem, dum ſacra commentamur, ſuſcipiendam duximus; liberum etiam vnicuique & ſtudium & iudicium relinquimus: indignũ tamen arbitramur, vel ingenij oſtendendi, vel etiam Chriſti vbique paſſim commemorandi cauſa, ea interdum dici, quæ neque Chriſto gloriam, nec legentibus certã doctrinam afferunt. Satis multa ſunt de Chriſto nondum planè expoſita, eaq; maxima myſteria, in quibus indicandis ſtudij operæq; ponere quàm plurimum, longè profectò præſtantius, longeq; fuerit vtilius. Iam verò ad ipſum huius parabolæ caput veniamus, namq; hactenus parabolam ab aliis petitã rebus ad Babylonis regem primò, deinde ad Luciferum per ſimilitudinem referendam audiuimus; nunc verò locus ipſe opportuniſſimus erat, in quo Luciferi exemplum narraretur, quod inſolentiſſimus quiſque tyrannus imitari ſolet, atque in his præcipuè Babylonis rex eſt imitatus, commoda parecbaſi ab Iſaia eſt decantatum.*

Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terrã, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum; ſedebo in mõte teſtamenti, in lateribus Aquilonis; Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.

DOCEBAMVS *ſuperiùs hanc orationem omnem parabolicam eſſe, vt quæ verbis omnibus ferè trãſlatis conſtaret; atq; adeò à maioris & inſignis rei hiſtoria ad præſentem rem eſſet petita, oſtendimus, priorem partem à rege Babylonis ad diabolum transferri aptè, deinde alteram partem ab illo generis humani hoſte, atq; diuinæ gloriæ æmulo, propriè deductam ad Babylonis Regem per exemplum referri. Hanc autem eſſe germanam loci huius interpretationem, præterquam quòd ſcriptores ij, qui rerum ſimplicitati, quàm ingenio ſuo indulgere maluerunt, vno omnes conſenſu aiunt, ipſe*

Aug. lib de doct. Chriſt. 3 c. 37. De c. uit. Dei 11. c. 15.

*præci-*

*præcipuè Vates noſter apertiſsimis verbis declarat.* Sumes, *inquit*, parabolam iſtam contra regem Babylonis. *Atqui hactenus nunquam eſt dimiſſa parabola, immo perpetuò vrgetur, & nunc ſeriò amplificatur. Primi Angeli inſolentem ſuperbiam ambitionémque ingratiſsimam, & caſum diuino iudicio digniſsimum, ex noui Teſtamenti ſcriptoribus multi apertè indicarunt: ex veteribus autem auctoribus poſt Moſem nemo clariùs expreſsit, quàm Iſaias hoc loco: qui ſpiritum illum præſtantem, atq; magnis dotibus præter cæteros auctũ nobis deſcribit illis verbis:* Lucifer qui manè oriebaris. *Siue, vt Hebraicè eſt,* Fili auroræ. *namq́, vti iam cognouimus, tranſlatis verbis oratio hæc omnis conſtat. Videmus autem aſtrum illud, cui manè ſolem auroramq́ præcedenti Latini nomen Lucifero dedere, cæteris ſtellis omnibus quæcumque conſpicuæ in cælo ſunt, luce & claritate præſtare, atq; ex ortu motuq́ ipſo ſeſe illuſtrius exhibere, magnæ pulchritudinis ſpecie niteſcere, auroræ aduentantis partum quendam & ſobolem, quæ ſe præcedat, præmiſſam videri: vt interim de cæteris eiuſdem aſtri virtutibus, aſpectibus, & efficientiis nihil hîc referamus, ſed in ſuum locũ, vbi de horum ſpirituum natura ex profeſſo agetur, integram ſeruemus huiuſce aſtri deſcriptionem. Ad huius igitur, quod ſenſu oculiſq́ cognoſci poteſt, aſtri exemplum, magnus ille inter Angelos princeps non modò conformatus, ſed magnis etiam variiſq́ dotibus & virtutibus, Deo auctore & promotore, auctus amplificatuſq́ fuiſſe dicitur, ante ipſum mundi initium, ante temporis principia, inter tenebras & lucem: ita tamen vt lux iam ſplendeſcere inciperet, & in illo ſplendore Lucifer ille niteret. Idem autem ſole nondum orto, ſed adhuc in ipſa mundi aurora, ſuperbia, ambitione, & ſapientiæ ſummæ arrogãtia plus iuſto elatus, atq; extra proprium domicilium exiliens, decidit è cælo, iuſto Dei iudicio deturbatus. Interim verò dum damnatus eſt, propoſitum ſuum vrgere numquam vel deſiit, vel ceſſauit. Poſtquam verò iudicatus fuit, poſt Chriſti mortem & reſurrectionem, negotium quidem cœptum de humana ſalute in vniuerſum impedienda inuitus & iudicio coactus reliquit: (neque enim in ea re plus efficere potuit, aut amplius promouere, vt ſalutem in auctore ipſo impediret) verùm ingenio & propoſito, atq; conſilio retento, quod potuit, tentauit: conatuſq́ eſt, & non rarò effecit, vt illam in his, à quibus accipienda erat, auerteret variis artibus, dolis, ac fraudibus in ipſorum perniciem vſus, quos priuatim ac ſigillatim decipere, ſeducere, & interturbare ſtuduit, & ſtudet. Igitur de primo illo caſu Luciferi, tum primùm oriẽtis, & diuini honoris gloriam affectantis, ſermo hîc fit, non de facto & pronunciato aduerſus illum per Chriſti mortem ac reſurrectionem iudicio; non de extrema illa poſt vniuerſale iudicium damnatione ad pœnas. Idem autem exemplum mente reputans Vates, ad Babylonis regem retulit, qui veluti Lucifer, ſuæ illius magnæ gloriæ & proſperitatis primo manè atq; initiis ipſis conſtituendæ, vt ſibi videbatur, in perpetuum ſedis affectatiq́ diuini honoris tẽporibus primis de cælo, deq́ illo ſummæ maieſtatis gradu in terram, atque adeò in infernum deiectus ac detruſus eſt. Neque obſtat quò minùs hoc ita exponen-*

De Sacr. ſcrip. mirab. lib. 2. c. 2. in Gen. ad lit. lib. 11. c. 24. Ambroſ. Pſal. 118. Cypr. epiſt. lib 1. ep. 3. Tertull. aduer. Marc. lib. 5. de epiſ. ad Laodicéſ. Athanaſ. de paſſ & mor. Domini. Orig in Nũ. c. 19. hom. 9. & c. 22 homil. 10. & periarch. lib. 3. c 2.

Iudæ epiſt.

*dum ſit, quòd ille de cælo non deciderit vmquam; quippe res per parabolam pronunciatur, quæ ſatis ſuperq́; vera eſt, cùm in ipſo primo exemplo conſtat. Atqui conſtat Luciferum illum præcipuum ſpiritum de cælo deiectum ceci-*
Lucæ 10. *diſſe. S. S. E. Videbam Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Non enim parabola omnibus membris ſuis exerceri debet in rebus omnibus, vel ex quibus petitur, vel ad quas refertur. Scimus namque ac videmus illud ipſum aſtrum, ex cuius nomine ſimilitudo hæc petitur, cuique cætera conueniunt, tamen in cælo adhuc manere, ibiq́; verſari, neque vnquam inde decidiſſe cognouimus: neque ideo autem cætera huius narrationis verba illi non quadrant. Siquidem & Luciferi nomen, & manè oriri, Auroræve filium eſſe contingit. Eodem modo non excludendus videtur ab huius parabolæ & exempli ratione Babylonicus rex, quòd ille numquam de cælo deciderit; cùm per tranſlationem hæc omnia dicta prolataq́; ſint: quorum maxima pars illi, vt ſi cuipiam alij, aptiſſimè quadrat, cuiuſmodi illa ſunt:* Qui vulnerabas gentes. &, Numquid iſte eſt vir qui turbauit terram, qui concuſſit regna, &c. *Atqui ſummorum honorum appetentia, maximæq́; potentiæ ambitio, Cæli ac diuinitatis nominibus ac verbis nō ſolùm à noſtris, verùm ab externis auctoribus explicatur. Sic enim in Auguſtum, qui diuinos honores vſurpauit, præſens ac viuus, aras nomine ſuo iurandas peni ſibi vo-*
Horatius epiſt.lib.1. epiſt.1 Od.lib.1. Od 3. *luit, idem ipſe Poëta luſit: Nil mortalibus arduum eſt; Cælum ipſum petimus ſtultitia. Sic idem ſcripſit: Res gerere, & captos oſtēdere ciuibus hoſtes, Attingit ſolium Iouis, & cæleſtia tentat. Neque verò aliud ille Phaethon, ille Icarus à Gentium Poëtis celebratiſſimi ſignificabant: neque vlla ratio eſt, quamobrem Nabuchodonoſor è cælo deiectus fuiſſe dici non poßit, qui præter ſummum illum regiæ dignitatis & imperij maieſtatis gradum; ex quo deturbatus fuerit, ab illa etiam diuinæ perpetuitatis, non tantùm cogitatione, verùm etiam vſurpatione depulſus eſt: quam cùm ſibi perſuaderet, & arrogaret, Coloſſum cubitorum ſexaginta altitudine, ſex verò latitudine publicè decretis honoribus adorandum, in Campo Dura Prouinciæ Babylonis ſibi conſecrauit. Hæc longiùs fortaßè, verùm non temerè, aut ab re diſputauimus; vt aliquam viam lectori muniremus, puræ ac ſimplicis ſacrorum oraculorum interpretationis ab ingenioſa commentatione diſcernendi: cùm videamus multa à multis præter legentium vſum, præterq́; rei germanam æſtimationem ſcribi; eademq́; ſatis ex ſe operoſa & difficilia, ab aliis difficiliùs etiam ac magis operosè non probari modò, verùm contentioſiſſimè defendi. Legimus & nos multa, ſed non omnia quæ legimus, iis, quibus conſultum cupimus, obtrudenda cēſuimus. Iam verò ad inſtitutum noſtrum redeamus. Vt Lucifer terræ, atq; terræ cultoribus lucet, ſplendoréque ſuo prodeſt, ſic Lucifer ille Angelus, qui poſtea reprobatus eſt, ſuū munus, ſuumq́; domicilium conſtitutum habuit, ex quo hominibus luceret, ſi*
Rom.1. *demandato miniſterio fungi voluiſſet. S. S. E. Nonne omnes ſunt admini-*
» *ſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt*
» *ſalutis? Illo autem domicilio deſerto detruſus eſt in terram, atq; adeò in infernam terræ partem, vt non ampliùs lucere hominibus poſſet, verùm in*
perpe-

*perpetua caligine eſſe, vti Iudas Apoſtolus ait: Luciferi quoque imitator Babylonis Rex, eo tempore quo imperium tenebat, ſibi ſubiectos, & inferiores homines & populos, legibus & conſultis atque decretis illuſtrabat inſtituebatq́, ex illo ſublimi loco decidit:* Et qui gentes vulnerabat. *ſiue, vt Hebraicè eſt,* Debilitabat gentes; *corruit in terram. Duo tempora, duabus his orationibus à Vate noſtro ſignificantur, Luciferi primùm in ortu ſuo definiti, & eiuſdem poſtea hominum nuper vim atq́, æquales cum Deo honores affectantis. Principio namq́, Lucifer editus à Deo eſt, & conſtitutus Auroræ filius, qui hominibus (vti diximus) luceret; ſed ille, quòd ſe cæterorum omnium pulcherrimum præſtantiſsimumq́, eſſe exiſtimaret, indignum ducebat ſe ad id munus deſtinatum eſſe, vt in miniſterium hominum cauſa mitteretur: maluit autem ipſe cum Deo de ſapientia contendere, & homines, quos creandos intelligebat, ſibi ſubijcere. Vtrumque igitur cùm tentaret poſtea, partem, diuino permittente iudicio, obtinuit: namq́, hominum & mundi huius princeps euaſit. quamobrem diuinam quoque ſapientiam à ſe victam fuiſſe arbitratus eſt; ſuæq́, maximæ, vt ſibi videbatur, prudentiæ admiratores & ſequaces habuit bonam illorum ſpirituum copiā: qui vnà cum ipſo de cælorum ſedibus fuere deiecti. hoc eſt quod Iſaias ait:* Qui manè oriebaris; *ſiue Auroræ filius: quod ad illius electionem & principatum, ſiue, vt Iudas vocat, ἀρχὴν, referendum eſt: quod verò ad ipſius poſtea propoſitum ſtudium, conatum & effectum:* Qui debilitabas gentes, in terram corruiſti. *ſiue,* Exciſus es in terram. *Eſt enim tranſlatio à maximis arboribus ducta, quæ cæteras circa & iuxta ſe creſcentes, debilitare ſolent: eſtq́, pulcherrima Antithetωn congeries, qua vſus eſt in hac oratione Vates noſter. Hæc verò ad Babylonis regem, cui per parabolam Vates adaptare Iſaias videbatur, relata, facilè magnitudinis primùm imperij, deinde verò inſolentis potentiæ ſignificationem interpretationemq́, admittunt.*

Qui dicebas in corde tuo: In cælum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis.

QVONIAM *omnis hæc parabola tranſlatis verbis à Lucifero aſtro ad illum principem ſpiritum propriè ac primario loco refertur, deinde verò ad Babylonis Regem per ſimilitudinem transfertur; orationis ipſius verbis ad certam ſignificationem conſideratis, exponenda nobis, atq́, ad vtramque perſonam accommodanda eſt: idq́, ex hiſtoria quàm ſimpliciſsimè. Igitur aſtrum illud, quem Luciferum dicimus, domicilium ſuum non in ſupremis, ſed in medijs cæli orbibus habet. ſiue enim tres tantùm cæli ſint, vt nos ex diuinæ Scripturæ obſeruatione arbitramur, ſiue plures, vt Philoſophi & Aſtronomi Græci, & Græcos ſecuti Arabes Latiniq́, docent, Lucifer infra quartum ſolis orbem verſatur, ſi plures quàm tres orbes ſunt: ſin verò pauciores, hoc eſt, tres tantùm, Lucifer in ſtellarum, ſecundo videlicet cælo, eſt: ita non alienum à loco & ſitu ipſius pronunciauit Propheta, Luciferum non contentum ſuo loco, affectaſſe ſupremam vltra aſtra omnia ſedem & domicilium in ipſo tertio, ſiue in omnium vltimo cælo, quod Dei ſedi eſt*

 *deſti-*

*deſtinatum. Iam verò ex hac tranſlatione illius Luciferi, de quo ſermo præcipuè eſt, inſolentiam & arrogantiam apertè intelligimus: quem naturæ præſtantiæq; ſuæ admiratione & inſolenti amore correptum, ordinis, muneris, conditionisq; propriæ pœnituit, & diuinæ gloriæ æmulatio hominúmque dignitatis iam præcognitæ inuidia ad affectandos Deo dignos honores impulit, appetereq; fecit aſcenſum in ſupremum cælum, ſoliumq; ſupra cæteros ſpiritus, qui in Dei exercitibus, vt aſtra in cæleſti militia, connumerantur: idq; non ſolùm agitatione dixit, ſed conatu omni atq; actione inſtitutū efficere ſtuduit, atque huiuſmodi nefario auſu ipſe ſibi ruinam & deturbationem parauit, diuini conſilij decreto in æternum exilium ejectus atque pugna ab electis Angelis, Michaële duce, victus, è cæliq; finibus pulſus.*

Apoc. 12. *S. S. E. Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pu-*
» *gnabat & angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum*
» *amplius in cælo, &c. Huic autem Luciferi cogitationi cætera reſpondent & conſonant omnia orationis huius arrogantiſſimæ verba, quæ ex myſterioſa illa lingua, qua à vate pronunciata fuere, nobis breuiter ſunt exponenda: integram huius rei explicationem in tempus aliud, aliudq; opus reſeruaturis: cupimus enim myſterium hoc ad piorum doctrinam & vtilitatem pro donatæ nobis à Deo facultatis modulo aperire; ex quo ad ſacrorum*

Hoc in magni operis armatiadum.

*librorum certā & inoffenſam tractationem magna accipi lux poteſt. Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Significabamus paulo antè Luciferum voluiſſe de ſapientia cum Deo contendere; cui, ſi non excellere poſſet, ſi non ſuperior (quando virtute, potentia, & efficacitate inferiorem animo ſe ipſe cognoſcebat, vtpote qui auctorem ſuum Deum eſſe ſciret) tamen ſimilis illa magna virtute, hoc eſt, ſapientia, victor euaderet, admirabilisq; fieret, atque mundi huius regnum imperiumq; in homines vſurparet: cui huiuſmodi cogitationem & propoſitum ſibi facinus illis verbis Hebraicis Vates pronunciauit.* ESEB BEHAR MOGHED BEIAR CHETHEI TSAPHON. *Quæ omnibus Hebraicè ſcientibus ex Etymologia illud Latinè ſonāt: Sedebo in prægnanti definito, in lateribus, ſiue, teneritudinibus, occulti. Namque* HAR, *quod montem Latinè vertimus, à verbo* HARAH *fit, quod grauiditatem, ſiue impregnationem ſignificat. Quam verò ob rem nomen hoc montibus conueniat, in aliis locis expoſuimus.* MOGHED *verò, pro quo teſtimonium ſæpè reddidimus, à verbo* IAGHAD, *quod teſtari, & cum atteſtatione decernere ac definire eſt. Latera autem Hebraicè* IARCHETIM *dicuntur, à teneritudine femoris, quibus latera ipſa fulta nituntur. Porrò* TSAPHON, *abſconditum, ſiue occultum, ſiue arcanum interpretamur: vnde illi vento nomen eſt factum, qui & ipſe ex occulto naſcitur loco, & vi ſua nubes, calorem & humorem corripit, & occultat. Rectiſſimè igitur vertit interpres noſter verba ipſa ſuis vſitatiſſimis ſignificationibus reddita, ſermonisq; ipſius anſas nobis dedit; quibus reconditos ſenſus tenere poſſemus. Iam verò apertum nobis ex hac expoſitione Luciferi conſilium eſt, auſi & aggreſſi ſedere, tanquam principem in grauida illa Dei definitione de Angelorum hominumq; conditionibus & ordinibus, & in occulto*

הר
הרע
Mons.
יעד
Commert. in Proph. min & in Appar. lib. de Phaleg.

*illo*

illo ſubtili ac tenero conſilio ſingularis gratiæ Dei erga homines, qui ad ima-
ginem Dei ipſius efficiendi, & magnis donis ornandi fouendiq; erant, con-
ſtituto ad eam rem Angelorum miniſterio. Atq; de Lucifero ipſo, ex cuius
hiſtoria hoc exemplum petitum eſt, hæc ſignificaſſe hoc loco ſatis fuerit: nunc
verò ex hiſtoriarum etiam ſacrarum diligenti obſeruatione & annotatio-
ne videamus quemadmodum oratio hæc cum Babylonis regis rebus & con-
ſiliis conueniat, expoſitionis initium paulo altiùs repetentes: nam quid hoc
loco ab aliis interpretibus dicatur, nemo iam nouit. Omnes enim ferè, tam
Græci & Latini, quàm Hebræi & Chaldæi, qui hanc parabolam ad regem
illum pertinere volunt, vt verè pertinere oſtendimus, ſic interpretantur,
quaſi Babyloniæ rex imperij ſui ſedem Hieroſolymis, & in monte Sion ſta-
tuere decreuerit: quòd illum numquam vel profeſſum, vel conatum fuiſſe le-
gimus; vtpote vnius Babylonis ſuæ amplificandæ, & in perpetuum conſti-
tuendæ imperij caput ſtudioſiſſimum, illumq; ſermonem aduerſus diuino-
rum oraculorum interpretationes vſurpantem. Nonne hæc eſt Babylon ma- Dan. 4.
gna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in “
gloriam decoris mei? Igitur videamus quid nobis hoc exemplo de Nabucho- “
donoſoris conſiliis & actionibus ſignificetur: namque cùm parabolicῶs om-
nia hæc dicantur, non exiſtimandus eſt adeò inſanus rex ille, vt Icari aut
Dædali alis in cælum aſcendere, & Dei ſolium, vt de Gigantibus Poëtæ
fabulantur, occupare, ipſumq; Deum de cælo deiicere, aut alio in loco conſti-
tuere cogitauerit. Legimus in Danielis libro Nabuchodonoſorem Babylonis Dan. 2.
regem, poſt vehementē de rerum orbis terrarū futura ſorte & conditione
cogitationem atq; curā, in ſomnis vidiſſe ingētem viſuq; terribilē coloſſum:
cuius caput ex auro optimo erat, pectus autē & brachia de argēto: porrò ven- “
ter & fæmora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, “
quædam autem fictilis. Vidiſſe verò ita donec abſciſſus eſt lapis de monte, ſi- “
ne manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & cōminuit eos: “
tum contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta “
quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nullusq; locus inuen- “
tus eſt eis. Lapis autem qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, “
& impleuit vniuerſam terram. Huius autem ſomnij interpretationem il- “
lam, eodē Propheta enarrante, accepiſſe legimus: videlicet, quatuor orbi ter-
ræ diuino conſilio conſtituta eſſe imperia. Primum Aſſyriis traditum, quod
illa tempeſtate ſub rege Babylonico erat; idq; omnium præſtantiſſimum, ac
potentiſſimum, planè ac ſolidè aureum: ſecundum argenteum Medorum
ac Perſarum: tertium æreum Græcorum: quartum porrò ferreum pariter
ac teſtaceum Romanorum: tandem autem regnum à Deo cæli ſuſcitandum
eſſe, quod in æternum non diſſiparetur, nec alteri populo traderetur; id au-
tem comminuturum & conſumpturum vniuerſa illa regna prima, & ip-
ſum in æternum conſtituturum. Huius autem ſomnij interpretationē cùm
admiratus Babylonicus rex probaſſet, intellexit, Dei quidem ſententia, atq;
cælorum efficientia illam eſſe conſtitutam imperiorum ſeriem, quandoqui-
dem ille interpretē audierat, qui Deum cæli, tum in ſomnio, tum in ſomnij
inter-

*interpretatione auctorem appellauerat: hoc autem ex ipſorum doctrina con-
firmabatur, quæ in rerum omnium creatura & genitura multum cælorum
motibus & efficacitatibus tribuebat; quibus tamen non parum vel impedi-
menti, vel adiumenti hominum ſapientia, cura, induſtria, ac diligentia af-
ferri poſſe docebat: ab illa enim Chaldæorum diſciplina ſententiæ huiuſmo-
di promanarunt, quas Ptolomæus, aliiq́; Ægyptij ac Græci ſcriptores vſur-
parunt: Vir ſapiens dominabitur aſtris. Hinc effectum arbitramur, vt Na-
buchodonoſor, qui myſterium myſteriiq́; explicationem admiraretur, &
probaret, dum Deum illius interpretationis auctorem laudaret; nullum de
rebus ipſis, hoc eſt, de illorum imperiorum ſerie cognoſcenda, ferenda, atque
Dei auctoritate & arbitrio permittenda, verbũ fecerit: vtpote qui cogita-
uerit poſſe eam rem ſapienter impediri, notam & certam, neque fruſtra ape-
riretur; ſed omni induſtria, cura, & ſtudio conandum, vt genti, domui, ac
familiæ, poſteritatiq́; ſuæ, orbis terræ imperium firmum, perpetuum, conſta-
» bilitumq́; foret. Atqui regis confitentis oratio illa fuit: Verè Deus veſter
» Deus Deorum eſt, & Dominus Regum, & reuelans myſteria: quoniã tu
» potuiſti aperire hoc ſacramentum. Nihil in hac oratione illi ſimile auditum
» eſt: Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis eius, faciat. aut, Fiat volũtas ip-
» ſius. aut, Noſtrum non eſt ea, quæ Deus cæli decreuerit, impedire. Immo im-
pius Rex, & quòd impia Chaldæorum doctrina imbutus, & quòd imperij
ac tyrannidis vſu & cõſuetudine corruptus omnino atq; inſanus eſſet, cer-
ta vti ſibi viſus eſt, excogitata ratione imperij apud ſe ſuoſq́; confirmandi,
commentum inuenit grauiſſimum, quod, deliberato conſilio, quamprimum
eſt executus. Nam cùm in illa imperiorũ partitione, quam viſum ſomnianti
ſimulachrum ſignificauerat familiæ domusq́; ſuæ imperium aureo capite in-
dicatum cognouiſſet: cætera verò minoris metalli eſſe omnia quæ ſtatuam
illam conficerent: rationem inuenit quemadmodum tota ſtatua aurea ſolidè
atq; vnicè ſingulariter niteret: neque vllius alterius metalli ſocietate aut
mixtione imminueretur. Itaque ſymbolum eſſe voluit imperij ſui perpetuò
firmandi ſtatuam auream, quam, poſt auditum ſomnij interpretem facien-*
Dan.3. *dam, & in campo Duræ prouinciæ Babylonis collocandam curauit; & in
perpetuum ſubeundi imperij teſtimonium & monumentum omnibus om-
nium regionum ſatrapis, magiſtratibus, ducibus, tyrannis & præfectis, om-
nibusq́; regionum principibus dedicandam propoſuit: illorum opera & au-
ctoritate cæteris hominum ordinibus ac populis adorandam decreuit: hoc
pacto futurum exiſtimauit perpetuum aureum illud imperium, idq́; conti-
nuum omnino aureum conſtabilitum iri, vtpote publica & communi om-
nium tum principum tum populorum adoratione ſuſceptum. Neque enim
eam ſtatuam alio conſilio poſitam eſſe, ac dedicatam eo modo ac pacto quo de-
dicatam Dauid narrat, quàm vt regnum eius publicè firmaretur, præter-
quam quòd id perpetua regis appellatio in illa narratione indicat, ipſa etiam
hiſtoriarum connexio ſignificat. Legimus enim hanc de ſtatua aurea narra-
tionem, ſtatim poſt primi illius ſomni interpretationem & cognitionẽ: nul-
lam verò mentionem de ſacrificiis ſtatuæ decretis, nullam de diuinitatis*

*nomine ibi factam videmus. Conuentum principum & gubernatorum, publicorumq́ miniſtrorum omnium regio nomine decretum & factũ mandatum ab iis, & edictum de ſtatuæ aureæ adoratione publicè editum, & præconis voce expoſitum: adorationem non ſacrificiis aut victimis, aut ſuffitibus, ſed cantu, & muſicorum inſtrumentorum ſonis conſtitutam & cœptam, atque exhibitam eſſe legimus: quæ cerimonia principibus, regibus ſuſcipiendis, & iuramento publico agnoſcendis, acclamationeq́ ſalutandis adhiberi ſolet. Itaque id primum ac præcipuum regis conſilium fuiſſe nobis videtur, vt Chaldæorum imperium confirmari, ínque illius domo ac familia, & poſteritate perpetuò ſtabiliri poſſet; eáque ratione & forma quidquid cælorum curſibus & efficientiis aſtrorum virtute atque adeò Dei cæli decreto de imperiis conſtitutum eſſet, ſapienter præoccupatum ad ſuæ familiæ vtilitatem & perpetuitatem corrigeretur: quandoquidem vt ſibi videbatur quæ publico omnium hominum conſenſu confirmabantur, in regni ratione ſtatuenda, ea nec per cælos, qui non pariter omnium hominum ingenia & voluntates mouent, & mutant; neque per Deum, qui arbitriũ hominum non tollit, omnino perturbari, & reſcindi poſſent. At verò Sidrac, Miſac, & Abdenago, qui ſuper prouinciæ Babylonis opera conſtituti erant, cùm intelligerent Dei decreto & conſilio quatuor illa orbis imperia conſtituta eſſe, diuinamq́ voluntatem firmam ſtabilemq́ fore, neque vlla mortalium vi aut opera infringi poſſe cognouiſſent, & quintum illud regnum ipſi credentes expectarent, ſtatuam adorare noluerunt: hac recuſatione faſsi, ſe Dei conſilio, cuiuſuis hominis imperiũ poſthabentes, parere debere. Quamquam enim plurimi ex his qui commentationes in Danielem fecerunt, Hebræis ſcriptoribus, atq́ hos etiam ſecutis & Græcis & Latinis idololatriæ cauſa poſitam illam ſtatuam dicant; ipſa tamen ſimplex & pura hiſtoria, ipſa Chaldaici ſermonis phraſis, & verborum ſingulorum oportuna ac diligens æſtimatio, nos ad id quod indicamus conſilium & propoſitum diſcernendum atq́ intelligendum planiſsima via deducit: huc etiam accedit antiquiſsimorum doctorum explicatio; qui hoc Nabuchodonoſoris incœptum ad idololatriam referendum eſſe negant; ſed ad propriæ (vt illi loquuntur) amplificationis decretum. niſi quantum cum illa imperij perpetuitate diuinitatis cuiuſdam opinio concepta honores diuinos quodãmodo coniunctos eſſe debere gẽtes cenſebant: ſic enim Imperatores, Reges ac Principes, Deorum aut heroum, aut huiuſmodi aliis nominibus appellatos ac ſalutatos fuiſſe, antiqua lectione accepimus. Itaq́ conſilio, decreto, & edicto, atq́ adeò communi principum omnium conſenſu illud ſignificare, & confirmare Nabuchodonoſor voluit, regnorum atq́ imperij totius orbis terræ omnibus temporibus & ſeculis, non ſolùm caput & initium, ſed totũ corpus ex ipſius ſanguine, domo, & familia fore: idq́ publica omnium confeſsione & adoratione ratum haberi curauit. Poſt hanc autem de ſtatua hiſtoriam, quæ ad confirmandi & conſtabiliendi in perpetuum imperij cogitationẽ, vti diximus, refertur, aliud ſomnium ſequenti capite narratur eiuſdem Nabuchodonoſoris arborem proceram viſentis, ac omnem orbem occupantem, quam Vigil*

In Additionibus Marchatt. de Paſchate, auctore Thamo.

Dan. 4.

Sanctus excindi iubebat penitus, ſeruato tantùm germine radicum, & alligato vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris ſunt, & cætera quæ in illa ſomnij ſecundi expoſitione leguntur; cauſa, quam ob rem id efficiendũ eſſet, expoſita. Donec, inquit, cognoſcant viuentes quòd dominatur excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud, & humillimum hominem conſtituet ſuper terram. Huius autem ſomnij interpretatio quemadmodum relata & explicata fuerit per Danielem, ex ipſa Prophetæ illius lectione oſtenditur, cuius illa ſumma eſt: Fore vt Babylonicum regnum, quod aliàs diutiùs fortaßè duraturum erat, ipſius regis culpa & arrogãtia atq; ſuperbia quàm citißimè aboleretur; ipſeq; Nabuchodonoſor non modò regia dignitate expoliatus, ſed humanæ vitæ etiam extrema conditione longè inferior, eiectus ab hominibus, cum feris beſtiis habitaret, & fœnum, vt bos, comederet, & rore cæli infunderetur: ſeptem quoque tempora mutarentur ſuper eum, donec ipſe ſciret quòd dominetur Excelſus ſuper regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud. Hæc ex illo Danielis libro allata, apertam, vt arbitramur, loci huius interpretationem nobis reddunt, aliàs difficilem ſatis & occluſam futuram iis, qui ſacrorum oraculorum rationes diligenter collatas, non obſeruauerint. Eſt autem illa Parabolæ expoſitio: Dicebas in corde tuo, cogitabas te poſſe Dei cæli decretũ, tibi iam prædictum & expoſitum, interuertere & impedire; atq; ita tecum in te agebas: Sapienter & diligenter agam, vt ſuperior cæli conſtitutionibus & prædictionibus euadam. Non enim adeò ſtultus erat, vt cogitaret in cælum aſcendere pennis non homini datis; ſed impius erat, qui conaretur Dei conſilium vel decretum frangere, atq; auctoritatem, ſapientiam, & conſilium ſibi arrogaret mundi, ac cælorum ſeriem & curſum mutandi, vnius Dei virtus ac facultas eſt. Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum. Ipſe, inquam, aſtrorum à Deo in cælis conſtitutorũ vim ſuperabo: nam verba, Aſtra Dei, ſic ex Hebraico explicamus, Aſtra potẽtis, ſiue efficacis. Et ſedebo in monte teſtamenti: Mons teſtamẽti, ſiue, obteſtationis, per parabolã Babylonis vrbs vocatur, omniũ ſui temporis maxima, & munitißima, montisq; inſtar habẽs in ea regione, in qua ſita erat: dicitur & obteſtationis mons, propter cõmunem omniũ nationum & principũ de illius ciuitatis regno conſenſum ab illo per potentiam extortum, teſtimoniis atq; ceremoniis actionibusq; confirmatum. Ille autem mons in lateribus Aquilonis erat: namq; ad eam mundi partem Aſſyriorum regio omnis extenditur, vt ex Geographiæ diſciplina, & ex multis in Sacra ſcriptura locis cognouimus. Huius autem affectatæ imperij perpetuitatis exitum qualem ſortitus fuerit Babuchodonoſor, Sacra hiſtoria apertè oſtendit. Poſt finem duodecim menſium in aula Babylonis
„ deambulabat Rex, & ait: Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & gloriam decoris mei?
„ Cumq; ſermo adhuc eſſet in ore Regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonoſor Rex, Regnum tranſibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum
„ beſtiis feris erit habitatio tua, fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempo-
„ ra mutabuntur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur Excelſus in regno hominum

*minum, & cuicumque voluerit, dat illud. Et eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, &c. Hanc autem rationem omnẽ arboris imago ſomnianti oſtenſa indicauerat; illa videlicet ſignificatione, hominẽ non auro perpetuo atq; incorrupto, ſed arbori ſimillimum eſſe ſuper terram, quæ & creſcere poßit vſque ad conſtitutam ſibi & conceſſam diuina voluntate, & temporum ſecunda opportunitate ſubminiſtratam magnitudinem; quæ tamen & vno die naſci, & creſcere, altera etiam die perire, Deo ita vidente, poßit. Iſtius itaq; ſuperbiæ, iſtius maximæ ambitionis ille exitus fuerit, vt omnia verſa videas, & te cum familia tua penitus reciſum, perpetuus & inſtaurabilis caſus excipiat, omniaq; votis & inſtitutis tuis contraria experiare: hoc eſt quod ex antitheſi ſubiungitur.* Ionæ 4.

Verumtamen in infernum deſcendes, & in profundum laci.

COGITASTI *in cælum aſcendere, ſuperiorq; conſiliis Dei fieri, at verò ad infimam morte deteriorem conditionem detruderis, ad vitæ vſum cum belluis communem atque hominum vel humillima ſorte longè inferiorem, & ; vt dicebas, in lateribus Aquilonis fore tibi conſtituendum ſolium perpetuum, in profundum laci; ſiue, vt Hebraicè eſt*. In latera laci: *namque antitheſis omnibus membris ſibi cõfertur in hac parabola. Quemadmodum verò hæc ad Luciferi caſum, ex quo parabola aſſumpta eſt, referri poßint, facillimum iam cuique cognitu fuerit, & apud Eccleſiaſticos auctores abunde explicatur. Quid autem ad Dei gloriam & hominum vtilitatem ex illo Babylonici Regis caſu euenturum eſſet, ſubiunctis verſibus declaratur.* D Proſper in dimidio tempor. c. 3. Cypr lib. 1. epiſt. 3. Euſeb. de demonſ. Euãg. lib. 4 c. 9.

Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq́ue proſpicient.

EX *maximis maximeq; manifeſtis humanarum rerum mutationibus diuinam prouidentiam ad ſuam vtilitatem homines probare ſolent, quam in minoribus exemplis, propter ingenij noſtri tarditatem, minùs diligenter obſeruant. Atque hoc eſt quod ex Nabuchodonoſoris caſu, horrendoq; exitu euenturum eſſe, noſter vates ait; vt qui illum tantùm ab illa ſuperbæ amplitudinis impotentiſq; potentiæ magnitudine mutatum viderint, & diuinam prouidentiam agnoſcant, & ſibi ipſis eiuſmodi exemplo caueant, temperentq; in poſterum magnarum appetitione rerum.* Ad te inclinabuntur. *Amplæ ſignificationis verbum ab interprete prudenter eſt verſum, non expreſſa aliqua, ſed animaduerſionem excitante notatione. nam, inclinari ad aliquem, non ita definitè declaratur, vt nihil cogitandum præterea relinquat, cur nam inclinabuntur, quo modo, quid acturi. Hebraicum verbum,* IASGIHHV, *diligenter intueri, & animaduertere, atque adeò curam certam & prouidentiam agnoſcere ſignificat: ex eodem enim themate nomen* SEGAHHAH *deducitur; quo diuina prouidentia Hebraicè ſignificatur. Eſt autem verbum in coniugatione duplici: quod Latinè ſimpliciter reddi cùm nequeat, aut notatione, vt ab interprete noſtro, aut circuitione reddendum eſt hoc modo: Prouidere, ſiue, proſpicere, attendere facient; vel breuiùs, Prouidentiam ſtatuent, ſiue, probabunt. Semper enim hoc verbum ad diuinam prouidentiam pertinet tribus in locis, in quibus apud ſacros auctores*

*inuenitur, ex quibus vnus hic eſt. Probabunt, inquit, & agnoſcent diuinam prouidentiam, atq; laudabunt, maximè qui te viderint; ijdemq; ſibi ipſis exemplo tuo conſulent, teq; proſpicient, optimè vertit interpres. Namque Hebraicum verbum* IITHBONANV, *propriè ad prudentiam & proſpicientiam refertur: idq; aptè vſurpatur, cùm de comparatione rerum, & cognitione aliquis quid de ſingulis ſtatuendum ſit, rectè cogitat. Ex quo verbo fit* THEBVNA, *quod prudentiam, &* NABON, *quod prudentem ſignificat. Hoc igitur his verbis ſignificare Iſaias voluit, fore vt Babylonici Regis caſus quicumque ſpectarent eo exemplo, & de prouidentia ſapienter ſentirent, & ſibi ipſis cauerent: intelligentes videlicet, ſummæ ſuperbiæ atque tyrannicæ & inuidioſæ potentiæ horribilem exitum ex Dei prouidentia ac iudicio finiri.*

Numquid iſte eſt vir qui turbauit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem?

VNIVS *hominis inſolens potentia, cùm diuino iudicio graſſari permittitur, quãtum rebus omnibus hominum incommodi moleſtiæq; afferre poſſit, ſatis apertè hac breui oratione ſignificatur.* Vir. *Verbum Hebraicum,* IS, *& virum, & ſingularem aliquem notabilemq; ſignificat. Eſt ne ille, ille vir ſingularis, qui vnus virorum omnium tantum inſolentia poterat, & terram concuti, & orbis terrarum regna tremere faciebat? adeò perturbabat, & conquaſſabat omnia. Hæc per hyperbolen ab ipſo Propheta explicantur continuò.* Qui poſuit orbem deſertũ. *Terram omnem habitabilem Hebræi* TEBEL *vocant, Latini Orbem interpretantur. Adeò autẽ maximam hominum ſtragem à Babylonis Rege factam eſſe ait, vt orbis habitabilis in ſolitudinem ferè ſit redactus, cultor ab agris deſideratus ſit: nec ſatis illi ſanguinolentæ potẽtiæ fuit in homines ſæuire; ſed vrbes etiam quæ muros & ædificia continent, deſtrui iuſſit, regibus ac principibus inde abductis, & in carcerem detruſis, præter omnem clementiam, ac præter humanitatem omnem in carcere ac vinculis perpetuò retinuit. Igitur huiuſmodi oratione admiraturos ait eos, qui Nabuchodonoſoris olim potentiæ & maieſtatis teſtes cùm fuerint, inſaniæ poſtea illius horrendæ ſpectatores fierent. Namque grauiſſimum illud animi morbi, atque atræ bilis genus fuit; quo Nabuchodonoſor correptus, belluinam vitam per ſeptem tempora degit, nulliúſque antea viſi exempli ſimile, ſicuti & ipſi iidem admirantes ſpectatores affirmant.*

Omnes reges gentium vniuerſi dormierunt in gloria, vir in domo ſua. NABVCHODONOSOR *Babyloniorum Rex ex ſumma illa regni imperijq; maieſtate & gloria, & promiſſa, & curata conquiſita poſteritatis perpetuitate triplici impulſu præceps in infimum atque poſtremum maximæ ruinæ locum eſt deiectus. Principio enim illo morbi genere ex diuini iudicij ſententia ægrotauit, illo animi vitio laborauit, quo non hominum conſuetudinem tantùm, ſed omnem humanæ vitæ vſum, omnem medicinæ ſibi faciendæ rationem auerſatus eſt; cùm cæteris regibus omnibus mor-*

*morbo aliquo laborantibus, & molliter ſplendideq́ue domi ſuæ cubandi, & ſeſe curandi copia contingat. Sic enim nos hunc locum ſimpliciter ex verborum germana ſignificatione ac vi exponimus: neque enim domũ pro ſepulchro, neque dormire pro mori, aut ſepeliri, ſed, vt verba ſignificant, dormire pro cubare, & domum pro ædibus accipimus. Verbum* SACHAB *propriè cubare eſt; & quia plerumque dormiendi cauſa cubatur, fit vt non rarò, neque præter rem dormiendi verbo reddatur. Alter autem impulſus, quo Rex ille affectus eſt, ſepulchri inopia fuit; ex quo poſt mortem eſt deiectus: ſiue vera illa ſunt quæ à Paraphraſte Chaldaico ſignificata, ab antiquis etiã Hebraicis ſcriptoribus memoriæ prodita fuere de Nabuchodonoſoris cadauere; quod Euilmerodac filius ad certæ mortis fidem faciendam, è ſepulchro extractum, inhumatum reliquit: ſiue, quod nobis ex ipſa lectionis obſeruatione indicatur, illius impij regis iam occiſi & tumulo conditi ſepulchrum à Perſis, Babylonem diruentibus, deiectum eſt, & tyranni ipſius omnibus inuiſi cadauer ad ignominiam proiectum ac diſsipatum fuit; vtpote cuius memoria omnis cunctis penitus inuidioſa eſſet, curãtibus vt cæteri alij quicumque gladio occiſi, aut alio modo periiſſent, terræ expurgandæ cauſa ſepelirentur, atq; immaniſsimus ille tyrannus ſepulchri honore careret. hæc autem res ſubiuncto verſu ſignificatur:*

Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo quaſi ſtirps inutilis. pollutus & obuolutus cum his qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadauer putridum. Non habebis conſortium neque cum eis in ſepultura.

S I C *diſtinguimus orationem, vt in verbo,* inutilis, *ſententia finiatur, & noua ineatur ab illis verbis,* pollutus & obuolutus. *Solent agricolæ ex plantatis in agro ſtirpibus, ſi quas infelices ac turpes offenderint, euellere funditus & proijcere, vtpote inutiliter locũ occupaturas. Sic, inquit,* euulſus es & proiectus, *vti inutilis planta euelli, abijciq́ue ſolet.* Pollutus & obuolutus. *Subaudio amictus, vel, habitus: namq; Hebraicè ad verbum ſic legimus: Indumentum occiſorum. eſt autem congeries rerum, quæ quanquam inutiles ſunt, & ab hominibus reijciantur, horrendaq́ue exiſtimentur; tamen vel cremari, vel terra condi ſolent. Sunt verò ea veſtimẽta occiſorum: quæ nemo viuens aut lauãda, aut ſibi in vſus accipiẽda ducit.* Cum his qui interfecti ſunt gladio. *Hebraicè, Confoſſorũ gladio. Illud, inquam, veſtimentum, quod qui gladio traiecti ſæpius fuerint induti reperiuntur, reijcitur ab omnibus, vti inutile, propter confoſsiones & ſciſſuras; & cruore etiam multo immundum ipſum veſtimentum, tamen ne putreſcat ſuper terram, cum corporibus ipſis occiſis & confoſsis conditur in ſepulchro, & deſcendit ad fundamenta laci. ſiue, vt Hebraicè eſt, Ad lapides laci cadaueri ipſi ſubſternitur veſtimentum: ita vt lapides ſubtus ſe habeat, & minus turpiter putreſcat. Et,* quaſi cadauer putridũ. *Hebraicè, Conculcatum. quo verbo exprimitur id quod interpres noſter dixit putridum. Cadauera, inquit, conculcata ab hoſtibus & colliſa atq; protrita, quæ iam putreſcere cœperint, tamen in ſepulchrũ deponuntur, & ſubſternuntur aliis cada-*

*ueribus, vti & veſtes etiam perfoſſæ. Tu verò neque cum iis adeò abiectiſſimis & immundiſſimis habebis conſortium, neque cum eis eris in ſepultura. Ratio autē quam ob rem adeò ignominioſè habendus & proyciendus fuerat Nabuchodonoſor, à Vate, hoſtium ipſorum orationem referente, redditur: nimirum, quòd non ſolùm hominibus omnibus, quorum generi infeſtiſſimus ille fuerat; verùm terræ ipſi, quam deſertam cultoreq́ carentem reddiderat, admodum inuiſus ingratiſſimusq́, tum viuens tum mortuus etiam euaſerit. hæc ſubiunctorum carminum ſententia eſt:*

Tu enim terram tuam diſperdidiſti: tu populum tuum occidiſti.

REGNVM *ad hominum ſalutem, humanæ ſocietatis conſeruationem & proſperitatem inſtitutum eſt, atq́ adeò ad terræ ipſius culturam, quæ legibus & decretis ad politicam rationem accommodatis, augetur. At verò peſſimorum regum vitio, & perdita effrenataq́ potentia nonnunquam accidit, vt & populus per tyrannidem occidatur, & regiones agriq́ perdātur ad ſolitudinem redactæ; ſiue tyrannorum ipſorum omnia vaſtantium iuſſu & culpa, ſiue cultorum à tyrānis occiſorum defectu. Terram autem tuam, & populū, Regis illius regiones eas vocat oratio hæc, quibus cùm imperaret ipſe, tamen iiſdem perdendis & occidendis hominibus non pepercit. Atque omnia hæc non caſu, ſed diuino conſilio & iudicio euentura eſſe vniuerſali & Catholica ſententia confirmat Vates noſter: vt ex illo exemplo, aliiſque antea iam ſpectatis, homines intelligant, certiſſimam & æternam eſſe Dei ſententiam aduerſus ſceleratos omnes, nemoq́ malus vllam ſibi proſperitatem promittat. Quod enim Lucifero primo peſſimorum duci & anteſignano euenit, id ad Nabuchodonoſorem vſque, & ab illo ad mundi finem peſſimis omnibus euenturum eſſe, æterno Dei iudicio confirmatum eſt. Itaque ex theſi ad hypotheſim diuertens, Vates ait:*

Non vocabitur in æternum ſemen peſſimorum.

S I *maximè, inquit, exiſtant aliquando tempora, in quibus peſſimi iuſto Dei iudicio & florere videantur, & ſæuire atq́ graſſari in alios homines permittantur; at nunquam eueniet, vt illorum potentia & licentia ad poſteritatem vlteriùs pertineat: quippe cùm Dei decreto immobili conſtitutū ſit, vt qui ſceleribus & iniuriis, ſuas familias & domos in perpetuum ædificare & amplificare ſtuduerint, breuiſſimo tēporis ſpatio nullas omnino habeant. S.S.E. Iniuſti punientur, & ſemen impiorum peribit.* Semen peſſimorum. *Hebraicè ad verbū*, Malefactorum non vocabitur in æternum. *Non commemorabitur & celebre erit oratione hominum ad centeſimum annum: hoc enim ſpatio concludimus ſeculum vt plurimū. Hanc autem hypotheſim ad homines diuini iudicij admonendos pronunciatam, Vates ad theſim referens, prædicit per Enthuſiaſmum, Babylonis regem tertio caſu etiam à voti & conſilij ſui ſucceſſu detrudendum eſſe, hoc eſt, regni ad poſteritatem ſuam confirmandi; cui nullam ſobolem, nullam adeò poſteritatem ſuperfuturam eſſe prænuntiet.*

Pſal. 36.

Præparate filios eius occiſioni in iniquitate patrum ſuorum: non conſurgent, nec hæreditabunt terrā, nec implebunt faciē orbis ciuitatum.

CON-

CONVERTIT *ſermonem Propheta ad Perſas & Medos bellum Babylonis inferre à ſe præuiſos, hortaturq́ eos ad extinguendam ſobolem improbiſſimi regis & principum ex illius familia; idq́ iuſtiſſimè: tum ob admiſſa à parentibus ſcelera, tum ob certam filiorum præuiſam malitiam; qui nihil de ſe meliùs ſperãdum conceſſuri eſſent, quàm parentũ ſuorum exempla, immo eo grauiora ac magis detrimentoſa daturi, quò plures eſſent: tot enim humani generis immaniſſimos hoſtes haberi, definiri oportuerat, quot illi eſſent* in iniquitate patrum eorum. *In prauitate Hebraicè* GHAVON *eſt, quod prauitatem & obliquitatẽ ſignificat; eſtq́ oppoſitiſſimum verbum ad ſententiam hanc: indicat enim deprauatum & ab omni humanitatis rectitudine alienum genus hominum; cuius prauitas doctrina, opinione, atq́ educatione & moribus ad poſteritatem propaganda eſſet. Ideo, inquit, extinguite ſemen iſtud malorum, deterius etiam quàm parentes futurum; & eo nocentius, quo frequentius. Ita fiet, vt non ſtent, neque occupent terram, neque impleant faciem orbis inimicis nocentiſſimis. Eſt autem tranſlatio Hebraicè ſumpta à noxiis plantis: quæ vbi ſemel ex terra extiterint exortæ, denſiſſimè ſilueſcere, & aliarum vtilium plantarũ locum occupare, & vires minuere, ac tandem omnino adimere deprehenduntur.* Neque implebunt faciem orbis ciuitatum. *Ne, inquit, totam habitabilem terram infeſtis hominibus & frequentiſſimis impleant. Nam verbum* GHARIM, *pro quo Latinè Ciuitatum legimus, & vrbes, & inimicos infenſiſſimos ſignificat: alterum Latinus reddit, alterũ Græci interpretes per ſignificationem indicauere, vertentes, Bellis: nos vtrumque hoc loco pariter commodum recipimus. Chaldæus vertit, Inimicis. Eandem porrò quam indicauimus tranſlationem perſecutus, Deus affirmat ſe illius extinctionis & euulſionis, atq́ exciſionis auctorem & impulſorem Medis & Perſis fore.*

Et conſurgam ſuper eos, dicit Dominus exercituum: & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus.

ELEGANTISSIMA *oratione deſcribitur illius Babylonici excidij auctoritas & expeditio atq́ euentus, eadem imagine quæ iam cœpta fuerat exactè ac diligenter depicta. Procreatam, inquit, illam peſſimi ſeminis ſobolem, ego ipſe ſtans excidam penitus, inductis ad eam expeditionem copiis, cuius Dominus ego ſum; vindexq́ ero, atque vltor illati in orbem per iſtos mali: atq́ adeò efficiam, vt nullum Babyloni nomen reliquum ſit, nullum illius confuſionis veſtigium aut monumẽtum: illius, inquam, Babylonis quæ iam inde à principio nomen ſibi facere, propagare, & confirmare enixè contendit, & adhuc pergit. S.S.E. Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomẽ noſtrum, antequam diuidamur in vniuerſas terras. Hoc fuit antiquæ olim Babylonis inſtitutum, hoc poſtea Babyloniorum regum in ſecunda Babylone propoſitum, hoc Babylonis illius arcanæ principis ſtudium, hoc omnino euerſum iri, Deus vltor ac vindex confirmat. Illa verò nomina, Reliquias, Germen, & Progeniem, Hebraicè, ex ruſticæ rei ratione atq́ ſermone ſumpta ſunt. Plantæ*

*enim*

*enim, truncorũ ſtipites, & radicum partes adnatæ ſoboles, & innati ſtolones propagare ſolent: ita nullum fratrem, nullum filium, nepotem nullũ reliquum fore illis, Deus demonſtrabat: atque adeò vrbi ipſi nulli vici, nullæ villæ, nulla in fundis & agris palatia relinquenda eſſe prædicuntur: atq; hic extremus finis & exitus Babylonici regis ſuperbiæ futurus prædicebatur: qui ſemen ſuum in orbis imperium procreare & producere, & vrbem illam Babylonem, imperij ſedem, Chaldæiq́; nominis perpetuum domicilium (vt ſuperiùs legimus) confirmare cogitauerat; eam autem ad Sodomiticæ euerſionis inſtar ex hominum vſu & celebritate excindendam, Vates prædixerat: id quòd indicatis per ſeriem rebus, poſtremo loco iam exponit; oſtendens illam hominibus & animantibus aliis, quibus iuuari homines ſolent, inutilem prorſus eſſe relinquendam: perſequitur autem ſumptam ſemel arborum, plantarum, atq; agri, ſuperficieiq́; terræ tranſlationem: quam enim frequentem ſtirpibus, germine, & omnigena ſobole illi conſtituere, & propagare cogitabant, tendebant & fouebant.*

Et ponam eam in poſſeſſionem ericij, & in paludes aquarum: & ſcopabo eam in ſcopa terens, dicit Dominus exercituum.

PALVDOSA *loca omnibus animantibus, præterquam auibus quibuſdam, non adeò vel eſus, vel vſus probandi inutilia ſunt, ſed inutiliſsima, quæ cœno limoq́; abundant: in iis enim præter aues, quæ ex luto nidos fingunt, rara admodum animantium genera verſantur: quamquam aduenæ aliæ aues aliquando conquieſcant, tamen vt diutiùs hæreant, non contingit niſi generibus quibuſdam; ex quibus eſt* CHYPOD, *ſiue* CHYPOZ: *nam vtroque nomine ab Iſaia dicitur. hoc à Latino interprete ex Græca verſione Ericium dictum. vt non ſatis conſtans in huiuſmodi naturæ generibus interpretum explicatio eſt; ab aliis Teſtudo, ex Arabici nominis* CHANPHAD *affinitate, ab aliis Noctua redditur: ſed cùm inter aues in deſertis & paludoſis locis agentes perpetuò commemoretur, nobis non alienum ſit Cypſelon interpretari: quam Plinius auem ex breuiſsima cruruum, quibus inſiſtere id genus nequit, præſciſione, Apodon vocat. nam Hebraicum verbum* CHAPHAD, *Breuiare, ſiue, Præcidere ſignificat. Hiſpani Auiones & Vencejos hoc genus dicunt. eſt autem auicula illa ingenioſiſsima in ponendis ex luto ædibus, tum forma, tum materiæ connexione & præciſione, tum etiam firmitudine præſtantibus; refertq́; aliquantulum hirundinem.* Et ſcopabo eam ſcopa terens. *Abolitionem abſolutam ſignificat oratio hæc. Nullas, inquam, hominũ, vel minimorum & viliſsimorum, qui etiam in euerſis & vaſtatis vrbibus relinqui ſolent, reliquias ſupereſſe patiar; ſed omnes, immiſſo multorum coniuncto & alligato exercitu, penitus verram: vt qui purgatiſsimam aream parat, facere ſolet.* In ſcopa terens. *Hebraicè verti poteſt ad verbum,* In ſcopa abolendi. *In ſcopa qua non ſolùm verritur pauimentum, ſed omnino, ne quicquam rerum illi inhæreat, eraditur. Ita deteſtabilem, execrabilem, ſacramq́; in perpetuum fore Babylonem, hoc genus orationis declarat. Non enim ad vſus vinearum aut hortorum relinquendam, vti de Samariæ excidio vates prædixerunt; ſed in ſteriles, cœnoſas, & inuti-*

*inutiles paludes redigendam. Eſt autem deſcriptio loco ipſi in quo ſita vrbs fuerat, nimirum depreſſo & plano, ſatis conueniens. Quòd ſi verba illa,* Scopabo, & Scopa, *ex Etymo ipſo interpretari placeat, & ad vſurpatam tranſlationem referre, eandem ſententiam habebimus oratione explicatam, ſatis ad rem oportunã. Dixerat enim Deus Babylonem ponendam in poſſeſſionem* KYPOD, *& in paludes aquarum: addit autem aquas illas inutiles vſibus hominum futuras, neque piſcibus, neque auibus alendis commodas, vtpote cœnoſas, & paluſtri limo putres. ſunt autem hæc duo verba,* TITETHIHA, BEMATAAIA: *quæ, vt ad ſcopæ ſignificationem applicarent, nulla certa ratione niti antiqui Hebræi potuerunt: quamquam ferè omnes in eam ſignificationem expoſuerunt. at verò vt lutum cœnumq́; ſignificent, facit nominis* TIT *affinitas maxima, lutum, cœnum, & fimum ſignificantis, atq; omnibus Hebraicè ſcientibus, notiſſimi. eſt enim* TIT *apud Hebræos putre cœnum. Quòd ſi hæc Etymologia cum ſuſceptæ deſcriptionis ratione collata admittatur, oratio ſignificandæ ſententiæ cauſa verti ſic poteſt: Et incœnabo eam çœnoſitate. ſed Hiſpanicè elegantiùs ex verbo vertetur: Y encenagar la he con cenagal. Vt autem cætera (deducto orationum ac ſententiarum filo) interpretemur, ea breuiter in mentem referri expedierit, quæ ſuperiùs à capite decimo ad hunc vſque locum ſunt explicata. Initium enim horum vaticiniorum ab Aſſyriorum commemorata potentia & inſolentia factum eſt: quos bellum Ieroſolymis afferentes, & extremã ruinam excidiumq́; minitãtes, victoriamq́; ſibi ipſis arrogantes grauiſſimis prædictionibus Vates excepit, Babyloniorum armis perdendos eſſe affirmans: deinde verò promiſſi Seruatoris mentione facta, ad Babyloniorum demũ excidium præcinendum deductus eſt; quo in oraculo Luciferi angeli illius maligni caſus eſt commemoratus, & vtriuſq; Babylonis potentia & inſolentia notata, ac tandem exciſio prædicta eſt. Sed omnis hæc oratio multiplicis argumenti ac ſententiæ referta, tranſlationibus & ſimilitudinibus pronunciata fuit: exemplo priùs ex Luciferi temeritate ac præcipiti ruina deſumpto. Igitur cùm omnia parabolis ac ſimilitudinibus, exemplis & comparationibus hactenus enuntiata fuerint, & ad rem ipſam, quam in præſentiarum Vates agebat, accõmodari ac referri oporteret, id adiunctis carminibus, iuramento Dei relato, confirmaturum explicatur.*

Iurauit Dominus exercituum, dicens: Si non vt putaui, ita erit: & quomodo mente tractaui, ſic eueniet.

IVRAMENTVM. *Dei certiſſimum illius decretum & conſilium eſt, nullo modo mutandum, nullis alienis viribus frangendum. Stat, inquit, certiſſima & conſtantiſſima Dei vindicis & vltoris ſententia: conſtat maximè illius aſſertio, tam ad ea quæ acta hactenus fuere, quàm ad ea quæ deinceps in futurum agentur, pertinens:* Si non vt putaui, ita erit: & quomodo mente tractaui, ſic eueniet. *Quæ Latinus interpres Latino ſermone rectè vertit, intelligi plenè hoc loco non poſſunt, niſi ex Hebraicorum verborum ſimplici, quamquam minùs eleganti, verſione:* Si non vt aſſimilaui, ita fuit: & quemadmodum conſului, id ſtabit. *Duo verba, aſ-*

ſimilaui, in præterito abſque nota conuerſionis in futurum. Et ſtabit, in futuro, vti ſonat, excipimus: ſed verbum Conſului, ſimplex, pro, Conſilio ſtatui ac decreui, ex Hebraici ſermonis vſu ponimus. eſt igitur iam orationis huius aperta ſententia. Voces, SI NON, in iuramento ad confirmandum adhibentur,
Pſal. 130. idq́; frequentiſſimè. vt, Si non humiliter ſentiebam: id eſt, profectò ſentiebam humiliter. Semper enim, vbi iuramentus adhibetur, Si, vel, Si non; oppoſita oratio confirmatur: id quod ex ſententia ipſa manifeſtè liquet. Iurauit, inquit, Dominus, veriſſimum fuiſſe id exemplum Luciferi, ad cuius imaginem, ea quæ ad Babylonis regem, Luciferi imitatorem, & ad Babyloniam illam arcanam, atq; adeò ad omnes Luciferi ſequaces, per ſimilitudinem relata ſunt: & ideo certiſſimũ conſtantiſſimumq́; eſſe ipſius Dei conſilium de perdendis ac vaſtandis Babyloniis, Rege, & Regis filiis, & vtriuſque Babylonis rebus: conſilium, inquam, conſtitutum iam indè à principio aduerſus omnes impios & ſuperbos atq; inſolentes, & in Luciferi ipſius cauſa re ipſa, & edito exemplo confirmatum. id quod eò etiam pertinebit, vt quemadmodum Lucifer è cælo pulſus eiectusq́; fuit ob ſuperbiam & arrogantiam, atque adeò ob temerarium conatum infringendi conſilia diuina: ita etiam,

Vt conteram Aſſyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum; & auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur.

MAGNO labore deſudare interpretes videmus, conatos hiſtoriam Senacheribi longiùs iam repetitam in hunc locum pertrahere; ex quo nondum Babylonicæ res, vt nobis videntur, amotæ ſunt. Id verò negotij ſibi dari exiſtimant, ex illis verbis, In terra mea, & in montibus meis. cùm præpoſitionem, In, ad locum referendam neceſſariò eſſe arbitrentur; ſciant autem Babylonis regem in ſua ciuitate periſſe, non in terra Dei, hoc eſt, terra ſancta, & montibus qui in ambitu Ieruſalem ſunt. Sed ſi præpoſitionem, In, cauſalem, non localem exponamus, ſententiæ ſeries conſtanter ſeruabitur, nulloq́; longiùs petito egebimus ſubſidio. Eſt enim vnus ex præcipuis
ב vſibus literæ Beth Hebraicæ, pro qua plerumque interpretes reddunt,
Gen. 18. In, vt cauſam ſignificet, quamobrem aliquid fiat. vt, Non parces loco illi
„ propter quinquaginta iuſtos? Hebraicè ad verbum, In quinquaginta iuſtis.
„ & illud: Seruiam tibi pro Rachel filia tua. Hebraicè eſt, in Rachel. Sic de rege Babylonis, qui idem Aſſyriorum rex fuit. Namq; Chaldæa regio Aſſyriorum pars fuit, neque Aſſyriorum imperium à Babylonico diuerſum fuit, niſi quantum ex Niniue in Babyloniam eſt tranſlatum. Conterendum igitur affirmat Deus totum Aſſyriorum imperium, quod in omnes gentes ſæuierat: ſed eo tempore tandem, cùm ſæuitia illius ad Dei terram, & montes vſque peruenerit; idq́; ſignum eſſe vult, & notã temporis quo conterendũ ſit: Propter terram meam, & montes meos. eam opportunitatẽ, occaſionem, & cauſam illius conterendi arripiã: ex illius verò cõtritione terræ meæ pax, & montium meorum ſequetur; inſtauratio ſubſecutis Perſarum & Medorum regibus Dario & Cyro: quorum decreto, ſubſidio, ac

*munere Ieroſolymitanæ reſtituentur res. ita duplicem cauſam ſignificari intelligimus illis verbis:* In terra mea. *Propter terram meam ab Aſſyrio vaſtatam vlciſcendam, & propter eandem reſtituendam, interitu illius, qui vt montes meos conculcauit, ita propter montes meos conculcabitur. Atque hoc pacto iugum Aſſyriorum auferetur à montibus meis; & ſummoto, & extincto omni Nabuchodonoſoris genere, & onus ſeruitutis grauiſsimæ, qua populus Iſraeliticus ab illo rege & regno opprimeretur, tolletur ex humero eius: ex humero, inquam, terræ meæ, Metonymicῶs dictum. Atque hanc Iſraëlitarum ſecundùm carnem viſitationem, & hanc ipſorum liberationem ex Babylonica oppreſsione, quemadmodum ad eam viſitationem, quam noui Teſtamenti tempore expectandam Apoſtoli docuerunt, referre lector poſsit ac debeat, iam antea docuimus. At verò quamquam conſilium huiuſmodi de aſſerenda Iſraëlitarum regione cum ſumma Chaldæorum & & Aſſyriorum pernitie altiſsimum & grauiſsimum videretur; certiſsimum tamen eſſe & maturatiſsimum, neque vlla externa vi infringendum Vates aſſeuerat: idque duplici ratione; & quòd verè à Deo profectum, & quòd deliberatiſsimè conſtitutum fuerit.*

Hoc conſilium quod cogitaui ſuper omnem terram, & hæc eſt manus extenta ſuper vniuerſas gentes.

ORATIO *hæc ſi ad id Babylonis regnum referatur, cuius potentia noſtris etiam ſentitur ſeculis, apertam explicationem habet: ſiquidem Babylonicum hoc imperium per multas gentes & nationes eſt propagatum. Si verò ad illorum temporum, hoc eſt, veteris Teſtamenti res, vti par eſt, aptetur, ita exponenda eſt: Hoc conſilium certiſsimũ eſt, vtpote cogitatum à me, ſiue, vt Hebraicè eſt, conſultatũ, ſuper omnem terram, tum meam aſſerendam, tum Babylonicam vlciſcendam: Et hæc eſt manus extenta ſuper omnẽ gentem Babylonicam, Calenenſem, & cæteras Aſſyriorum nomine contentas, quas decem & octo regnis diſtributas fuiſſe Geographi & hiſtorici memoriæ prodiderunt. Huius autem rei expediendæ certitudo duobus argumẽtis confirmatur: quorum alterũ eſt, quòd Deus ſit is, qui huiuſmodi conſilium ſuſceperit, idemq́; ſit, qui expediendum curet; itaq; idem conſilij atque expeditionis auctor & compos eſt: igitur ex parte auctoris conſtantiſsimum & firmiſsimum eſſe oportet: alterum verò, quòd eiuſmodi conſilium nulla reprehenſio, nulla exceptio, nulla fraus, nulla cautela imminuere, aut infringere; actionem verò nulla vis, nulla fraus, nulla mora impedire aut retardare poſsit. hoc eſt quod ſubiungitur.*

Strabo li 16, Volateran. lib. 11 Geograph.

Dominus enim exercituum decreuit: & quis poterit infirmare? & manus eius extenta: & quis auertet eam? *Hebraicè ad verbum.*

Dominus exercituum conſilium inſtituit: & quis irritũ reddet?

DOMINVS *ille miſericors conſtantiſsimus factis, qui idem vltor potentiſsimus eſt, hoc nomine vltionis conſiliũ hoc ſtatuit, quis infringet conſilium eius? vlciſcendi iniurias populo illatas ſuo, ſcelera ab inimicis ſuſcepta: neque enim alterius cõſilio & ſapientia infringi poteſt Domini conſilium, neque viribus perturbari Domini exercituum conſilium. Iam verò*

*expeditio ipſa non poteſt impediri, cùm Domini manu iam extenta efficienda ſit, cùm & ſuos exercitus conuocat, & ſe principem expeditionis atque vltionis auctorem declarat. Hunc locum ſic Chaldæus Paraphraſtes explicat:* Quoniam Dominus exercituum decreuit conſilium: & quis eſt qui auferat ipſum? & fortitudo ipſius eleuata eſt: & quis eam reuocabit?

## ARGVMENTVM VATICINII X.

DECIMVM *Vaticinium ab hoc loco inchoari debere, ipſa oratio temporumq́, notatio docet. Abſoluta enim Aſſyriarum rerum ratione, Palæſtinorum & Moabitarum res vaticinio prædicendas Vates ſuſcepit: atque tempus notauit, quo vaticinium hoc à Deo acceperit, videlicet, eo anno quo Achaz Iudæorum Rex mortuus eſt. Atq; ſumma omnis hoc vaticinio contentæ orationis illa eſt, vt Palæſtinis calamitas & ſtrages per Ezechiam Regem inferenda, Moabitis autem vaſtatio & pernities magna à Senacheribo afferenda prædicatur: vtrumque autem Deo auctore & vltore conſtare demonſtretur, ob exercitam pluſquam hoſtilem ab vtriſque gentibus crudelitatem in Iſraëlitas infeſtiſſimo odio habitos, vno præcipuè diuerſæ religionis nomine. Namque Iſraëlis nomen magna inuidia excipiebatur ab his finitimis gentibus: quo nomine Dei potentiſſimi & fortiſſimi tutela & prouidentia erga populum illum ſingulariter ſpectanda ſignificabatur. Opportunè igitur hoc loco Iſaias hoc vaticinium induxit, cùm de diuino erga Iſraëlem conſilio verba faceret; quem ad magnæ ſalutis mundo exhibendæ ſingularem oportunitatem, delectum, atque eo nomine ab generis humani hoſte illo infeſtiſſimo multis vitiis tentatum, multisq́, hoſtibus & inimicis impenſiùs vexatum, tamen ad tempus ipſum vſque ſalutis orbi edendæ vindicandum, aſſerendum, corrigendum, purgandum, & conſeruandum Deus ipſe ſuſceperat.*

In anno quo mortuus eſt Rex Achaz, factum eſt onus iſtud.

ONVS, *vaticinium graue ac durum dictæ ac pronunciatæ in aliquem ſententiæ dici obſeruauimus; quod tamen ab ipſo Vate præſente non ſit pronunciatum, ſed libello conſcriptũ & miſſum, aut aliàs per interiectos nuncios mandatum: cuius verbi ſignificationem in proœmialibus diſputationibus initio duodecim Prophetarum abundè explicuimus. Eſt itaq; ſignificatio, graue hoc mandatum, Deo dictante, Iſaia excipiente & ſcribente, miſſum eſſe ad Palæſtinos, eo anno quo Achaz Iudæorum Rex mortuus eſt, antequam moreretur: non enim ait, poſt mortem Achaz; ſed, in anno moriendi, ſiue ad verbum, mori Regem Achaz: inſtante enim tempore mortis Achaz, cuius tempore Palæſtini, qui ab Vzia Rege grauiter vexati & labefactati fuerant, non modò ab illis calamitatibus reſtituti fuerant, ſed ipſi etiam bellum ac malum Iudææ ciuitatibus intulerant; vehementer gaudebant, quòd, extincto Vzia, ſibi nihil ampliùs à Iudæis metuendum, imò magnas tum victorias, tum prædas ſperandas arbitrabantur. Eo, inquam,*

*tempore*

*tempore, paulo ante mortem Achaz regis, vaticinium in hæc verba atque in hanc ſententiam ad Palæſtinos perferendum curauit Iſaias:*

Ne læteris Philiſthæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui.

V Z I A S *Rex ex Ieſſe ac Dauid genere, finitimos hoſtes Palæſtinos vehementer ac frequenter afflixit. S. S. E. Denique egreſſus eſt, & pugnauit* Paral. 26.
*contra Philiſtiim, & deſtruxit murum Geth, & murum Iabniæ, murúmque Azoti: ædificauit quoque oppida in Azoto, & in Philiſtiim, & adiuuit eum Dominus contra Philiſtiim. atque hanc conditionem Palæſtini toto tempore Vziæ & Ioathan filij eius tulerunt. Poſtea verò, regnante Achaz, ijdem Palæſtini (vt homines præſentium tantùm rerum ſenſu ducti ſolent) lætati ſunt, quòd cõminuta eſſet virga percuſſoris eorum: hoc eſt, vt Chaldæus rectè exponit, quòd confractum eſſet regnum, cui ſeruiebant: non ſolùm enim Vziæ morte, ſed ipſorum in Iudæam regionem inuaſione confractum fuerat & comminutum Iudæorum, quibus antea ſeruiebant, regnum. Sic enim ſcriptum eſt: Veneruntq́; Idumæi, & percuſſerunt mul-* Paral. 28.
*tos ex Iuda, & ceperunt prædam magnam. Philiſtiim quoque diffuſi ſunt per vrbes campeſtres, & ad Meridiem Iudæ, ceperuntq́; Bethſames, & Ayallon, & Gaderoth, Socho quoque, & Thamna, & Ganizo cum viculis ſuis: & habitauerunt in eis. Humiliauerat enim Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda: eò quòd nudaſſet eum, & contemptui habuiſſet Dominum. Hanc humiliationem, Iudæ regni confractionem & imminutionem eſſe arbitrati Palæſtini, publica lætitia proſequebantur: ſingulis enim oppidis aut vrbibus captis, feſtos ludos publicè committebant, vt in gentium conſuetudine olim fuit: & ludendi ac lætitiæ argumentũ illud erat, quòd comminuta eſſet virga percuſſoris ipſorum, hoc eſt, regnum Iudæorum, quibus illi ſeruiebant, illorum & aliarum etiam gentium virtute eſſet confractum; atq́; adeò omnino minuendum & perdendum ipſiſmet ſperaretur. Huiuſmodi autem lætitiam, quæ Achaz tempore Palæſtinis contigerat, labefactandam propediem fore, Iſaias prænunciabat, rationémque addebat lætitiæ illi adimendæ.*

De radice enim colubri egredietur regulus, & ſemen eius abſorbens volucrem.

B O N I *viri, qua ratione boni ſunt, apud eos quibus proſunt melioris notæ animantibus conferri ſolent: tamen cùm oratio ratioq́; ad eos, quibus infeſti fuerint boni viri, refertur, etiam à nocentibus, & horridioris naturæ rebus per ſimilitudinem & tranſlationem nomen accipiunt. Sic Iacob ex* Gen. 49.
*filiis ſuis, alium Rapacem lupum, alium Aſinum fortem, alium Ceraſtem in via, appellauit. Sic Chriſtus, qui Lapis angularis & ſalutaris in ſe credentibus eſt, aduerſus incredulos & malè obediẽtes, Offenſionis lapis, & ſcandali petra cognominatur. Sic hoc loco Vzias, qui Palæſtinorum vrbes diruerat, & poſitis oppidis atque conſtitutis tributis poſſederat, ſerpens prudens, aſtutus, atq́; efficax ab Iſaia per tranſlationem cognominatur: atque illius nepos Ezechias, qui maiori impetu ac vi, maioriq́; celeritate nullo vel*

 *damno*

*damno vel detrimento accepto, cladem Palæſtinis intulit, Regulus dicitur; ſiue, vt Græci interpretes verterũt, Aſpis; idq́; clariùs: namque vocem reddidere Hebraicam* SEPAGH, *ex qua* SPIS, *ſiue*, ASPIS *nata eſt, gutturali poſtrema in S, conuerſa, vti ſæpe fit, & admixta initio vocali, vt in alijs*
4.Reg.19. *multis obſeruari docuimus aliàs. Scriptum eſt autem de Ezechia: Ipſe per-*
» *cuſsit Philiſtæos vſque ad Gazam, & omnes terminos eorum à turre custo-*
» *dum, vſque ad ciuitatem munitam. Hanc Ezechiæ felicitatem, & in conficiendo celeritatem illis nominibus Iſaias ſignificauit:* Et ſemen eius abſorbens volucrem. *Id quod ſignificantiùs Hebraica verba indicant:* Et fructus eius exurens volans. *Sic ad verbũ Hebraica veritas habet; quam Græci Interpretes ita vertebant:* Καὶ τα ἐκγεῖνα αὐτῶν ἐξελεύαντοι ὀφεῖς πετώμενοι. *Et quoniam ex ſerpentum genere iuxta ſignificãdarum rerum rationem tranſlationum verba ceperat Vates, idem artificium ſecutus, nomina inuenit myſteriis indicandis oportuna,* SERAPH, MEGHOPHEPH. SERAPH, *à verbo deductum, quod idem eſt cum Latino* VRERE: *& ſerpentem ſui generis ſignificat, quod apud Græcos, retentis tribus radicalibus literis, quamquam inuerſis,* πρεστὴρ *vocatur. de quo Heroicus hiſtoricus:*

Lucanus. *Oraq́; diſtendens auidus ſpumantia preſter.*

*Idem etiam efficacitatis & virtutis præſtantia maxima excellentem Angelum indicat, cui pluralis appellatio eſt Seraphim. Duplex itaque nomen duplicis ſignificationis ac myſterij cauſa Vates vſurpauit: quod ad proximã, ac paulo pòſt futuram, atq; etiam ad remotam ſignificandam pertinere poſſet. Nam cùm Ezechiæ in conficienda aduerſus Palæſtinos re felicitatẽ & celeritatem ſignificare vellet, fructũ appellauit. At cuius generis fructum?* Abſorbentem, *ſiue*, Exurentem, *eundemq́; volucrem. Verborum expoſitionem ex re ipſa, videlicet ex illo ſerpentis preſteris genere, volanti ac celerrimo, ſiue ex ſignificatione exurentis & volãtis, ſiue volucris ſumamus; eadem omnino conſtabit ſententia. Seminis autem in noſtra verſione nomen non pro genere, ſed pro fructu ex Hebraico accipimus: fructum verò, opera, ſiue efficientiam, & res geſtas interpretamur. Atq; optimè & appoſitiſsimè Ezechias* SERAPH MEHHOPHEPH, *hoc eſt, Vrens volans, eſt appellatus: quippe qui erga hoſtes preſterem celerrimi ac celeberrimi, erga ſuos verò populos Seraph, inter Angelos efficaciſsimæ naturæ ac virtutis inſtar habuit, famaq́; gloria quàm longiſsimè latiſsimeq́; peruolauit. At verò quando alterum ſub hoc cortice myſterium latere indicauerimus, explicandum breuiter eſt, Palæſtinos populi Dei, atq; adeò diuini nominis hoſtes Iudaicarum rerum, quæ, Achaz regnante, confractæ erant, imminutione lætatos, cogitaſſe & ſperaſſe regnum illud extinctum propediem iri. Id autem ab Iſaia hac arcana oratione falſum eſſe oſtenditur, aiente ex illis regibus terrenis, atque ex illo terreno regno domus Dauid, quod Serpẽtis terreni atq; reptantis nomine ſignificabatur, aliud ſerpentis genus oriturum, cui nomen à virtute & efficientia* SEPHAGH *aptè imponeretur, cuiúſque facta & geſta duplici effectu eſſent admiranda: quòd his qui non crederent, & verbo Euangelij ipſius obedirent, Vrens volans, Ignis celerrimus eſſet;*

quem-

*quemadmodum de illo ſcriptum eſt: Iam ſecuris ad radicem arborum poſita* Matth. 3.
*eſt; Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonũ, excindetur, & in ignem* "
*mittetur. Idem etiam iis qui crederent & obedirent ſibi, Seraphim inter* "
*Angelos præſtantiſſimus & efficientiſſimus expurgationis & ſanctifica-*
*tionis virtute & efficientia fieret. S. S. E. Et ſtatim veniet ad templum* Malach. 3.
*ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos* "
*vultis. & paulo inferiùs. Ipſe enim quaſi ignis cõflans, & quaſi herba ful-* "
*lonum: & ſedebit conflans & emundans argentum, &c. Hanc arcanam* "
*myſterij huius ſignificationem diſertis verbis Chaldæus Paraphraſtes indicauit. Quoniam de filiis filiorum Ieſſe egredietur Chriſtus, & erunt opera eius in vobis quaſi ſerpens volans. Nomen* SEPHAGH*, fit à verbo quod ſecare, ſiue exſecare ſignificat; proprieq; impoſitum eſſe dicitur ei ſerpentum generi, quod matris vtero præſecto ortũ, alios ſerpentes, qui ſui generis non ſunt, occidit & interficit. Quàm aptè ea ſignificatione hoc loco Chriſtus depingatur, quis non videt? Quippe qui naturam ex qua natus eſt homo, abrupit & inſecuit, natus homo abſque patre homine, natus ex virgine, virginitate illæſa naturæ conſuetudine præciſa, ex regum terrenorum ſemine prognatus, regnum terrenum perrupit, & regnum cæleſte conſtituit: idem omnes eos, à quibus repulſus eſt, reſcidit, & verbo virtutis Euangelij obſcidit; quamobrem ſecuris à Ioanne eſt appellatus. Atqui victoriarum & felicitatis Ezechiæ regis euentum Iſraëliticis proſperum & ſecundum, Iſraelitarum verò hoſtibus, hoc eſt, Palæſtinis, aduerſum quos vaticinium hoc emiſſum eſt, calamitoſiſſimum fore, ſubiunctis verſibus Vates declarat.*

Et paſcentur primogenita pauperum, & pauperes fiducialiter requieſcent: & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.

I N *omni populo duo ad minimum ordines hominum ſunt: alter eſt eorum qui virtute vel ſplendore, & opibus aliis præſtant, alter verò tenuiorum, & communioris tum ingenij, tum ſtudij, & conditionis. In has duas claſſes diſtribuebantur olim Iſraëlitæ communi partitione: in has etiã Palæſtini ac cæteræ gentes. Vtramque conditionem tranſlatis verbis ſignificat Iſaias: à pecoribus enim ducta tranſlatione, Iudæos Palæſtinorum potentia, & Iſraëlitarum fratrum inſolentia Achazi tempore attenuatos, pauperes nominat: ſiue, vt Hebræa vox ſonat, Attenuatos. Sunt autem, vti in gregibus primogeniti, ita etiam inter homines hi, qui cæteris munere, virtute, vel dignitate excellunt, præſtantiores. Præcipui igitur inter pios, Ezechia regnante, erunt in populo, velut primogenita in pecoribus: paſcentur abundãti felicitate, & bonis rebus fruentur ſecuri atq; læti: & cætera etiam turba pauperum, minoris notæ grex pius, pauperes ſiue egeni, vti in Hebræo eſt,* Fiducialiter requieſcent, ſecuri cubabunt. *Eſt enim verbum* RABATS*, proprium animantum in pratis, paſtubus, ac ſiluis interdiu cubantum. Quietem igitur ac tranquillitatem regno Ezechiæ, hoſtibus verò oppreſſionem & calamitatem maximam futuram his tranſlationibus prædictam intelligimus: Namq; de præcipuis Palæſtinæ capitibus, qui ſua ſtragem,*

*gem propter opes & potentiam, atque ſui ipſorum diligenter cuſtodiam declinare poſſent, & domi aut in vrbibus manentes vitare, Radix Palæſtinorum dicuntur. hos in vrbibus concluſos fame perituros prænunciat; reliquum vulgus, quod laboribus & periculis obijci minùs parcè & clementer ſolet, reliquiæ à Vate dictæ, gladio Ezechiæ interiturum eſſe dicitur.* Et reliquias tuas interficiet, *ſiue*, occidet. *Vtraque efficientiæ ratio & pars ad Chriſtum efficaciſsimum relata, faciles habet explicatus: cùm pauperes in ea ratione dicantur pauperes ſpiritu, quorum eſt regnum cælorum: inter quos primogeniti ſunt Apoſtoli, & alij Chriſtiani populi præcipui miniſtri, & reliquus populus omnis tam ex Gentibus, quàm ex Iudæis, qui Chriſto nomen dederint, & Chriſtianum officium præſtiterint, pauperes appel-*
" *lentur, iuxta illud: Noli timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro*
" *dare vobis regnum. Rurſus verò ij, qui Chriſti regnum auerſati fuerint, vel detrectauerint, ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus, tum ſummos, tum infimos, illi fame verbi Dei, hi deteſtatione & execratione interficiendi perdendiq́; eſſe prædicuntur; vt vnuſquiſque hac denunciatione in ſuam ſalutem vſus ſibi ipſi proſpiciat. Rectè admodũ in hanc ſententiam Chaldaicè exponuntur verſus hi:* Et paſcẽtur pauperes populi, & mites in diebus eius habitabunt confidenter: & occidet fame filios tuos, & reſiduum populi tui interficiet. *Interficiat, tertia perſona eſt in Hebræo, vt Græci etiam indicauere. Hoc autem vaticinium quamquam antea Prophetæ, hoc eſt, anno quo mortuus eſt Achaz, fuerit creditum, atq; etiam ad Palæſtinos miſſum; oportunè tamen hoc loco non ex temporis obſeruatione, ſed ex rerũ ſerie fuit inductũ: vbi de rebus Ezechiæ regnum ſpectantibus, agebatur. Illam autem communem tam Palæſtinis ſummis principibus, quàm populis omnibus, eandemq́; grauiſsimam cladem fore, ſignificans Propheta ait:*

Vlula porta, clama ciuitas: proſtrata eſt Philiſthæa omnis.

Ex *locorum appellatione hominum ordines & conditiones cognoſci, in libro Ioſeph abundè docuimus. Erant olim portæ vrbium, principum, magiſtratuum, & ſummorum virorum conſeſsibus dicatæ. Ciuitas verò cæteram omnem multitudinem promiſcuè continet: vtrique autem hominum conditioni malum obnunciatur, cum denunciatione magni luctus & clamoris publici ob calamitatẽ ineuitabilem & inſuperabilẽ.* Vlulate, *inquit*, & clamate. *Tam primores populi, quàm populus ipſe omnis, quibus nullæ vires ad reſiſtendum, nullæ ad oppugnandum, aut propugnandũ valituræ ſint.* Proſtrata enim eſt Philiſtæa omnis. *Omnis prorſus, nulla parte excepta, verbum Hebraicũ ſignificat*, Liquefacta eſt. *pertinetq́; ad animi demiſsionẽ: quo etiã Rahab Ierichuntis illa tabernaria in eandẽ ſententiã vſa eſt. Etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Hac oratione omnẽ ſpẽ Palæſtinis ademit Vates, calamitatis vel bellica virtute incidendæ, vel pacis conditionibus, internunciis, & pactis leuandæ, vtpote auctore Deo decretæ, conſtitutæ, & per principem Ezechiam vltorem afferendæ magno conſilio & robore. qua in re explicanda, deſcriptione vtitur cœptis tranſlationibus accommoda.*

[Margin: Appar. Sacr. lib. Ioſeph.]
[Margin: Ioſue 2.]

Ab Aquilone enim fumus venit, & non eſt qui effugiat agmẽ eius.

Ex *his qui vicino & propinquo igne corripiuntur, faciliùs cuadunt, qui fumum declinare poſſunt; nam fumus ipſam ignis flammam præcedens obuiorum ſenſus occupat, & animos turbat; atq; adeò corripit, vt multos antè caloris etiam ſenſum opprimat, & ſuffocet, ceteros verò impediat, & vinciat; flammisq; acceſſuris, veluti retineat: in fumo enim nihil videre, nihil audire, malè reſpirare quiſquam valet. Reſpiratio enim ſicca & calida, atq; acris, vitalem extinguit & præfocat ſpiritum: eiuſmodi autem in fumo reſpiratio fit, ideoq; moleſtiſſima eſt. Occupatiſſimos itaq; hac oratione ait vates fore Palæſtinorum ſenſus & conſilij omnino inopes, cùm ex Septentrione, virtute, & auctoritate diuina, emiſſus Ezechiæ exercitus, oppreſſurus eſſet: ita vt nemo fumi illius agmen effugere poſſit. Aquilonem autem rectiſſimè vocari Palæſtinorum regionem ad Iudææ ſitum relatam, facilè diſcet, qui noſtrum Canaam legerit, in quo gentium illius terræ ſedes ſacræ lectionis obſeruatione indicauimus. Et quoniam vehemẽtiſſimus omnium ventorum Aquilo eſt, fumumq; maxima vi ac celeritate impellit, neque in certum locum, ſed in omnes partes protrudit, ad Meridiem, Occaſum, & Ortum, id quod naturam obſeruantibus compertum eſt, & iis etiam, qui in mari nauigant, videntibus eodem Aquilonis impulſu quatuor naues in oppoſitas regiones tendere, ex loco atq; venti nomine ſignificauit Propheta fumum illum per omnia Palæſtinæ loca peruaſurum. Atque hoc diuinum aduerſus Palæſtinos conſilium certiſſimum & conſtantiſſimum eſſe, definitisq; temporibus re ipſa edendum fore, adiuncta expoſitione Iſaias confirmat.* Et non eſt qui effugiat agmen eius. *Hanc verſionem ſic exponimus: Non erit vlla pars fumi, quæ deſit, & agmen ipſum totius fumi relinquat, ſed integra nube fumus loca omnia occupabit, & infeſtabit. & cùm fumus exercitum aut cladem ac damna fumo allata ſignificet, facilè intelligimus quid hæc oratio indicet. Verùm apertior nobis ſententia erit ex orationis verſione ad verbum:* Et non fingens in temporibus ſuis. *Verbum Fingens vertimus ex* BODED, *affine omnino voce & ſignificatione verbo* BADAD, *&* BADA. *alterum, Solitarium & ſingularem eſſe; alterum, A communi & certa ratione deeſſe, ſignificat: atq; hæ ſignificationes ſibi inuicem ſuccedunt. Ex hoc themate facta ſunt Hiſpanica verba:* Baldar, en balde, de bald, baldio, &c. *Porrò illud quod additur,* In temporibus ſuis; *certa tempora præſcripta ac definita ſignificat: cuiuſmodi ſunt, Veris, Æſtatis, Autumni, & Hyemis initia, ſementis ac meſſis, & vindemiæ, & huius generis alia. Condictos etiam nundinarum & iudiciorum dies idem verbum ſignificat.* MOGHED, *Hiſpanicè* Plazos *dicimus. Ait igitur Iſaias fumum illum ab Aquilone eſſe excitandum & impellendum: at verò Aquilonis ipſius ſtata à Deo, & condicta tempora non fore vana, vel ficta, vel fruſtranda. Quamquam enim non ſemper Aquilo ſpiret, non Africus ſemper ventus, tamen non ideo expectandi numquam ſunt, quandoquidem ſua habent tempora, quæ non prætermittent ipſi.* No baldaran en ſus plazos. *Sic Hiſpanè hæc oratio ſonat. Facile autem eſt nunc orationum harum ſententia*

Appar. Sacr. lib. Canaam.

*tentia priore cognita, poſteriorem & arcanum ſenſum explicare, hoc modo Palæſtini gens ob vanum Deorum cultum, & varia ac plura ſcelera Deo inuiſa, Dei populo vehementer infenſa & infeſta, Iſraëliticarum rerum imminutione valdè lætabatur, & totum Iſraëliticum populũ perdere perpetuò cupiebat. Deus autẽ, qui Iſraëlitas ſingulariter fouebat, propter promiſſa illorum parentibus facta, in quibus continebatur ſingulare illud beneficium Chriſti ex illorum gente carnem noſtram ſuſcepturi, & ſalutem omni orbi allaturi: huius rei cauſa Deus Iſraëliticum populum, tametſi propter ſcelera & offenſiones interdum punitum & correptum, tamen ad finem vſque ſeculorum veteris Teſtamenti conſeruabat & fouebat, ac per bonos interdum reges & miniſtros aduerſariorũ potentia & viribus fractis tuebatur. Id autem perpetuò efficiendum eſſe, Vates hoc loco affirmat; vt ex illis regibus quos Palæſtini oderant, ſoboles procreentur, ipſis Palæſtinis infenſæ: ex quibus tandem Meſſias ille* SEPAGH, SERAPH, *orire tur; qui ab Ieroſolymis incipiens, Euangelij notitiam & virtutem per omnem terram propagaret, atque infidelium populorum ſuperbiam contunderet, vanos Deorum aboleret cultus. Id autem ab occulto & inperſcrutabili Dei conſilio, quod nomine* SAPHON, *id eſt, Aquilonis, intelligimus, edendum eſſe: in cuius certis & ſtatis temporibus nihil impedimenti aut retardationis, aut vanitatis vmquam erit, quo minùs res ipſa, quemadmodum propoſita & conſtituta iam fuit, explicetur. Ideo non ſine magna myſterij huius ſignificatione Vates pluraliter dixit, tẽporibus ſuis. Iudææ aut Iſraëlis regio nuſquam in ſacris libris ( quod obſeruatum à nobis fuerit ) Palæſtina vocatur; ſed ea tantùm ora maritima, quam nos deſcripſimus à Tyri & Sydonis terminis, vſque ad Gazæ regnum: quæ cùm nauigantibus ex Italia & Græcia prima cõtinentis terræ oſtenderetur, toti regioni etiam vicinæ nomen dabat, ſed id verò ex errore; ex quo nihil argumenti nos petendum eſſe ducimus ad veritatem ſtatuendam. Palæſtinam igitur propriè interpretamur pro regionis illius gente, & iis etiam qui gentis eiuſdem errores moréſque ſequerentur. Atque adeò hoc Dei decretum non ſolùm ſtabile ac certum, ſed omnibus Dei voluntatem cognituris, probandum admirandumq́ue fore, Vates declarat:*

Et quid reſpondebũt nuncij gentis? quia Dominus fundauit Sion, & in ipſa ſperabunt pauperes populi eius.

ORATIONIS *huius ſententia aperta eſt iis, qui expoſitionẽ noſtram ſequentur: in promptu eſſe reſponſum iis, qui rogarint quemadmodum cum Iſraëlitis ageretur, qui viderentur aliàs afflicti & protriti, nunc denuò reſtituti & inſtaurati? Reſponſum nimirũ illud fore, Non poſſe perire Sion, hoc eſt, Eccleſiam illam à Deo fundatam & inſtitutam; primùm ſalutis publicæ expediendæ, deinde etiam communicandæ & propagandæ cauſa. Quamquam enim multi ex Iſraëlitis olim ſecundùm carnem perierint, quamquã multi ex Chriſtianis aberrantes & degenerantes deſiderati fuerint: tamen Sion illa terrena ad promiſſionum terrenarum expeditionem fundata, à Deo vſque ad finem promouenda & conſeruanda erat: nec minùs*

nus verò ſpiritualis illa Sion in domum & ſedem diuinæ maieſtatis fundata & conſtituta, omnibus aduerſariis ſuperatis, conſeruanda erat. & pauperes populi eius quamuis afflicti, quamuis omnibus terrenis commoditatibus ſpoliati, tamen conſtantiæ ſuæ fundamenta iacient in ipſa ſiue Eccleſia à Deo fundata, ſiue fundatione Sionis: namq; ad vtrumq; referri poteſt pronomen Hebraicum, quod Latinus reddit, ipſa, abſque vllo ſententiæ diſpendio. Sed quínam ſint hi nuncij gentis, quos cùm non declaret vates, diuinandos variè variis interpretibus reliquiſſe videtur, à nobis breuiter indicabitur. Certũ enim in primis eſt, gentis, numero ſingulari Hebraicè pronunciatum nomen, Palæſtinam ipſam gentem ſignificare; aduerſum quam hoc vaticinium nominatim eſt editum. Nuncij autem in plurali numero, nobis Angelos hoc loco ſignificant: quia nomen Hebraicum idem & nũciis & angelis eſt. Sunt ergo Angeli illi qui Palæſtinæ gentis curæ & miniſterio præfecti fuere; vti regionibus ſingulis ex Danielis libro ſuos accepimus eſſe præfectos & conſtitutos. Voluit itaq; oratione hac ſignificare Vates, Sionis proſperitatem non ſolùm ab hoſtili gente impediri non poſſe, ſed neque ab ipſis ſuperioribus gentis curatoribus & principibus, quibus gentis illius cuſtodia obtigit, vlla ratione aut oratione eleuari aut reprehendi poſſe. Nam ſi maximè gentes diuinũ conſilium vel non cognoſcant, vel cognitum non æquo animo aliquando ferant, tamen Angeli, quamuis gẽtibus ſuæ curæ commiſſis & conſulentes, & fauentes, numquam non cognoſcunt, & cognitum, numquam non probant, & ſequuntur. Si rogentur, inquit, illius gẽtis Angeli, Quid eſt hoc quòd toties reſtituitur Sion, & nos, qui videbamur iam florere, marceſcimus? Reſpondebunt: Quia Dominus fundauit Sion, &c. Et quamquam afflicti & pauperes in illa vix ſuperſint, tamen immobile fidutiæ ſuæ firmamentum habent, veritatem hanc, & voluntatem diuinam, cui obſequi Angeli omnes debent.

## CAPVT XV.

ONVS Moab, quia nocte vaſtata eſt Ar-Moab, conticuit: quia nocte vaſtatus eſt Murus-Moab, conticuit.

MOABITARVM *Deo inuiſi, & piis Deiq; cultoribus infenſi populi euerſionem repentinam & inopinatam à Senacheribo inferendam, diuino iudicio conſtitutam, oraculo præcognitam, hac epiſtola prædicendam curauit Vates; quam, Onus, nomine, ob eas, quas iam ſæpè docuimus, rationes inſcripſit. Chaldæus Paraphraſtes ita interpretatus eſt:* Onus calicis maledictionis ad propinandum Moab. *Moabitæ ex Loti poſteritate fuere, Iſraëlitis genere & cognatione proximi, pertinaciter tamen infenſi, & ad ruinam inferendam, vel ab aliis illatam promouendam, nimium prompti. Quæ mala autem per vicinos & finitimos Iſraëlitarum populo afferebantur, quamuis à Deo, ob populi ipſius culpam, permiſſa eſſent, tamen ad nominis ſui offenſionem illata, Deus iuſtus iudex agnoſcebat: quippe maxima ſimultatis & odij cauſa inter finitimas illas gẽtes aduerſus Iſraëlitas erat*

*religionis & cultus diuerſitas, quòd ſinguli ſuos Deos amarent, & colerēt;
Iſraëlitarum autem Deum aut horrerent, aut odio haberent: illiusq́; conſi-
lium de populo illo in illa regione amplificando, iniquo ferrent animo. Id
verò Sathanæ calliditate fiebat, qui magnum illud de humana ſalute conſi-
lium ac propoſitū omni aſtu, dolo, fraude, conatu, ſtudio, infringere aut im-
pedire moliebatur. Hæc autem cauſa eſt quamobrem Deus illatas populo illi
ab aliis iniurias ſæpiſſimè vlciſcendas, & prædici per Vates iubebat, &
ipſe ſuſcipiebat: non qui Iudæos, eo ipſo quòd Iudæi ſecūdùm carnem eſſent,
& multi fortaſſe ex illis cæteris gentibus morum prauitate deteriores, val-
de præ cæteris gentibus diligeret; ſed quòd gentem illam certæ miſericordiæ
conſilio ea cauſa delegiſſet, vt in lucem gentium poſitam, veluti theatrum
quoddam in mundo conſtitueret, ad maximum illud ſalutis publicæ benefi-
» cium edendum S.S.E. Poſui te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea vſque ad
» extremū terræ. His accedit, quòd nunquam tātum à fide & à via maiorum
populus ille aberrauit, quin aliquot viros bonos & pios haberet, à quibus &
Eccleſiæ Dei ſanctitas, & verum Iſraëlis nomen, prout illa ſecula ferebāt,
retineretur, & conſeruaretur. Quam quidem ob rem, dum Deus Iſraëli-
tarum rebus conſulturum ſe ait, dum illorum hoſtibus ruinam & calami-
tatem minatur; eò tendunt omnia, atq́; in eam partem interpretanda ſunt,
vt propoſitum à ſe conſilium perpetuò firmatum iri doceat, & definiat, ſiue
boni omnes Iſraëlitæ fuerint, ſiue plerique ex illis mali euaſerint, & ſua
culpa degenerantes perierint, tamen inceptum à ſe opus non deſeret aut*
Ioan.1. *intermittet, ſed propoſitum vrgebit ſuum. Namq́; lux in tenebris lucet, &
» tenebræ eam non comprehenderunt. Hoc eſt quod apertis verbis hic idē va-*
Iſaiæ 62. *tes Dei nomine ſignificauit. Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem
» non quieſcam; donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt
» lampas accendatur: & videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti Reges in-
» clytum tuum. Hoc ſemel admonuiſſe ſatis fuerit iis qui Scripturarum ſa-
crarum interpretationem ex veritatis ac rerum ſimplicitate, & nō ex con-
tentionis ſtudio petunt. Namq́; alterius certior, facilior, ac ſuauior, minúſ-
que laborioſa ratio eſt, magnusq́; lectionis fructus percipitur; alterius verò
magna difficultas, perpetua anxietas, nulla quies, nulla legendi vſura, nul-
la voluptas, præter eam quæ ex maledicentia capitur: quæ quanta ſit, nobis
hactenus non conſtat; quàm verò à Chriſtiano pectore & ingenio ac ſin-
cero animo aliena, ſatis piis omnibus eſt compertum. Fuere multi, & hodie
ſunt, qui, vel proprio ſui ipſorū amore, vel populari ac vulgari, neſcio quo,
in Iudæos odio, non patiuntur quicquam in ſacrorum librorum interpre-
tatione ad Iudæos, niſi maledicentiæ cauſa, referri; atq́; in ea re miſerè tor-
quentur, impenſeq́; deſudant deriuandis orationibus ac verbis omnibus, ne
qua vtilitatis, ornamenti, aut honoris, ne qua mentionis pars imprudenti-
bus ipſis erumpens ac diffluens, Iudæorum vel Iſraëlitarum attingat res:
omnia verò detrimenta, recrementa, rudera, ſaxa, ligna, inutilia & noxia
omnia, quæcumque ipſi talia exiſtiment, vel in alias gentes aut nationes ia-
cta excipiant, conuerrant, in Iudæos proiiciant, iniiciant, diſiiciant, & quo-*

*cumque modo torqueant: nihílque omnibus ſcripturis vel commodius, vel melius ſibi ſuppeditari poſſe putent, quàm arma & materies quibus miſeros Iudæos ſatis & peccatis ſuis, & hominum vulgari odio oppreſſos, obruant: & apud Chriſtianos magis in dies ac magis inuidia laborare cogant eos, qui ſimplicius genus interpretandi obſeruant, & ſuas cuique vel genti, vel rei partes diſtribuunt: ſi quando aliquid Iudæorum rebus deferre viderint, Iudaizantes paßim per ſummam contumeliam proclamẽt; hac fortaßè ratione, vti arbitramur, magnum Deo obſequium ſeſe exhibere credentes. Zelum enim Dei hos habere non planè cognouimus (neque enim illa Apoſtolorum virtute ad ſpiritus diſcernendos adeò præditi ſumus) tamen veræ ſcientiæ fundamentis non niti, ſatis apertè nouimus. Si enim huiuſmodi docti viri ſcirent cuius ſpiritus eſſent, & eſſe deberent; intelligerẽt profectò quàm religioſè Scripturis ſacris vti oporteret; quatenus ſua amare, aliena odiſſe expediret; quemadmodum Iudæorum perfidiam lugere ac deprecari deceret, antiquam eorum, qui ex illis iam periere, tum cæcitatem, tum ruinam miſerari; eorum verò qui ſuperſtites ſunt, quiq́; in poſterum ſtabunt, illuminationem & ſalutem orare, poſtulare, & procurare. Atque id etiã (quod maximè expediat) ſe, dum Iudæorũ mores, errores, antiquam malignitatem, ac præſentem indurationem damnant, ſeuerum aduerſus ſemetipſos iudicium ſtatuere. Propter quod inexcuſabilis es, ô homo, omnis* Heb.2.
*qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas; eadem enim* "
*agis, quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt ſecundùm veri-* "
*tatem in eos, qui talia agunt. Ideo & in huius Vatis Commentariis, & ſæpè aliàs admonuimus, quidquid aduerſus Iſraëlitas vel in bonum, vel in malum, commodum vel incommodum, ſcriptum fuerit, ad nos etiam Chriſtianos propriè pertinere, propter quorum doctrinã omnia hæc ſcripta ſunt, & in quos illorum ſecula deuenerunt. Nos itaq; ita de aliorum ſcriptis iudicabimus, vt ſingulorum animos Deo, cui ſtant vel cadunt, iudicandos permittẽtes, rationes quas laude dignas apertè cognouerimus, amplexi probemus: quas verò non ita cum re ipſa & veritate, vel cum mentis noſtræ æſtimatione conuenire putabimus, boni conſulamus; & veritate, quantum in nobis fuerit, obſeruata & indicata, aut ſaltem ſimpliciori ſententia ſuſcepta, de cæteris nimis ſtudioſè vel ambitioſè refellendis rationibus ac modis minimè laboremus. Noſtris verò cùm Commentariis tum Scriptis eam fidem adhiberi cupiamus, quam vel aperta orationis ipſius ac rerum ratio, vel ſacrorum verborum & teſtimoniorum auctoritas poſtulet; nullã nobiſmetipſis vel ingenij, vel ſtudij, vel eo, in quo apud Eccleſiam ſumus, loci nomine arrogantes; ſed lectoribus, quo ad maiori lumine illuſtrari, & Spiritus diuini efficientia ad reconditam rerum veritatem penetrare contingat, præcipuam legendis & probandis noſtris rationem ex rerum, quas diſputabimus veritate & natura, maximè verò ex ipſorum diuinorum oraculorum ſimplici ſequaci ſententia peti cum vno ex præceptoribus D. Petro ſuademus. S. S. E. Habemus firmiorem Propheticum ſermonem: Cui benè* 2. Pet. 1.
*facitis attendentes quaſi lucernæ ardenti in caliginoſo loco, donec dies illu-* "

 *ceſcat,*

*ceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris. Itaque nullius gentis, nullarúmve partium præcipuè ſtudioſi, dum ſacras litteras vel interpretando, vel diſputando, vel aliàs docendo tractamus; primùm ſimplici, & ad perſonas, vel res ipſas pro temporum ratione relato ſenſu, quantum præſtare poſſumus, vtemur: deinde iis, quas ad Chriſtum, Chriſtiq́; actiones pertinere cognouerimus, partibus indicandis, aut deducendis, aut aptandis, pro loci & ingenij noſtri modulis, Deo nobis propitio, ſedulam operam dabimus: &, quod præcipuum nobis eſt negotium, omnia ad noſtram Chriſtianorum vtilitatem deſtinata, arripere & adaptare ſtudebimus. His itaq; quæ ad hanc rationem faciunt, in totum opus hoc ſemel defuncti, ad noſtrum interpretandi munus redeamus. Repentinam & improuiſam Moabitarum vaſtationē ſignificare, hac oratione Vates voluit:* Quia nocte vaſtata eſt Har-Moab, conticuit. *Duæ præcipuè illuſtres ac potentes Moabitarum vrbes fuere* GHAR, & KIR, *vti in Geographia ſacra docuimus; quas adeò repentè, adeò celeriter vaſtandas eſſe, præuiderat Vates; vt nocte, ac tāquam dormientibus incolis, nihilq́; ſentientibus, neque calamitatem ſuam vel tumultu aliquo impedire valentibus, actam fuiſſe rem, dicere poſſumus. Alludit hæc oratio ad eam quam Deus apud Ionam pronunciauit de ricini planta, quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte periit. Atq; lectionis ipſius ſimplicitas id indicare videtur, quod interpretes omnes affirmant: videlicet, vtramque vrbem eadem nocte fuiſſe vaſtatam; quibus quòd omnis Moabitarum regio, vti præcipuis atque munitiſsimis, niteretur, tunc repentè exciſis atque vaſtatis, illa etiam omnis, ac ſi nulla iam eſſet, conticuit & ſiluit. ſic enim hunc verſum depingimus:* Quia nocte vaſtata eſt Ar Moab, conticuit. *Cauſam quamobrem Moabitis regio omnis nullo ſtrepitu, nulloq́; tumultu perierit, duarum illarum maximarum vrbium vaſtationem eſſe ait. Latinus interpres pro,* KIR, *Murus ſcripſit, ſignificationem ipſam reſpiciens. Erat enim* KIR *maxima inter Moabitidis regionis vrbes, quam nonnumquam pluraliter appellatam legimus, Kerioth, vt Athenas, Brugas, & Bruxellas. Sic apud Amoſum: Et mittam ignem in » Moab, & deuorabit ædes Cherioth. Quoniam verò* KIR, *& ciuitatem ſignificat & murum, Interpres noſter murum vertit: illud nimirum indicans, totam Moabitidem regionem ciuitate illa, quæ communis cuiuſdam muri inſtar habuerat, diruta, exciſam fuiſſe. Quam Ar Iſaias vocat, poſteriora tempora Lain, dixere; nam Chaldæus interpres, Lebhaiath, eandem ſcripſit. Quoniam verò duabus illis vrbibus vaſtatis, cæteras omnes minùs illis celebres & potentes perituras eſſe, facilè conijci poterat; ideo Iſaias, præuidens quod futurum erat; calamitatem illam & cladem, communémque vaſtationem nondum abſolutam, femineo eiulatu & planctu à Moabitis excipiendam eſſe ait.*

Appr. Sacr. lib. Phaleg. & Ghanaan.

Ionæ 4.

Amos 1.

Aſcendit domus & Dibon ad excelſa in planctum: ſuper Nabo, & ſuper Medaba, Moab vlulabit.

DOMVS, *in accuſatiuo plurali legendum arbitramur apud interpretem noſtrum; namq; Hebraica oratio accuſatiuum indicat, quamquam ſingula-*

*gularem. Moab, inquit, cùm vaſtatæ eſſent illi duæ vrbes, aſcendit ædem Deorum ſuorum (vt fieri ſolet in afflictiſsimis rebus) & in ſupremo ædis illius templo ac loco Dibon dicto, altaria petiit ad lugendum ſuper reliquas iam planè deſperatas vrbes Nabo & Medaba: atq; ex illis locis ſublimibus Moab calamitatem ſuam vlulabit, feminarumq; luctum Moabitæ præſtabunt.* Excelſa, *altaria exponimus; & ita interpretes Græci explicuerunt: Vbi altare veſtrum. idq; perpetuum nobis ferè erit, vt Excelſorum nomine altaria intelligamus: eadem namq; ſignificatione &* BAMOTH *Hebraicè, & Altarium Latinè eſt.* Dibon, *ſupremam vrbis partem exponimus. At verò hunc Moabitarum multorum luctum, non ſolùm imbellis ætas & ſexus, ſed viri omnes, & mæſtitiæ magnæ ſignificanti habitu proſecuturi eſſe dicuntur. Namq; illam femineam ad ſe defendendum imbecillitatem femineus eiulatus conſequetur. nemo propugnaturus, nemo dimicaturus vt fortis vir, omnes templa & altaria petent, vti feminæ, imbelle vulgus.*

In cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.

INTER *mæſtiſsimos triſtium ac dolentium hominum geſtus & habitus, capillorum lacerationem, & barbæ euulſionem in Apparatu ſacro recenſuimus: quia huiuſmodi impatientis animi æſtuationibus corpus ipſum & corporis nobiliſsima pars caput & os læditur, reliquus verò corporis habitus, horridus & lugubris, vbi illa præceſſere, ex vſu & conſuetudine conſequitur. Cùm enim illi neque pugnare, neque ſeſe regionemq; ſuam defendere poſsint, ad templa confugient, eiulatu magno omnia loca complebunt; & tamquam feminæ filiorũ funera ſecutæ habitus lugubres induent, templorum tecta aſcendent, omnia loca planctu eiulatuq; ſonabunt.* Lib. Ieremiæ

In triuiis eius accincti ſunt ſacco: ſuper tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus deſcendet in fletum.

SVPER tecta eius, *tecta templorum, & ædium, & ædicularum,* Omnis vlulatus: *Hebraicè ad verbum, Omnis ille vlulabit; deſcendet in fletum. Singuli vlulabunt, & eiulabunt; ac tandem eiulatum illum cùm contenta voce edere iam nequibunt,* deſcendent in fletum: *ita remiſsiores atque imbecilliores animo & viribus ſemper erunt. Tantus autem clamor, tam vehemens eiulatus, tam frequens omnium & contenta vox, vt ſimul coniuncta procul diſtantes finitimarum regionum vrbes perueniat Elghalè, & Iaſſa, quæ in Galaditide prouincia à filiis Ruben tenebãtur. Neque verò imbelle vulgus tantùm, ſed omnes etiam eos qui fortiſsimi viri, & armorum vſu exercitatiſsimi haberentur, ſimili pauore ac dolore correptos, & omnes, & ſingulos luctui & eiulatui tantùm operã daturos eſſe, Vates ait:*

Super hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius eiulabit ſibi.

EXPEDITI *Moab, vt rectè Paraphraſtes expoſuit, armati & accincti: vnuſquiſque enim eorum iam non de communi, ſed de propria ſua ipſius ſalute cogitabit, neque Moabitarum publicæ rei auxilium vllum aliud afferre poterit, tantum planctum & eiulatum in commune afferet: ſingulorũ autem interim luctus externæ lamentationes cient publicè; quibus illius regionis prior felicitas, & poſterior hanc ſecutus caſus, deploretur.* Anima

eius

eius vlulabit ſibi. *Totius Moab internus luctus huiuſmodi elegiam magno vlulatu & eiulatu exprimet:*

Cor meum ad Moab clamabit, vectes eius vſque ad Segor vitulam conſternantem. per aſcenſum enim Luith flens aſcendet, & in via Oronaim clamorem contritionis leuabunt.

MAGNO *clamore, atque interno animi & cordis doloris indice Moabitarum caſum lugebo; huiusq; luctus duo argumenta erunt: præſens videlicet calamitas, & præteritæ felicitatis recordatio. Adeò enim exterritos, pauidos, ac turbatos illius fugitiuos video, qui alias magnas vrbes, in ſua regione ſitas, petant: ſed tamquam pater ipſorum Loth olim, Sodoma euerſa, fecit; ad exiguum oppidum Segor, ſiue, Soghar confugiant, quippe cùm omnia alia euertenda eſſe putant. Sic enim Loth apud Angelos de ſalute ſua* Gen. 19. *agebat: Eſt ciuitas hæc iuxtà, ad quam poſſum confugere, parŭa, & ſaluabor in ea. Numquid non modica eſt, & viuet anima mea? Redit autem Elegia ad priorem partē, iuxta Elegiacæ orationis figuras: quibus magna conſtantia eſt, non conſtare argumento vno, ſed ad propoſita argumenta, interpellato ſermone, recurrere: ad proſperitatem itaq; Moabitidis regionis indicandam, ait:* Vitulam conternantem, *ſiue* conſternantem. *Trima vitula hoc Epitheto ſignificatur, vti clarè Græci interpretes expoſuerunt: eſt enim illa ætas in vitulis commendata, ob carnis pinguedinisq; commoditatem; & eo in tempore iuuenci ſani ſunt & pingues. ſic Moab omnibus rebus abundans, beata ſibi videbatur illa regio, quam repentinus vaſtator inuadens diripuit Senacherib. Fugam autem illorum & trepidationem atque dolorem iterum elegia repetit: oſtendens illos duabus viis in Sogar fugiiſſe,* In Appar. Sac. lib. Canaan, & caleb. *flentes & eiulantes. altera per aſcenſum Luit, qui & mons & oppidū eſſe dicitur, & per viam Horonaim, hoc eſt, duarum Horon, ſuperioris & inferioris; quæ in ipſa Moabitarum regione erant. Omnia hæc loca fugientium & lugentium frequenti clamore impleta eſſe, Elegia commemorat; atque gentis illius huiuſmodi conditionem eſſe demonſtrat: regionis verò ipſius paulo antè beatæ ac florentis, vtpote riuis deductis irriguæ, magnam vaſtitatem ariditatemq; conſecutam, deplorat.*

Aquæ enim Nemrim deſertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.

NEMRIM, *fluuius in Moabitide regione, felicis & ad irrigandos agros habilis aquæ; ex quo deducti riui, terram fertiliſſimam reddebant; quæ poſtea, deſiderato cultore, in ſterilitatem redacta eſt; ſicut à Ieremia etiam eſt* Ierem. 45. *prædictum: Deſcende de gloria, & ſede in ſiti, habitatio filiæ Dibon: quoniam vaſtator Moab aſcendet ad te. & paulo pòſt idem vates ait: Aquæ enim Nimrim peſſimæ erunt; ſiue ad ariditates erunt: idem enim verbum illic Hieremias, & hîc Iſaias vſurparunt* MESSAMOTH, *Exhalationes, ſiue vapores, quæ priùs irrigatione vtiles erant, nunc pereuntes, & incertis alueis fluentes, tantū erunt ad flatus & exhalationes à ſole extractas, dum in alueo ſunt; aut exhalationes peſſimas, vbi in mortuum mare deuenerint. Ex aquarum defectu germen, fœniq; omnis iumentis & oleris hominibus vtilis*

*vtilis genus omne interiiſſe ait. Hunc adeò tantæ proſperitatis, tantæ dilatationis terminorum vſum fore, Elegia commemorat.*

Secundùm magnitudinem operis & viſitatio eorum: ad torrentem ſalicum ducent eos.

DIFFICILIS *viſus eſt locus hic expoſitoribus omnibus, quibus Elegiæ fortaſſis nõ obſeruata ratio fuit: eſt enim nobis figura in ſimilibus orationibus frequens expoſitio, Ironica dicta. vt illud: Et relinquent alieni diuitias ſuas; & ſepulchra eorum domus illorum in æternum, &c. Et apud externos: En queis conſeuimus agros, Inſere nunc Melibæe piros, pone ordine vites. Locus Hebraicè ſic habet. Ideo amplius fecit.* Et viſitatio, *ſiue*, mandatum eorum. *Super torrentem Gharabim ferent eos. Hoc, inquit, erat, propter quod non contentus Moab natiui ſoli vbertate, multis operis riuis deductis, & aquarũ irrigatione atq; aliis operibus, magna induſtria factis, regionem abundare, ampliusq; habere fecit; & iuriſdictionem ſuam, agriq; terminos, & prædiorum magnitudinem ſuper torrentem Arabum dilatauit: nam* GHARAB, *& Salices & Arabes ſignificat, & alia etiam vel dulcia, vel mixta. Cùm verò Moabitarum regio ad Arabum vſque tractus pertineret, ſententiæ ratio expoſitionem indicat ſuam. Quanto autem ſtudio Moabitæ res amplificauerint ſuas, apertè declarat Ieremias; ex cuius lectione hanc interpretationem produximus. Deducet eos ipſos Moabitas non contentos communibus aut exiguis prædiis & agris, deferent cupiditas, ambitio, & induſtria, vt ditionem ſuã, quam hic viſitationis nomine intelligimus, ſuper torrentem Arabum, ſiue Salicum proferant. Nihil autem obſtat quò minùs torrens ille & à Salicum copia & à finitimorum Arabum gente nomen acceperit. Græcorum, & noſtri interpretum verſionem accepimus. Ideo, inquit, hæc omnia loca dilatauerant Moabitæ, vt poſteà, rebus pereuntibus, maius eſſet ad clamores & luctus ſpatium: vbi enim priùs vindemiis faciundis, & fructibus colligendis, lætitiæ clamor longè lateq; extendebatur: ibidem longiùs etiam lugentium & clamantium lamenta audientur, hoc eſt quòd ſubiungitur:* Pſal. 45. "

Quoniam circuibit clamor terminum Moab: vſque ad Gallim vlulatus eius, & vſque ad puteum Elim clamor eius.

GALLIM, *ſiue Agallim, & Elim duo loca fuere, quibus Moab terminus vtrimque claudebatur, vt in Geograpia ſacra oſtendimus. Hæc omnia, atq; adeò intermedia loca fugientium & occiſorum clamore completa eſſe, hac Elegia demonſtratur. Is autem clamor illos clamores excepit, qui antea in illa regione, florentibus Moabitarũ rebus, edebantur; eſtq; planè hic verſus eiuſdem ſententiæ cum illo apud Ieremiam: Ablata eſt lætitia & exultatio de Carmelo, & de terra Moab, & vinum de torcularibus ſuſtuli: nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuma cantabit. De clamore Eſebon vſque Eleale & Iaſſa dederunt vocem ſuam, & à Segor vſque ad Horonaim vitulam conternantem, &c. Huius autem clamoris cauſam, præter loci vaſtitatem & ſolitudinem aliam etiam addit, videlicet, magnam cladem & cædem in Moabitis editam, & ad internecionem vſque repetitam.* Ierem. 28. " " " "

Quia aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine: ponam enim ſuper Dibon additamenta: his qui fugerint de Moab leonem, & reliquiis terræ.

SENACHERIB *prior Moabitas vaſtauit, quorum reliquias Nabuchodonoſor Babylonius poſtea omnes confecit: ita illius gentis nomen extinctum eſt. Vtramque hanc cladem Iſaias; appoſitis orationis ornamentis, hoc loco ſignificauit. Dimon fluuius, qui ciuitati quam præterfluebat, nomen*
Ioſ. 15. *ex ſe fecit, in terminis Iudææ regionis à Ioſue commemoratur, ad Meridiē, qua parte Moabitarum prouincia fuit Iudææ finitima: ex iis autem qui cladem illam priorem euaſerant, plurimos à Nabuchodonoſore ex diuini iudicij ſententia occidendos eſſe, Vates ait: quorum ſanguis, fluuio prætereunte exceptus, aquas & nomen addat. Quoniam verò vno ſchemate multiplicem ſententiam pronunciauit Vates (qualis Vatum omnium figurata oratio eſſe ſolet) exponenda nobis verba ſunt, quibus ipſum Schema conſtat. Dymon Latini & Græci libri; pro quo affinitate quadam B. & M, Dybon habent; nomen à* DAM *accepiſſe videtur, quod ſanguinem ſignificat ex terræ quam lambit, colore rubram aquam; ſiue rubentem habens, ſanguineum Latinè dicere poſſimus. Cùm verò Deus additamentum à ſe addendum ait, hæc omnia per Vatem ſignificauit, nempe iis qui ex Senacheribi cæde euaſerint, ponendum eſſe additamentum exercitus alterius, à quo excepti interficiantur: hoc autem additamentum fore leonem, his qui fugerint de Moab, qui à leone occurrente occidantur, & idem additamentum fluuij aquis & nomini acceſſerit, quæ & abundantiores erunt, & rubræ magis ex ſanguine; adeò vt cumulatæ dici poſſint aquæ* DIMON, *eo quòd impletæ ſint* DAM, *& verè atq; plenè ſanguineus fluuius appelletur. Erit itaq; triplex additamentum à Deo ponendū, hoſtiū, ſanguinis vel aquæ cruentæ, & nominis; ideoq; ait numero multitudinis additamenta. Leonem verò, quamquā ſimpliciter interpretari poſſumus, ferā ipſam, à qua cladem effugientes hoſtilē, trucidarentur; tamen propter ſuſceptā à vate orationis figuram, Nabuchodonoſor Babylonis regem interpretamur, quem eodem nomine Ieremias appellauit.*
Ierem. 4. *Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe leuauit; egreſſus eſt de loco ſuo. Quod demū additur,* & reliquiis terræ, *duplicem ſignificationē habet; atq; vtramq; oratio capit ex ratione ſchematis à Vate vſurpati. Quippe* SEERITH-ADAMAH, *reliquias ſiue expurgamenta terræ rubentis, vt ſandicis, vel minij ſignificet, & reliquias hominum in terra habitantiū. aquarum maximè fluuialium colorē ex eius terræ quæ lambitur reſiduis, & recrementis induci, & philoſophia, & experientia monſtrat. Eſt itaq; alluſio ad vtramq; ſignificationem; videlicet, leone addito, addendū eſſe ſanguinem reliquiarum terræ, hominū ipſorum qui in terra ſuperſtites euaſerant, & addendum eſſe colorem retrimentorum & reliquiarum terræ rubentis, à qua nomen fluuio factū fuerat: ideoq; ex duobus nominibus, quibus terra Hebraicè dicitur* ARETS, *&* ADAMAH, *alterum vſurpatum eſt, quod ad ſuſceptum ſchema referretur. Eſt autem Schema ex quinque vocibus conſtructum,* DIMON, DAM, ADAMAH, ARIE, SEAERITH.

CAPVT

## CAPVT XVI.

EMITTE agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion.

IESV CHRISTI *ex ſemine Dauid progenerandi, atque ex Moabitidis Ruth poſteritate oriundi myſterium hic verſus continet; opportunè in hunc locum inductus, in quo de Moabitarum & Iudæorum rebus agebatur. Nam Moabitæ, vti iam ſuperiùs vidimus, Iudæorum Rempub. atque adeò memoriam omnem extinctum iri, paulatim imminutis rebus poſt mortem Ioathan, quas etiam magis indies imminui ipſi curabant, atque valde in eam rem incumbebant. Erant autem Moabitæ pecuariæ rei ſtudioſiſſimi atque ditiſſimi, vt ſignificatum iam eſt: cuius rei imaginem ſecutus Vates noſter, ait, Iudæorum res non ſolùm Moabitidis gentis odio & opera non imminuendas, verùm, ipſis fortaſſe neſcientibus, tamen iuuantibus, augendas eſſe: quippe cùm ex Moabitide femina oriundus eſſet Chriſtus, qui totius orbis ſpirituale imperium ex monte filiæ Sion, hoc eſt, ex Eccleſia initurus eſſet. Hæc autē per allegoriam pronūciata ſunt ab Iſaia: Quidquid, inquit, libet, agite, cogitate, & curate Moabitæ, dummodò ex grege veſtro mittatur agnus terræ, princeps omnium agnorum optimus; mittatur, inquam, à petra Moabitarum vrbe nobiliſſima, idq́; in deſertum; vt veniat tandē ad montem filiæ Sion. Scimus enim ex hiſtoria Ruth pauperem viduam ex Moabitis ortam, fide & religione actam, cum ſocru in Bethlehem migraſſe; ibiq́; ductam à Boghazo in vxorem, filium habuiſſe Ieſſe, ex quo Dauid natus eſt; à quo etiam Chriſtus fuit progenitus. Ita effectum eſt vt Iudæorum & Sionis res per hunc agnum promouerentur & firmarentur; atque ex ipſorum inimicis & hoſtibus Dei prouidentia & conſilio proficiſceretur is, per quē confirmandi erant. Ipſi verò Moabitæ qui æternitatem & felicitatem atq; firmitudinem magnam ſibi promittebant, diſperderentur & vaſtarentur. Atqui Iudæorum commemorantes res, & ſpirituales res, & ſpirituales Iudæos intelligimus; quos per Dominatorem illum terræ agnum amplificandos, Moabitas verò diſperdendos fore, Vates ait. Huius verſus primum verbum, Emitte, pluralis numeri eſt, Emittite; quod ad ipſos Moabitas referri poteſt: atque propriè ad huius myſterij auctorem Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum; qui teſtimonium dant in cælo, quòd Ieſus ſit Chriſtus & Filius Dei.*

Et erit: ſicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes, ſic erunt filiæ Moab in tranſcenſu Arnon.

FEMININVM *nomen, filiæ Moab de Ruth & Gharaphah Moabitarum filiabus orationē eſſe indicat. Illæ enim Noemi ſocrum ſecutæ, tamquam aues è nido migrantes, altera alterum petiuit locum: Garapha in natali regione manſit; Ruth, traiecto Arnon Moabitarum fluuio Ephratan, cum ſocru deuenit. quamquam autem Latinum verbum futuri temporis ſit, Hebraicum tamen præteriti eſt, ſine nota conuerſionis in futurum.* Et fuit. *Idem valet oratio hæc atq; illa, ſic res habuit: quòd ſicut auis fugiens,* Ruth.

*ſic fuit Noemi:* & ,Sicut pulli volantes de nido ſuo;*quorum alij matrem ſequuntur;alij,relicta matre, aliò migrant:ſic erunt filiæ, ſic accidit fuiſſe filias Moab, vbi ad regionis finem propè deuentum eſt in vadis Arnon fluuij; altera aliò, altera verò aliò migrauit. Sic ſolet Deus ex perturbatis in ſpeciẽ rebus,magno conſilio rectiſſimas & conſtãtiſſimas efficere. Quamobrem,cùm Dei propoſitum interrumpi non poſſit, hominum autem conſilia,vel maxima,maximisq́; in ſpeciem fundamentis nixa, perrumpi ſoleant & diſſipari, conſultiſſimum fore Moabitis Vates ait, vt Iſraëlitarum populum iuuarent potiùs, quàm in calamitate conſtitutum vehementiùs affligerent.*

Ini conſilium, coge conſilium:pone quaſi noctem vmbram tuam in meridie: abſconde fugientes, & vagos ne prodas.

MONETVR *Moab vt conſilio inito in meliorem partem,videlicet deliberatione habita, vtrum magis expediat Iſraëlitas hoſtium crudelitatem fugientes ſuſcipere, ſuſceptosq́; protegere; an eoſdem hoſti prodere, vt ſibi ipſis, hac ratione inita, cum hoſte gratia proſpiciant. Eſt autem ſapientius conſilium, vt illos pietatis ſtudio, & humanitatis iure ſuſcipiant & protegant:quemadmodum filiæ Moab quæ in Iudæam migrauere, ſuſceptæ ſunt ad magnæ amplitudinis expectationem. Illò Moabitidis feminæ fuga, illòq́; apud Iſraëlitas ſuſceptio pertinuit: ſic enim fiet, vti Deus Moabitarũ pietate & tutela erga profugos ad ſe Iſraëlitas ſtudentium res amplificet, & confirmet.* Ini,*inquit*,conſilium *ſapiens, &* coge conſilium. *Hebraicè eſt: Fac arbitrium, ſiue, iudicium deliberantum; idq́; decerne,vt tua tutela veluti vmbra in meridie feſſos & æſtu defatigatos, ſic trepidantes & ad te confugientes non ſolùm iuues ac recrees, verùm etiam diligenter occultes,quaſi per noctem celatos & vagantes; neque certas apud te ſedes habentes,ne prodideris hoſtibus. Atq́; hoc conſilio inito & ſtatuto,& humanè vicinis tuis & ſapienter tibi ipſi proſpicies. Atq́; ita*

Habitabunt apud te profugi mei: Moab eſto latibulum eorum à facie vaſtatoris.

EA *quæ ſuperiùs per tranſlationem dicta ſunt, hîc à Vate apertis & ſimplicibus verbis exponuntur. Dicitur autem Vaſtator Aſſyriorum Rex; cuius conſilium erat gentes perdere,ac tyrannide opprimere omnes,idq́; ſtudium perpetuum;quamobrem inuiſum illum eſſe oportuit Moabitis:vel hoc nomine quòd vaſtator eſſet,tantum abeſt vt adiutũ illum eſſe probet Deus. atq́; deliberationis huius rationes ex vtraque parte proponit Vates. Quæſtio enim futura erat Moabitis, an ſuſcipiendi eſſent Iſraëlitæ profugi, an prodendi in gratiam vaſtatoris,alioqui ipſis infenſi infeſtiq́; futuri: nam ſi proderẽtur,illi ſeſe gratificaturos poſſent ſperare; aliàs verò illius vim experturos ſeſe timere. Tum ex altera parte, ſi protegerentur profugi Iſraëlitæ, Deo Iſraëlitarum electori & amplificatori obſequium exhiberi, apertè videbatur; & gratos fore protectores,conſequẽs erat. Atq́; ad alteram partem ſtatuendam, nulla melior & apertior afferri poſſet ratio, nullũ maius momentum, & grauius pondus accedere, quàm vt exitus ipſe conſideraretur,*

*tur, & expenderetur; qui ſi præſciri poſſet, facilem redderet deliberationis laborem. At ne quid ad conſilij ſui integritatem cognoſcendam deſit, Vates ipſe ſuo munere fungitur, & exitum vtriuſque partis prædicit: videlicet, quem conſiliorum Nabuchodonoſoris, & Aſſyriorum Regum, quem rurſus conſiliorum Dei expectare oporteat; nimirum breui futurum vt vaſtator ille de medio ſublatus, pereat; nulláque ſit illius vel amicitiæ, vel gratiæ vtilitas, vel in inimicitia & offenſione incõmoditas: contrà verò Dei conſilium perpetuum perſeueret, & propoſitum euentu ipſo amplificetur; cuius gratia magnum bonum, offenſio verò magnum malum Moabitis afferre poßit. Hæc ſubiunctorum verſuum ſententia eſt.*

Finitus eſt enim puluis, conſummatus eſt miſer; defecit, qui conculcabat terram.

EXEMPLO *Senacheribi docet Vates bona conſilia & acta ſemper conſtare; praua autem, quamuis maximis fundamentis innixa, perire. nam quo tempore Aſſyriorum imperator bellum Iudæis intulit, & captiuos ex illis plurimos abduxit Senacherib, iam perierat, qui fuerat gentibus infeſtißimus. Hunc puluerem Latina verſio appellat, Hebraicum nomen* METS, *emunctorem, vel exuctorem ſignificat, habetq́; magnam affinitatem cum* MOIS, *quod quiſquilias, & glumas vertere poſſumus, & in Pſalmo verſum eſt, puluis, ad vtramque ſignificationem relata ſententia eſt. Ille enim puluis aridus: ita homines appellari poſſunt terreni, & in terris curui, quãquam potẽtißimi. Ille, inquam, emunctor & exuctor ſanguinis humani finitus eſt, ille miſer, qui miſeriam orbi terrarum inferebat, conſumptus eſt. Miſer, à nobis actiuè exponitur, ex Hebraico* SAD, *quod ad verbum ſonat, prædator; deſierunt etiam,* Qui conculcabat terram. *Exercitus ille magnus Senacherib, qui Iſraëlitas abduxit, iam deſiit eſſe, nihil iam eſt. Hebraicum verbum plurale ſingulari adiunctum nomini, collectionem indicat. Illorum ſtudium fuerat ſanguinem fundere, ideo appellatus eſt imperator ipſe Exuctor, ſiue, Puluis; diripere & ſpoliare omnia, quamobrem à Vate dictus eſt Miſer, ſiue Prædator; occupare omnia loca exercitibus ſuis, vnde Conculcator dictus eſt.* Defecit, qui conculcabat. *Hebraicè,* Deſierunt conculcans. *Ex Syllepſi figura pronunciatum. Hoc itaq; exemplo cuiuſmodi res, conſilia, & opes hominum eſſent; quantum ab his vel ſperare, vel metuere oporteret, apertè docuit Iſaias. Atque de Dei conſilio, cuius numen venerari, & voluntatem omni ſtudio proſequi, maximè expediret, ait:*

Et præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper eum in veritate, in tabernaculo Dauid: iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iuſtum eſt.

IVSTO, *inquit, Dei iudicio periit ille humani ſanguinis exuctor, quem vobis neque metui, neque ſpei eſſe oportuit, quamquam florentem, & Iſraëliticis rebus calamitatem afferentem; quas Deus, quamquam nunc affligi ſinat, tamen ſecundo numine proſecutus eſt, propter miſericordiam, qua ſolium præparabit, & conſtituet in illo, quamuis exiguo in ſpeciem, taberna-*

Pſal. 131. culo Dauid, cui facta ſunt hæc promiſſa. S. S. E. Miſericordiam autem
» meam non diſpergam ab eo. Super illud autẽ ſolium, quod iam Dei promiſſis præparatum, re ipſa firmabitur, ſedebit; non tyrannica occupatione, aut arrogatione, ſed iure optimo, & vero Dei decreto: qui populos, non vt hoſtis aut tyrannus premat, ſed iudicet certo & exquiſito, integerrimoq́ iudicio; atq́ quod iuſtum eſt celerrimè præſtet & exequatur: tanta enim auctoritate pollebit, tanta ſapientia & efficacitate valebit, vt efficere hæc omnia abſque vllo impedimento poßit. Hac oratione Vates Moabitas ſuadebat vt populum Dei protegerent, & hominum neglecta gratia, vel metu contẽpto, Dei conſilium omni obſequio proſequerentur; qui Chriſtum in mundum miſſurus erat ex Dauidis familia, Iudicem optimum & efficacißimũ: qui recto & integro iudicio omnes iudicaret, ſanctißimamq́ illam iuſtitiam ſuam cum hominibus ſibi credentibus & obtemperantibus citißimè communicaret. Hunc locum optimè in hanc ſententiam vertit Chaldæus. Tunc Meßiæ Iſraël præparabitur in bono thronus eius, & ſedebit ſuper eum in veritate in ciuitate Dauid, iudicans & quærens iudicium, & faciens veritatem. Atque hanc felicitatis expectationem Iudaicis rebus, quamuis aliquando afflictis & humillimis, ex diuina miſericordia certam fore, Vates affirmabat; eamq́ Moabitis conſtare oportere aiebat: qui tamen, cùm ob rerum copiam nimiũ ſuperbirent, & ideo humanis conſiliis & artibus agendum ſibi eſſe putarent, & Aſſyriorum principi gratificandum, vt mentitam ſuarum rerum perpetuitatem, ſibi confirmarent, decepti valde ſunt opinione & ſententia, atque ſuperbiæ & vanitatis ſuæ dignum exitum ſortiti. Hoc eſt quod ſubiungitur:

Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde: ſuperbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius pluſquam fortitudo eius.

Ex iis quæ humanas res, quamuis florentes, quamuis altè plantatas, excidere & abſumere ſolent, duo vitia ſunt præcipua; Superbia, & Vanitas: altera enim, ob nimium tumorem prærumpit, altera ob leuitatem ſuam res omnes, quibus admixta eſt, impulſioni exponit. quibus vitiis, cùm valde cõtaminatus fuerit Moab, in procliui fuit vt corrueret. Audiuimus, inquit Vates, elationem & iactãtiam Moab, quam non obſcuram vel tacitam, ſed fama celebrem eſſe cupiere. Nimia fuit eius elatio, nimia inſolentia, nimia & excedens arrogantia antiquitatis, nobilitatis, generis, opum, ac diuitiarum iactantia; atq́ in verbis, conuentis, & pactis, nulla fides, ſed maxima vanitas, quæ ſuperbiæ comes eſſet. Indignatio eius. Hebraicum verbum, exceßio, vel, tranſgreßio eius: quod propriè ſignificat exceſſum nimium vltra modeſtiæ fines. Pluſquam fortitudo eius. Fortitudinem Moab, vanitatem, & arrogantiam, mendaciaq́ interpretamur; quibus homines plerumque ſuas res augeri & conſeruari poſſe credunt. nam verba Hebraica ſunt: LOCHEN, BADAIV. quæ Latinè ſonant, non rectè mendacia eius: nam
Num. 27. 7. CHEN, rectè ſignificat, vt ex illo loco Hebraicè patet, Iuſtam rem poſtulãt
» filiæ Salphaad. BADIM verò, Fictiones, ac Diuinationes interpretamur: atq́ in hanc ſignificationem interpres noſter vertit aliis in locis; vt in illo:

Irrita

*Irrita faciens ſigna diuinorum. & apud Iob* BADECHA MATHIM IAHHRISSV. *Diuinabat autem ſibi Moab perpetuam & conſtantem rerum ſuarum firmitudinem ſuis rationibus & conſiliis conſtabiliendā eſſe: quæ tamen vana euaſere, vtpote vanitate & mendacio extructa: legatur interpretatio Chaldaica in hunc verſum:* Iſa. 44. Iob 11. 3.

Idcirco vlulabit Moab ad Moab, vniuerſus vlulabit: his qui lætantur ſuper muros cocti lateris, loquimini plagas ſuas.

INDIGNOS *eſſe ait Moabitas, quorum calamitas ab aliis nationibus deploretur & lugeatur; vtpote qui alienæ calamitatis, maximè Iſraëlitarum ad ſe confugientium, miſerti non fuerint: & quia conſolationis genus dolentibus eſt, alios ſuo dolore commotos & plorantes ſentire, hanc conſolationem negandam eſſe Moabitis, ipſisq́; ſolis relinquendam eſſe ſuarum miſeriarum lamentationem. Hoc eſt quod inquit:* Idcirco vlulabit Moab ad Moab. *Ipſe ſolus cladem & miſeriam ſuam vlulabit, ipſe lamentabitur exitum ſummorum virorū qui in* KIRHARESETH *deſiderabuntur. Erat enim* KIRHARESETH *vna ex inſignibus Moabitarum vrbibus, cuius nomen interpres noſter ex ſignificatione vertit, muros cocti lateris, hoc in loco & in libris Regum, & apud Ieremiam; ſed ex lectionis obſeruatione cognoſcitur nomen eſſe vrbis proprium; quod Græci interpretes ex vltima parte Seth verterunt; at verò verbum illud,* His qui lætantur, *idem ſignificat quòd Viris, ſiue, Summis viris Latinè: namq; id apertè declarat Ieremias hoc eodem verſu, ferè ad verbum vſurpato. Propterea cor meum ad Moab quaſi tibia reſonabit, & cor meum ad viros Muri fictilis dabit ſonitum tibiarum. Eſt autem Hebraicū verbum* ASSISSIM: *eſtq́; geminatū ab* AIS, *quod virum ſignificat. geminatur autem ad amplificationem nominis & ſignificationis: vt à* IEREK, *quod Olus, aut Viride interpretamur; & ab* EDOM, *quod Rubrū ſignificat, amplificationis cauſa fiunt* IERAKRAK, & ADAMDAM. Loquimini plagas ſuas *Lamentamini confuſiones virorum illorum, qui omnes oppreſſi, contuſi ſunt. Futuram rem vti præſentem Vates deſcribit.* Loquimini. *Lamentando pronunciate: hoc vnum inter alia verbum* HAGAH, *ſignificat: quo vſus Ezechiel, dixit: Erantq́; ſcriptæ in eo Lamentationes, & carmen, & væ.* Plagas ſuas. *Ex verbo reddere poſſumus: Lamentamini vtiq; contuſi (ſunt): eſtq́; initium lamentationis, quæ ſolet Hebraicè à vocibus* ACH & ECH, *inchoari, vt Latinè ab* ERGO & ERGONE. *Huius carminis ſententiam rectè aperit ac deducit Ionathas Chaldaicè interpretatus hoc modo: Ideo vlulantes Moabitæ ſuper Moabitas, cuncti clamantes ſuper viros munitiſſimæ eorum, mærentes dicent, vtique ſubacti ſunt. Inchoatam verò lamētationem, quemadmodum futuram prænouerat, Vates perſequitur deſcriptione calamitatis Moabitis allatæ: qua non ſolùm viri, ſed res etiam eorum, & celeberrimi illius regionis fructus perierint.*

4. Reg. 3. Ierem. 48. Ezech. 2.

Quoniam ſuburbana Heſebon deſerta ſunt, & vineam Sabama dñi Gentiū exciderunt flagella eius: vſq; ad Iazer peruenerūt, errauerūt in deſerto, propagines eius relictæ ſunt, tranſierūt mare.

NON

NON *tantùm virorum ſummorum deſiderio lamentaturos Moabitas ait, quos bello ſubactos & occiſos dolebunt; ſed communem etiam famis ac ſitis populo allatam miſeriam magno luctu proſecuturos: quippe omnes illorum agri, maximè autem vineta illa quæ in regione celebrabantur, exciſione & vaſtitate peritura eſſe præorat Vates.* Suburbana SEDAMOTH. *Nomen plurale frequenter in vinearum & vinetorum commemoratione vſurpatur, quamobrem ad id genus plantationum referendum eſt. Exiſtimamus autem nouas vineas ita vocari, quas Hiſpani* maſuelos, *Latini noualia culta dicunt. Huc illud pertinet: De vineis Sodomorum vinea eorũ, & de Suburbanis Gomorrhæ. Itaq. Suburbana, vineta interpretamur. Heſebon & Sabama duæ vrbes erant apud Moabitas vinetorum laude præcipuè inſignes: horum vinetorum ſarmenta & vites optimas à principibus ac ducibus exercitus hoſtilis, qui hoc loco Domini Gentium, ſiue, Dominatores Gentium appellantur, exciſum iri, Vatés prædicit; idq. & luctus materiam, & lamentationis argumentum fore ait:* Flagella eius, *præſtantiſſima vitum ſarmenta, ex Hebraico nomine* SOREC, *quo vſus eſt hic Vates*
Sup.c 5. *in ſuperioribus: Et plantauit eam electam. &, Iacob ligans, inquit, ad vi-*
Gen. 49. *neam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam. Omnia autem depopulatos hoſtes fuiſſe ait: quippe qui quacumque incedebant, omnia vaſtabant: accidit autem vt errantes in deſerto Moabitarum ad Iazer vſque peruenirent, quæ ſepoſitiſſima regionis illius vrbs erat; quam etiam vaſtauerunt. Huiuſmodi autem vinetorum vaſtatio quàm miſera calamitoſáque fuerit, ex priſtina laude ac felicitate arguitur: vtpote quorum vinetorum propagines longiſſimè exercuerant: adeò, vt mare tranſierint, quo orationis ſchemate Sacri ſcriptores vtũtur, cùm latiſſimam vitium propaginem*
Pſal.79. *ac feliciſſimam deſcribunt. vt, Extendit palmites ſuos vſque ad mare: & vſque ad flumen propagines eius. Hîc propagines vinearum Sabama vltrà mare dilatatas fuiſſe Elegia à Vate expreſſa refert.* Relictæ ſunt. *Extenſæ & creſcere permiſſæ, ex verbo* NATAS. *Hanc orationem omnem ſi quis ex tranſlatione & allegoria explicare velit, Chaldæum Paraphraſtem rectè ſequi poterit. Perſequitur autem Vates Elegiæ à ſe relatæ exemplum, oſtendítq. ſimilem vaſtationem, atque parem omnibus Moabitarum præcipuis vrbibus allatam.*

Super hoc plorabo in fletu Iazer vineam Sabama: inebriabo te lachryma mea Heſebon, & Eleale.

EADEM, *inquit, forma fletus, qua proſecutus ſum vaſtationem Iazer, proſequar etiam Sabama vineta exciſa & vaſtata; lachrymiſq. vberibus, inſtar imbris, irrigabo te Heſebon, atque te etiam Elgale vrbes Moabitarum. Oratio eſt Vatis, referentis elegiam illorum, vt admonuimus: luctus autem cauſa & argumentum explicatur, quòd regio illo omnis aliàs fertiliſſima, ad ſummam frugum & vini fructuumq. inopiam redacta ſit.*

Quoniam ſuper vindemiam tuam, & ſuper meſſem tuam vox calcantium irruit.

VINDEMIAM *tuam, & meſſem tuam, ad vnamquamque ex illis vrbibus*

*bibus referendum eſt pronomen, tuam.* Vox calcantium irruit. *Vaſtatorum & populantium tumultus & impetus incubuit. Sic ex Hebraico interpretamur: vbi ad verbum legimus,* Acclamatio cecidit. *Impetũ ipſum & tumultum hoſtium ſignificat, conculcantium & vaſtantium agros & vineta, qualis à calcantibus vuas præ lætitia. Hoc genere clamoris commutandam eſſe lætitiam illam, qua ſegetum, frugum, & fructuum copia à ruſticis excipi ac celebrari ſolebat.* Sic interpretatus eſt Chaldæus: Deprædatores irruerunt.

Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non exſultabit neque iubilabit. vinum in torculari non calcabit qui calcare conſueuerat: vocem calcantium abſtuli.

FERTILISSIMVS *ager omnis, præcipuè vallis monti adiacens, ex cuius eluuionibus fœta fructus optimos reddit & copioſos, Hebraica metonymia Carmel dicitur: nomine accepto à duobus in Cananæa regione miræ fertilitatis eiuſmodi locis, quos in ſacra Geographia indicamus. Sic apud hunc Vatem: Et ponam deſertum Carmelum, & Carmelus in ſiluam reputabitur. & illud: Vineas quoq; habuit, & vinitores in montibus, & in Carmelo. Erat quippe homo agriculturæ deditus.* Vocem calcantium abſtuli. *Ex conſequẽti antecedens cognoſcitur: ſilet enim calcantium vox, vbi calcatio nulla, calcationis materia nulla extat. Quamquam verò ex vrbibus hoc loco Moabitis adſcriptis, quaſdam olim per Iſraëlitas à Seon & Ghogh Regibus captas fuiſſe legamus, vt Heſebon & Elghale; tamen eaſdem poſtea à Moabitis occupatas, Reubenitide & Gaditide ac dimidia Manaſſes tribu per Aſſyriorum Regem abductis, antiqui Hebræorum ſcriptores tradiderunt: atque ita munitas & amplificatas, vt inter regiones illius præcipuas numerari contigerit. Maximam autem calamitatem Moabitis futuram, Elegiæ huius à Seinitæ amplificatione, & lamentorum magnitudine Vates ſignificauit: qui perſonam lugentis Moabitæ, & miſeriam illam luctu lamentisq; proſequuturi, ait:* Appar. Sacr. lib. Canaan. Infrà 32. 2. Paral. 26.

Super hoc venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit, & viſcera mea ad murum cocti lateris.

CITHARA *ſonum concipit ac refert fidibus commotis & tactis: aër namque ex illa commotione diſsiliens, teſtudinemq; ipſam ingreſſus, intra concauum concipitur, & impulſus reſonat. Ad huius autem rei ſimilitudinem doloris ſui magnitudinem Elegiæ auctor indicat, concepti ex commotione Moabitarum rerũ, earundemq; turbatione & pulſatione, quæ interna mentis cogitatione excepta non poſsit non magnum luctum & lamentũ & gemitum mouere. Pulcherrimè autem res rei collata eſt: hoc eſt, Citharæ venter, ſiue, inteſtina, vt Hebraicum verbum ſignificat; quod pro ſuperiori corporis parte, pectore videlicet ac vẽtriculo vſurpatur. Omnium autem in vniuerſum rerum Moabitarum cauſa lamentationem faciendam ſibi eſſe Elegiæ auctor ait: ſingulariter verò propter murum cocti lateris, ſiue* KIRHARESETH, *vrbem totius regionis præſtantiſsimã, quam maximè vaſtatã eſſe cognoſcebat. Hãc adeò lamentationẽ ex flagrãti ac vehemẽti dolore profectam: nam & ſuperuacanea deprecatione finiendam eſſe, Vates prædicit.*

Et erit, cùm apparuerit quod laborauit Moab ſuper excelſis ſuis, ingredietur ad ſancta ſua vt obſecret, & non valebit.

CVM *huiuſmodi luctu ac lamentatione maximè laſſos Moabitas eſſe conſtiterit, lamẽtatione, inquam, facta ſuper altari excelſiſq́ ſuis, quemadmodum ſuperiùs dixerat Vates: Aſcendit domus & Dibon ad excelſa in planctum. Cùm itaq; tanti planctus contentione laſſus fuerit, ingredietur aditum ac templum ſuum; ſiue, vt Hebraicè eſt, Sanctuarium ſuum, Deorum ſuorum iram deprecaturus, calamitatiſq́ illius modum ſupplicaturus, & non poterit: nullius, inquam, deprecationis compos erit, nihil impetrabit. namq; verbum* IVCHAL, *hoc ſignificat, valere ſcilicet & vincere, ac præualere. Eſtq́ Poëticum atq; elegans in ratione impetrandi, & apud Latinos* Iuuenal. Sat. *vincere. vt, Prouida Pompeio dederat Campania febres*

*Optandas, ſed multæ vrbes & publica vota, Vicêre, &c.*

Laborauit. *Laſſatus eſt, propriè ex Hebraico verbo: quam ſignificationem etiam Latinum verbum Laborare habet.*

Hoc verbum quod locutus eſt Dominus ad Moab extunc.

TOTAM *hanc lamentationis & ſententiam & orationem ex diuini conſilij & iudicij norma profectam eſſe, vates ait; eamq́ iam à Deo pronunciatam ex eo tempore quo iudicium aduerſus Moab factum eſt: ideoq́ certiſſimam fore ait, non ſolùm calamitatem & vaſtationem Moabitarum, ſed etiam lamentationem. Namq; illa oratio, hoc eſt, verbum, non indicat totam hanc aduerſus Moabitas prophetiam, quæ iam inſcriptione ipſa, Onus Moab fuerat indicata.* Ex tunc. *Iam diu eſt, ita vt iudicium pronunciatum, & longo iam tempore confirmatum ſignificatur: ſed non fuiſſe declaratũ tempus huius vaſtationis afferendæ, quod nunc Deus Iſaiæ Vati declarauit.*

Et nunc locutus eſt Dominus, dicens: In tribus annis quaſi anni mercenarij auferetur gloria Moab ſuper omni populo multo, & relinquetur in eo paruus & modicus, nequaquam multus.

ET nunc locutus eſt, dicens: *Dominus locutus eſt. Sic enim auctor orationis ſiue declarationis huius indicatur Hebraicè: quod & Chaldæi & Græci interpretes obſeruarunt. Verbum autem, Locutus eſt, rectè exponitur, declarauit, præſtituit, vt Chaldæus expoſuit. Declarauit autem gloriam Moab auferendam, idq́ poſt tres annos præciſos, à die prædictionis huius. Præciſos, inquã, quaſi anni mercenarij, quibus neque additur neque demitur dies; Significantiſſimo autẽ antitheto ſententia hæc Hebraicè pronunciatur; quam nulla Latina verſio aptè reddere poteſt totidem verbis. Nam quod Latinè vertimus, gloria, Hebraicè amplitudinem, magnitudinẽ, pondus, & grauitatem ſignificat. Verbum verò* Auferetur, *Hebraicè eſt* NIKLAH, *quod eleuare ſignificat: contrariũ omnino verbo alteri, ſiue nomini,* KABOD. *Deſcribuntur enim Moabitarum res veluti in bilance poſitæ; quæ omnino magnæ cùm eſſent, lancem ſuã valde premerẽt, vtpote grauiſſimæ, quam nemo tollere aut mouere poſſet. Eleuare verò Latinis quid ſignificet,* Perſ. Sat. 1. *declarant verſus illi: Non ſi quid turbida Roma*

*Eleuet, accedas: examénve improbum in illa*

*Caſtiges trutina:* *Hac*

*Hac igitur tranſlatione ſignificauit Vates, Moabitarum tunc grauiſsimas, maximas, plurimas, magniq́ ponderis, nec facilè mobiles res fore ad maximam leuitatem redigendas: id autem efficiendum eſſe, adhibita magna & numeroſa hoſtium copia. namq́ nihil tam graue eſt, dummodò finitum ſit, quod non poßit, additis & accumulatis viribus, moueri. Etenim ſi effici poteſt id quod Archimedes propoſuit, vt datis viribus, quantacunque moles moueatur, longè faciliùs id cumulatis, ipſamq́ molis grauitatem ſuperantibus viribus efficietur: atq́ hanc rem Vates ipſe declarat:* Super omni populo multo. *Hebraicè eſt.* In omni turba illa magna & multa. *Significatq́ numeroſum Aſſyriorum exercitum ad hanc rem inducendũ: ſic enim interpretamur præpoſitionem, Super, in noſtra verſione vt inſtrumenti ſignificationem habere intelligamus. Quantum verò eleuandæ ac minuendæ eſſent Moabitarum res, conſequentia exitu à Vate indicato, ſignificatur:* Et relinquetur paruus & modicus, nequaquam multus. *Hebraicè ad verbum, Parum, præexiguum, neque copioſum. qua oratione res illæ ad extremã inopiam & miſeriam redigendæ ſignificãtur, pauciſsimis de Moabitarum gente relictis, iisq́ neque viribus ac facultate, neque honore aut opulentia præditis: id quod illo ſeculo, quamquam adiuuantibus Moabitis, Iſraëlitico populo non accidit. tametſi enim Samaria, & quæ ad illam referebantur Iſraëlis tribus, vaſtatæ abductæq́ fuerint per Aſſyrios, tamen Iudæ genus & regnum ac nomen relictum eſt, & ad multa ſecula ad Chriſtum vſque durauit, quamquam poſtea reprobatum à Deo diſſipatúmque omnino fuerit.*

## ARGVMENTVM VATICINII XI.

POST *fœdus à Damaſci Rege Raſin cum Ramaliæ filio, Samariæ Rege, aduerſus Ieruſalem & Iudæam initum, vaticinium hoc Iſaiæ ſuggeßit Deus; oſtendens Vati duo illa regna, pœnarum & plagarum ſimilitudine ita fore ſocianda diuino iudicio, vt ipſa proprio conſilio in Ieroſolymorum perniciem ſociata ſunt: idq́ efficiendum eſſe Meßiæ Ieroſolymis promißi cauſa: cuius rationẽ à Deo prædictã, Iſraëlitæ cũ Damaſcenis coniuncti, interturbare molirẽtur, Ieroſolymã, & Iudææ regnũ vaſtare aggreßi. Et quoniam Senacherib, poſtquã decem tribus Iſraël debellatas deſtruxit, animum & vires ad Ieroſolymorum excidium intendit: ipſe etiam eiuſdem diuini iudicij ſententia excidendus & perdendus prædicitur: ita, vt huius diuini iudicij aduerſus Damaſcum, & aduerſus Aſſyriorum Regem editi atq́ exerciti exemplum, non ſolùm apud Chaldæos & Aſſyrios, verùm etiam apud remotiores nationes, Aſſyriorum imperio ſubiectas, frequenti & admiranda commemoratione perpetuò recolatur in ſeculorum fine, ſalutisq́ ætate; cùm Iſraël ex miſeria ſumma ad gratiam & vitam à Deo ſit reuocatus, omnes illæ nationes Dei populum admiratæ colant, & nuntiis legatis, ſibi conciliare ſtudeant: veritæ ne ſi aliquando lædant aut offendant, iudicium, illi in Senacheribum exercito ſimile, aduer-*

*ſum ſe experiantur. Quemadmodum vaticiniũ hoc ab aliis exponatur, tum Græcis tum Latinis ſcriptoribus, & Hebræis, cognoſcere volenti, in promptu eſt. Nos ipſam orationis ſimplicitatem ex hiſtoriarum & ſcripturarum collatione obſeruatam ſequemur.*

## CAPVT XVII.

ONVS Damaſci. *Prophetia grauem atque certam Dei ſententiam continens aduerſus eos qui in Damaſci exemplum peccauere, ad Damaſcenos ipſos mandata, & per interpretem vel nuntium miſſa. Quamquam verò ſententiæ huius capita cætera, præter vnum primum verſum, ad Iſraëlitas aliasq; nationes pertineat; tamen vnica Damaſcus, ſiue Damaſci regnum ſolum, in inſcriptione appellatur. Quippe Aſſyriis & Babylonicis iam onera ſua miſſa fuerant; Iſraëlitis verò ſentẽtia Dei per hunc & alios Prophetas præſentes pronunciata eſt, & per Amoſum, qui aduerſus Bethel Vatis legatione eſt functus: deinde etiã Raſin auctor fuit Iſraëlitis belli Ieroſolymis inferendi. S. S. E. Tunc aſcendit Reſin Rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Iſrael ad prœliandum contra Ieruſalem. quamobrem ab ipſo improbi conſilij auctore præcipuè vaticinium inſcribitur.*

Ecce Damaſcus deſinet eſſe ciuitas, & erit ſicut aceruus lapidum in ruina.

DAMASCO *ruinam ab Aſſyriis inferendam prædicit adeò magnam grauemq; fore; vt quæ inter celeberrimas & antiquiſſimas orbis vrbes antiquo Syrorum genere connumerabatur, poſt cladem illam è ciuitatum catalogo tollatur; vtpote quæ exciſa, & in aceruos ruinæ redigenda ſit.* Aceruus lapidum in ruina. *Hebraicè ad verbum* Aceruus ruinæ. *Maximam molem Damaſci antea conſpectam, maximum & conſpicuum ruinæ teſtem cumulum conſecuturum ait: qualem ante aliquot annos Romæ videre fuit, nondum poſt tot ædificia noua, poſt tot opera inſtaurata, noſtro quoque tempore egeſtum. Non ſolùm autem Damaſcum diruendam, ſed cæteras illius regionis vrbes, captiuis abductisq; habitatoribus & colonis, in vaſtitatem redigendas, Vates prædicit.*

Derelictæ ciuitates Aroër gregibus erunt: & requieſcent ibi, & non erit qui exterreat.

AROER *Damaſcenæ regionis partem fuiſſe ita appellatam ab inſigni in illa regione vrbe eiuſdẽ nominis cũ altera apud Ammonitas, de qua ſcri-*
Deut. 2. *ptum eſt: Ab Aroer quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon: & cum tertia*
Num. 32. *etiam vltra Iordanem à tribu Gad condita. S. S. E. Igitur extruxerunt filij Gad Dibon, & Atharoth, & Aroer, &c. Hanc regionem præter D. Hieronymum, alij etiam Hebræi ſcriptores, vti Ioſephus Hiſpanus, in Damaſceno agro eſſe indicarunt. Eſt autem* GHAROGHER *nomen ab eodem verbo deductum cum* GHIR, *quod vrbem ſignificat: quamobrem Iſaias, vti ſæpius Prophetæ, atq; ipſe cumprimis, ſolent, verborũ affinitate ac metathesi literarum vſus eſt Hebraicè hac oratione pronuncianda, quam Latinus referre non poteſt ſermo.* GHAZVBOTH GHARE GHAROGHER LE-

GHA-

GHADARIM. *Nam verbum* GHAZVBOTH, *pro quo interpres noſter reddit, derelictæ, affinē aliquo modo vocem habet cum* GHAROGHER; *ſed ſignificationem omnino contrariam: ſiquidem, gharogher, ex etymo excitatam vrbem, vel excitantem vrbem, hoc eſt, vrbium excitatricem, ſiue matricem vrbium, ſignificat; quòd frequentiſſimam hominum copiam parere aleréq; poſſet. Huius tam fœcundæ regionis vrbes derelictæ vaſtatæq; erũt, colonis atq; habitatoribus abductis; & redactæ in ſolitudinē Ghedarim gregum & pecorũ, quæ neque vrbibus, neque vinetis aut hortis ab aliquo arceri poßint: quippe non erit, qui exterreat. Dicta autē & pronunciata ſententia in Damaſcum, Iſraëlitarum etiam pœna huic affinis prædicitur.*

Et ceſſabit adiutorium ab Ephraim, & regnum à Damaſco.

EPHRAIM *hoc loco Iſraelitarum regnum ſignificat à Iudæis iam diſtinctum: namque poſt diſceßionem decem tribuum à duabus, altera pars Ephraim, altera Iuda nuſquam in ſacra Scriptura confuſis poſtea nominibus dictæ ſunt. Omnes autem Iſraelitarum vrbes, tam eas quæ vltra, quàm quæ citra Iordanem ſitæ eſſent, Senacheribi armis ita diruēdas & vaſtandas Vates prædicit, vt nulla earum munitionem aliquam retineat. Adiutorium enim munitionem interpretamur ex verbo* MIBTSAR, *in hac ſignificatione frequentiſſimo: nam verbum, ceſſabit, Hebraicè paßiuam habet & vocem & ſignificationem. nullum erit ampliùs præſidium in Ephraim, nullum oppidum vel natura vel opere munitum. Et Damaſcenum regnũ omnino euertetur: ad verbum poſſemus vertere: Et regnum à Damaſco priuabitur. Nam poſt occiſum Raſin, Damaſci regnum nullum ampliùs fuit; & regio ab aliis aliisq; gentibus, ab illo antiquo Arameorum ſiue Syrorum genere extraneis & alienis, variis temporibus occupata eſt. Hoc eſt quod ſubiungitur:*

Et reliquiæ Syriæ ſicut gloria filiorum Iſraël erunt, dicit Dominus exercituum.

SI *Damaſcus & vrbes Gharoer, quæ præſtantiſſimæ munitiſſimæq; totius regionis fuerant, ad ſummam vaſtitatem redigendæ erant; quid ſperare cæteræ illius Syriæ vrbes aut oppida, aut pagi reliqui poſſent? nullam profectò proſperiorem ſortem, quàm quæ filiorum Iſrael amplitudini obtigit. Nam gloriæ nomine magnificentiam, honorem, amplitudinemq; ſignificari iam docuimus; ſiue autem gloriam filiorum Iſrael vrbes omnes, quibus filij Iſrael ornabantur, ſiue ipſum genus nomenq; filiorum Iſrael interpretemur, quod abductum diſperſumq; fuit. Idem iudicium Arameorũ reliquiis, ſiue oppidorum, ſiue virorum, ſubeundum eſſe prædicitur; vt nullum decus, nullum illuſtre nomen ſuperſit: hãc verò vtrique genti calamitatem ex vindicis vltorisq; Dei lata ac pronunciata ſententia venturam eſſe, Vates confirmat. Dicit Dominus exercituum, Deus propoſiti ſui princeps ac tenax, atque ad res gerendas, & pœnas perſequendas potentiſſimus. Illa autem calamitas quanta Iſraelitis futura eſſet, tum euentu ipſo, tum modo quo inferenda eſſet, à Vate delaratur, ſimul & diuinum iudicium ſignificatur.*

Et erit in die illa: attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo carnis eius marceſcet.

Comment. in Amos. c 6 In Appar. lib. Ioſeph.

MEMINISSE *oportet diſtinctionis illius inter nomina Iacob & Iſrael, quam ſæpè in Commentariis noſtris, atq; in Apparatu ſacro ſemel, dilucidè indicauimus. Eſt enim Iacob nomen humilitatis, inopiæ & paupertatis monumentum, vt contrà, Iſrael magnitudinis & amplitudinis (Deo auctore) acceptæ. quam diſtinctionem à Vatibus, aliisq; ſacris Scriptoribus perpetuò obſeruatam fuiſſe comperimus. Igitur vt Iacobus dignitatem illam nomenq; Iſraelis à Deo acceperit, quo tempore fide & obedientia atq; obſeruantia ſumma Deum ipſum colebat, iiſdémque officiis ac pietate retinere tueriq; poſſet: ſic poſtquam à fide & obſeruantia deſciuerat; neque Iſraelis nomine, neque dignitate iure vti aut frui poterat; ſed ad ſuum Iacobi nomen & gradum redire debebat, atq; ita iudicio diuino, quod iuſtiſſimum æquiſſimumq; eſt, Iacob nominabatur, etiam ſi ipſe nomen Iſrael ſibi iniuſtè arrogaret. Iam verò res ipſa naturæ atq; iuris ratio non patitur, vt Iacob, qui tenuis, humilis, inopſq; ſua ipſius conditione eſt, diues, pinguis, honoratus, ſplendidusq; exiſtat; multo minùs vt ſuperbiat, ſicut Amoſus aiebat:* Amos 6. *Iurauit Dñs Deus in anima ſua, dicit Dominus exercituum; deteſtor » ego ſuperbiã Iacob. Iam ergo nouimus quam ob rem hoc loco Iacob nomē appelletur, cui rationi facilè cætera orationis verba cōſentiunt. Nam* KABOD, *pro quo interpretes frequenter gloriã reddũt, corporis amplitudinẽ, magnitudinem, & molẽ, carniſq; ſpiſſitudinẽ propriè ſignificat, ex quo verbo* KEBED *nomen fit; quod iecur denſiſſimam corporis partem interpretamur: inde verò per tranſlationem ad gloriam, honorem, & æſtimationem (quam aptè Latinus ſermo amplitudinem dicit) ſignificandam vſurpatur. Iam verò ſatis aperta huius antitheti ſententia, amplitudo illa Iacob contra naturam & rationem tumeſcens, attenuabitur; pinguedo carnis eius marceſcet: ita vt ex carnoſo & pingui, tenuis macerq;, ſuæq; conditioni reddatur. Hæc autem metaphoricè dicta quid ſignificent, ſimpliciter & hiſtoricè expoſita declarauit ſatis apertè Chaldæus Paraphraſtes,* Humiliabitur gloria ac decus Iacob: & diuitiæ gloriæ eius migrabunt. *Populum illum opibus, hoc eſt, hominum frequentia & copia ac diuitiis illis partim occiſis, partim abductis, his verò omnino direptis priuatum iri. Id verò quo pleniùs abſolutiúſque conficiatur, repetito iteratóque bello gerendum eſſe ait, ſubiuncto verſu:*

Et erit ſicut congregans in meſſe quod reſtiterit, & brachium eius ſpicas leget: & erit ſicut quærens ſpicas in valle Rephaim.

HOSTIVM *in attenuandis Iacobi filiis diligentiam & contentionem, propoſitis ſimilitudinibus indicauit vates. Namq; Aſſyrij non ſatis eſſe putauere ſemel Iſraëlitas bello ſuperatos in vniuerſum occidere, vel capere & ſpoliare: ſed renouata expeditione, ſingulas vrbes populabũdi & vaſtabundi petierunt. hoc eſt quod duplici ſimilitudine Iſaias præſignificabat. vt homo, inquit, qui metit culmum: namq; nobis hoc loco (quod reſtiterit) culmos ſegetum ſignificat, ex Hebræo nomine* KAMA, *qui manu dextra metit, ſini-*

*ſtra*

*ſtro autem brachio copiam illam culmorum demeſſam excipit: ſic Aſſyrius hoſtis prima expeditione magnam populorũ & opum vim armis exſciſſam auferet, deinde verò iterum reuerſus ſingulas totius regionis vrbes deuaſtabit, ac diripiet. Priorum expeditionum ſimilitudo expoſita eſt, poſteriorum verò adiuncto hemiſtichio ponitur:* Et erit ſicut quærens ſpicas in valle Raphaim. *Poſt meſſem enim accedentes pauperes, neglectas aut prætermiſſas ſpicas manu legunt diligenter & ſingillatim, eaq́ ratione ſibi victus partem comparant. erit itaq; hoſtis vt meſſor, erit etiam hoſtis vt ſpicarum relictarũ collector. indicata eſt verò vallis Raphaim per Metonymiam figuram, prò quocumque agro minùs fertili, qualis illa vallis non procul à* Ioſue 15.
*Ieroſolymis erat, ſteriliori ſolo, vtpote Septentrionem ſpectante. In illa valle rariores atq; humiliores ſpicas à meſſoribus relinqui ſolere natura ipſa locorum indicat, eaſq́ faciliùs ac citiùs legi à collectoribus poſſe pauca & rara. Opida vrbeſq́ non frequentes, præter Samariam, relicta eſſe legimus, ex primo Aſſyriorum impetu: quæ poſtea omnia vaſtata, demum ac direpta ſunt. Sunt autem duo verba in ruſticæ rei ſermone, quæ duas illas metendi & ſpicandi (vt ita dicamus) ſiue relegendi curas ſignificant,* KATSAR, & LAKAT: *quæ hîc à Vate propriiſſimè vſurpantur. Quòd verò diuino conſilio proſpectum erat, ne Iſraëlitarum familiæ omnes illa clade & calamitate occiſæ aut abductæ perirent; ſed aliqui ſupereſſent, qui Iſraëlis nomen tuerentur ad promiſſionum patribus factorum conſtantiam: id Iſaias additis etiam ſimilitudinibus, prænunciauit.*

Et relinquetur in eo ſicut racemus, & ſicut excuſſio oleæ duarum vel trium oliuarum in ſummitate rami, ſiue quatuor aut quinque in cacuminibus eius fructus eius, dicit Dñs Deus Iſraël.

RACEMVS *hoc loco non vineæ fructum, ſed omnes poſt collectionem relictos fructus ſignificat, quos Hiſpani Rebuſcos vocant. Reliquias itaque Iſraëlitarum ex omnibus tribubus poſt illam cladem ſuperſtites impetum decerpentium euaſuras eas dicit, quæ ad Iudeæ regnum & Ieroſolymã vrbem confugerint. Raras illas quidem, ſed quæ oliuæ, hoc eſt Iſraelitici populi fructus nomine definiantur; & reliquias Iſraelis, promiſſorum patribus factorum cauſa, propagent. Erunt, inquam, rari, qui hoc modo ſuperſtites euadant, nempe duo vel tres oleæ in ſummitate rami qui medius in olea eſt. Hac imagine Ieruſalem & Iudæa ſignificatur. quatuor aut quinque in cacuminibus eius: ex Hebraica proprietate alios ramos intelligimus, qui comam arboris ambiunt, quorum poſtremò fructus quòd minores ſint aut rariores, & operæprecium non facturi legentibus exiſtimantur, relinqui ſolent. Hoc autem fiet ex miſericordia Dei Iſraelis, qui promiſſa Iſraeli facta præſtiturum ſe recepit. Namq; omnia hæc ad Chriſti promiſſi & exhibendi rationem pertinebant. Iam hîc clarè videmus & agnoſcimus nominum Iacob & Iſrael diſtinctionem ſuis ſingularibus rationibus appellatorum. Si quis hanc huius lectionis ſimplicitatem ad allegoricos alios ſenſus referre velit, Procopium & Euſebium, ac breuiùs Chaldæum Paraphraſtem legat. Quoniam verò diuinæ ſeueritatis exempla in aliquos edita, non minùs*

*eru-*

erudire ſolent eos qui ſtudioſè & attentè ſpectant in ſuam ſalutem, quam miſericordiæ etiam inuitare, & prouocare ad Dei amorem prædicit Vates euentum ex illa Damaſcenorum & Iſraelitarum punitione: fore videlicet vt agnoſcatur ab iis, qui ſibi rectè proſpicere ſtudent, vnius veri Dei præſidio, atque ope, & conſilio eſſe nitendum.

In die illa inclinabitur homo ad factorem ſuum, & oculi eius ad ſanctum Iſrael reſpicient: & non inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus eius: & quæ operati ſunt digiti eius non reſpiciet, lucos & delubra.

HOMO nomen, cùm ex Hebraico Adam transfertur, vnumquemque hominem nobis ſignificat; ea ratione qua natura ipſa humana definitur, facta ad imaginem & ſimilitudinem Dei, lapſa poſt peccatum primi parentis, vario & multiplici vitio corrupta; verùm ad virtutis & pietatis ſtudiũ exercitationemq́; apta, ad diuinas humanaſq́; res cognoſcendas habilis & idonea, & tandem quæ vel propria culpa exitium ſibi parare, vel virtute ac fide ſaluti ſibi à Deo afferendæ poſſit conſulere. Atq́; hoc nomine non vna aliqua natio, vt Iſraelitica aut Idumæa, ſed omnes in vniuerſum Adæ filij ſignificantur. Igitur diuinæ vel miſericordiæ, vel ſeueritatis exemplis à ſe ſpectatis, & diligenter cognitis, vnuſquiſque homo (qui verè hominis & nomen & conditionem ſequi ac tueri vult) quid, quemadmodum ad ſuam vtilitatem ſibi vtendum ſit, diligenter proſpicit, & ſtatuit. Huiuſmodi autem ſententiam oratio hæc à Vate pronunciata nobis refert: fore vt quicunque homines verè ac iure dici volent, hoc eſt, qui virtute & facultate humana rectè vtantur, ſpectata Damaſcenorum & maximè Iſraelitarũ punitione, cum præcedentibus vaticiniis ad amuſſim quadrante, oculos animumq́; ad Deum, orbis totius auctorem, & mundi atque hominum gubernatorem, ac ſingulariter prouidētiam, miſericordiam, iuſtitiamq́; ſuam erga Iſraëlitas in aliorum exemplũ oſtendentem cõuertant, illumq́; timeant, venerentur, & colant; vtpote efficaciſſimum, & conſilij dictiq́; ſui maximè compotem, omniſq́; humani boni auctorem, & mali publicè vel priuatè illati iuſtiſſimo iudicio conſtitutorem; atque relictis depoſitiſq́; de aliorum Deorum & ſimulachrorũ efficacitate ſententiis & opinionibus hunc vnũ reſpiciant. Id autem non ſolùm apud Iudæos, qui illius Ephraitarum cladis expertes fuerũt, & apud Iſraëlitarum etiam ſuperſtites reliquias, verùm etiam apud omnes gentes quas huius rei cognitio & fama certiores fecerit, futurum eſſe ait. Hæc in ſumma huius loci ſententia eſt, quam verborũ expoſitio declarat. In die illa. Cùm Damaſceni, qui pernitiem Ieroſolymis, & conſiliis diuinis impedimentum afferre moliebantur; & Ephraitæ, qui à Dei ſui fide & cultu deſciuerant, hoc modo puniti fuerint; cùm reliquiæ illius populi, tamquam reſeruatæ & exceptæ in oleis bacchæ, conſpicerētur; non ſolùm Ezechias, qui tempore ſuo vanorum deorum cultum, omnemq́; ſimulachrorum ſuperſtitionem penitus Ieroſolymis abſtulit. Sed, ô homo. Hebraicè articulum energeticon hæc vox habet. Homo, inquit, qui iudicari poſſit, agnoſciq́; hominis ac generis ſui obſeruator, inclinabitur. Verbum

SA-

SAGHAH *animi affectu & effectu ac probatione attendere ſignificat, pro*
*quo interpres noſter aliquando vertit, reſpicere, nonnunquam acquieſce-*
*re, & clamare. Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain* Gen. 4.
*autem, & ad munera eius non reſpexit. & illud: Opprimantur operibus &* Exod. 5.
*expleant ea, vt non acquieſcant verbis mendacibus. & clamabunt, & non* "
*erit qui ſaluet. Ex quibus rationibus verbum Inclinabitur, hoc loco eſt ex-* "
*ponendum, vt Græci interpretes rectè declararunt,* πεποιθὼς ἔςαι. *&*
*Chaldæus, Innitetur cultui factoris ſui. Namq; omnis in vniuerſum cog-*
*noſcendi & colendi Dei ratio ad duo præcipuè capita refertur, cōditionis &*
*ſalutis, ſiue renouationis. Qua etenim vnuſquiſque ratione mundi huius*
*fabricam & ſtructurā, & ſuam ipſius præcipuè naturā conſiderat, Deum*
*auctorem intelligit, cui vt ſe ſuaq; omnia accepta referri oportere cognoſcit,*
*ita regenda & gubernanda committi debere intelligit. Qua verò hūc eun-*
*dem Deum totius humanæ naturæ auctorem, ſingulariter etiam erga ean-*
*dem humanam naturam proſpicientem & conſulentē, aliudq; maius quàm*
*conditionis opus efficientem eſſe, docetur; idq; vnius populi in cæterarū gen-*
*tium lucem conſtituti exemplis accipit, & tenet eundem ſalutis & renoua-*
*tionis ſuæ principem & explicatorem petit. Fuit autem huius poſterioris*
*Dei actionis Iſraël teſtis ac documentum gentibus omnibus, vt hoc tempo-*
*re Chriſtianus populus eſt, qui verè Iſraelis nomen ſecundùm ſpiritum ob-*
*tinet. Vt verò verbum prius, inclinabitur, ad animi attentionem, ſic poſte-*
*rius, & oculi eius reſpicient, ad mentis ſenſum, atq; actionum ſtudiorumq;*
*intentionem referimus.* Ad ſanctum Iſraël. *Qui ſe ſolum Deum verum,*
*hominum curatorem & ſeruatorem ac iudicem declarauit ſingularibus &*
*conſpicuis exemplis editis erga Iſraelem. S. S E. In exitu Iſrael de Ægypto* Pſal. 113.
*domus Iacob de populo barbaro. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael* "
*poteſtas eius. Idem autem qui ſe beneficiis erga Iſraelem conferendis, ſan-* "
*ctum probabit ſeuerioribus etiam punitionibus & animaduerſionibus erga*
*eundem officium ſuum prodentem, declarauit. S. S. E. Sanctificabor in iis,* Leui. 10.
*qui appropinquant mihi, & in conſpectu populi glorificabor. Iſraelitæ igi-* "
*tur relicti & ſuperſtites ex illa clade à Iudæis (Ezechia auctore) atq; adeò*
*homines, qui homines rectè dici poſſunt, quo tempore huiuſmodi exempla*
*extabunt, inclinabuntur animo ac mente ad Deum ſolum efficacem, ſolum*
*hominum auctorem, ſolum Iſraelitici populi ad ſalutem humanā expedien-*
*dam electorem, & auertent animos & cogitationem à vano cultu, & pro-*
*curatione inutili ararum, lucorum, ac delubrorum, quæ cùm ipſi ſibi homi-*
*nes nulla auctoritate ducti inuenerint, & parauerint inutilem curam, &*
*laborem plurimum: atq; adeò Dei erga ſe vel deſertionem, vel indignatio-*
*nem moliti ſunt, lucos Diis conſecratos, fuiſſe conſtat & ex ſacris & pro-*
*phanis literis. vt, Lucos eorū ſuccidetis. &, Cùm lucus & ara Dianæ, &c.* Deut. 7.
*Delubra Hebraicè* HAMMANIM. *Calida loca Soli ſacra ſignificat: erantq;* Horat. in Art. Poet.
*oracula credita ex quibus reſponſa petebantur, vaniſsimaq; referebantur:*
*quo nomine ara fuit in Cyrenaica prouincia Ioui Hammoni dicata, quem*
*ex verbi ſignificatione Iouem æſtuoſum Latinus Poeta nominauit. Neque* C. Iuli.

*verò noſtri inſtituti, neque ſuſcepti modò negotij eſt de ſingulis huiuſmodi rebus diſſerere; quas in aliud tempus, & proprium locum reſeruare volumus. Animaduertendum autem eſt vaticinium hoc ad Chriſti vſque, immo ad noſtrum etiam tempus pertinere; vtpote quod diuinæ tum iuſtitiæ, tum miſericordiæ exemplorum euentum indicet; videlicet in erroris & mali conſilij in bonum mutationem: quæ huiuſmodi exempla à Deo edita, conſequi ſolet; quamquam aliquando (vt humani ingenij inconſtantia eſt) citò frigeſcat, ac deſinat. Sic Ezechiæ tempore, ſpectatis erga ſe miſericordiæ beneficiis, & erga Iſraëlitas, iudiciis Dei, Iudaicus populus mentem mutauit & correxit.* In illa, *inquam,* die: *hoc eſt, tempore illo, cùm hæc exempla edentur: ſemper igitur cùm hæc exempla fuerint, id conſequetur, quod Vates hic indicabat: atq; adeò maximè id eueniet Euangelij temporibus, in quæ Prophetæ omnes intendebant; cùm manifeſta & frequentia diuinæ miſericordiæ ac iuſtitiæ extabunt exempla: namq; duo hi verſus interiecti ſunt à Vate ſententiæ, oportunæ obſeruationis cauſa, qui rediens ad propoſitum vaticinium de Iſraëlitarum vaſtatione, ſubiunxit:*

In die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelictæ ſicut aratra, & ſegetes quæ derelictæ ſunt à facie filiorum Iſraël, & eris deſerta.

HVIVS *loci ſimplex & cohærens expoſitio illa eſt. Vrbes munitiſſimas Iſraëlitarum non magis eſſe propugnandas & conſeruandas quàm arati, & aperti agri pars aliqua; quamquam ſegetes propugnari aut defendi poſſint; quod aduenienti hoſtili exercitu fieri non poſſe manifeſtum eſt. Quòd ſi hoc munitis vrbibus accidet, facilè argui poſſit quid reliquis oppidis ſperandum ſit, id quod Vates continuò exponit:* Erit deſerta à facie filiorum Iſraël. *Cedentibus abductis, & recedentibus Iſraëlitis, terra deſerta erit. Sunt qui hæc ad hiſtoriam Ioſue referant, quibus neceſſe eſt ex vna ſimilitudine duas facere; ſed quoniam id neque Hebraica, neque Chaldaica lectio, neque Latina noſtra verſio indicat, id quod ſignificare locus ipſe videtur, exponimus; maximè cùm tempore Ioſue terra relicta à Cananæis, non fuerit deſerta, vt Hebraica lectio habet* SEMAMAH, *vaſtata, & in ſolitudinem redacta, vti fuit poſtquam decem tribus abductas deſiderauit, tunc enim verè relicta eſt* SEMAMAH, *vt ex ſacra hiſtoria conſtat. Sicut aratra & ſegetes non pro inſtrumento, ſed pro aratri parte vſurpatum videtur. Verbum Hebraicum* HAHHORES, *& illud alterum* HAAMIR, *pro ſegetibus accepit interpres noſter, quod tertio ante verſu pro ramo acceperat, ſicut alij interpretes, & linguarum periti accipiunt. Chaldæi & Græci interpretes* παραφραςικῶς *magis, quàm ad verbum hæc expoſuere. Huius autem deſolationis & vaſtationis iuſto Dei iudicio decretæ rationem Vates ipſe exponit, & ſubiungit:*

Quia oblita es Dei ſaluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata.

OMNIS *enim fortitudo illorum, quæ ita verè dici poterat, nō vrbium, & operum præſidiis, ſed Dei ſeruatoris tutela, & fortis adiutoris defenſione conſtabat; quem cùm ſibi conſeruare obliti fuerint Iſraëlitæ, ſeſe vincendos,*

cendos,

*cendos, expugnandos, abducendos, terramq́ ſuam vaſtandam hoſtibus tradiderunt; atq; ita culturæ ſuæ fructus dignos perceperũt, vt derelinquentes Dominum & illius cultum, in meram vanitatem degenerarent: cumq́ electiſsimè plantati fuerint, ſemen protulerint deterrimum, ex quo nihil bonæ frugis productum eſt. Huiuſmodi enim ſimilitudine Iſraëlitarum degenerationem ſignificauit Iſaias.*

Propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum ſeminabis.

Ex *Sacris hiſtoriis cognouimus Iſraëlitas, poſt diſceſsionem à Iudæis, templa & cultus inſtituiſſe alio ritu & loco quàm conſtitutum ipſis in lege fuerat, & tamen prædicaſſe ad Dei veri & ſancti Iſraël numen celebrandum illa eſſe inſtituta; atq; ita magna gratulatione & ſe, & filios ſuos ad eum errorem tuendum, ſanctitatis ac religionis nomine cõfirmaſſe: cùm verè illa degeneratio eſſet, & obliuio Dei, qui aliter, quàm ab ipſis agebatur, agendum præceperat. hoc Propheta nobis hac plantandi & colendi, atq; metendi ſimilitudine ſiue tranſlatione ſignificat. Propterea, inquit, quòd oblita es Dei ſaluatoris tui, plantabis tu quidem plantationem fidelem iudicio tuo, ſaltem libidini tuæ ſpecioſam & iucundam: namq; ſic exponimus illud nomen Latinum, fidelem, hoc loco ex Hebraico* NAGHAMANIM, *quod iucundum & placens ſignificat, atq; ſpecioſum: atque ita tuam illam diſciplinam docebis filios tuos; plantationem, inquam, ſpecioſam, & in ſpeciem iucundam plantabis: ſed re vera germen ipſum, quo plantatio conſtabat, alienum erat, & non à Deo procreatum, ſed à te ſeminatum. Feciſti enim in ea re id quod bonum videbatur in oculis tuis, nõ autem id quod probabatur Deo: peſsima enim, & à veritate aliena doctrina te ac tuos infeciſti. Eiuſdem ſignificationis hæc oratio eſt cum illa, Pueris alienis adhæſerunt. Verba autem, plantabis, &, ſeminabis, ſiue, cum adiuncto, ſeminabis, illud videlicet germen in futuro tempore enuntiantur: quo mos, conſuetudo, & actio ipſa ſignificatur, etiam ſi ad præteritum aut præſens referenda ſint. Eſt enim ironia figura, vt: Inſere nunc Melibæe pyros, pone ordine vites.* Verg. Buc.
*I nunc & verſus tecum meditare canoros. Quem verò progreſſum, cuiuſmodi ſucceſſum illa plantatio habuerit, ſubiunctis verſibus Iſaias exponit, vt ex huius rei animaduerſione plantationis prauitas cognoſcatur.* Horat. epiſt.

In die plantationis tuæ labruſca, & mane ſemen tuum florebit: ablata eſt meſſis in die hæreditatis, & dolebit grauiter.

Viliora *& ruſticiora, magisq́ vitioſa ac minùs ſolida plantarum genera omnia, ſicut ex agriculturæ diſciplina & experientia cognouimus, citiùs naſcuntur & creſcunt, & florent maturiùs; verùm fructus tandem reddunt, aut tenues & infelices, aut prorſus inutiles. S. S. E. per ſimilitudinem: Qui ſeminat iniquitatem, metet mala: & virga iræ ſuæ confirmabitur. Ita Iſraëlitis accidiſſe Iſaias ait; quibus plantatio illa magno gaudio & plauſu ſuſcepta, cùm primùm hærere cœpit, perinde aucta eſt, ac ſpiſſa ramorũ creſcentium luxurie, vt labruſca videri poſſet, quæ multo citiùs & lætiùs quàm generoſæ vites initio creſcit & ſoboleſcit. Exponimus verbi* Prou. 22.

*Hebraici* THESAGSEGI *ſignificationem, pro quo interpres noſter labruſcam reddidit. Significat autem propriè creſcere & luxuriari, idq; vehementer ex repetitione vocis* SAGSAG. *Satis, inquit, labruſcæ inſtar luxuriaberis, & amplificaberis initio plantationis illius doctrinæ inutilis à te plantatæ multiplicibus capitibus, ramis & frondibus vndique auctis, vt hominum ingenium eſt ad inutilia & vitia ponenda, & producenda plus ſatis fœcundum. Atq; poſtera die, breui inquam tempore, ſemen tuum florebit, magnamq; ſpeciem præbebit fructus & copioſi, & boni: at verò vltimus huius rei exitus ille fuit, quòd calamitoſa die hæreditatis, cùm ex hæreditate fructum percipere oporteret, ablata eſt meſſis ab hoſtibus, qui te, cum filiis tuis, ac rebus publicis & priuatis omnibus abſtulerunt, & impulerũt; tibiq; dolor grauiſſimus eſt relictus. Hanc expoſitionem ex verſionis noſtræ & Hebraicæ orationis ratione petitam verba ipſa Hebraica confirmant.*

Gen. 4. *Namq;* NED, *remotionem & vagationem interpretamur, iuxta illud: Va-*
*» gus & profugus eris ſuper terram. Vbi idem verbum eſt.* KATSIR *verò & coma arboris & plantæ & meſſis dicitur.* NAHALAH, *percuſſionem, & hæreditatem interpretari ſolemus, atque omnis ſententia hæc ad Iſraëlitarum calamitatem ab hoſtibus Aſſyriis allatam referenda eſt. quotidie plantatio omnis euulſa fuit, magno, & graui ipſorum qui plantati fuerant, & qui plantauerant dolore. Aptiſſimè autem hæc omnia in Iudæos iaciuntur, qui Chriſtum contemnentes & repellentes, inutilem illam & vmbratilem rituum & ceremoniarum ſuarum plantationem tueri, & promouere ſtuduerunt, ex qua abductionem, inſtabilitatem, & laborem, doloremq; plurimum, præterea nullum fructum acceperunt. Hæc quòd allegoricè dicta fuerunt, Chaldæus Paraphraſtes eleganter in alium ſenſum exponit: quem commentatores omnes vel ſecuti, vel imitati fuiſſe videntur. Quoniã verò hoc capite Iſaias populorum omnium qui Iudææ regnum perdere, atq; adeò Dei conſilia impedire moliebantur, clades commemorare cœpit, poſt prædictam Syrorum & Iſraëlitarum vaſtationem, Aſſyriorum etiam qui & ipſi Iudæam vaſtabundi inuaſerunt, pœnas à Deo ſumendas prædicit.*

Væ multitudo populorum multorum vt multitudo maris ſonantis: & tumultus turbarum, ſicut ſonitus aquarum multarum. Sonabunt populi ſicut ſonitus aquarum inundantium.

SIMPLICEM *loci huius interpretationẽ ſecuturos, Senacheribi hiſtoria facilè ducit, atq; inſtruit: qui Iſraëliticam regionẽ cum frequentiſſimo, ac variis nationibus inſtructo exercitu ingreſſus tanquã mare vndis ac fluctibus obduxit, & non ſecus atque mare terras inundans vaſtauit, quod ita futurum, ſed à Deo vindicandum & reprimendum præuidens Iſaias minarum, plena oratione prædixit.* Væ multitudo maris ſonantis. *Non ſolùm copia maxima militum, ſed ex linguarum atq; morum diuerſitate, illos magnum tumultum excitaturos prædicit. Hebraicè ad verbum.* Vt tumultuantur maria, tumultuabuntur. & tumultus turbarum. *Nomen turbarum Hebraicè eſt* LEVMIN, *quod propriè nationes linguis moribúſque diuerſas exponimus, aliàs ab interprete noſtro, populi, vertitur, vt in Pſal-*

mo:

*mo: Populi meditati ſunt inania. Ideo verò quòd varius moribus & ſermonibus eſſent, ſtrepitum & ſonitum vt referrent neceſſe erat:* Vti ſonitum aquarum multarum. *Quod verò iiſdem omnino verbis repetitur Hebraicè & Latinè:* Populi ſicut ſonitus aquarum multarum, *ſiue, copioſarum: vt Hebraicum verbum* CHABIRIM *exponitur: ita, inquit, ſonabunt. neque verò repetitio poëtica eſt ſuperioris hemiſtichij, ſed adnotatio ad antitheton, quod continuò ſubiicitur:* Pſal. 2.

Et increpabit eum, & fugiet procul: & rapietur ſicut puluis montium à facie venti, & ſicut turbo coram tempeſtate.

HIC *magnus magnorum & multorum populorum exercitus, cum ducibus imperatoreq́; ſuo, Deo increpante, non hominum manu, non alio modo, aut arte aliqua humana, non vocibus tonitruis, aut aliis huiuſmodi rebus, quibus terreri ſolent homines; ſed altiſſima & inacceſſibili atq; inuincibili, omnemq́; aliam vim, longè ſuperante virtute fugiet. Verbum autem,* fugiet, *pro, peribit; &, nullus erit, exponimus.* procul, *non ad locum, ſed à loco exponimus: hoc loco namq; Hebraicè ad verbum eſt, à longinquo; ſignificatq́; inacceſſibilem virtutem Dei: quam duabus ſimilitudinibus adiunctis, validiſſimam fore, ſignificauit Vates.* Rapietur ſicut puluis montium: *Hebraicè ad verbum:* Et ſectabitur vt gluma montium. *Validior namque & vehementior in montibus quàm in planis ventus ſentitur, & maiori impetu gluma, ac tenues in monte paleæ & pappi impellũtur, longiusq́; propulſantur propter loci altitudinem, & ſubiacẽtis aëris ſpacium, quo impulſa, ne citiùs in terrã decidant, ſuſtinentur.* Turbinẽ *verò hoc loco iuncorũ, carduorum & aliarũ herbarũ, vti leonis dentis leueis ſphærulas interpretamur, quæ venti impetu vehemẽti (qualis is eſt, qui Hebraicè* ZZVPHAH; *Latinè propriè, turbo, dicitur) comprehenſa, magno impetu impelluntur; tandemq́; vi maxima impulſa, in pappos ac floccos diſiecta abeũt, & pereunt. His itaq; ſimilitudinibus ſubita & vehemens Aſſyriorum exercitus clades deſcribitur, collatis illis verbis, cum re ipſa increpauit eũ à longè, &c. Namq; hæc verba diuinam vim, illa verò,* fugiet, & rapietur, *rei efficiendæ celeritatem ſignificant; illa autem,* vt puluis montium & turbo; *ad antitheton pertinent illorũ, multitudo populorum, &c.* Sicut puluis à facie venti. *Orationem ex Pſalmo retulit, vt ſacri auctores vſurpare interdum libenter ſolent: Fiant ſicut puluis ſiue gluma à facie venti: & Angelus Domini coarctans eos. Hanc verò ex tranſlatione ac ſimilitudinibus confectam, ideóque obſcuriorem orationem Vates ipſe, ſubiuncta expolitione declarauit.* Pſal. 35.

In tempore veſpere, & ecce turbatio: in matutino, & nõ ſubſiſtet.

EX *interpretatione illius nominis,* turbatio, *huius expoſitionis ſententia exponitur. Eſt autem* BALAHAH, *ſubitus & repentinus terror & pauor, qui ex percepti & celerrimi impetus vi in hominum animis fit, pro quo interpres noſter aliàs formidinem, interitum, inopiam, & nihilũ, vertit. vt apud Iob: Redactus ſum in nihilum. & apud Ezechielem: In nihilum redigam te, & non eris: & requiſita non inuenieris in ſempiternum.* Iob. 18. 27. 30. Ezech. 26.



*Huiuſ-*

*Huiuſmodi conturbationem, terrorem, & adnihilationem (vt ita dicamus) ſignificauit Iſaias in caſtris Aſſyriorum Angelo percutiente, vna nocte futuram, adeò celerem, adeò præcipitatam, vt tantus ille populorũ & gentium, nationumq́; tumultus, qui velut mare terram inundare & inuertere velle videbatur, ante diluculũ omnino extinctus ac deletus, nullus eſſet futurus. S. S. E. Factum eſt igitur nocte illa, venit Angelus Domini, & per-* 4.Reg.19.
„ *cuſsit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia: cumq́; di-*
„ *luculo ſurrexiſſet, vidit omnia corpora mortuorum: & recedens, abiit. Hanc autem ſortem ad Aſſyrios pertinere, veluti alias duas ſuperiùs in Syros & Iſraëlitas eductas dixerat, Iſaias declarat eleganti Epiphonemate.*

Hæc eſt pars eorum qui vaſtauerunt nos: & ſors diripientium nos.

HEBRAICE *oratio hæc participij præſentis eſt, vt à Græcis etiam interpretibus obſeruatur, ea ſic ad verbum reddi poteſt. hæc pars conculcantium nos, & ſors diripientis, ſiue diripientium nos. Ex hiſtoria ſacra cognouimus Senacheribum anno Ezechiæ regis Iuda expugnatas cepiſſe, atq; indictam pecuniam trecentum argenti, ac triginta auri talentorum, belli reuocandi cauſa accepiſſe. Deinde verò, violato denuò pacto, nouam Ieroſolymis ad deditionem & arbitrium tentaſſe, extremam ruinam & excidium repugnantibus aut negantibus minatum: ita manifeſtum fit Aſſyrios, & terram conculcare, diripere, vaſtare, & ſpoliare omnia inſtituiſſe; idq́; agentes & vrgentes fuiſſe à Deo per Angelum percutientem mulctatos. Hæc igitur eſt in oraculo meo pars, quod ſententiam; & ſors, quòd auctoritatem Dei ſententiam ferentis ſpectat, eorum qui poſt conculcatas & vaſtatas vrbes regionesq́; noſtras nos omnino diripiebant. Eſt autem hæc Catholica Prophetæ ſententia in omnes eos pronunciata, qui propter ſuperbiam, auaritiam, & ambitionem minùs potentibus & fortibus vim contra Dei voluntatem & conſilium inferunt, quorum extremus exitus perditio eſt.*

## CAPVT XVIII.

Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt vltra flumina Æthyopiæ.

LABOREM *in hoc explicando capite maximum, quem omnes ferè linguarum omnium interpretes ſubiere, nulla commodiùs ratione commentando, & ſtudioſis legendo vitari vel leuari poſſe putauimus, quàm ſi nihil ex noſtro ingenio, aut ex remotiſsimis & longè petitis narrationibus afferremus, quod orationis ipſius, & verborum ſignificationi non cohæreret; ſed potiùs ex antecedentibus & ſequentibus enarrationem noſtram, quæ cum ipſa re magis cõuenire videatur, inſtitueremus: maximè cùm aliorum narrationibus, atque ad lectorum iudicium aut arbitrium relictis huius lectionis argumentum aliis quidem verbis, non adeò tamen diſsimilibus, à Sophonia Propheta accepermus vaticinato futurum eſſe, vt Chriſti religio ac doctrina, quæ ab Iſraëlitico populo inchoanda erat, ab Orientalibus populis, ac demum ab orbis omnis terrarum incolis ſuſciperetur. Hanc autem eandem mentem & ſententiam Iſaiæ hoc loco fuiſſe ipſa orationis,*

quam-

*quamquam ſublimis, & ornamentorum frequentia conſtantis, explicatio probabit: atque Sophoniæ de hac re oraculum diligenter iam vti putamus, Commentariis noſtris expoſitum ſic habet: Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno: vltra flumina Æthiopiæ, inde ſupplices mei filij diſperſorũ meorum deferent munus mihi. Audiuimus autem in ſuperiori capite Iſaiam affirmantem Dei conſilium de publica hominum ſalute in Iudæa explicandum eſſe, magna autem pœnarum vltionisq́; exempla ſtatuenda in eos per quos humani generis hoſtis denuò Iudæorum nomine & genere diuinum illud conſilium auertere aut impedire ſtudebat: nimirum, Syros, Damaſcenos, Iſraelitas, Samariæ regnum confirmare conatos, ac poſtremum Aſſyrios, qui vndarum & fluctuum maris inſtar omnem terram conculcare & vaſtare parabant: quorum ſuperbiam ac temerarium impetum quemadmodum fregerit, & compreſſerit Deus omnibus ferè gentibus, maximè autem iis qui ſub Aſſyriorum imperio erant notiſſimum, ad poſteritatis perpetuum exemplum ac documentum per hiſtoriarum & traditionum monumenta memoriæ mandatum fuit. Cuius rei recordatione efficiendum eſſe Iſaias prædicit, vt audita fama conſilij diuini de mundi ſalute, atque hominum ſanctificatione per Chriſtum expediti, omnes illæ gentes ad veram religionis lucem procurrant; alias huiuſmodi vltionis in ſe diuinæ exemplum, ſi Deo repugnare & obſiſtere libeat, renouaturas. Hæc totius capitis ſumma ſententia eſt, cuius orationem ex verborum ſignificatione explicabimus. Indiæ Orientalis populos eos eſſe, qui trans flumina Æthyopiæ habitant, & in noſtris apud Sophoniam Commentariis, & in Apparatu ſacro abundè docuimus: & apertè hoc apud Aſiam incolentes eruditos viros receptum erat. Chaldæus enim Paraphraſtes & in Sophonia, & in hunc locum flumina* HODV, *id eſt, Indiæ interpretatur. Appellat autem Vates Indiæ Orientalis incolas metonymicôs ipſius regionis deſcriptione & nomine:*

Soph. 3.

Lib. Phaleg.

Væ terræ cymbalo alarum. *Hebraicè:* O terra vmbroſa alis, quæ ad vltra fluminibus Chus. *Simplicitatem orationis cum ipſis rebus componentes, dicimus hoc loco ſignificari à Vate miram illam Indici ſoli fertilitatem, quod arbores proceriſſimas & ampliſſimas alit, præcipuè ſecundùm flumina; quæ tametſi lato alueo ſunt, ramorum tamen ex arboribus productorum magnitudine, veluti alis extentiſſimis, obumbrãtur. Ita vt, ſicuti auctores antiqui memoriæ prodidere, & Luſitani, qui ea loca nunc frequentant, confirmare nobis ſolent, maxima nauigia in fluminibus ipſis, ſub arborum illarum ramis nauigent, quæ ſolis & ſplendorem & æſtum magnitudine ac dẽſitate arceant ſua, alterius ripæ arboribus ramos vltra alteram proferentibus. Quin & arundinibus, quod minimum inter arbuſta ac tenuiſſimum genus eſſe ſolet, in regione illa breuioribus tricenum paſſuum longitudinem, longioribus verò quinquagenum auctores adſcribant, tanta craſſitudine, vt quibuſdam ternum cubitorum, quibuſdam verò duplam diametron eſſe tradant. Arborum itaq; huiuſmodi, & arundinum etiam deſcriptione Indiam apertè ſignificauit Iſaias, illa fertilitate celeberrimam, præterquam*

Plin. lib. 7. c. 2.
Strabo lib. 15
Herod. lib. 3.
Plin. lib. 12. c. 5. & 6.
Curtius lib. 6. & 9. 10.
Arrianus lib. 5.

*quòd*

*quòd ſitus etiam deſcriptione notauit, flumina Æthyopiæ appellans. Sunt enim illius terræ homines ex Chus Æthiopum patre oriundi, & ab ipſis Æthiopibus qui vltra Nili fontes habitant, ſanguine coniuncti, atque facie concolores, nec minùs Æthyopes ipſi inferiores Indos ſe quàm illi alij Orientales & eſſe, & dici confirmant, vt ſæpè ab illis audiuimus. Lingua etiam vtrique vtuntur, non abſimili valde ex Chaldaicis & Aſſyriis ritiis; atque adeò ex Hebraico fonte deducta. Itaq; non de nauigiorum velis alarum nomine interpretamur: namq; non ita magna nauigiis breuibus vela eſſe poſſunt, vt vmbram terræ efficiant; nec ſi maxima eſſent vela, verè alæ dicerentur, quo nullus auctor diſertior & caſtior in oratione eſt, potiùs dicerentur, maris alæ & vmbræ quàm terræ. Cymbalum verò alarum vmbracula ex alatis arboribus ab ipſa terra productis interpretamur ex reduplicatione verbi* TSILTSEL, *manifeſta apud Hebræos; vmbroſa inquit terra, & adumbrante alis, de qua Strabo ſic: India multas quidem admirabiles arbores fert, ex quibus eſt cuius rami ad terram propendent foliis non minoribus clypeo. Oneſicritus curioſiùs ea perſequens, quæ ſunt in Muſicana terra Indiæ auſtraliſſima, refert arbores quaſdam eſſe ingentes, quarum rami, cùm ad duodenos cubitos creuerint, reliquum incrementum pronum faciant deflexi, quouſque terram contingant, deinde terram ſubeant, ac radices agant, veluti traduces; mox rurſus in truncum exeant, à quo poſtquam aucti fuerint, eodem modo flectantur, & aliam propaginem efficiant, rurſusq; aliam, & ſic deinceps, vt ab vna arbore longum vmbraculum fiat, tabernaculo multis columnis innitenti ſimile. Refert ad hæc miras arborum magnitudines, quarum ſtipitem vix quinque homines complecti queant. Ariſtobolus ad Areſinem fluuium, & vbi is Laritidi permiſcetur, de arboribus dicit, quæ ramos deflexos habent, & de earum magnitudine, vt ſub vna arbore quinquaginta equites meridiari poſſint. Qui dixerunt trans Harotidem viſam fuiſſe arborem, quæ vmbram in meridie faceret quinque ſtadiorum, cunctorum de arborum magnitudine ſermonem exceſſerint. hæc Strabo. Quæ & Plinius, & Herodotus, & Curtius, aliiq; confirmant: quarumdam autem arborum ficus proferentium folia, alas auium imitari Plinius refert longitudine trium cubitorum, latitudine duum. Legantur auctores à nobis citati, vt videatur Iſaiæ ſapientia, qui tribus verbis complexus eſt ſignificantiſſimè quidquid alij omnes de illa regione ſcripſerunt. Nunc facilis eſt nobis orationis explicatio.* O, *inquit,* terra cymbalo vmbraculóve alarum, *adeò magno & extenſo, vt vlteriùs prodendantur alæ fluminibus Chus, adeóque fertili ſolo, vt eadem ſit.*

Quæ mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas. *ſiue,* ſuper facies aquarum.

Mela lib. 3. QVÆ *tanta fertilitate pollet, vt miraculum ſit gentibus aliis videntibus nuncios illius in mare nauigantes, vſq; iunceis ſiue arundineis nauigiis, quippe regionis illius arundinum ſingula internodia nautas binos, & quædam ternos etiam vehant. Hactenus terræ ipſius deſcriptio eſt. Hæc*

*naui-*

*nauigia arundinum internodiis facta illorum lingua* ALMADIE *dicuntur. Manifeſtum autem eſt, iuncorum, arundinum, charectorumq́ſpecies varias interiùs concauas ad duûm genus referri plantarum, ſecundùm fluuiorum ripas, & in paludibus creſcentium; ex horum autem nauigiorum mentione oportunè Vates induxit. Commoditatem Indis futuram cognoſcendi diuinæ ſalutis rationem allatæ primùm Iudæis & Synagogæ, genti videlicet in maximis laboribus & miſeriis antè exercitatæ, ac poſt Chriſtum omnibus admirabilis, omnibus formidabilis ac terribilis.*

Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratam: ad populum terribilem poſt quem non eſt alius: ad gentem expectantem & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.

APOSTOLOS *ac diſcipulos alios, qui poſt Chriſti Ieſu reſurrectionem, ſalutem ipſi per Spiritum ſanctum acceperunt, & aliis etiam gentibus annuntiarunt, gentem exiguam, gregemq́ puſillum fuiſſe ex Iudæis, & Iſraelitarum reliquiis ortos, gentem contemptibilem iudicio mundi, omnibus hominū iniuriis expoſitam, à ſuis met cognatis & contribulibus direptam, ſpoliatam, repulſam, à gentium ſatrapis, tyrannis & principibus nimium vexatam, & vti agnos & oues inter lupos infeſtatam ac dilaceratā ex Euangelij ac ſacræ hiſtoriæ Apoſtolicorumq́ſcriptorum lectione ſatis conſtat. & tamen eoſdem virtute efficacitateq́ ſpiritus, ac verbi diuini præſtantia non ſolùm admirabiles, verùm terribiles aduerſus mundum, mundiq́ potentiam & ſapientiam præſtitiſſe re ipſa, euentu manifeſtum eſt. Si quis enim attentè non ſolùm in ſacris & Eccleſiaſticis, ſed in prophanis hiſtoriis naſcentis Eccleſiæ tempora conſiderauerit, illud veriſſimum eſſe comperiet, quod S. E. Videte vocationem veſtram fratres, non multi ſapientes* 1. Cor. 1.
*ſecundùm carnem, non multi potentes, nō multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt* "
*mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus,* "
*vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, &* "
*ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret. Igitur Vates per enthuſiaſmon* "
*certiſſimum prædicit ſtudium & curam nationibus illis futuram Chriſtianæ veritatis cognoſcendæ ac excipiendæ, adeò vt nuncij ab illis ad eam rem præmittantur, Chriſti diſcipulos, Apoſtolos & Euangelij præcones ac doctores quæſituri, & conſulturi, eorumq́ orationem per conformationis ornamentum exprimit exhortantium nuncios ſuos: Ite nuncij ſiue Angeli: nam Græcum nomen Latinus interpres noſter expreſſit. Ite, inquiunt, ite veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam, ſiue, vt Hebraica verba ſonant, diſtractam & expilatam: ad populum terribilem. Appellatur Chriſtianus populus, terribilis, propter maxima & ſtupenda ſigna, quibus ab initio aduentantis Euangelij, videlicet ante Iohannis Baptiſtæ exortum, hanc ſuam publicæ ſalutis expeditionem Deus eſt conteſtatus: promiſſam quidem Pa-* Heb. 2.
*tribus ante, multisq́ ſignis ad credendum firmatam; quæ cùm initium acce-* "
*piſſet, enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt,* "
*conteſtante Deo, ſignis, portentis, & variis virtutibus, & Spiritus ſancti* "
*diſtributionibus, ſecundùm ſuam voluntatem. Quod verò ſubiungitur,* "

*Poſt quem non eſt alius, ita vt Latinus interpres nobis reddidit, populum Chriſtianum ad mundi vſque conſummationem, ſiue mutationem legis & religionis permanſurũ eſſe ſignificat. Naturæ enim lex quæ ab initio mundi ad Moyſem vſque ſcriptæ legi conceſſit, ſcripta verò lex gratiæ, legi vtpote perfectiſſimæ, tamquam vmbra luci, ſiue imago veritati lampada tradidit, hæc nulli poſteà ceſſit, aut cedet. Sed ſi quis Hebraicæ orationis in hoc loco ſenſum tenere cupiat, quæ ita ſonat, Ad populũ terribilem; ex illo illum eſſe arbitramur, qui ferè cum Latina lectione quadret: Populum Chriſtianum terribilem & inuictum fuiſſe, & manſiſſe, atque adeò permanſurum, ex quo primùm eſſe cœperit, ad ſeculorũ finem vſque & mundi conſummationem. Eſt enim Hebraicus idiotiſmus, quem vt aliquo modo Latiniùs reddere poſſimus, exponere licebit, Quam diu ipſe. Habet enim magnam energiam pronomen* HV, *in Hebraica lingua. Hanc adeò appellationem terribilis, ſiue vt propriè eſt Hebraicè* NORA, *re ipſa & veritate Chriſtiani populi futuram eſſe Moyſes aperto promiſſo prædixit:* Deut. 28. *Suſcitabit te Dominus*
» *ſibi in populum ſanctum, ſicut iurauit tibi, ſi cuſtodieris mandata Domini*
» *Dei tui, & ambulaueris in viis eius; videbuntq́; omnes terrarum populi,*
» *quòd nomen Domini inuocatum ſit ſuper te, & timebunt te, &c. Vbi eodem verbo Moſes quo hîc Iſaias vſus eſt. Quàm verò aptè per omnia populus Chriſtianus, hoc eſt, puſillus Chriſti grex, qui mundo odio habetur, & tamen in ſpe & expectatione ipſe omnia mundi incõmoda ſuſtinet, ac fert, deſcribatur, quis non videt? gentem expectantem & conculcatam, gentem mundo contemptam & conculcatam, & tamen expectantem: gentem denique quæ variis & frequentibus incommoditatibus affecta, variis tormentis & cruciatibus vexata, odio habita omnibus hominibus propter nomen Ieſu Saluatoris ac Præceptoris ipſorum, & poſſidet animas ſuas. Hanc au-* Rom. 8. *tem interpretationem nobis ſuggerẽtes ipſius gentis teſtes audire libet. Exi-*
» *ſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram*
» *gloriam, quæ reuelabitur in nobis: nam expectatio creaturæ reuelationem*
» *filiorum Dei expectat; vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens; ſed*
» *propter eum qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſer-*
» *uitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd*
» *omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. Non ſolùm autem il-*
» *la, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus*
» *adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri, &c.*
*Hoc eſt vnum teſtimonium gentis ſpectantis, alterum etiam eiuſdem gentis* 2. Pet. 3. *audiamus: vt ex ore duorum conſtet verbum. Expectantes & properantes*
» *in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes ſoluentur, & elementa*
» *ignis ardore tabeſcent. Nouos verò cælos & nouam terram ſecundùm pro-*
» *miſſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia habitat. Propter quod, chariſſi-*
» *mi, hæc expectãtes, ſatagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace. Hãc tantam tamq́; frequentem expectationis & ſpei commemorationem, quæ Chriſtiano populo conſtat, appoſitiſſimè ex gentium perſona Iſaias expreſſit. Nam vbi Latinè legimus, gentem expectantẽ, Hebraicè eſt* GOI KAV-

KAV,

*KAV, gentē expectare, expectare. Nam* KAVAH *apud Hebræos expectare, & congregare ſignificat. & ex eodē verbo nomen deductū, filum vel lineam vertimus. Ita ex tribus ſignificationibus, non pugnātibus quidē, optimam & oportuniſſimam interpres noſter delegit.* Cuius diripuerunt flumina terram eius. *Ex tranſlatione hoc dictum eſſe ipſa ſententiæ ratio docet: fluminum enim & inundationis imagine direptionem, vaſtationem, & calamitates alias hominibus allatas ſignificari in Apparatu ſacro demonſtrauimus.* Lib. Ioſeph. *Atqui non tantùm ad Indos Orientaleſq́; populos, ſed apud omnes totius orbis regiones huius veritatis cognitionem & communicationē permanſuram eſſe Vates ex diuino mandato prædicens affirmat.*

Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cùm eleuatum fuerit ſignum in montibus, videbitis, & clangorē tubę audietis.

S I *ego exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum, dicebat Chri-* Ioan 12. 3.
*ſtus. Sicut enim Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet* "
*Filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam* "
*æternam. Non enim Deus miſit Filium ſuum in mundum, vt iudicet mun-* "
*dum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Quod Ieſus præceptor noſter illis* "
*verbis, omnis, omnia, & mundus; idem Iſaias oratione hac,* Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, *ſignificauit. Hebraicè ad verbum,* Sedentes orbis, & habitatores terræ *legimus; quod non caret myſterio, quamobrem ita dictum expoſitumq́; ſit: ſæpiſſimè namq; obſeruantur Prophetæ nomina & verba, quæ aliàs plena & ſimplicia ſunt, ad eam rationem vſurpare; quæ ſub allegoria ſiue tranſlatione arcanam ſignificationem continent. Cuius veſtigia in Etymologia perſequi volentibus, non ipſa vocabulorum Etymologia, primùm apparent. Quòd ſi certè Ariſtoteles Etymologiam ſapientiæ fores aperientē depinxit, nullibi profectò eam aptiùs conſtituere imaginem expedierit, quàm in Hebraicis verbis: quippe quæ omnia certam Etymon perpetuo habēt, modò germanè Hebraica verba ſint. Igitur cùm hic locus omnis efficientiā Chriſti in homines poſt exaltationē ſuā, atque adeò admirabile illud myſterium regni cælorum contineat; in quo myſterio variis imaginibus deſcribēdo Iſaias plurimus eſt. Vocabula ipſa; quæ conſultò ad rem de qua ſermo eſt, inuoluendam vſurpata ſunt; ſi non omnino prorſus explicare, at leuiter aperire, & latentem ſententiam diligentiùs intueri volentibus, digito indicare oportebit: quod interim dum curamus, ſi longiores in commentando alicui videmur, exiſtimet non noſtra, ſed lectorum ipſorum cauſa à nobis id fieri, maiorem etiam laborem & moram & moleſtiam quærendi & ſcribendi ferentibus, quàm quiuis legendo ferre poſſit. Poteramus profectò ex Dei dono plura ſcribere quàm ſcribimus, ſi noſtro erga ſacrarū literarum communicationē ſtudio indulgeremus, nec lectoris faſtidium vitare ſtuderemus: poteramus & multa omittere, niſi eiuſdem lectoris vtilitati quæ in ſingulis verbis & apicibus vel maxima conſtat, conſuleremus; cuius cauſa & laborē ſubire, & prolixitatis nomine reprehendi non piget. Inſta, inquit Spiritus ſanctus, oportunè importu-* 2. Tim. 4.
*nè; argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Vigila, opus fac* "

*Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Vtinam, ſic vt debent Chriſtiani, diuinam doctrinam lectionemq́ amarent, atque amatam ad ſuam vtilitatem exercerent, nihil profectò longum ducerent, quod veritatem & virtutem quærentibus oportunum & commodum ſibi fore intelligerent. Duo nomina hîc ſunt Hebraica: alterum* THEBEL, *pro quo orbem aliquando, interdum terram noſter interpres reddit: eſtq́ propriè habitabilis terra multis animantium & plantarum aliarumq́ rerum variarũ mixtionibus frequens, deductum à* BALAL, *quod miſcere & confundere ſignificat. Alterum verò nomen eſt* ERETS, *quod terram interpretamur. Eſtq́ huius partis in qua homines & animalia viuunt, & agunt, nomen à Deo dictum, ſimul cum fœcunditate, & gignẽdi, parturiendi, producendi alendiq́ facultate. De cuius natura luculenter in Apparatu ſacro diſſeruiſſe videmur.* Lib. Ioſeph. *Ex huiuſmodi natura petitis ſignificationibus myſteriorum & arcanarum ratio rerum petitur, vt in eodem Ioſephi libro plenè docebamus. Nam cùm homo verè ab antiquis* Μικροκόσμος *dicatur, omnẽ totius mundi rationem in ſe vel re ipſa, vel ſimilitudine continere cognoſcitur. Igitur hominum nondum per Dei ſpiritum reapſe ſanctificatorũ, ſed variis corporis & animi affectionibus obnoxiorum, tam eorum qui probi, quàm eorum etiam qui improbi dicuntur: ipſius inquam naturæ humanæ communem conditionem Vates his orationibus ſignificabat. Sedentes* THEBEL, *& habitatores ſiue tentoria habentes* ARETS. *Altera namque imagine commixtio & perturbatio rerum humanarum; altera verò vitæ varia & innumera cogitationum, actionum, ſtudiorumq́ genera (in quibus omnibus labor & inquietudo eſt) proferentis breuitas eſt expreſſa. Eſtq́ ſententiæ ſumma illa: Omnes vos qui in mundo hoc inter varia, difficilia, & negotioſa actionum genera verſamini, & breuiſſimam impotenterq́ currentem vitam multis internis externisq́ laboribus & afflictionibus traducitis: alterã à Deo propoſitam, hominumq́ generi promiſſam conditionem feliciſſimam cognoſcite, & afferendam vobis expectate, & oblatam demum expetite, accipiendamq́ curate. Cùm eleuatum fuerit ſignum in montibus, ſiue, vt Hebraicè eſt, ſignum montium; videbitis admirandam rerum mutationem, & Euangelicæ tubæ clangorem audietis. Chriſtum enim poſitum in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur à multis. Ex diuino oraculo Simeon iuſtus declarauit. Eam autẽ rem apertè hoc loco ſignificabat Iſaias; ruinam, inquam, & reſurrectionem multorum, ſibiq́ à Deo expoſitam, & ad referendum mandatam affirmabat.*

Quia hæc dicit Dominus ad me: quieſcam & conſiderabo in loco meo.

INTERIM *dum Deus ſalutis auctorem & pontificem illũ Chriſtum ſuum in terris ad Eccleſiæ ſanctificationem nondum mittebat, ipſe de ſe ait, nondum conquieuiſſe, quippe qui eam rem maximã maxima ſapientia, prouidentia, maximaq́ potentia ſua appararet. Atque ipſius de hac re oratio illa eſt iiſdem verbis quæ hîc à Vate vſurpantur Hebraicè pronunciata: Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur*

*diatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lampas accendatur. Et* Iſa.62.
*videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti reges inclitum tuum. & vocabitur tibi nomen nouũ, quod os Domini nominabit, &c. Quæ omnia magnam & planè diuinam in animis hominum mutationem atque beatitatem Spiritus ſancti à Deo per Chriſtum ſuum miſsi efficientia ſignificabant. Hoc idem eſt quod hoc loco ſibi à Deo dictum refert Iſaias: Tum cùm exaltatum fuerit ſignum, ego quieſcam: ceſſabo ab ira & indignatione antiqua, reconciliabo mihi populum à quo abalienatus fui, in regnum, ac templum ſanctum meum, & conſiderabo. Placidè, amanter, & gratè adſpicere oculos, mentemq́; intendere, ex miſericordia & amore hoc verbum ſignificat Hebraicè, ſingularisq́; Dei prouidentiæ index eſt.* In loco meo: *In ſtatione mea ex Hebraica proprietate piorũ eccleſiam, in qua habitat; ſic appellat Dominus ſuam iam ſtationem. Templum enim Dei ſanctum, iuſtos & pios* 2.Cor.6.
*eſſe Apoſtolus affirmat. & Moſes etiam id ſub verborum horum imaginibus ſignificabat. Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ fir-* Exodi 15.
*miſsimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine. Sanctuarium tuum Domine quod formauerunt manus tuæ. Hanc autem in animis hominum diuini ſpiritus efficientiam ſuis & ſimplicibus verbis inenarrabilem, atque etiam hominibus antequam experti fuerint intellectu difficillimam, tamen dulciſsimarum, gratiſsimarum, & oportuniſsimarum rerum quæ cognoſci ſentirique poſſunt, deſcriptionibus & picturis auctores ſacri indicant, cuiuſmodi illæ ſunt:*

Sicut meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis.

DVO *præcipuè ſunt effecta, quæ à diuino ſpiritu ſanctificationis in homine, cui ille illabitur, efficiuntur. Alterum inhærentium vitiorũ exuſtio; alterum maximorum donorum & facultatum ad rectè agendũ infuſio eſt. de quibus ſuo loco, cùm Deus eò nos deduxerit, diſſeremus. Non enim eadem commentandi atq; docendi ratio eſt. Alterum namque munus explicatione verborum ac rerum ſignificatione completur; alterum verò plenam rerum tranſlationem & diſertã diſtributionem exactamq́; definitionem poſtulat. Nos autẽ hoc nunc agimus, vt ſacrã orationem cũ oportuna tum verborum, tum rerũ ſignificatione explicemus. Quamobrẽ ſi quid minùs clarè, minúſve planè diximus, non ideo aut nõ intellexiſſe, aut inuidioſè celare voluiſſe, arguendi ſumus. Sed attentè conſiderandũ eſt, an ea quæ à nobis exponũtur, cum rebus ipſis & ſacrorum verborum ſignificatione conueniant: non verò an ad amuſsim cum magnis & longis rerum ipſarum diſputationibus quadrent; & multo minùs, an verbis in ſcholarũ exercitatione receptis reſpondeant. Noſtrarum quippe partium non eſt hoc præſtare, ſed clariſsima & ad omnium Chriſtianorum Latinè ſcientium captum & vſum habilia exhibere, quod à piis & candidis animis probetur; & ſi quid in hoc etiam genere requiſitum fuerit, boni conſulatur. Iam verò (his expoſitis) redeamus ad rem.* Sicut meridiana lux clara eſt. *Eadem horum verborum ſignificatio eſt, atque illorũ: Donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lãpas accendatur. Nam quod Latinè legimus,* Meridiana lux clara eſt,

 *Hebrai-*

*Hebraicè eſt: Sicut calor clarus ſuper pluuiam. Calor clarus periphraſis eſt Solis, qui & caloris & lucis in orbe fons origoq́ eſt. Itaque,* meridiana lux clara, *idem ſignificat atq́ Sol purus. Namq́* HHOM, *Caloris Solis antonomaticè interpretamur: cui ſi addatur epitheton Clarus, Solis deſcriptio conſtituitur. Vnde Solis ſphera* GVGALHHAMAH *dicitur. Quod verò Latinè legimus meridiana, & Græcè* ὡς φῶς καύματος μεσημβρίας *traductum eſt ex Hebraico* GHALETOR, *quod Latinè vtrumque ad verbum verſum dicemus. Supra ſplendorem, ſed hoc loco ſplendorem non ipſum ſolis lumen, ſed effectū ſolis in nubibus interpretamur. Sol enim caloris ac ſplendoris vi ex omnibus locis et rebus humidis vapores exuctos attollit in nubē, quibus deinde ventorum aut frigoris vi coactis, pluuia expreſſa dimittitur.*
Iob 37. *Atque hoc ipſum ſignificat ille locus apud Iob: Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum. Et quoniam maxima ſolis vis ad vapores tollendos in meridie conſtat, non ſine inſigni, ſed tamen obſeruanda ſignificatione Latinus noſter & Græci interpretes (qui commentatorē non deſidioſum poſtulant) meridiei mentionem fecerunt. Solent autem interdum imbres vehementes, ſata, plantas, & omnes hominum boumq́ labores, vt Poëta deſcribit, ſternere, & demere; quæ ſuperueniēs deinde puriſſimus recreat Sol. Sic poſt errorum, peccatorum, internarumq́ tempeſtatum procellas, calorem ſuum purum, qui omnia illuſtret, foueat, & recreet ac renouet, vitioſumq́ exurat humorem à ſe mittendum Deus ait: deinde etiam prouidentia ſingulari atq́ oportunis, efficacibus, almisq́ Spiritus ſancti donis, eorum qui calore & lumine illo affecti fuerint animas & mentes ad magnorum & ſuauiſſimorum fructuum procreationem eſſe augendas.*

Sicut nubes roris in die meſſis. *Hebraicè, In æſtu meſſis. Grauiſſimus namq́ æſtus, qui per meſſis tempus eſſe ſolet, omnia exurit, plantas exſiccat, animantes omnes, & homines præcipuè vexat; quem oportuna roris defluxio temperat, & magno rerum omnium vſu mitigat. Nubes roris, Hebraicè propriè denſitas roris: nam ſimplex & exiguus ros in magno æſtu parū efficere, maximus verò plurimum illo tempore nocere poteſt: dicitur namque vulgari prouerbio apud noſtrates,* Agua de por S. Iuan quita vino, y no da pan. *Et verò pluuia temperata, quam potiùs rorem denſum quàm imbrem dici conueniat, illa vehementer & plantas & animalia reficit, & iuuat. Et quoniam hoc loco per allegorias atq́ tranſlationes, Euangelij Chriſti in omnibus gentibus, atq́ adeò in Iudæis effectum & exitum docere Iſaias cœpit, & omnes gentes à paucis ex Iudæis, grege videlicet puſillo diſcipulorum Chriſti, erant primùm erudiendæ; & deinde ij, qui Euangelium repulerint, Iudæi in primis, qui increduli ac pertinaces eſſe voluere, excæcandi, repellendi, ac demùm puniendi erant: hanc omnem rerum ſeriem toto hoc capite ſub imaginibus & metaphoris eſt perſecutus: quorum interpretatio (quòd, ſicut allegoriarum omnium, difficilior aliquanto ſit) ex hiſtoria primùm, deinde ex naturæ explicatione petenda eſt. Duo Euangelij Chriſti enunciati effecta fuiſſe & eſſe legimus: illuminationem & ſalutem, & vitam in credentibus; excæcationem ac mortem in iis, qui non crediderint.*

*S.S.E. Ite in vniuerſum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. qui crediderit, & baptiZatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Mar 16. *Id quod re ipſa eueniſſe Apoſtoli teſtabantur. Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco; quia Chriſti bonus odor ſumus in iis, qui ſalui fiunt: & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortẽ, aliis autem odor vitæ in vitam.* 2.Cor.2. *Nec diſputare nunc vacat quemadmodum duo illa oppoſita effecta ex eadem Euangelij vi proficiſcantur: alterius enim loci hæc diſputatio eſt. Sed oriri quidem & proficiſci illos apertè à Spiritu ſancto, docemur: eam verò Ieſum Chriſtum circunciſionis, hoc eſt, Iudæorum miniſtrum eſſe, extitiſſe, Euangelium annunciaſſe, & ſalutem atque vitam mundo morte ac reſurrectione ſua effeciſſe: deinde per Apoſtolos eandem Iudæis & Iſraelitarum reliquiis, qui in Ieruſalem in omni Iudæa, & Samaria, obtuliſſe: inde etiam eiuſdem rei nuncium ac teſtimonium vſq; ad vltimum terræ fuiſſe perlatum Euangelica & Apoſtolica lectione accepimus. Ac demum poſt hæc omnia, Iudæis iam à Deo reprobatis & repulſis vaſtitatem & calamitatem fuiſſe per Romanos aliasq; nationes allatam ex aliis, etiam Eccleſiaſticorum & profanorum auctorum hiſtoriis, nouimus. Igitur hanc omnem rerum ſeriem à nobis breuiter indicatam, aptiſſima allegoria Iſaias ſignificauit ſermone inſtituto ex vineæ, vitis, ac ſarmentorum imagine.*

Ante meſſem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit; & proſcindentur ramuſculi eius falcibus: & quę derelicta fuerint, abſcindentur, & excutientur.

SIGNIFICATAM *hac oratione hiſtoriam cùm iam indicauerimus, verborum explicationem ex natura ipſa petamus oportet; illud præfati, ex hiſtoria priùs Iudæorum vaſtationem non antè fuiſſe abſolutam, quàm totus orbis & Euangelij Chriſti notitiam haberet, & cauſam cognoſcere poſſet, quamobrem populus ille, anteà Deo delectus & dilectus, vſque adeò demum fuerit reprobatus. S.S.E. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in* Matth.24. *vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus; & tunc veniet conſummatio. Cùm ergo videritis obominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, &c. Hanc autem conſummationem omnium eorum quæ iuxta diuinum conſilium ad expectandum, admonendum, & aduocandum factu opus erat,* Meſſem *hoc loco Iſaias appellaſſe videtur: cùm ſepoſitis iis quos electos Chriſtus vocat, cæteri omnes iudicio reprobati diuino, excæcati ſunt, & damnati; & præter cæteras futuri ſeculi pœnas, in terra etiam cædibus, ſeruitutibus, abductionibus, exiliisq; mulctati. S.S.E. Et congregabit triticum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matth.3. *& paulo antè: Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. A temporis autem & naturæ ſimilitudine inſtituta oratio hæc ita explicatur: Meſſis tempus vna ex quatuor anni horis eſt. ſic enim legimus: Cunctis diebus terræ ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas &* Gen. 8.

*hyems,*

*hyems, nox & dies non requieſcant. Atque meßis hora quam dicimus in Iſraelitica regione à medio Niſan, vſque ad initium Abib durat, hoc eſt, ab vltimis Martij Latinorum diebus, vſque ad Iunij dimidium, quo tēpore vineæ florem primum, deinde agreſtam proferunt; atq; in calidiore cælo vel ſolo ad maturitatem properant. Antè igitur quam meßis inſtituatur, incipit vinea florere: deinde omphax ſiue agreſta flore iam excuſo nitet, mox ad maturationem tendit. Ita ſignificauit Iſaias futurum, vt Euangelij virtus ipſis primis poſt Chriſti reſurrectionem temporibus florē editura erat in credentibus & ſuſcipientibus, deinde omphacinum excernendum in illis qui perſeuerarent in fide: eoſdemq; diuina Spiritus ſancti virtute & efficientia ad maturitatem eſſe deducendos quàm citißime, nulla magna temporis mora interiecta, ſed antequam meßis tempus conſummatum fuerit: atq; iis exceptis & collectis ac repoſitis bonis Deoq; probatis fructibus, vineam ipſam, totam inquam hæreditatem, vaſtandā fore. Hæc huius verſus ſententia nobis conſtat: ſed verborum Latinorū difficultas ex Hebraici ſermonis collatione emollienda eſt. Hebraicè igitur ad verbum ſic legimus:* Quia ad facies meſſis, vt conſummari florem & agreſtam ablactatio erit nitens, & abſcidet ramuſculos falcibus, & emiſſiones ſiue propagines remouebit, reſecabit. *Obſcura ſic elucidamus: Vt conſummari florem, Cùm iam flos conſumabitur, quod bene ab interprete noſtro verſum eſt. Totus effloruit.* Et agreſte ablactatio erit nitēs. *Videtur enim flos arborum lactis ſpeciem præbere: quo exuto ac defluenti, fructus emicat, & ad maturitatem tendere incipit indies excreſcens: hoc noſter interpres rectè ad ſenſum vertit:* & immatura profectio germinabit. *Nam verbum* NVTS *ad plantas & animantes, præcipuè verò ad aues refertur, cùm volatu nituntur & erumpunt. At verò in arboribus & plantis ipſa fructuum emicatio & nitida atque à floribus exuta euerſio, hoc verbo ſignificatur; vt in Canticis: An germinaſſent mala punica.* & abſcindet ramuſculos falcibus. *Romanorum exercitum, Veſpaſiano duce in vrbes Iudææ Ieroſolymis vicinas impetum primùm feciſſe Ioſephus & Ægeſippus, aliiq; ſcriptores tradunt. Hoc propria imagine ramuſculorum Vates ſignificauit. Sunt enim* ZALZALIM, *rami in vitibus, & in aliis plantis inferiores, qui truncum ipſum ambiunt, & exugunt: à* ZALAL *dicti, quod comedere, abſumere ſignificat: quadratq; propriè in eos qui obſcuram vitam ducunt, numerique ſunt fruges conſumere nati: atque hoc nomine per tranſlationem dicuntur, qui in minoribus ac tenuioribus vrbibus & oppidis ac pagis viuunt. Extra illam lucem & ſplendorem illuſtrium ciuitatum, qualis Roma fuit, qualis & Ieroſolyma omnium Aſiæ ciuitatum maxima. Poſtea autem quàm minores vrbes abſciſæ & vaſtatæ fuerunt bellum à Deo mißis exercitibus ſuis in vineæ caput & præſtantißimam partem eſt delatum: & completa Scriptura hæc quæ dicit:* & emiſſiones remouebit, reſecabit. *Abſtulit enim Deus per exercitus ſuos gentem illorum, & locum cum tota illius reipub. facie demolitus eſt.* Emiſſiones. *noſter interpres vertit, derelicta, hoc eſt, quæ liberè creſcebant, producebantur, vt ſolent magna ſarmenta à puta-*

Theodor. in hunc locū

Cant. 6.

Plinius.

*eatoribus relicta. Namque hoc & interpreti, & nobis verbum* NATAS *ſignificauit; ac nomine omnis ille ciuitatis Ieruſalē ſplendor multis ordinibus Pontificum, ſacerdotum, leuitarum, principum, ſeniorum populi, ſcribarum & Phariſæorum conſtans indicatur. Porrò Chaldæi Paraphraſtis interpretationem à noſtra non longè diuerſam, & quam bona pars ex Græcis et Latinis expoſitionibus ſecuta eſſe videtur, hìc adſcribere placuit.*

Quia hæc dicit Dominus mihi; requieſcere faciam populum meum Iſrael: quieſcere faciam eos, & complacebit mihi in habitaculo ſancto meo, vt bene faciam eis: benedictiones & conſolationes adducam eis celeriter, ſicut calor illuminat propter ſolem, ſicut nubes roris in calore meſſis.

ATQVI *Iudaicas res propter incredulitatis peccatum eum exitum habituras eſſe, quem habuiſſe cognouimus, Iſaias hoc loco & aliàs etiam, Vateſq́; alij prænidentes indicarunt. & Chriſtus apertè expoſuit id quod ſubiuncta oratione Propheta hic ſuam allegoriam perſecutus prædixit.*

Et relinquentur ſimul auibus montium, & beſtiis terræ: & æſtate perpetua erunt ſuper eum volucres, & omnes beſtiæ terræ ſuper illum hyemabunt.

IVDÆAM *regionem exutam illo habitantium Iudæorum populi ſplendore, & omni religionis, reipublicæ ac denique nominis antiqui habitu ſpoliatam, gentilibus idolorum cultoribus, Barbaris, Paganis, ſemipaganis, Iſmaelitis, Machometanis, ſectariis, ſchiſmaticis, atq; generibus omnium hominum variis moribus, & erroribus imbutis, tum aliis atq; aliis temporibus, tum omnibus ſimul permittendam eſſe ad habitandum, diripiendum commorandum, & conculcandum, hoc loco ſignificauit Vates. His nominibus inductis auibus montium, Hebraicum nomen aues rapaces ſignificat: cuius generis Aquilæ, Vultures, Gryphes, Niſorumq́; omnes formæ ſunt: quæ ſolent in montibus atq; in præruptis rupibus nidos ponere. Quiſquis tum Romanorum & Hebræorum, tum aliarum gentium hiſtorias legerit, cognoſcet profectò Ieroſolymam vrbem & Iudæam regionem à Titi Cæſaris expugnatoris tempore vſque ad noſtrum æuum variis bellis vexatam, & vaſtatam, variis nationibus fuiſſe ſubiectam. Primùm enim poſt Chriſti Euangelium diuulgatū, à Tito capta eſt, anno à nato Chriſto ſeptuageſimo tertio, Septembriſq́; octaua die exuſta: in eaq́; expugnatione Iudæorum decies centena millia cæſa; capta verò millia nonaginta ſeptem: deinde anno Chriſti centeſimo trigeſimo quinto Hadrianus Ieroſolymæ nomen mutatum voluit, & Æliæ Capitolinæ de ſuo prænomine nomen fecit. Cùm proximo ante anno per Iulium Seuerū exercitus ſui ducem & Iudæos Palæſtinam depopulatos, viciſſet, acies duas dimiſiſſet octingentis & octoginta viris igne incenſis, & cæſis hominū millibus. Quinquaginta præter ſuperuenientes morbos & famem, quibus tota fermè Iudæa vaſtata fuit. Ad annum Domini ducenteſimum ſexageſimum quartum Ieroſolyma à Perſis eſt capta, maximam in habitatores cædendos crudelitatem exercentibus. Anno pòſt vigeſimo ſeptimo, hoc eſt, Heraclij Imperatoris vigeſimo nono,*

Ioſeph. de bello Iud. li. 7. c. 26. Aegeſip. lib. 5. c. 5. Euſeb. lib. 1. c. 6. Eutrop. li. 9. Sueton. in Tito. Dion. Oro. lib. 7. c. 13 Euſeb. lib. 4. c. 26.

Blond.lib.9. Decad.1. Aemil.lib.1. Blond.lib.3. Decad.3. & li.4.dec.2. Aemil.lib.4. Platias in Anaſtaſ.

*Ieruſalem à Saracenis occupata atq; ſubuerſa eſt. Circa annum Chriſti milleſimum & decimum, Turcæ Ieroſolymam ceperunt: quæ à Chriſtianis Godofrido Belionio duce nonageſimo pòſt anno recepta eſt. Alfonſo deinde Hiſpaniæ rege anno Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo primo obſeſſa, quam Arabes & Saraceni antea rurſus occuparant. Eam tandem Saladinus à Chriſtianis diſsidentibus cepit anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto. Illorum poſteà Saracenorum, qui Ægypti regibus parebant, gente deuicta per Selinum Turcarum regem vndecimum, demum ad Turcarum poteſtatem Iudæa illa regio cum omni Arabia redacta eſt anno milleſimo quingēteſimo decimo ſecundo. Omnibus his ætatibus & tempeſtatibus acta, vexata, atq; variis imperiis regum, tyrannorum & populorum ſubdita ſuo periculo, regio illa, in qua vinea Domini ſita fuerat, veriſsimum eſſe ſenſit, id quod Iſaias futurum prædixerat: Relinquentur ſimul (propagines illa & ſarmenta videlicet) auibus montium rapacibus, ac feris, ex variis terrarum partibus cò prædæ & expugnationis cauſa conuolantibus. Variis etiam populorum & gentium moribus, ritibus, ſectis (quales perpetuò habuit, & nunc habet) illam fore frequentandam illis verbis etiam indicabat Iſaias,* & beſtiis terræ. *Non tam feras, quàm cetera animantium maiorum genera, vel vſui hominum apta, vel nō ita manſuetudinis expertia, ſignificat: vt oues, boues, armentorum iumentorumq; genera omnia, atq; in his ceruos, damas, & capreas: ita nobis videtur, vt probatas & improbatas vitet, morúmque formas omnes, quæ ex eodem aut variæ regionis cultu oriuntur, hoc nomine Vates deſcripſiſſe. Quis autem neſcit nullam inter eos qui Chriſtianum nomen profitentur, ſectam, aut factionem, aut formam extitiſſe, quæ Ieroſolymis aliquem locum non occuparit, & tenuerit? Græcos, Armenios, Syros, Indos, Æthyopas, Ægyptios, Iacobitas, Georgios, & alios omnes; vt Iudæos omnes etiam in vmbra illa iam inutili adhuc legis ſuæ malè intellectæ iacentes, & Mahometanos mēdacij ſectatores omittamus. Quòd verò addit, & æſtate perpetua erunt ſuper eum volucres, & omnes beſtiæ terræ ſuper eam hyemabunt: inceptam allegoriam perſecutus eſt, & allegoriæ ſignificationem auxit. Namq; auium genera illa rapacia & fera æſtiuo tempore magis in noſtris regionibus videntur, quàm alio: quò etiam prolis ſuæ alendæ cauſa maiores & frequentiores prædas faciunt, nocentioresq; ſeſe præbent. Poſteà verò per hyemem, quòd frigore maximè omne auium genus lædatur, aut aliò auolant, aut in cauernis plerumque latet: & minùs excurrunt, minusq; tractibus iis in quibus verſantur, damni afferunt. Beſtiæ autem terræ, quæ frigus meliùs pati poſſunt, ſedes mutare non ſolent; ſed hyemem aut inhabitatis locis, aut non procul tranſigunt: minùs tunc à rapacibus metuentes. Significabat autem hac dicēdi forma Iſaias Ieroſolymorum ac Iudææ regionem tumultuoſis temporibus inuadendam, expugnādam, & vexandam diripiendamq; eſſe, per omnes nationes, dominandi & nomen ſuum propagandi cupidas. Aliis verò tempeſtatibus, cùm bella ceſſarent, variis (vti expoſuimus) ſectis & moribus ac ritibus hominum, frigidis tamen, & plerumque nulla egregia virtute calentibus, eſſe occupandam; ſed*

omnino

*omnino ab vtroque hominum genere, militari videlicet ac togato (vt ita diſtinguamus) imminuendam, deterendã, & ab illa gloria olim obiecta prorſus abdicandam: id quod verba ipſa hoc loco vſurpata Hebraicè ſcientibus apertè indicant. Quoniam alterum* KOTS, *quod & æſtiuare, & tædio atq; anguſtiis afficere, & in horrorem inducere, ſiue horridam experiri aliquam rem ſignificat; qua ſignificatione frequens admodum eſt in ſacris libris, atq; vnum exemplum huius generis illud in noſtra verſione eſt: Tædet me vitæ meæ propter filias Hheth. & illud: Oderant filios Iſrael. ex hoc autem verbo nomen* KOTS *oritur, quod pungentem & moleſtam ſpinam ſignificat. Alterum verbum eſt,* HHARAPH, *cuius verſio eſt propria, eſt probris, ignominiis & conuiciis afficere: per literarum verò tranſpoſitionẽ,* HHAPAR, *violare, & inquinare: vnde &* HHERPAH, *nomen, opprobrium, ignominia & nephas, quod illicitum & nepharium noſter interpres vertit. & illud: Et ego exprobraui hodie agminibus Iſrael. Ex eodem verbo deductum nomen* HHOREPH, *hyemem ſignificat: cuius ſæuitia pulcherrima quæq; in agris & ſyluis vitiata corrumpuntur. Erit igitur nobis duplex huiuſmodi ſignificatio verborum annotanda & obſeruanda. Volucres æſtate perpetua erunt compungentes & infeſtantes eam.* Et omnes beſtiæ terræ ſuper illud hyemabunt; *& opprobriis afficient, ignominioſumq; reddent illum. Pronomen maſculinum, ſuper eum, ſuper illum, ad locum referendum eſt, qui antea fuerat locus manſionis Dei, & poſtea in alteram manſionem meliorem, Deo reſpiciente ac migrante, ille locus permiſſus huiuſmodi mutationibus & varietatibus atq; tempeſtatibus infeſtandus, vtpote à Deo derelictus ob inhabitantis populi peccata & ſcelera toties violatæ pietatis, ac poſtremũ illud crimen verbi ac Filij Dei repulſi, & Euangelij ſpreti S.S.E. Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectã animæ meæ in manum inimicorum eius. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua. Dedit contra me vocem ſuam, ideo odiui eam. Hæc omnia à ſacris vatibus præuiſa & pronunciata vno verbo complexus, Chriſtus retulit: Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. At verò quòd nunquam iratus adeò Deus eſt, quin miſericordiæ recordetur, vtpote virtutis antiquæ & propriiſsimæ ſibi; oſtendit Vates futurum eſſe, vt in ipſo reprobationis Iudæorum, & terræ illius vaſtationis ac direptionis tempore, tamen magnus Euangelij ſacri profectus exiſtat, & populus Domino acceptabilis ſanctificetur & ſecernatur.*

Gen. 27. — Exod. 1. — Gen. 34. — 1. Sam. 1. — Ierem. 12. — Mat. 23.

In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo diuulſo & dilacerato, à populo terribili, poſt quẽ non fuit alius, à gente expectante & conculcata; cuius diripuerũt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum montẽ Sion.

SVPERIVS *ex agricultura, vineis, & arboribus tranſlationem deductam annotabamus; quam hactenus etiam perducens, verbis aptiſſimis abſoluit. Reprobatam quidem & derelictam vineam intelleximus, ob plantarum ipſarum corruptionem & degenerationem: tamen non vſque adeò omnino reprobatam fore prædicebant Vates, vt non aliquam partẽ exciperet,*

*quæ fructus maturos, generoſos, ac Deo gratos ederet, qui fuerũt, quotquot*
Rom. 11. *crediderunt ex Iudæis; quibus poſteà gentes adiunctæ ſunt. S. S. E. Num-*
„ *quid Deus repulit populum ſuum? abſit. &c. & paulo inferiùs: In hoc tem-*
„ *pore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Hoc ipſum ſi-*
*gnificare volens Propheta noſter, ſelectiſsimis vſus eſt verbis. In tempore*
*illo nomen* CHETH, *quòd hic vſurpatur, non omne tempus, ſed opportunita-*
*tem tantùm & maturitatem ſignificat; eſtq́ propriè ex agriculturæ ſer-*
*mone deſumptum. Sed quia Latina lingua non adeò diues ac frequens hu-*
Pſal. 1. *iuſmodi dictionibus eſt, vtitur temporis communi nomine. vt, Et erit tan-*
„ *quam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum*
„ *ſuum dabit in tempore ſuo. Hoc ipſum tempus quo Ieſu Chriſti Filij Dei*
1. Pet. 2. *Euangelium aliis erat odor mortis in mortem; iis, inquam, quibus eſt re-*
„ *pulſum: aliis erat odor vitæ in vitam; credentibus videlicet & obedienti-*
*bus: & hi genus ſunt electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus ac-*
„ *quiſitionis, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales*
„ *hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Idem populus ſanctus, do-*
Rom. 12. *num & munus, & ſpiritualis hoſtia, Deoq́ gratiſſima dicitur. S. S. E. Ob-*
„ *ſecro itaq́ vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra*
*hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrũ.*
*huiuſmodi hominum ipſorum oblationem, ſanctorum inquam, Vates noſter*
*hac oratione ſignificabat. Huiuſmodi munus, quod affertur regibus ac prin-*
*cipibus ex optimis & probatiſſimis terræ fructibus, appellaturq́ Hebraicè,*
SAI, *ex quo genere illud eſt: Vouete, & reddite Domino Deo veſtro omnes*
*qui in circuitu eius affertis munera.* A populo diuulſo. *Hebraicè in ac-*
*cuſatiuo legimus, populum diuulſum, ita vt munus ipſum, populus ſanctus*
*eſſe intelligatur.* Ad locum nominis Domini exercituum. *Eccleſiam*
*Sanctorum ſignificat, quæ verè mons Sion eſt: cuius caput eſt Chriſtus præ-*
*paratus mons domus Domini in vertice montium. Appellatur autem no-*
*men Domini propter miſericordiam promiſſorum, & conſtantiam dono-*
*rum; exercituum verò, propter vltionem & vindictam malorum. Vtrum-*
*que autem Euangelij virtute præſtitum eſſe, ſacræ litteræ Noui Teſtamen-*
Rom. 1. *ti teſtantur. Non erubeſco Euangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem*
„ *omni credenti, Iudæo primùm & Græco. iuſtitia enim Dei in eo reuelatur*
„ *ex fide in fidem. Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem*
„ *hominum, qui veritatem Dei iniuſtitia detinent.*

## ARGVMENTVM VATICINII XI.

CVM *ſuperioris vaticinij finem Iſaias concluſiſſet prædictio-*
*ne Euangelij ab Iudis audiendi, & per omnes gentes annun-*
*tiandi, Spiritus ſancti expoſitione edoctus, magnam illo tem-*
*pore futuram mutationem prædixit in duabus regionibus,*
*quæ ab initio contentis odiis, & magnis conatibus populo Dei, Iſraelitis*
*inquam, infenſiſſimæ infeſtiſsimæq́ fuerant: quarum altera prior &*
*præ-*

*præcipua fuit Aegyptus, inde quidem à principio auſa & molita interuertere & impedire conſilium Dei de ſalute humana, quæ in Iſraelis liberatione & ſignificabatur & inchoabatur: experta tamen firmiſsimū, idq́ ſuo magno malo, nihilominus aduerſus populum illum, ſuper quem nomen Domini inuocabatur, perpetuo inuidiæ morbo laborans. Poſterior verò Aſſyria fuit, quæ potentia imperij non ad Dei voluntatem & iudicium, ſed ad ſuam ſuperbiam abuſa, in Iſraelitas & Iudæos plus ſatis ſæuiens, idem diuinum conſilium, quantum in ſe fuit, vel frangere, vel impedire conata fuit. Vtramque autem regionem diuino iudicio ad humilitatis mundanæ infimum gradum redactam ſub Euangelij iugum mittendam, atque adeò ad veræ lucis communicationem & vſum, ſalutíſque conſortium ex Dei beneficio transferendam. Sed quoniam multa priùs de Aſſyriorum rerum mutatione dicta fuerant, Aegypti rationes præcipuè in hoc Vaticinio exponendas accepit Propheta, Aſſyriorum mentione tantùm oportunè iniecta.*

## CAPVT XIX.

ONVS Ægypti. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum: & commouebuntur ſimulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabeſcet in medio eius.

Onus Ægypti: *Vaticinium ad Ægyptum pertinens, miſſum ad illam regionem epiſtolæ modo.*

ECCE Dominus aſcendens ſuper nubem leuem. *Apertiſsimum nobis ſenſum reddit hæc oratio citiſsimæ expeditionis Euangelij Chriſti prædicandi per totum orbē illo breui tempore, quod inter ipſius in cælos triumphalem reditum, & Ieroſolymorum vaſtationem interiectum eſt. Namq́ huiuſmodi ſchemate tum Pſalmographi, tum ceteri etiam ſacri auctores magnam expediendarum conficiendarumq́ rerum celeritatem ſignificare ſolet. Sunt enim nubes natura ſua leues, vtpote quæ in ſublimi ætheris parte aut conſiſtant, aut, vt plerumq́ fit, excurrant loco libero, & quò nullum humanum vel ingenium, vel conſilium, vel artificium aſcendere poſsit, ad prohibendum, ne vel excurrant, vel munus officiumq́ ſuum peragant nubes, quæ à ventis pro gubernatoris voluntate impulſæ & actæ, pluuias, rores, grandines, lapides, procellas, imbres in terras inferūt; glacies, pruinas immittunt; niues ſpargunt, ſolem obducunt, nebulas fundunt, æſtus temperant, frigora iniiciunt; denique à nemine impeditæ omnia efficiunt, quæ efficere à rectore iubentur. Quamobrem tum ob præſtantiam & ſublimitatem, tum ob celeritatem, currus Dei, cùm à Vatibus depingitur, ex nubibus componitur, à leuiſsimis ventis trahitur: qua figura nihil pulchrius, nihil ſapientius deſcribi poſsit; nihilq́ præſtantius pingi, vltra omnia Poëtarum & humani ingenij acutiſsima de vanorum deorum curribus figmēta, quo-*

rum aliis lynceas, aliis aquilas, leones aliis, equos nonnullis, pauones, olores,
& aliorum generum animantes, vel ex ſignificatione, vel ex notatione alia,
vel ex primi inuentoris ſententia ad currus illos fabuloſos trahẽdos aptan-
tur. At verò Deo omnipotenti naturæ rerumq́; opifici ſummo & ſapien-
tiſſimo, Spiritui inquam efficaciſſimo is currus adſcribitur: qui ex rebus
quæ ſentiri, humanoq́; ingenio cognoſci poſſint aptiſſimè ad ſpiritualem il-
lum virtutem, & ſimilitudine aliqua & efficientiæ ratione referatur; &
Pſal. 103. maieſtatem illam ſupremam aliquo modo indicet. S.S.E. Qui ponis nubem
Deut. 33. aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum. & illud: Magnificen-
Pſal. 67. tia eius diſcurrunt nubes; habitaculum eius ſurſum: & magnificentia eius,
& virtus eius in nubibus. Plura autẽ & exactiùs de hoc genere in ſacro Ap-
Lib. Ioſeph. paratu diſſeruimus. Nemo eſt quin intelligat hãc deſcriptionẽ currus Dei,
ex tranſlationis ratione explicari oportere. Nam neque Deus ille inuiſibilis
quem colimus, corpus habet, vt nubibus vehatur, neque ſi de Chriſti corpore
(vt multi & ſancti & docti viri interpretantur) ſermo hic fiat; nubis no-
men ſimpliciter eſt exponendum: quippe cuius corpus non nubis inſtar te-
nuè ac rarum, ſed carnis humanæ vera ſpecie denſum & conſtans ſit. Nec
ſi de Virgine matre filium in Ægyptum aſportãte exponatur, alia ratio in-
eunda fuerit, quàm vt oratio hæc per tranſlationem explicetur: id quod cùm
nos ſequi neceſſariò debeamus, ad ipſa aliàs ſæpè lecta & obſeruata in ſacris
libris exempla referentes, hoc loco, hac oratione, his verbis, aſcendit; ſiue, vt
Hebraicè eſt, Equitans ſuper nubem leuẽ, Diuinæ virtutis & efficien-
tiæ celeritatẽ ſignificari exiſtimamus. Huc accedit ipſius maximi nominis
יהוה appellatio, quæ propriè (vti in Ioſeph docebamus) Deum ſignificat, ea
ratione qua publicæ hominum ſalutis auctorem miſericordem, conſtantiſ-
ſimum, efficaciſſimumq́; credimus: cuius efficientia maxima & celerrima,
per Chriſtum ipſius Filium orbi conſtitit: per quem omnia facta & con-
Aug. lib. 2. ſummata ſunt, quæcumque ad hanc rationem expediendam diuinitùs effi-
de conſt. cienda erant. Quamobrem ad Chriſti virtutem & auctoritatem vaticiniũ
Euang. à cap. 16. vſque ad hoc pertinere arbitramur: quæ, vbi Euangelium annunciare cœpiſſet, totum
cap. 27. Innocent. in orbem perua ſura erat, atq́; in Ægyptum Iſraeliticæ regioni proximam pro-
c. 2 Mat. uinciam initiò ingreſſa, magnam rerum omnium mutationem allatura: ita
Orig. hom. in diuerſos. vt quod ſuperſtitionis, idolomaniæ, & vanarum diſciplinarum ſeminarium
Euſeb. de præ par. Euang. anteà fuerat, Euangelicæ virtutis efficientia, puræ erga Deum verum pie-
lib. 1. c. 1. tatis exemplum ceteris etiam gentibus efficiatur, id quod eueniſſe teſtes no-
Idem de demõſt. Euang. bis ſunt Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, huiuſmodi exemplorũ nar-
lib. 6. c. 20. & lib 8. c. 5. & rationibus pleniſſimæ. Quis enim vel Apoſtolorum acta, vel Petri epiſto-
lib 9. c 2. las, vel Philonis Iudæi, Alexandrini ſcripta, vel Scholaſticam Eccleſiaſti-
Athan. de iurament. camq́; hiſtoriam, Euſebium, Procopium, Cyrillum, Pauſiacaniq́; hiſtoriam
verb. lib. 1. legit, qui non innumera exempla obſeruauit feruentis pietatis Chriſtianæ
Theod. & Pro. in hunc in Apoſtolorum diſcipulis, in monachis & Anachoritis, atque adeò in po-
locum. Philon. pulis ipſis? ſed quis neſcit anteà qualia demens Ægyptus portenta coluerit,
Cyrilius. vt Satyricus ille referebat: Crocodilon adorat
Iuuenal. Sat. 15. Pars hæc, illa pauet ſaturam ſerpentibus Ibim.

Effigies

*Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci;*
*Dimidio magicæ reſonant vbi Memnone chordæ.*
*Oppida tota canem venerantur. &c. Vt autem antiqua liberatione filiorum Iſraelis ex Ægypto multa ſigna & prodigia in Ægypto conſpecta ſunt, & miracula maxima quæ Dei manum & efficientiam teſtarentur: ita etiam in humani generis redemptione, cuius ſignificationem & imaginem illa antiqua ex Ægypto liberatio referebat, magna quoque & admiranda portenta, atq; in deos ipſos vanos deorumq; cultores iudicia ſpectanda eſſe, Vates hic noſter, & alij prædixere. S.S.E. Secundùm dies egreſſionis tuæ de terra Ægypti oſtendam ei mirabilia. hoc eſt quod Iſaias ait:* Et commouebuntur ſimulacra Ægypti à facie eius. *Verbum commouebuntur, migrationem & inſtabilitatem atq; impulſionem paſſiuam ſignificat ex Hebraici verbi proprietate. Non ſolùm autem ſtatuas & ſigna deorum hoc ſimulachrorum nomine, ſed omnia portenta, omnem naturam, tam cæleſtium quàm animatorum corporum, quorum vel influentia, vel vſu iuuari ſeſe Ægyptij putabant: omnia enim huiuſmodi Hebraicè verbo* ELILIM *ſignificantur. Omnium enim illorum efficientia, ſi quæ fortaßis eſſet, quæ Ægypti vanitatem vel opinionem fouerent, ceſſatura eſſe, & ſola Dei ſalutaris prouidētia apertis Euangelij efficientiis victura & valitura prædicitur. Et ſicuti primæ liberationis tempore Aegyptij magnis plagis & calamitatibus affecti, contremebant pauentes & perturbati: ſic Euangelij aduentante luce, quæ conceptas inſitasq; ex hominum mentibus tenebras depulſura erat:* Cor Ægypti tabeſcet in medio eius. *Hebraicè ad verbum, liqueſcet. Nomen autē regionis, ſiue primi auctoris generis, pro populo ipſo, vſurpari in ſacris manifeſtum eſt: vt Aſſur, pro Aſſyriis; Aram, pro Armeniis; Iſrael, pro Iſraëlitis; & Aegyptus, pro Aegyptiis.*

Mich. 6. "

Et concurrere faciam Ægyptios aduerſus Ægyptios: & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, ciuitas aduerſus ciuitatem, regnum aduerſus regnum.

Ex *variarum ſententiarū pugnantia variæ etiam oriuntur animorum & ſtudiorum affectiones. Euangelium Chriſti non venit pacem mittere in terram, ſed gladiū & diuiſionem: ita vt mundi amatores à veritatis amatoribus & cultoribus ſeiungeret; non tantum corporum quantum animorū & voluntatum diſſenſione: quod veritas à falſitate per Euangelium diſtincta omnino alienaretur, animoſq; ab eodem ſenſu deduceret; id quod nō euenit, antequam Dei verbum eluceſcere cœpit. Multa enim falſa veris, multa turpia honeſtis permixta homines amplectuntur, antequam audiant & intelligant ſermonem illum Dei viuum & efficacem, ac penetrabiliorem omni gladio ancipiti, & pertingentem vſque ad diuiſionem animi & ſpiritus, compagum quoque ac medullarum & diſcretorem omnium cogitationū & intentionum cordis. Huiuſmodi dißidia, & contentionem iudiciorum inter eos qui obedirent, & qui non obedirent Euangelio gloriæ Dei fore, ſignificabat hoc loco Vates. Atque adeò bellum exoriturum in domibus ipſis, in ciuitatibus Aegyptiorum: denique inter vtrumque regnum: regnum, inquam,*

Heb. 4.

quam, mundi, & regnum Chriſti, bellum inteſtinum, & bellum ciuile, non tam corporum quàm animorum pugna: quamuis enim mundi regni militia in Chriſti militum corpora & vitam plurimum ſæuiret, vt verè ſæuiebat Euangelij temporibus primis; tamen diuina verbi virtus & efficacitas in animis, mentibus atque moribus Chriſti militum obſeruata & ſpectata aduerſariorum animos vehementiùs multo premebat, & perturbabat, ac tandem vincebat & ſuperabat; aliis conuincendis, & ad fidei obedientiam capiendis, aliis verò ſpirituali gladio occidendis & perdendis: hoc quod apertè in ſacris libris legimus, factumq́; cognouimus, & Iſaias Dei nomine hac oratione ſignificauit: cuius verba aliquot ad hanc ſententiam confirmandam, expendere expedierit. Concurrere faciam. Hebraicum verbum, à ſpinarum & ſepium complicatione tranſlatum ſignificat, miſcebo, ſiue implicabo, committam. & vir pugnabit contra fratrem ſuum. Hæc eadem
Lucæ 12. ſignificabat præceptor noſter, admonens: Putatis quòd pacem veni dare in
Euſeb. Cæſar lib. 6 c 20. de demonſtrat. terram? non dico vobis, ſed ſeparationem. Erunt enim ex hoc, quinque in domo vna diuiſi; tres in duos, & duo in tres; diuidentur pater in filium, &
Epiph. cõtra hæreſ. lib. 1. filius in patrem ſuum: mater in filiam, & filia in matrem: ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam. & regnum aduerſus regnum. De regno mundi & Chriſti hoc intelligitur re ipſa & veritate. Quod etiam in figura & imagine de variis dominorum variorum ditionibus exponitur. Nam quamquam Aegyptus, qua Aegypti nomen tuebatur, vnum regnum erat; vt Canaam etiam ſub hoc nomine regni vnius deſcriptionem, & fines continebat; tamen Toparchiæ illæ, in quas Aegyptus diuiſa erat, aliàs NOMOI dictæ, vt Græci interpretes vertere, Hebraici ſermonis conſuetudine
Pſal. 134. regna quoque appellantur; ſicut etiam in Pſalmis legimus. Et omnia regna
Ioſue 5. Chanaam. & apud Ioſue: Et cuncti Reges Chanaam, qui propinqua poſſidebant magni maris loca. At verò nullam humanam vim & potentiam, nullam mundanam ſapientiam, nulla conſilia, nullas artes, non ſolùm ex iis quæ ſecundùm naturam ac diſciplinam exercitationemq́; ſunt; ſed etiam ex iis, quæ naturæ vicem ſuperare putantur: cuiuſmodi ſunt diuinationes augurioru, ſortium & incantationum genera omnia. Nulla, inquam, huiuſmodi impeditura, aut profutura eſſe, etiam vel maximo ſtudio petita & quæſita, quo minùs Aegyptij Euangelij veritate ac virtute ſuperati, ſuccumberent, ſubiuncto carmine Vates prædixit.

Et dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus eius, & conſiliũ eius præcipitabo: & interrogabunt ſimulachra ſua, & diuinos ſuos, & pythones, & ariolos.

ÆGYPTII non ſolùm antiquitate, ſed generis, ſcientiæ, ſapientiæ, humanarum diuinarumq́; rerum peritiæ, & vſus, fortitudinis, & omnium aliarum virtutum præſtantia, ſeſe omnium hominum primos iactabant: in aſtronomiæ prædictionibus, cæleſtiumq́; corporum & influentiarum affectionibus conlectura & arte cognoſcendis, multũ operæ & ſtudij ponebat. Horum autem omnium vſu deſtitutos omnino, & oraculorum, etiam Euangelij tempore ceſſantium, caligine damnatos ad magiam & incantationes,

*nes, quòd poſtremum mundi ſapientibus præſidium eſt conuerſos, nihil etiam promoturos eſſe, ait Propheta. Simulacra ſua, Hebraicum nomen omnem naturam pro diis cultam diuinitatis tamen expertem ſignificat.* Diuinos. *Hebraicum nomen* ITIM, *arcana, ſiue, adyta ſignificat, vel potiùs, arcanos incãtatores, nimirum, qui arcana pronunciant carmina latẽter, magico ſuſurro, vt Poëtæ aiunt.* Pythones. *ſuperſtitioſæ diuinationis genus fuit, petitum ex obſcuris & confuſis dæmonum vocibus, quæ edi ſolebant ex feminarum præcipuè ventribus aut axillis, incertum in vtre ſonum referentibus, vnde nomen Hebraicum* OB, *& in plurali* OBOTH, *eſt factum. Huiuſmodi εὐρυκλίτας Græci vocant, qui à Platone & Ariſtophane, Euriclitæ ab Euricle, huiuſmodi diuinatore, dicti ſunt.* & ariolos, *à verbo* IADAGH, *quod ſcire ſignificat, deductum nomen* IIDGHONIM, *Sciolos interpretari poſſumus: omnes in vniuerſum comprehendit, qui vel futura, vel abſentia ſcire ſe profitentur. Græcis μάντιες, vel, οἰωνισαὶ dicti. Latinis verò, Chaldæi, ſiue diuini & ſortilegi. Fuiſſe autem extrema remedia ad huiuſmodi vanitates & incantationes, atq; diuinationes, cæteris rebus fruſtra tẽtatis, recurrere ex ipſorum Ethnicorum libris obſeruamus: cuius exemplum illud eſt, poſt damnatas partes cæteras tamquam inutiles.*

Diuinationum genera.
Ariſtoph. in Vopiſ.
Vier. lib. 9. c. 1. de præſtigiis dæm.
Ph loch. lib. 3. diuinat.
Suida.
Hipocc.
Gellius.
Cicero de diuin.
Diuinationũ vſus.
Prop. l. 1. Eleg. 1.

*At vos deductæ quibus eſt fallacia Lunæ,*
*Et labor in magicis ſacra piare focis:*
*En agedum dominæ mentem conuertite noſtræ,*
*Et facite illa meo palleat ore magis.*
*Tunc ego crediderim vobis, & ſydera & amnes,*
*Poſſe cytæinis ducere carminibus.*

*Duo autem ſunt quæ rebus gerendis adhibetur: vires, ſiue facultas, & conſilium. Vtraq; verò Aegyptum defectura eſſe, Vates noſter prædixit. Dirumpetur ſpiritus: nam in ſpiritu virtus ſpectatur.* & conſilium eius pręcipitabo. *Hæc vbi deſunt, ſupereſt artium ſupernaturalium petitio, quæ nihil etiam Aegyptios adiuuatura prædicitur. Animaduertendum autem, & repetendum ſemper eſt id, quod à nobis, & in huius Vatis explicandis oraculis ſæpè aliàs eſt indicatum, poſteriora prioribus frequenter præponi apud ſacros auctores, ea ratione quæ ab ædificatoribus atq; aliarum rerum artificibus ſemper obſeruatur, vt principio totius operis finis conſtituatur: deinde media, quibus ad finem peruenitur, ſeruantur. Finis huius Vaticinij Idolatriæ expulſio, & Euangelij Chriſti cognitio eſt. Oportet autem hæc etiam mediis quibuſdam apparari. Apparatus autem fuit Aegyptiorũ diſſenſio inter ſe, quæ ea tempeſtate excitata fuit, qua ciuilibus Romanorum bellis tota Europa, & bona Africæ atq; Aſiæ pars exarſit hinc enim Aegyptus in Romanorum poteſtatem deuenit; Pompeio primùm, deinde Marco Antonio occiſis: quorum partes alij ex Aegyptiis ſequebantur; alij autem Iulij Cæſaris & Auguſti, hoc tempore ſub iugum Aegyptij miſſi à Romanis fuere. Iamq; Euangelicæ per orbem prædicationis præparatio quædam diuinitus decreta fuit; vt certi antiqui ſcriptores noſtri annotarunt: vt orbis Chriſti Euangelium auditurus, vni imperio atq; imperatori vni eſſet*

Euſeb. de demonſt. Euang. lib. 6. c. 20. & lib. 8. c. vii.

 ſub-

*ſubditus, quo facilior foret omnium nationũ inter ſe communicatio maximè iis partibus, quæ anteà inter ſe antiquis inimicitiis diſsidebant: vt Græciæ Aſiæq́; regionibus bellicoſiſsimis, & Africæ: nam de Indis qui remotiſſimi erant, prouiſum & prædictum fuit, vt ipſi mitterent nuncios ad gentem conuulſam & dilaceratã, ſicuti ſuperiori capite legebamus. Igitur non ſolùm de pugna illa ſpirituali, vt à nobis paulo antè expoſitũ eſt, huius vaticinij partes explicandæ ſunt; verùm etiam de ipſarum ciuilium rerũ mutatione, quæ ad illam animorũ mutationem per Euangelium publicè enunciatum efficiendam, commoditates oportunitatesq́; paratura erat. Namque non ſolùm per Euangelij ſimplicitatem & virtutem, Aegyptiorum vana ſapientia & potentia ſuperanda eſſe dicitur: ſed huius rei efficiẽdæ ſignum futura erat Aegyptiorum regni finis & poteſtatis tranſlatio in dominos fortes & validos, cuiuſmodi Romani fuere, quorum imperium ferri nomine & imagine ſignificari, Daniel docuit.*

Et tradam Ægyptum in manum dominorum crudelium, & Rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus exercituum.

HEBRAICE *ad verbum*, In manum dominorum duri, *ſiue*, duritiæ, *id eſt, indomitorum, & inſuperabilium. Igitur oratio omnis hæc ſic explicanda eſt: Dominus aſcendet ſuper nubem leuem: magna celeritate Aegypti ſtatum omnem externè atq; internè mutabit; & neque diis, neque vanis illius regionis hominibus vis aut facultas, aut conſilium ſuppetet, vt hoc impediat; quemadmodum neque impediri potuit prior illa* Procop. *liberatio populi à Deo delecti. Sed vt conturbati fuere illo tempore Aegyptij ſignis, portentis & prodigiis, ac tandem valida manu deuicti, ac ſuperati; ita vt cogerentur cedere volũtati diuinæ de populi illius ſalute; ita illo etiam tempore, quo ſalus publicè annũcianda eſt, fiet vt Aegyptij conturbati priùs ac diſsidentes, & ſpiritus atq; conſilij inopes; & nihil omnino illis etiã artibus, quas ipſi maximas putant, incantationibus, auguriis, ſortibus, & cæteris eiuſmodi promouebunt; quin tradantur à Deo in manum dominorum durorum. Imperium Romanorum, multis magiſtratibus conſtans, vnicum tamen, illa ſyllepſi Vates indicabat: videlicet dominorũ durorũ, quam Hebraicè eſſe dicimus: Et rex fortis dominabitur eorum. Robuſtum & valentem conſilio, opibus & armis ſignificat Hebræa vox: appellatur autem Rex idem qui à Romanis imperator dicebatur. Nam reuera tunc regiam poteſtatem Sylla, dictaturæ perpetuæ; Cæſar verò, & alij Cæſarem ſequentes, imperij perpetui nomine prætento, occuparunt. Rex verò fortis fuit Imperator, qui patriam etiam liberam anteà ſibi ſubegit. Scimus autem ex hiſtoriis Antonium apud Pharum à Cæſare victum, mortem ſibi cõſciuiſſe, Cleopatram veneno vitam finiſſe, Aegyptiq́; regnum in prouinciam Romanis ſubiectam fuiſſe, mutatum. Poſteà verò tumultuantes adhuc Aegyptij à Veſpaſiano pacati ſunt. Et ne ea quæ ingenio & viribus defendi & conſeruari non poſſent, loci tamen natura tutiſsima eſſe poſſe exiſtimarent Aegyptij, ſubiunxit Propheta:*

Plut. in Ant. Sueton. Ioſeph. de bello Iudaic. lib. 1. c. 27. Antiq. 15. c. 6 & 7. Flor. Epit. li. 4. c. 11. Iul. lib 33. Eutrop lib. 7 Oroſ. lib. 6. c. 19. de Veſpaſiani pacatione, lege Cyrill.

Et areſcet aqua de mari, & fluuius deſolabitur atque ſiccabitur: & deſi-

deficient flumina, & attenuabuntur, & ſiccabuntur riui aggerum. Calamus & iuncus marceſcet: inundabitur alueus riui à fonte ſuo, & omnis ſementis irrigua ſiccabitur areſcet, & non erit: & mœrebunt piſcatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete.

*ÆGYPTI regio ex Nilo fluuio ſitus ſoliq́ totius munitionem atque ab externarũ gentium vi tutam defenſionem, & omnes quas hominum genus expetere ad vitam poteſt, cõmoditates percipiebat: nam ſeptem olim magnis alueis per totum fermè tractum ex illo flumine deductis, iis denique profundiſſimis in mare noſtrum per ſeptem oſtia permeantibus, ita immiſcebatur naturæ beneficio, vt inacceſſibilis vndique eſſet, maria Septentrione cincta, à meridie Aethiopum montes dorſo contingens. Ab occaſu & ortu Libyæ Cyrenaicæ & Arabiæ deſertis vallata, & interiectis, vti cõmemorauimus, Nili alueis, exteris omnino inacceſſibilis effecta. Eiuſdem etiam fluminis beneficio & virtute nullius rei ad vitã indigens, immo omnium potiùs eximiè abundans, atque adeò cæli etiam imbrium expers, vt vnica fluminis ſui copia ad omnia alenda ſibi ſufficiens. Ita neque vi, neque arte adiri; neq́ fame, propter impedita aliundè alimẽta premi poterat. In Aegypto legumina tertio die naſci, apud probatos auctores legimus; totum tra-*
*ctum herbis nobilem eſſe; fruges quàm citiſſimè matureſcere: denique, vt* Plin.lib.8.
Strab.lib.15.
*Ægeſippus ait, opibus ſuis eſſe abundantem: & , vt breuibus Poëtæ carmi-* Aegeſip.
*nibus omnia complectamur,* Ariſt.
Ioſeph.lib.2.
de bell. Iud.

*Felix qui Pharias præſcindit vomere terras,* Plin. in Panegyr. ad Traiã.
*Nubila non ſperat tenebris condentia cælum,* Senec.
*Nec grauiter flantes pluuiali frigore choros* Claudian.
*Inuocat, aut arcum variata luce rubentem* Tibull.l.b.1.
*Aegyptus ſine nube ferax, imbreſq́ ſerenas*
*Sola tenet, ſecura Poli, non indiga venti,*
*Gaudet aquis, quas ipſa vehit, Niloq́ redundat.*

*Qui regionem illam nontantùm pererrat, ſed æſtiuo ſydere exundans etiã*
*irrigat, adeò efficacibus aquis ad generandum alendúmque, vt, præterquam* Mela lib.3.
*quòd ſcatet piſcibus, quòd hippopotamos crocodiloſq́, vaſtas belluas gignit, glebis etiam infundat animas. His adeò aquarum fluminis ac maris cõmoditatibus & vſibus, nihil Aegyptum eſſe iuuandam quo minùs per Deum exterarum gentium Domino traderetur; immo ſpe omni tum maris, tũ fluuiorum eo tempore eſſe fruſtrandam Iſaias prædixit. id quod re ipſa euenisſe nouimus. namque Peluſio Promontorio capto, facilè omnis regio ſubacta* Dion.
*eſt. Fuit autem incredibilis in Peluſio munitiſſimo Promontorio capiendo* Plutarch. in vita Anton.
*celeritas, adeò vt Cleopatræ proditioni per famam adſcriberetur: ſed re ve-*
*ra, vt Dion ait, viribus, ac veriſſimè, vt Iſaias inquit, Domini Dei exer-* Dion.
*cituum voluntati & conſilio, qui maria & flumina peruia reddidit, & iis rebus carentia, quæ aut defendere, ac tueri, aut alere Aegyptios poſſent. Ad verborum autem explicationem nonnulla addemus: Et areſcet aqua de mari. Rectiſſimè verſum eſt, areſcet: quamquam & idem verbũ Hebraicum*

 *ſigni-*

*ſignificet, ebibetur, vel, epotabitur, quod per tranſlationem verti ſic poterat; tamen ſiccari ſignificat etiam paſſiuè, vt noſter interpres vertit, areſcet. Voluit autem hoc loco indicare Propheta ſigna in mari & in fluminibus Aegypti edenda eſſe tempore ſalutis publicæ, non diſſimilia iis, quæ olim Moſis temporibus edita fuerant, ſed longè etiam præſtantiora. Scimus autem Nilum, qui per ſeptem alueos, olim deductos, eoſq; maximos, & maximarum nauium capaciſſimos, in mare permeabat noſtrum, ſeptem portubus, quæ oſtia appellabantur, commodiſſimis defluens, iiſdem naturæ ſitu & opera munitiſſimis; atque canali etiam deducto, facilem nauigationem ex* Strabo. *mediterraneo mari, atque adeò ex omni Aegypto præbuiſſe, vt apud Strabonem legimus. Hæc omnia ab ineunte Euangelio, atque adeò ab illis primis Romanorum Cæſarum temporibus imminuta fuiſſe, & alueorum partem optimam amiſiſſe, ſiue arenæ & lamæ deiectæ copia; ſiue, quod magis credimus, Dei efficientia, obturantis alueos illos & aquas minuentis; ita vt portus profundi in vadoſa & arenoſa breuia redacti fuerint: neque poſteà pluſquam tria oſtia relicta. De canali autem illo hominum opera facto, cuius nunc veſtigia quædam non obſcura manent, nulla ferè mentio à recentioribus Geographis aut hiſtoricis facta eſt. Hoc eſt, quod ait Vates:* Et areſcet aqua de mari, & fluuius deſolabitur, & exſiccabitur: attenuabuntur, & deficient flumina. *Hebraicè ad verbum, elongabũtur, hoc eſt, quæ propè erant, & præſentia, ac proxima omnibus vrbibus; deinceps diſtabunt, vtpote ad exiguum numerum, & minorem copiam redacta.* Riui aggerum, *Hebraicè,* IEOREI MEATSOR, *poſſumus vertere amnes munitionis Aegyptiæ. Vtrumque enim ſignificat nomen* MATSOR, *& munitionem, & Aegyptum, quæ* MIZRAIM *&* MATSOR, *&* MATSARA, *ab orientalibus dicebatur: & nunc quoque dicitur & nomen Hebraicum, pro quo Latinè legimus, riui, amnes, & canales, & etiam aquarum in arces, & per ſecretos canales, ad obſidionis tempora deductos ſignificat.* Attenuabuntur, exſiccabuntur. *Nam verbum* DALAL, *attenuare, & exſiccare ſignificat.* Gen. 47. *Hoc enim verbo deſcripſit Pharao ſeptem boues illas macras & tenues; &* 2. Sam. 13. *illa oratio ex hoc verbo reddita eſt: Quare ſic attenuaris macie, fili regis? Erit autem tanta in illis locis humoris omnis exhauſtio, vt arundineta & carecta, quæ adhuc, exſiccatis fluminibus & paludibus, manere & vireſcere diu ſolent: tamen in Aegypto marceſcant, omninoq; pereant. Ea eſt autem Nili fœcunditas, vt ſponte naſcentibus plantis, & herbis, ripas ſuas perpetuò ornet, ac veſtiat: & quæ ſata cultaq; fuerint, feliciſſimè producat, & amplificet, vti ex hiſtoricis, & præcipuè ex aliis Scripturæ ſa-* Lib. Phal. *cræ locis in Apparatu ſacro docuimus: hoc autem genus maximè extenuandum, & ad ſummam ſterilitatem redigendum, Iſaias prædixit.* Nudabitur alueus riui à fonte ſuo, *hoc eſt, ſponte naſcentibus iuxta ripas ipſas omnino priuabitur. Namq; Hebraicè ex verbo hæc oratio huiuſmodi ſententiam reddit. Effuſiones riui, ſuperiores riui: nam verbum* GHARAH, *Hebraicum, quatuor Latinis vertitur, effundere, nudare, adhærere, & vireſcere, humidumq; eſſe. Igitur, vt ſæpe iam docuimus, vel vſurpati huiuſ-*

*modi*

*modi à ſacris auctoribus verbi (quod non ſine conſilio ac iudicio vſurpatum eſſe credimus) omnis ſignificatio coniungenda ſimul eſt, iſq; ſenſus elicien-* ערוה.
*dus, quem ſcholæ compoſitum dicunt: vel, ſi diuidendæ ſignificationes fue-* Multiplicis verbi interpretatio.
*rint, ea eſt deligenda, quæ vel ex conſecutione & natura ſuperiorum, vel inferiorum verborum & ſermonum, vel ex diuiſione & partitione, vel ex antitheto, vel ex ſimili & coniuncto, ſententiam facilem, conſpicuam, ſibíque conſtantem reddat. Hoc loco vox* GHAROTH, *duplicem ſpeciem nobis exhibet: alteram infinitiui verbi, quod ſignificat, nudare, effundere, adhærere, vireſcere, ſiue, humeſcere; alteram verò nominis pluralis, ſignificãtis nuditates, hærẽtias, effuſiones, viriditates, ſiue amœnitates. Iam verò, cùm duplex plantarum genus ſit, quod à Nilo feliciſſimè alitur: alterum ſponte naſcentium; alterum verò ſatorum: & ſatorum (quod alterum membrum eſt) mentio continuò fiat, interpretabimur oportunè. Hoc loco nomen* GHAROTH, *virentia & effuſa, atq; nuda & adhærentia ripæ ipſi. Nam quòd Latinè legimus,* à fonte ſuo, *Hebraicè eſt, ſuperos riui, ſiue amnis: deinde verò redibimus ad verbi rationem, & quatuor illas ſignificationes ſimul componemus: idq; commentando efficiemus, quod fidelis interpres, qualis noſter fuit, facere non poterat, niſi ex interprete Paraphraſtem agere voluiſſet aut commentatorem: reliquit autem eiuſmodi exponendi curã commentatoribus, quos linguarum ſacrarum ignaros ille eſſe noluit; immo voluit ex eodem fonte expoſitionem petere, ex quo ipſe interpretationem protulerat. Erit itaque ſenſus: virẽtia nuda, adhærentia effuſa, ſuperos riui, id eſt, ſecundùm amnis ripas virere, adhærere, effundi, atque nudari, breuiſſimè conſpicientur hæc. Eſt altera fertilitatis Niliacæ pars, altera verò illa,* & omnis ſementis irrigua, *ſiue, vt Hebraicè,* & omne ſatum riui, *ſiue* fluminis. *Vtrumque, inquam, ſiccabitur, areſcet, & non erit: nam funditus peribit. Appellatur autem ſementis irrigua, ſiue ſatum riui; quòd, deductis à flumine illo canalibus, omnis regio irrigaretur. S. S. E. Vidit omnem* Gen. 13.
"*circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur, antequam ſubuerteret*
"*Dominus Sodomã & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Aegyptus. Vnicam autem ſpem ſuam in amne illo Aegyptios habere, & noſtri æui Geographi atque nautæ affirmant, & antiqui ſcriptores memoriæ proditum reliquere: nam ſterilis aut fertilis annus expectatur, pro vt ille magnus influxit aut paruus. quam rem Elegiacus poëta, dum flumen illud laudaret, ſignificauit:* Seneca.
*Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres* Tibull. lib. 1.
*Arida, nec pluuio ſupplicat herba Ioui.*

*Fuit illius regionis fluuio efficiente tanta fertilitas, vt adagio decantatum ſit, Sulcus Aegypti Lybiæ arenas non curat: atque ita Aegyptus cum Africa omni certauerit:* Cælius li. 29. c. 21.

Καρποῖς οὐ σταδίοισιν ἐρίζομεν, οὐδὲ γὰρ αὖλαξ
Αἰγύπτου, λιβύης ψάμμου ἐπιστρέφεται.

*Legimus etiam Aegyptum totius orbis terræ horreum dictam fuiſſe, & regionem illam adeò munitam & fertilem, vt ipſa cunctos mortales paſcere, Deos ipſos excipere & ſaluare poſſe gloriaretur: quæ gloriatio quam hiſtoriam ſpectet, aliquando exponemus. Hanc Aegeſippus abundantem opibus* Ioſeph. Aegeſip. lib. 2. de Ieroſ. excid. & li. 4.

ſuis eſſe ſcribit, nec indigentem pluuiæ cæleſtis, quæ ſibi ipſi imbres generat, & pluuiarum vbertates creat. Denique cùm ſit fœcundior omnibus regionibus, ſola non queritur de ſiccitate: &, quod nulli alij loco ſuppetit, alit irriguo ſuas meſſes, nauigatur in aruis, nauigatur per ſata vbi pluuia neſcitur.

Rerum mutatio ex Dei iudicio.

Hæc omnia à nobis eam ob cauſam ſunt adducta, vt ratio cognoſcatur, quamobrem Iſaias tam multus fuerit in fluminis illius cõmoditatibus indicandis, atq; iudicio diuino ſignificando; qui, cùm ita res exigit, ponere ſolet flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim; terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea.

Pſal. 106.

Aegypti fluuij nomen.

Illi autem olim apud regionis illius & vicinas etiam nomen fuit SIHOR, quod nigrum, obſcurum, & turbidum ſignificat: id quod in ſacris frequenter legimus. Cuius ſignificationi affine nomen à Latinis factum Melon Seruius ait: nos autem de Græcis exiſtimamus deductum, quibus μέλαν, nigrum ſignificat: deinde Nilum dictum, quaſi νέαν ἰλύδα, hoc eſt, nouum limum trahens: ſiue ex nomine Nilæi regis, qui flumini pluribus riuis deducto, vtilioríque facto, nomen etiam ſuum dederit, vti Diodorus ſcribit.

Seruius Georg. lib. 4. & Aeneid. 9. Diodor. lib. 1. cap. 5.

Vani enim & incerti ſunt ſcriptores ferè omnes, præter ſacros, in rerum & verborũ antiquitate & cauſa indicanda. Neque verò ea tantùm vtilitate priuandos Aegyptios, quæ ex Nili aquis in terra capi ſolet; ſed ea etiam, quæ ex aquis ipſis piſcationis exercitatione percipiebatur: aquarum enim defectus eis iſtam etiam commoditatem adempturus erat. Et quoniam multi ex piſcationis copia alebantur; non tantùm piſcatores ipſi, ſed etiam qui materiam atque inſtrumenta ad piſcandum parabant, ſubiungit Vates omnium illorum artes inutiles euaſuras. Sunt autem tres piſcationis formæ ex inſtrumentorum genere differentes: aut enim ſingulares piſces capiuntur, idq; linea & hamo fit; aut plures ſimul, id vario retis & naſſarum genere præſtatur. Primã formam ſignificauit Propheta, à priori incipiens: quæ apud Aegyptios ſingularis nobilisq; eſt, & propter Crocodilorum capturam, quæ hamo fit artificioſiſſimè, vt Herodotus deſcribit.

Herod. lib. 2

Deinde verò alteram formam, quæ frequẽtior erat, perſequitur. Confundentur, qui operabantur linum, plectentes & texentes ſubtilia, & erunt irrigua eius flacceſcentia. Superiùs explicata piſcãdi ars dinumerationẽ hic factam ad retia, funes & lineas, piſcatoria inſtrumenta, referendam eſſe indicat; idq; Dialectici docent ex loco à deſtinatis dicto.

Iuuen. Sat 4.

Huiuſmodi etiam figura piſcatorem, cymbæ linique magiſtrum, Satyricus nominauit. In Latinis codicibus recentioribus legimus, plectentes; quod vitium librariorum incuria eſt admiſſum. manuſcripti emendatiores habent, pectentes: idq; rectè, vt ex Hebraico exemplari, & Chaldaica atque Græca Paraphraſi obſeruauimus. & texentes ſubtilia artifices retium, qui acu & hamo plagas cõnectunt. Sic Hebraicè, texentes foraminum, hoc eſt, caſſium, ſiue cancellorum, quibus rete conſtat. Et erunt irrigua eius flacceſcentia. Non de agris & ſatis irriguis hoc exponimus, ſiquidem antea eam partem tetigerat Iſaias; ſed de retibus ipſis, ſiue naſſis potiùs, quæ poſitæ certis locis tranſeuntes excipiunt, & continent piſces. Dicta Hebraicè SATHOTH, à verbo SATHAH, quod vel ebibere, vel ponere ſignificat. vtrumque enim in

naſſas

*naſſas quadrat; quæ & certis tranſitibus poſitæ collocãtur, & aquas decurrentes vnà cum piſcibus ipſis ebibunt: piſces autem ſemel ebibitos, ſiue deuoratos retinent, quoad à piſcatoribus inuiſantur. Huiuſmodi naſſæ quæ ex vimine, aut iunco, aut carecto fiunt: interim dum in vſu ſunt, quòd ſemper ferè aqua ſaturantur, humidæ ſunt, ſeſeq; integras continent. Cùm verò diu aquæ humore fuerint deſtitutæ, flacceſcunt & comprimuntur. Hebraicum verbum hæc apertè ſignificat.* Erunt confuſa, *ſiue,* conculcata. *Porrò tertia forma piſcationis deductis per anguſtias aquis in ſtagna ad excipiendos piſces comparata: quæ admiſſos ſemel retinent, euadere non valẽtes, propter obiectas æneas aut ligneas cuſpides; aut aliis etiam modis fallendi agitatos. hanc formam ſic expreſſit Iſaias;* Omnes, qui faciebant lacunas ad capiendos piſces. *repetendum eſt,* confundẽtur, *per zeugma figuram. Hebraicè ſic ad verbũ eſt,* Omnes facientes clauſuras ſtagnorum animæ. *Nam* SECHER, *à verbo* SACHAR, *cum puncto in ſiniſtro cornu, idem valet quod apud Latinos mereri, & claudere, ſiue concludere; & ad aquas aptatur in hac ſignificatione. vt in illo loco: Et clauſi ſunt fontes abyſſi & cataractæ cæli.* Gen. 8. *At verò ſtagna animæ, eſt eadem quæ Latinis viuaria ſunt. Itaque optimè noſter interpres hunc locum vertit: quamquam aliter nonnulli vertendum putarint. Atq; hanc iam deſcriptam Aegyptiacarum rerum mutationem non ſolùm vitari, ſed præcaueri, cognoſci, ingenio atq; conſilio corrigi ab hominibus ipſis, quamuis vel ſapientia, vel potentia & auctoritate præſtantibus non poſſe, imò non ſine maxima eorum ignominia & perturbatione ſentiendam, Iſaias affirmat.*

Stulti principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens.

ÆGYPTII *ſeſe omnium hominum ſapientiſſimos, immo & cæterarum gentium in omnibus artibus, maximè verò in naturæ omnis, & cæleſtium influentiarum cognitione prædicabant. Erant autem reges ipſi in primis docti in ea ſapientia, quam Aegyptiorum appellat Scriptura. Nec verò principes tantùm, ſed & aulæ ipſius intimi familiares, cuiuſmodi Moſes fuit, ſecundo à principibus loco ſapientes & magi habebantur: inter quos primum gradum ſacerdotes tenebant, qui regia pecunia alebantur. De qua ratione in vniuerſum ex ſacris litteris obſeruata, abundè in Apparatu ſacro ſcripſimus.* Lib. Phaleg. *Potentia & facultas penes principes, deliberatio verò & conſilium penes ſapientum collegium erat, in quibus & principes ipſi memorabantur. Omnes autem hos, tam principes quàm ceteros, ſummos ſapientiſſimosq; viros habitos ſtultitiæ maximæ ex euentu ipſo arguendos eſſe, Vates ait: vtpote qui omnibus ex partibus decepti fuerint, in quibus potentiæ, ſapientiæq; ſuæ fundamenta iecerant: aut enim opum & potentiæ communicatione ac ſocietate fidebant coniuncti omnes potentiſſimi, vnà cum rege ipſo in eadem ciuitate, quo maiori concordia communes omnium & ſingulorum priuatæ res inirentur. Sed hanc rationem vanam experturos, ſtultos appellat Vates.* Principes Taneos. *Tanis Aegypti vrbs ad Tanicum Nili oſtium eadem nobis fuiſſe videtur, quæ Sais clariſſima & prima omnium* Mel. lib. 1.

*nium*

*niam à Latinis Geographis dicta procul à mari. Quippe Saïs nomen cum צען, Hebraico nomine conuenit: quod Latini interpretes Tanim dixerunt, ex Chaldæo Paraphraſte; cuius tempore nomen illud antiquum mutatum corruptúmve erat: vti ex vetuſtate, non vrbibus modò, ſed prouinciis etiam ac regionibus multis accidit. Sed Hebræi auctores antiqua nomina plerumque conſeruant, vt in Sacræ Geographiæ præfatione oſtendebamus. Præter nominis autem affinitatem maximam, id etiam nos in hanc ſententiam deducit, quòd Saïs Aegyptiorum regia ab antiquis hiſtoricis appellatur: & præter ceterarum gentium morem regibus ſuis in templis ſepulchra ponere ſoliti Saitani tradantur. Atqui hanc vrbem quam צען Hebraicè, Chaldæi* TANIM *vocant, regũ & principum habitationi idem hic Propheta adſcribit inferiùs. S. S. E. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & „ fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam. Erunt enim in Tanim principes „ tui, &c. Omnium autem illorum tum regis & principum, tum ſapientum conſilium ſecundùm elementa huius mundi inſtitutum, irritum fore, Vates ait. Omnem illorum augurum, ſacerdotum, & conſiliariorum ſentẽtiam vanam euaſuram. Siquidem illi perpetuitatem regno, ſummamq́; felicitatem regi ſuo promittebant, iudicio ex iis rebus facto, quæ apud homines maximæ ac ſummæ habentur: cuiuſmodi ſunt generis ſplendor, ſapientia, & prudẽtia ea quæ cælorum ac temporum cognitione, & rerum humanarum vſu atque experientia comparari putatur; quo in genere Aegyptij ſeſe ceteris mortalibus anteferebant. Deinde etiam antiquitas quæ cum temporis diuturnitate radices altas iecit, nullo poſtea æuo ruitura, nullis tempeſtatibus euellenda creditur. Aegyptiorum autem principum ac ſapientum de huiuſmodi rebus ac ditionis rerumq́; ſuarum perpetuitate opinionem, & iactationes oportuno Enthuſiaſmo irridet Vates, aſſerens hæc omnia merã ſtultitiam vanitatemq́; eſſe. Quippe quæ Dei conſilium aut iudicium interuertere, aut impedire, aut aliquo modo retardare nequeant. Stulti principes Taneos ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens. Quomodo dicetis Pharaoni, filius ſapientum ego, filius regum antiquorum. Duo regni illius maxima membra diſtinguit; principes & ſapientes: quorum vtrumque partes ſuas antiquiſſimas, hereditarias, & tamquam naturæ iure ac poſſeſſione proprias ſibi vendicabat. Sapientes enim Pharaoni dicebant ſe à maioribus traditam ſapientiam poſſidere, eratq́; ſingulorum ſermo Filius ſapientum ego, qui maioribus tuis, regibus omnibus antiquiſſimis, conſilio ac ſapientia adfuerim. Principum verò oratio ſingulorum erat, Filius regum antiquorũ ego. Eſt enim Syllepſis elegans in oratione hac, filius regum antiquorum ſanguine tibi coniunctus: qui ſplendorẽ decusq́; meum, vnà cum dignitate tua regia propugnare, tueriq́; debeam, & poſſim. Sic gentiles mei opibus omnibus & viribus regiam potentiam proſecuti fecerunt. Præter ea verò quæ nos in Sacro apparatu de Ægyptiis rebus ex ſacrorum Bibliorum lectione deſcripſimus, multa apud antiquos, aut antiquarum rerum obſeruatores reperiũtur, quibus adhuc Ægyptiorum iactatio notatur. Se enim illi primos hominum fuiſſe affirmabant, & ante Amaſim regem,*

*quem*

In Appar. lib. Phaleg.

Alex. ab Alex. lib. 3. c. 2.

Eſaiæ 30.

Diodor. li. 1. c. 2.

Plato in Politico.

Euſeb. de Præp. Euan. lib. 2.
Mela lib 1. Herodot. in Guter.
Sabell. Aemand. 1. lib. 3.
Diod. lib. 1. c. 2.
Macrob.
Diod. lib. 2. c. 2.
Exod. 1.
Cælius lib. 2 c. 3.

*quem anno ab orbe condito 3450. regnaſſe Euſebius tradit, reges trecentos & triginta habuiſſe, Coloniasq́ ab ipſis in vniuerſum orbem deductas iactabant. Omnium verò ſcientiarum ac diſciplinarum peritiam, imo inuentionem ſibi arrogabant; præcipuæ verò Geometriæ, Arithmeticæ, & Aſtronomicæ: diuinarum verò rerum agnitionē apud ſacerdotes ſuos maximam eſſe aiebant. Eoſdem etiam aſtutiſſimos fuiſſe, & ſacræ & prophanæ hiſtoriæ declarant. Quæ autem iſtius arrogantiæ origo fuerit, quid ex iis rebus, quas commemorauimus, propriè ac verè illi ſibi vendicare potuerint, aliàs, Deo nobis occaſionem offerente, indicabimus. Horum itaq; inanibus & vanis antiquitatis ſapientiæ & potentiæ iactationibus inſultat Vates noſter, facultatum ſcilicet, quibus diuina voluntas impediri, prouidentia cognoſci non poſſit. Ait autem aduerſus illam mundi ſapientiam:* Vbi nunc ſunt ſapientes tui, annuntient tibi, & indicent, quid cogitauerit Dominus exercituum ſuper Ægyptum. *Annuntient tibi quid Dominus ille potentiſſimus vltor & vindex conſilij ceperit de Ægyptiorum rebus vertendis & mutandis, idq́; valida manu copiarum à ſe miſſarum. Manifeſtum eſt illos, qui vel aſtrorum indiciis obſeruatis, vel hiſtoriarum exemplis, vel prudentiæ conſiliis initis & coniunctis, vel etiam incantationibus, aut veneficiis, aut ſortilegis oraculis, ac dæmoniorum reſponſis, quæ ſumma humana ſapientia eſt, non poſſe penetrare in conſilium Domini exercituum, etiam à Vate hoc veridico prædictum: nam quamquam his illi ab Iſaia prædicti fidem adhiberent; id iam non ſapientiæ ipſorum, ſed diuinæ prædictioni adſcribendum eſſet. Nec tamen hoc pacto ſapientia illi ſua vti poſſent; cùm neſcirent per quos, quo tempore, quóve modo expediendū eſſet, id quod Dominus exercituum conſilium aduerſus illos inierat. Itaque hic ſapientiæ Ægyptiorum exitus erit: potentiæ verò atq; opum, ille qui ſubiungitur.*

Stulti facti ſunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum angulum populorum eius.

SENTENTIA *explicata eſt: verborum verò quorundam ſignificatio explicabitur.* Stulti facti ſunt. *Hebraicè* NOAIV, *ſignificat temerariam arrogantiam, & incepta ſtulta; eſtq́; affine verbum nomini* IVELETH, *quod ſtultitiam nugasq́; interpretamur. Nugati ſunt principes illi, qui ſua potentia ac dexteritate & opibus conſeruare ſe poſſe Ægyptum putabant ſuis toparchiis & exarchiis diſtinctam.* Emarcuerunt, *Hebraicè ex verbo* NISAV, *ſeducti ſunt.* Mempheos. NOPH, *erat nomen illius vrbis antiquum, quod, vt Chaldaicus interpres indicat, ſeculorum efficientia mutatum eſt in* MEPHIM: *hoc Græci & Latini Memphis pronuntiarūt. Hi fruſtrati ſunt Aegyptum, qui ſeſe iactabant eſſe columen omnium tribuum & populorum eius.* Angulum populorum eius: *Hebraicè eſt nomen quod appoſitiuè in rectum vel in obliquum Latinè verti poſſit: in recto angulus tribuū eius: quippe hac ſignificatione interpretamur nomen populorum ex Hebraico. Erit autem huius cognominis ſententia huiuſmodi: Principes Taneos & Mempheos, qui omnium aliorum ordinum columen ſe eſſe dicebant, fruſtrati ſunt totam Aegyptum ſpe ſua: namque angulus firmitudinem inter*

Lib. Ioſeph. *alia per tranſlationem ſignificat, vt in Sacro apparatu docebamus. Alludit autem ad diſtributionem illam triplicem, ſiue triangularem, vel trimembrem Aegyptiorum ordinum, cuius antiqui auctores mentionem fecere.*
Diodor. li. 1. c. 2. *Principum primò, ſecundò militum, & agricolarum; tertiò verò plebis, atque opificum catalogo conſtantem. Si verò in obliquo caſu legamus, angulum, eamdem ſententiam obtinebimus hoc modo: Principes penes quos præcipua regni conſeruandi poteſtas & auctoritas erat, deceperunt reliquam Ægyptum, plebem videlicet vniuerſam, & opifices qui erant ex tribus angulis, vnus populares tribus omnes continens. Huius autem deceptionis auctoritatem ad Dei ſapientiam refert Propheta, qui perdere poteſt, & ſolet ſapientiam huius ſeculi.*

Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptũ in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.

VTERQVE *ordo ſapientum & principum errare fecerunt cetera illius regni membra militares & plebeios, atque artifices in opere ſuo ſingulorum, neque enim illi conſilio, alij auctoritate & opibus, iſti viribus & numero aliquid acturi erant, quod probari euẽtu ipſo poſſet. Sed veluti ebrius, qui vini ſtudio & guſtu illectus, plus nimio potat; dumque bibit, ſibi, voluptatique ſuæ conſulere videtur, lætiorque ex ea re eſt, & iucundior, donec vinum iam oppreſſus vomere cogitur. Tunc enim nihil turpius, nihil magis belluinum, nihil fœdius, atque abominandum mages eſſe poßit, neque pede, neque capite officium ſuum faciente, animo autem omnino turbato: vnde voluptates abeuntes, non autem venientes conſiderandas eſſe philoſophus rectè dixit. Sic iſtos, de quibus ſermo inſtitutus eſt, mundi ſapientes ac potentes nimia illa ſua cogitationum, conſiliorum, & opum copia ingentem ſibi confuſionem, perturbationem, ac dementationem, tandem ſibi ipſis paraturos eſſe, affirmat Vates.* Ebrius & vomens. *Hebraicè eſt, Ebrius in vomitu ſuo. Tunc enim magna capitis & animi vertigo, omniumque ſenſuum perturbatio, magna etiam membrorum debilitatio accidit. Quam ſimilitudinem membrorum totius corporis, ad principes ſapientes & plebeios relatam, ipſemet ſtatim expoſuit Vates.*

Et non erit Ægypto opus quod faciat caput & caudam incuruantem & refrenantem.

NVLLA *erit, inquit, vtilitas Ægypto ex omnibus actionibus ſuis: nulli membro vtiliter ſuam actionem inſtituere continget: non capiti, non caudæ. Caput militiæ ac Reip. Cauda etiam per tranſlationem, eum interpretamur, qui poſtremus phalangem agit, qualem noſtri temporis militia,* Cabo de eſquadra *nominat. Cetera verò quæ Latinè reddita ſunt,* Incuruantẽ, & refrenantem. *Hebraicè per tranſlationem ſcribuntur, ramum & iuncum, quæ dicendi figura & robuſtos, roborisque præſtantis viros, & debiliores imbecillioresque ſignificat. Tranſlatio autem capitis & caudæ ſumitur ab animantibus caudatis; quibus, vt caput ad motum & curſum præcedens, valet plurimum: ſic & cauda etiam confert, curſumque promouens, dirigit. Obſeruauimus enim canes venaticos, quibus cauda præciſa eſt, non poſſe flu-*

*uium per ſimplicis tigni pontem traiicere; quibus verò non deeſt cauda, eos rectè & celeriter traiicere poſſe. librat enim membrum illud totius corporis motum. De toto autem hoc figurati ſermonis genere abundè ſatis in Apparatu ſacro diſſeruimus. Neque verò in ipſis auctoribus tantùm, ſed neque in opere actionibusq; ipſorum caput & caudam, hoc eſt, certam formæ rationem inueniendã eſſe, Vates oratione hac ſignificabat. Atqui Ægyptios huiuſmodi ſtupiditate paulo ante Euangelij tempora laboraſſe, apertè ſatis oſtendit Plutarchus: qui Marco Antonio victo in Ægyptum ſe recipienti & conſilium & vires defuiſſe ait in regione ad reficiendas copias opportuniſſima. Hanc adeò rem non humana ſapientia, calliditate, prudentia, vel potentia, ſed diuini conſilij ac decreti auctoritate conſtituram eſſe Vates ait. Idq; Ægyptiis ipſis apertè eſſe cognoſcendũ: quibus aliàs iuxta carnis prudentiam & fortitudinem prudentiſsimis & fortiſsimis magnus metus, & pauor incutiendus eſſet, non ab hominibus, ſed à Deo ipſo; qualis poſt primogenita olim occiſa, incuſſus illius regni incolis omnibus fuit. Eſt autem ſolemne Sacris ſcriptoribus, vti aliàs adnotauimus, effectum ipſum ſiue euentum præponere, & illius effectus cauſam deinde ſubiungere. Sic hoc loco Iſaias Ægyptiorum turbationem præmiſit, cuius mox cauſam indicat.*

Plutar. in vita Ma. c. Anton.

Obſeruatio expoſitionũ.

In die illa erit Ægyptus quaſi mulieres, & ſtupebunt, & timebunt à facie cõmotionis manus Dñi, quam ipſe mouebit ſuper eam.

ANIMO *deiecto ac perturbato erunt Ægyptij illi, anteà prudentiſsimi, & ad res gerendas ſtrenui. Erunt, inquam, veluti mulieres; quæ plerumq; conſilij impotes & trepidiſsimæ ſunt, cùm res aliquo modo turbantur.* Et ſtupebunt cordis tremorem. *Hoc verbum indicat ex Hebræo,* & timebunt. *hoc animi deiectionem ſignificat. Eſt enim* PAHHAD, *Hebraicum. Vnde Latinorum pauor, & pauere deductum putamus. Illud autem quod ad expoſitionem additur,* quam ipſe mouebit ſuper eam, *eo pertinet, vt oſtendat Aegyptios agnituros, quam diuinam manum quondam filiorum Iſrael temporibus in ſe extentam, maiores ipſorum ſenſerant. Itaq; confeſſuros illam ipſius Domini manum iam denuò aduerſus ipſos motam. Quoniam verò hæc humanarum ac temporalium rerum mutatio viam ſtratura erat ad mutationem ſpiritualium in hominibus rerum. (namque hæc ratio eſt, quam præcipuè Deus intendit, & fouet, huiuſq; rationis cauſa res humanas temperat, & gubernat) ſubiunxit ſtatim Iſaias illam animorum, mentium, ſententiarum, & conſiliorum mutationem: illam demùm veræ & ſanctæ, hoc eſt, Chriſtianæ religionis cognitionem & procurationẽ, omnibus gentibus, atq; in primis Aegypto ipſi, ſuſcipiendam: ita, vt qui terram Iſrael, & Iudæam ipſam diuerſa religionis nomine odio antè habuerant Aegyptij, iam deinceps ament, & admirentur; ſacramq; Deo agnoſcant: & tamquam communis pietatis primum ſeminarium, tamquam diuinorum actorum, & monumentorum theatrum ſtudioſè petant.*

Et erit terra Iuda Ægypto in pauorem. Omnis qui illius fuerit recordatus, pauebit a facie conſilij Domini exercituum, quod ipſe cogitauit ſuper eam.

Dvo *orationis huius membra ſunt: alterum ad Aegyptios pertinet,* Et erit terra Iuda Ægypto in pauorem; *alterum verò ad omnes orbis regiones referendum eſt, non tantùm ad Aegyptum:* Omnis qui illius fuerit recordatus, *&c. Atque priori membro illud ſignificatur, videlicet, Iudaæ regionem, quæ anteà inuiſa fuerat Aegyptiis, fore Euangelij tempore, vt venerabilem, obſeruandam & adeundam propter monumentum humanæ ſalutis in illa regione expeditæ; quia ſalus ex Iudæis fuit: & propter religionis Chriſtianæ leges & conſilta, ab Apoſtolis, & primis illis Eccleſiæ miniſtris, qui in Iudæa commorarentur, petenda; ita vt feſti cuiuſdam ſolemnis & læti ritu Ægyptiis Iudæam adeuntibus, & viſentibus, dies agerentur iucundi & grati, præ gaudio monumentorum ſacrorum, quæ ſalutem publicam, ibidem effectam, teſtarentur: ita videmus hoc etiam tempore Ieroſolymam à Chriſtianis nationum omnium hominibus ſtudioſè peti, ac terram illam, in cuius medio Deus operatus eſt ſalutem, coli; maximè verò & frequentiſſimè ab iis, qui propinquiora loca tenent: inter quos Ægyptij præcipui ſunt. Ita etiam legimus ex Babylonia & Alexandria, inſignibus Aegypti vrbibus, Apoſtolos & Ieroſolymitanos Epiſcopos, atq; primos illos naſcentis Eccleſiæ miniſtros, fuiſſe quondam frequenter petitos & conſultos. Quod legimus Latinè nomen pauorem, feſtiuitatis ſignificationem habet, vt diuus etiam Hieronymus adnotauit: alluditq; nomen hoc ad tabernaculorum feſtum, quò Iſraeliticus populus ex omni tribu coibat; & peregrinorum more per dies certos in tabernaculis morabatur, in monumẽtum ſalutis & libertatis ab Aegyptiaca ſeruitute. Neque verò cogitatione & cura huiuſmodi Aegyptios tantummodo tangendos & mouendos, ſed omnes etiam ad quos cognitio peruenerit, maximi illius conſilij, quod Deus exercituum potentiſſimus iam inde à principio ſuſceperat, efficiendum in terra Iuda de mutatione humanarum rerum, de terrenæ ſapientiæ & potentiæ deturbatione, de regni cælorum inſtitutione, de Eccleſiæ Chriſtianæ inſtructione: hoc erat admirabile illud conſilium quod Deus cogitabat, ſiue, vt Hebraicè eſt, conſultabat: quod vbi re ipſa, & effectu explicatum orbis cognouit, ſtupuit, & pauit, perpetuoq; ſi rectè cogitarit, pauebit omnis homo; animaduertens quantam aduerſus impios vltionem parare; quantã aduerſus pios, & ſibi credentes miſericordiam efficere, & impertiri poßit, ac ſoleat: & quemadmodum prædictiones Prophetarum ſuorum euentu ipſo firmet. Verbum, cogitauit, Hebraicè eſt in præſenti tempore, cogitat; ſiue, conſultat. Hac etiam oratione diuinum illud conſilium illo tempore certum Deo & conſtitutum, ſibi autem indicatum referri ſignificabat Iſaias. Atque huius loci ſententia omnis expoſita nobis eſt apud Zachariã in illis verſibus: Et omnes qui relicti fuerint de vniuerſis gẽtibus, quæ venerant contra Ieruſalem, aſcendent ab anno in annum, vt adorent Dominum Regem exercituum, & celebrent feſtiuitatem tabernaculorum. Et erit, qui non aſcenderit de familiis terræ ad Ieruſalem, vt adoret regem Dominum exercituum, non erit ſuper eos imber. Quòd & ſi familia Aegypti non aſcenderit, & non venerit, nec ſuper eos erit; ſed erit ruina qua percutiet Domi-*

Comment. in Zach. 14.

*nius omnes gentes, quæ non aſcenderunt ad celebrandum feſtum tabernaculorum. Hoc erit peccatum Aegypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non aſcenderint ad celebrãdam feſtiuitatem tabernaculorũ. Atq; magnam animorũ coniunctionem, & conſiliorum ac voluntatũ ſocietatem in religionis nomine & cauſa Aegyptiis futuram, magnam cum Chriſtianis ex Iudæa oriundis concordiam, magnam Eccleſiarum omnium ac mutuam charitatem, & in vnius veri Dei cultum conſpirationem elegantiſſima exornatione Propheta expoſuit.*

In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Canaan, & iurantes per Dominum exercituum, & ciuitas Solis vocabitur vna.

NIHIL *eſſe, quòd magis homines in animos & voluntates diuidat, maioremq́; inter eos diſcordiam inducat: quàm religionis primam differentiam, deinde linguarum varietatem, in Sophoniæ Commentariis oſtendimus; & res ipſa, quotidiana etiam noſtrorum temporum exempla confirmant: quandoquidem hanc miſerrimam, qua nunc homines alij iactantur, alij in orbe terrarum detinentur, tempeſtatẽ, ex variis tum aduerſus Chriſtianam religionem ſectis perditionis, quas mundus alit; tum etiam in ipſa Chriſtiani nominis appellatione opinionibus, & de pietatis ratione exponenda diſſenſionibus coortam eſſe, nemo eſt qui neſciat. Iam verò linguarum varietas quantam importunitatem habeat ad animos hominũ, qui verbis & oratione inter ſe agunt, & conuerſantur, conciliandos, apertè videmus. Nam qui alium non intelligit loquentem, ſurdus eſt; illi, qui non intelligit.* Cic. pro Fõt. *Suſpicioſiſſimos autem ſurdos eſſe, experimento comperimus: vtpote qui aliorum riſum irriſionem eſſe putent; ſermonem aduerſum ſe fieri exiſtiment: deniq; vix quicquam boni conſulant, cùm non ſentiant, & intelligãt quid dicatur, aut agatur ab aliis. Quòd ſi vnà coniungãtur religionum varietas, & linguarum diuerſitas, non ſolùm diſſenſiones, verùm inimicitias perpetuas, hoſtilesq́; ſimultates gignunt. Scimus autem quid illarum linguarum diuiſio apud Babylonem diſſenſionis & abalienationis in hominum familiis effecerit: quemadmodum ipſos aliò alios migrare, & per totum orbem diſpergi coëgerit: neque voluntatibus minùs ac moribus, quàm locis inuicem dimotos, reddiderit. Nam qui eamdem retinuere religionis rationem, & familiarum ſuarum originis memoriam conſeruarunt, ſocietatem inter ſe coluerunt, neque linguis nimium diuerſis vſi ſunt: qui verò & religionibus, & linguis variis diſtincti ſunt, ij maximè & animis, & moribus, & ſtudiis diſiuncti fuêre: id quod nos ex gentium hiſtoriis ad ſacrarum literarum lucem conſideratis, obſeruauimus. Iam verò vt coniunctionem illam reconciliandorum per Chriſtum & in vnam ſanctam Eccleſiam Catholicam cogendorum hominum, quam Prophetæ futurã prædixerũt, ad Aegyptiorum partes, quas Iſaias deſcribit, exactiùs referamus, linguæ Hebraicæ ratio omnis, & ætas ipſa paulo altiùs repetito principio, ſed breui tamen oratione explicanda nobis eſt, aliàs, Deo volente, pleniùs ac meliùs de linguarum omnium varietate diſſerturis. Hebræam quam appella-*

In lib. Adā. *pellamus linguam, hoc eſt, ea qua Moſis Prophetarum & Pſalmorum libri ab ipſis auctoribus conſcripti ſunt; primam omnium fuiſſe, apertè demonſtrant prima illa primorum & antiquiſsimorum hominum nomina, à Spiritu ſancto ex propriis etymologiis explicata* Adam, Hana, Kaim, Abel, Enos Lamec, Henoh, Cainam, Tubal, Cain, Noë, Sem, Cham, Iaphet. *& plurima alia. Hanc eandem linguam poſt linguarum diuiſionē, apud Chananæos conſeruatam eſſe, & nomina regionibus, vrbibus, fluuiis, & montibus, hominibusq; illis impoſita oſtendunt: & illud perpetui inter Iacob & Laban fœderis monumentum confirmat in monte ab vtroq; con-*
Gen.31. *ſtitutū, cum titulo duplici: altero Chananæa lingua* Galghad; *altero Aramæa, ſiue Chaldæa,* IEGAR SAHADVTHA. *Atq; hanc Chananæorum linguam Iacobi familia omnis didicit, & conſeruauit etiam omni tēpore quo in Aegypto commorata eſt: id quod nomina omnia teſtantur Iſraelitis ibidem ortis, indita. vt, Aharon, Miriam, Iehoſuahh, Chaleb, & alia om-*
Psal. *nia, præter Moſis nomen. & Pſalmus ille apertè declarat: In exitu Iſraël de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Nam quod Latinè legimus, barbaro, Hebraicè,* LOGHEZ *dicitur, eumq; ſignificat, qui alia lingua vti-*
Psal.80. *tur à lingua ſancta, ſiue Chanaam. & ille etiam Pſalmi locus: Cùm exiret de terra Aegypti, linguam quam non nouerat, audiuit. Vnde conſtans apud Hebræos traditio eſt, tria à maioribus ipſorum in Aegypto non fuiſſe mutata, nomina videlicet, linguam, & veſtes. Filios autem Iſrael in regione ſua conſidentes, antequam abducendos captiuos Deus traderet, Chananæam illam linguam perpetuò habuiſſe, illud manifeſtè demonſtrat, quod*
4.Reg.18. *ſcriptum eſt: Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ, & Sobna, & Ioahe Rabſaci: Precamur vt loquaris nobis ſeruis tuis Syriacè. Siquidem intelligimus hanc linguam, & non loquaris nobis Iudaicè, audiente populo qui eſt ſuper murum, &c. Apertè ex hoc loco apparet communem populi ſermonem fuiſſe illo tempore Chananæum illum antiquum, qui iam Iudaicus appellaretur, Chananæis iam olim eiectis, & loco ab Iſraëlitis occupato; inter quos primi Iudæi habebantur: quoſdam verò eruditiores, atq; ex regia aula viros, Syriacè intellexiſſe, populum non item. Hæc lingua poſt Babylonicam tranſmigrationem Iudæis materna eſſe deſiit, iam per annos ſeptuaginta Syriæ ſiue Chaldaicæ aſſuetis, & Syrorum ſiue Azothenſium, ſiue etiam Damaſcenorum commercio & conſuetudine commixtis. Inde illius linguæ vſus inualuit, quæ Syrica dicta eſt: nonnihil à Chaldaica differens. Tēpore etiam Chriſti Ieſu erat apud Iudæos cum nomine Hebraicæ potiùs quàm Syricæ. Namq; omnia verba quæ apud Euangeliſtas & Apoſtolos conſultò expreſſa legimus, præter Raboni, Magdalene, Maria pronunciatum, Syrica ſunt, illis temporibus Hebraica dicta: nomen enim accipiebat lingua (vti obſeruauimus) à populo ipſo, cui familiaris erat: etiam ſi alia atq; alia variis temporibus eſſet. Cùm ergo dicunt Euangeliſtæ, Hebraicè autē Gabbatha, Hebraicè Golgotha, Hebraicè Acheldema. ſic interpretamur verbū Hebraicè, ac ſi dicatur apud Hebræos. Hebræos autem nō Iſraëlitas tātùm eſſe, ſed omnes eos qui tranſmiſſo Euphrate fluuio, in terra Chanaam con-*

ſedere, & tamen ex genere Chananæorum non fuere, ſatis apertè in Apparatu ſacro docuiſſe nobis videmur. Ex iis verò quæ leuiter perſtrinximus, apparet Chananæam linguam eandem eſſe, quam nunc Hebræam, ſiue ſanctam vocamus: atq; vſque ad tempora Babylonicæ tranſmigrationis fuiſſe in illa regione Chanaam conſeruatam; poſteà verò Arameam, ſiue Syricam obtinuiſſe, nomenq; vſurpaſſe Hebraicæ linguæ. Itaq; quicumque diceretur Hebraicè loqui, eo ſermone vti intelligendus eſſet, quo Hebræi homines vulgariter loquerentur: ſic etiam lingua Chanaan loqui, non tam diceretur is, qui Hebraicam illam antiquam, ſiue ſanctam linguam, quàm qui eam ſonaret, quæ populis in terra Chanaan habitantibus cōmunis familiarisq; eſſet. Atq; hæc de linguarum illarum ratione, hoc loco indicaſſe ſatis fuerit, quod ad Prophetæ noſtri ſententiam explicandum nobis oportunum videbatur. Non, vt arbitramur, quòd Aegyptios linguam illam ſanctam loquuturos eſſe, ſignificare ille vellet: ſed quòd magnam animorum, inter omnes Eccleſiæ Chriſtianæ populos coniunctionem, magnam ſapientiæ & ſcientiæ, atq; ſenſuum & verborum pietatem religionemq; ſpectantium cōmunionem, & concordiam ab aliis Vatibus prædictam, ille etiam ad Aegyptios referret; quibus cum Iudaicis & Ieroſolymitanis Chriſtianis, in Chriſto Ieſu idem ſapere, idem loqui, idem ſentire contingeret: id quod apud hunc eundem & alios Prophetas aliis & aliis verbis præcantatum audiuimus. S. S. E. Quia repleta eſt terra ſcientia Domini ſicut aquæ maris operiētis. Sap. 12.
& , A Solis ortu vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus. "
Et in omni loco ſanctificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: & "
apud Sophoniam clariſſimè: Quia tunc reddam populis labium electum, vt Malach. 1.
inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno. Itaq; ma- "
gnam totius terrarum orbis in vera Chriſti religione, concordiam ſignificabant Prophetæ omnes, quam Iſaias inter Chriſtianos ex Aegyptiis atque Iudæis conſtituram pro ſuſcepti argumenti ratione prænunciauit. Quòd ſi quis contendere velit non tantùm ſententiarum, & rerum ipſarum conſonantiam, ſed verborum etiam & ſermonis communionem, hac oratione Iſaiæ ſignificari, nihil omnino de eare laborabimus, quo minùs concedamus religionis arcana, quæ in Aegyptiis olim, non ſolùm ſua lingua, ſed myſterioſis quibuſdam verborum tranſlationibus (quæ Symbola vocantur) enunciabantur; non iam deinceps illam linguam, quam hieroglyphicam nonnulli appellant, ſed puram & ſimplicem Chriſtianorum in terra Chanaan habitantium, eſſe vſurpandam; ſiue ea Syrica ſit, quod magis probamus; ſiue illa ipſa antiqua Hebraica, ſiue Chananæa dicta; ſiue, vt nunc dicitur, ſacra: vtrumque enim rectè conſiſtere poteſt, ſed prius aptiùs conuenerit. Scimus enim noui Teſtamenti libros partim ab auctoribus ipſis Hebraicè, hoc eſt, Syricè, ſcriptos; partim ex Græco exemplari trāſlatos, omnibus Aſiæ totius ad Indiam vſque Orientalem Eccleſiis, atq; adeò Ægyptiis ipſis fuiſſe olim lectitatos, & nunc etiam lectitari; communemq; Eccleſiaſticam linguam, vt Græcis Græcam illam antiquiorem, & Occidentalibus Romanam, illis Orientalibus fuiſſe, & nunc eſſe Syriacam, quamquam vario vulgari ſer-

mone

*mone vſis. Scimus etiã multa ex illo antiquo Hebraico ſermone verba tamquam ſacra, magnaq́; ſignificationis plena Eccleſiis omnibus fuiſſe recepta & retenta, vt Hoſiaghna, Michaël, Gabriel, Raphaël, Miriam, & alia multa eodem modo pronunciata, quo ab ipſis Hebraicè ſcientibus, pronunciari ſolent. Scimus Hebraica Biblia veteris Teſtamenti, ſacroſancta apud nationes omnes & fuiſſe habita, & hactenus haberi, ſemperq́; ſui ſtudioſos amatores & interpretes habuiſſe. Igitur hæc omnia huius apud Iſaiam loci expoſitionem manifeſtè probant; atq; de vtraque, vel vtrauis lingua exponi poſſe, oratio ipſa indicat: quæ non ait,* Loquentes lingua Chananæa, *ſed* lingua Chanaan: *hoc eſt, ea, cuius vſus erit in terra Chanaan. Sed quod ad animorum & ſententiarum ſtudiorum atque rerum concordiam, magis quàm ad ſermonem (quamquam neque hunc excludimus) pertineat hoc vaticinium, ſingula ipſius verba ſignificationis refertiſſima indicant: quæ exponere, vel ſaltem indicare in ſtudioſorum vtilitatem voluimus. Chanaan & Mizraim, qui primus Ægypti poſtea dictam regionem occupauit, fratres fuiſſe, ſacra nobis hiſtoria tradit. S. S. E. Filij autem Cham, Chus, Mizraim, & Phut, & Chanaan. Vt verò ex prophanis hiſtoriis ad ſacrorum oraculorum lucem conſideratis & collatis obſeruauimus; amicitiæ & ſocietates, aut contrà, inimicitiæ & ſimultates publicæ, quæ in toto poſteà terrarum orbe inter homines exercitæ ſunt, ex illa prima à tribus Noachi filiis familiarum productarum, vel coniunctione, vel diuiſione ortũ habuere; ita vt ſingulorum filiorum poſteri generis illam ſocietatem, & mutuis officiis & auxiliis conſeruauerint, & aliis infenſi hosteſq́; fuerint. Si quidem à Prophetis accepimus Phut, & Chus, & Lehabim, & alios ex Chami poſteris Mizraim, hoc eſt, Aegyptiis auxilio fuiſſe; & alios aliis, iuxta antiqui generis neceſſitudinem: id quod in ſacræ Geographiæ libris apertè indicauimus. Deinde etiam illud conſtat, eos, qui ex eodem antiquo ex tribus illis vno parente genus duxerint, ſi non eadẽ, affinibus tamen iiſdemq́; verbis conſtantibus linguis vſos fuiſſe, pronunciatione variata: id quod in filiis Cham & Iaphet manifeſtè deprehendimus. Nam Iaphetidarum, quæ extant linguarum, non rara neque obſcura veſtigia ſimillimas etymos cum Græcis produnt, ex quibus Latinæ linguæ origo eſt. Aegyptiorum verò, Aethiopum, Afrorum, & Libyorum verba non multum diſsimilia eſſe deprehenduntur: qua de re nos aliàs explicatiùs per oportunitatem diſſerimus. Pargo enim & Moſe, & Tſaphnath, Paganeahh, & ceteræ voces Aegyptiæ in ſacris libris adhuc conſeruatæ manifeſtam cum Chananæa lingua affinitatem probent. Eaſdem enim quas vocare ſolemus radices, ſiue themata, eadem indicant, niſi quantum cadentiis & pronũciationibus diſtinguuntur: ita vt non magno ſtudio nec labore plurimo ab vnius ex illis compote ingenio, ceteræ cognoſci diſcique poſſint. Ex quibus rebus apparet Aegyptios olim & Chananæos non ſolùm generis neceſſitudine, ſed linguæ etiam vicinitate coniunctos & concordes fuiſſe; lingua tamen magis quàm ſanguine differentes euaſiſſe, poſt illam primam gentium diuiſionem. Siquidem ſanguinis propinquitas cùm natura conſtet, mutari non poteſt, linguæ verò ſimili-*

Gen. 10.

Gentiũ coniunctiones & ſimultates.

Linguarum omniũ ſumma ratio.

Appar. ſacr. Lib. Chaleb.

*ſimilitudo ac diſſimilitudo, quòd extrinſecus, ſiue ex Dei iudicio ſingulari, ſiue ex hominum voluntate & conſilio accidat, mutari & variari poteſt: ſic enim & à Deo primæ linguæ formam confuſam fuiſſe legimus, & ab hominibus varia verba rerumq; nomina inuēta cognouimus. Porrò vt omnia quæ ad noſtri Commentarij explicationem faciunt, intelligantur meliùs, animaduertendum eſt, duplex eſſe poſſe in vniuerſum inter ſe linguarum diſcrimen; neque aliud prætereà vllum reperire, quàm aut verborum variis ſyllabis, literis & elementis differentium diuerſitatem, aut eorumdem verborum variam pronunciationem. Exemplis autem hæc ratio perſpicua fiet; aliàs à nobis, Deo propitio, latiùs explicata.* ELOHIM & In lib. Adam *Deus, nomina ſunt omnino diuerſa; non ſignificatione, verùm literis & pronunciatione: nullam enim conſonantem in altero alteri ſimilem indicare eſt: itaque varia verba omnino eſſe conſtat. At verò Theos & Deus non ita inter ſe differunt, cùm magnam affinitatem habere demonſtrent: nam* Θ, & D, *eadem ferè littera eſt, niſi quòd altera aſpiratè, altera leniter pronunciatur. In ceteris verò literis nihil ferè diſcriminis eſt, præter linguarum cadentias, quòd ea quæ Græcis in* OS, *Latinis in* VS *terminantur. Sic videmus hoc loco duplicem differentiam: alteram verborum omnino diſſimilium, vt,* ELOHIM, & ΘΕΟΣ, *quæ nulla conſonante litera cōmunicant; alteram ſimilium quidem elementis, pronunciatione verò nonnihil diſcrepantium; vt* ΘΕΟΣ & *Deus: atq; his duobus, vti diximus, diſcriminibus linguæ inter ſe diſtant variæ: nullo prætereà alio. S. S. E. Erat q; terra labij vnius, & ſermonum eorundem.* Gen. 11. *Quod nos pronūciationem eādem, vel variam vocamus, Moſes & alij ſcriptores ſacri labium idem vel diuerſum dicunt: & quod à nobis idē thema, vel etymologia eadem, ab illis, ijdem ſermones ſiue, vt in Hebraico eſt, eadem verba dicuntur. Ita apparet Aegyptios & Chananæos olim, quamquam fratres eſſent, quamquam iiſdē verbis vterentur, non tamen eodem labio fuiſſe vſos. S. S. E. & iam citauimus:* Pſal. 80. *Linguam quam non nouerat, audiuit. & ſicut verba ipſa Aegyptia in ſacris libris obſeruata declarant. Ad huiuſmodi verò antiquam, tum generis communionem, tum linguæ diuerſitatem reſpiciens Iſaias, hoc modo, atque hac oratione futuram in Eccleſia ex Aegyptiacis & Iudaicis Chriſtianis coniuncta, maximam concordiam, & animorum, ſtudiorum, atq; verborum etiam ad pietatem & religionem pertinentium coniunctionem & communitatem: adeò vt longè maior hæc poſterior vtriuſque gentis charitas, longè coniunctior conſuetudo ſit, quàm fuerat quondam Chananæorum & Aegyptiorum, qui, tametſi fratres eſſent, tametſi verbis loquerentur ſimilibus, tamen lingua, ſiue pronunciatione, ſiue labiis vtebantur diuerſis, hoc eſt, quod ait:* Loquentes lingua Chanaan, *ex Hebraico,* labio Chanaan, *ita vt non Chananitidis regionis lingua in Aegyptiacam, ſed Aegyptiaca in Chananitidem conceſſura eſſet. Primi namque Chriſtiani nominis cultores ex Iudæis fuere, quibus ceteræ nationes & Aegyptij cum primis adiūcti ſunt. Quòd verò quinque ciuitatum numerus indicatur, nec ſignificatione, nec antiquitatis conſideratione caret: vt nihil omnino caret myſterio ac ſignificatione,*


*catione,*

catione, quod à ſacris Vatibus dicitur. Aegypti olim regio, vt commodiùs gubernaretur, conſeruareturq́; meliùs, in certas partes diſtributa fuit; ac ſingulis præfectis regenda ceſſit. Has Græci toparchias, nomos, dynaſtias, alia atq; alia ratione Latini præfecturas dixère. Huiuſmodi diſtributiones per quinas vrbes cogitabat Iſaias, dum hæc hac oratione prædiceret: quinque ciuitates; quod nos quinas vrbes exponimus; omnes, inquam, vrbes per ſingulos quinarios diſtributæ. Namque non omnes vrbes magnitudine, copiis & opibus, atq; munitionibus æquales ſunt: quinque autem vrbes in ſingulis toparchiis ita coniungi potuere, vt maiores cum minoribus, anguſtiores cum frequentioribus, perfectam & exactam rationem ad ſeſe gubernandum defendendumq́; conficerent: vt digiti quinque, tametſi inæquales inter ſe ſint, tamen ſimul perfectam, & ad omne opus habilem inſtruunt manum. Igitur huiuſmodi dynaſtias & communi conſenſu, & adhibito iuriſiurandi ſacramento ac voto, in veri Dei cultum & religionem conſpiratum ire Propheta prædixit: hac lege, vt nulla omnino ab aliis in hac ratione deficeret, aliàs communi ceterarum conſenſu, & mutuo ſubſidio, coniunctiſq́; viribus, quæcunque ſic deficeret, euertenda. Hoc eſt quod exponit Vates, iurantes per Dominum exercituum. Hebraica cõſtructio expoſitionem noſtram apertiùs confirmat: Iurate ad Dominum, vel Domino exercituũ: nam & verbum, iurare, paſſiuum eſt, feminini generis, pluralis numeri: & nomen Domini in acquiſitionis, ſiue datiuo caſu conſtitutũ legimus. Quod verò additur: & ciuitas Solis vocabitur vna; Hebraicè ad verbum eſt: & ciuitas HHEREZZ, dicetur vni, hoc eſt, vnicuique ipſorum, quæcunque à conſpiratione defecerit, in iuramento ipſo prædicetur. HHEREZZ. Eſt autem HHEREZZ, deſolatio propriè: quod anathema etiam dici poſſit: nam proximum eſt pronunciatione & figura verbo HEREM, quod anathema ſignificat. Vnde Græcorum ἔρημος. & à Latinis vſurpatum Eremi nomen, quod deſertionem, ſiue ſolitudinem ſignificat. Et quoniam vna fortaſſe fuit quæ à veritate Chriſtiana degenerauerit, Heliopolis, illa ciuitas commune Aegyptiacæ ſapientiæ gymnaſium. Solis phanum, à quo nomen acceperat

Strabo li. 17. rat celeberrima, quam Strabo ſuo tempore iam vaſtatam fuiſſe teſtatur, & communi aliarum quatuor eiuſdem toparchiæ ciuitatũ impetu diruta fuit: quod propter humanam ſapientiam, quæ Deo, & Chriſtianæ ſimplicitati inimica eſt, ab illa Dei ſapientia deſciuerit, quæ ſtultitia mundo eſſe videtur. Ob eam rem Chaldæus Paraphraſtes, exempli conſtituendi cauſa hunc locum ſic expoſuit: Iurantes in nomen Domini Sebaoth, ciuitas ædis Solis: Futurum eſt, vt diruatur. Super eam dicetur, quòd ipſa ſit vna ex illis. Ex huius paraphraſis expoſitione Interpres noſter locum hunc vertiſſe videtur, Ciuitas ſolis, &c. Quod verò dicitur, ciuitas Solis, ſiue, HHEREZZ vocabitur, vnà hanc ſignificationem habet, quæ ciuitas, inter eas vna & ſingularis eſſe voluerit, ceterarumq́; ſocietatem reliquerit, & vnica vocari ſtuduerit. Vocabitur ciuitas HHEREZZ, deſtructa & vaſtata in æternum monumentum ſingularitatis illius, quam affectauit, & alienationis à cultu veri Dei, per omnem Aegyptum ſuſcipiendæ, & exercendæ: cuius rei

argu-

*argumento erunt aræ in ipſa Aegypto Deo ſalutari conſecratæ, quales nunquam antea fuerant, cùm Aegyptus, vanorum Deorum contaminata ſuperſtitione, occuparetur, hoc eſt quod ſubiungit:*

In die illa erit altare Domino in medio terræ Ægypti.

ALTARIS *à populo aliquo facta conſecratio, teſtimonio eſt illius nominis, cui conſecratur in illo loco cogniti, ſuſcepti, & culti atq́ monumento etiam ſocietatis in religionis cauſa cum aliis populis conflatæ & confirmatæ, qui eiuſdẽ religionis cõmunione cenſentur. Hoc enim cõſilio Reubenitæ & Gaditæ, ac dimidia tribus Manaſſe, altare illud in terra Chanaan, ad* Iosue 22.
*tumulos Iordanis conſtruxere: non in alterius Dei cultum, ſed vt ijdẽ profeſſi ſunt, in teſtimonium inter nos & vos, & ſobolem noſtram veſtramq́ progeniem, vt ſeruiamus Domino, & iuris noſtri ſit offerre holocauſta, & victimas, & pacificas hoſtias: & nequaquam dicant cras filij veſtri filiis noſtris: Non eſt vobis pars in Domino. Quòd ſi voluerint dicere, reſpondebunt eis: Ecce altare Domini quod fecerunt patres noſtri; non in holocauſta, neque in ſacrificium, ſed in teſtimonium noſtrum ac veſtrum. Ad hãc hiſtoriam alludens Propheta noſter, prædixit altare Domino Deo miſericordi & ſalutari, (namque hoc ſignificat inter alia nomen illud tetragrammaton hoc loco appellatum) non in Chananitidis regionis terminis ponendum, ſed in ipſa Aegypto, quòd iam à Chriſti tempore venerit hora, in qua nec in monte Garizim neque in Ieruſalem, tamquam priuatis & ſingularibus locis, ſed in toto orbe veri adoratores adorent Deum in ſpiritu & veritate, qui non ſolùm in Iudæa illa terrena, & carnali familia, verùm in omnibus terrarum regionibus notiſſimus ſit: tamen illius notitiæ principio à Iudæa regione per Apoſtolos, ex Iudæis ortos, inchoato. Itaq́ idem Deus intra Aegyptum ipſam coletur, qui in Iudæa, Ieruſalem, & in aliis orbis terræ partibus, vnicus veruſq́ cognoſcetur: eritq́ Aegypto ſanctiſſimũ nomen illud, quod quondam etiam regionis illius Regibus erat ignotũ. S. S. E.* Exodi 5.
*Reſpondítq́ ille [Pharao] quis eſt Dominus, vt audiam verbum eius, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam. Huic Domino, anteà ignoto, futurum eſſe ait Propheta altare in medio Ægypti, hoc eſt, multa altaria publica conſecranda eſſe; non ad victimas illas cruentas, & ſacrificia boum, & hircorùm, ſed ad ſacrum illud ſacroſanctum incruentè oblatum, quod Domini ipſius ſalutaris & miſericordis beneficium in publicam hominum ſalutem factum teſtatur: & repetens commemorat, atque Eccleſiaſtico vocabulo Euchariſtiæ ſacrificium & ſacramentum dicitur, de quo præceptum eſt ab ipſo primo offerente & ſacrificante, atq́ redemptionis ac ſalutis huius miniſtro & Pontifice Chriſto Ieſu: Hoc facite in meam commemorationem. Verba illa in medio terræ Aegypti, non ex Geometriæ, aut Arithmeticæ ratione, ſed ex communi ſermone interpretamur: vt ſignificet poſſeſſionem, & certum ſtatumq́ ius, atque publicum & apertum exemplum, non in angulo aliquo priuato Aegypti, ſed in medio. Hebraicè eſt* BETHOCH, *Latinè, intra Aegyptum ipſum vertere poſſumus. Non enim religionis communionem in alieno ſolo habebunt, vt Reubenitæ, & Gaddi-*

*iæ, & dimidia tribus Manaſſe habuit in termino terræ Chanaan apud Iordanis tumulos: ſed Deum & Chriſtum eius propitium præſentem & commorantem in vrbibus ſuis experientur; & id teſtabuntur, & profitebuntur templis ariſq; ipſi conſecratis, & nominibus ac titulis deſcriptis & appellatis; ac ſacris ritibus & hoſtiis, eo modo quo expoſuimus, aſſiduè repetitis. Huiuſmodi ſignificatio vocis illius,* in medio, *frequentiſſimè in ſacris* Pſal. 54. *libris obſeruatur; vt: Labor in medio eius & iniuſtitia. & illud: Nō vos ſe-* Ierem. 29. *ducant Prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtrum. &, Non erit ei vir ſe-* Ibidem. Horatius Serm. lib. 2. Sat. 3. *dens in medio populi huius. & in aliis etiam linguis, vt Græcus Ariſtippus, qui ſeruos proiicere aurum in media iuſſit Libya. Quamobrem Græci codices rectè habent expoſitionis cauſa, εὐ χώρᾳ αἰγύπτου regione. Totam autem Aegyptum, ac ſi domus vna eſſet, vel ædes vna Deo conſecratā fore, ipſe idem Iſaias apertè exponit, cùm addit:* Et titulus Domini iuxta terminum eius. *Hebraicè ad verbum:* Et ſtatua Domino ſecundùm terminum ipſius. *Statua ex Hebraico* MAZZEBAH, *non figuram aliquam propriè ſignificat, ſed quidquid erigitur aut ſtatuitur perpetuò conſeruādum; maximè cùm de lapidibus vel ſtipitibus in agro, aut in aliis loco defixis, ſermo eſt. Figuntur autem huiuſmodi ſtatuæ, vel ad rei geſtæ monumentum,* Gen. 28. *vt illud: Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti " ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper, appellauitq; nomen vr- " bis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur. Et paulo pòſt elogium addens, dixit " idem Iacob: Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titu- " lum, vocabitur domus Dei: cūctorumq; quæ dederis mihi, decimas offeram* Exodi 24. *tibi. Vel ad perſonæ alicuius memoriam & famam conſeruandam, huiuſ- " modi tituli ſtatuuntur: S.S.E. Manè conſurgens Moſes, ædificauit altare " Domino ad radices montis, & duodecim titulos, per duodecim tribus Iſrael. Aut etiam numinis alicuius conſecrationem & cultum indicant ſtatuæ huiuſmodi; ſiue pyramides, ſiue columnæ ſint, vel obeliſci, ſiue etiam rudes lapides, conſpicui tamen. Sic Solis ſtatuas in terra Aegypti conterendas eſſe,* Ierem. 43. *Ieremias prædixit. Conſtituebantur autem ſtatuæ huiuſmodi & in mediis foris, & ante phana, vel & in ipſis etiam vrbium agrorumq; finibus: quibus terminorum certa ratio indicabatur, & Dei illi vrbi vel regioni tutelaris ac peculiariter culti nomen inſcribebatur. Eſtq; diſcrimen apertum in ſacris libris inter huiuſmodi ſtatuas & figuras, ſiue ſimulachra. Namque ſtatua* MAZZEBAH, *à ſtando, vel à conſtituendo dicitur: ſimulacrum verò* PEZZEL, *à ſculpendo, ſiue dolando vocatur; & ſæpe ab Interprete noſtro vertitur ſculptile. Alterum genus propriè ſtatuam, alterum verò ſignum, ſiue ſimulacrum antiqui Latini, cùm exactè loquerentur, dixerūt: de vtroque illud ſcriptum eſt: Non facietis vobis idolum & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum. Eodem verbo ex quo* MAZZEBAH, *nomen deducitur, Hebraica lingua vtitur in terminis agrorum definiendis & ſtatuendis; idq; frequentiſſimè. Significauit itaq; Iſaias totam Aegyptum, tamquam vrbem aut ædem quandam, Deo miſericordi & miſericordiarum Patri conſecratam fore: vtpote quæ*

vlte-

*vlteriùs altare Deo, exteriùs verò lapides cum titulis, inſcriptionibus, ſiue dedicationibus eſſet habitura, & profeſſura ſe ſub eiuſdem Dei ſalutaris & miſericordis tutela & cuſtodia eſſe conſtitutam; vnicumq́ ſuum præſidium & bonum agnoſcere eumdem, reiectis omnibus ſtatuis & titulis vanorum & innumerabilium Deorum, quos anteà per ſummam ſtultitiam, ſummæ ſapientiæ ementita ſpecie, coluiſſe conſtaret. Vnicum igitur illud nomen tetragrammaton, in quo Chriſti myſteria continentur, in titulis illis legendum eſſe ait*, Domini, *Hebraicè eſt*, Domino, *ſiue* ליהוה, *obſeruata propriè inſcriptionum antiquarum ſiue dedicationum, vel conſecrationum ratione. Hoc enim modò inſcribebantur lapides, pyramides, templa & ſtatuæ.* IOVI SOSPITI, MARTI VLTORI, IOVI HOSPITALI, *&c. Quod noſtri etiam imitari ita ſolent:* DEO OPT. MAX. *Quamquam verò nos ſententiam ipſam, quam primam Vates intendit, eam eſſe interpretamur; videlicet fore, vt vniuerſa Aegypti regio Chriſtianæ religionis communione & virtute atque efficacitate inſtrueretur: tamen nihilominus id quod verba ipſa ſonant, ſimpliciter exponendum; admittendumq́ ducimus, fore in Aegypto verè & reapſe conſtructas aras ad religionis Chriſtianæ cultum, fore crucis Chriſti ſigna, & lapides publicæ poſitos, qui religionis puræ vſum indicarent, & ſignificarent: ita vt hoſpitibus eò confluentibus, ex ipſa ſignorum ac templorum contemplatione regionem illam Chriſtiani nominis participem eſſe conſtaret. fieri enim non poteſt, quin quam populus religionem colat, eandem etiam exteriùs ſignis profiteatur. id quod obſeruatum legimus ab initio creaturæ quam condidit Deus, vſque ad noſtra tempora, quibus omnis rerum diuinarum & humanarum ordo (proh dolor & pudor) perturbatus conſpicitur. Huiuſmodi autem ſtatuas, quales deſcripſimus, non damnari, immo probari, & , vt probatas prædici à Spiritu ſancto, vſus ipſe manifeſtè oſtendit, quem Iſaias ipſe ſubiungens exponit.*

Et erit in ſignum & teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti: clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis: & mittet eis ſaluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.

DIXIMVS *titulorum ſententiam fore*, DOMINO DEO MISERICORDI CONSTANTI EFFICACI. *Quippe cùm hæc omnia, & plura ab his non aliena illo ineffabili & arcano contineantur nomine. Nunc iam Vates ipſe exponit illorum titulorũ vſum fore, ſignificare ſalutẽ Aegyptiorum populo, ſicut & ceteris omnibus totius orbis incolis accipere volentibus, allatam, & libertatem ex captiuitate, ac ſeruitute diaboli & peccati vniuerſos homines prementis ac vexantis, miſſo ſeruatore potentiſſimo & efficaciſſimo Chriſto: qui, vt Moſes ex Dei virtute & auctoritate Iſraelitas ſub Pharaonis tyrannide laborantes, liberauit; ſic Aegyptios maiori, hoc eſt, ſpiritutuali ſeruitute oppreſſos eripiat, ad libertatemq́ filiorum Dei traducat. Totus autem hic verſus integer legendus eſt: cuius poſterior pars priorem exponit. namq́ Hebraicè hæc ita ad verbum ſonant:* Et erit in ſignum, &c. Quod clamabunt, &c. *Quòd clamauerint ad Dominum illũ Deum miſericordem, cùm ſentirent res ſuas labefactari, intellexerintq́, id euenire ob* 

Euſeb. de demonſtrat. Euang. lib. 1. c. 4. Lactant. Firmian. lib. 4. c. 13.

*peccata & ſcelera, quibus deuincti erant; & eorum abolitionem & expiationem orauerint, clamãtes ad exemplum Iſraelitarum, quorum clamor ex illa dura ſeruitute profectus Domini aures tetigerat, & ita Dominus miſerit eis ſaluatorem Ieſum Chriſtum, cuius virtute & efficientia liberati fuerint ab illa peccatorum, quibus opprimebantur, ſeruitute. Hoc ſignificabunt, hoc teſtabuntur tituli Deo miſericordi conſecrati.* A facie tribulantis. *Hebraicè, à facie prementium; peccatorum videlicet, quibus maximè genus humanum premeretur. quamobrem & cetera mala plurima paterentur Aegyptij.* Saluatorem. *Refertur ad antiquam figuram Moſis, ſed nomen* MOSIAGH, *apertè indicat figuratum* IESVAGH, *quod nomen eſt Ieſu Domini noſtri, cuius ſignificatio eſt,* SALVATOR PERPETVVS, *vt aliàs exponimus.* & propugnatorem, *Hebraicè* RAB, *quod magnũ ſignificat & præſtantem: atque adeò ex hac ſignificatione vſurpatur ad ſignificandum Principem, Magiſtrum, & auctorem, & non nihil deflexa voce propugnatorem, ſiue dimicatorem, rixæq; initæ ſusceptorem. Hæc omnia ſignificata in Ieſum maximè quadrant, qui propter maximam dignitatem, auctoritatem, & poteſtatem à Deo acceptam dicitur Chriſtus, hoc eſt, vnctus in Regem, Pontificem, auctoremq; ſalutis æternæ, & ſeruatorem humani generis confirmatus, maximus, & primogenitus mortuorum, maximus & fideliſsimus in domo Dei, vtpote filius vnigenitus ſecũdùm Deum, æqualis Patri & æternus, ſecundùm hominem verò, cunctis hominibus & Angelis excellentior, caputq; factus & conſtitutus omnium filiorum Dei, & Eccleſiæ vniuerſæ fundamentum probatiſsimum. Hæc omnia illo nomine* R A B, *continentur, pro quo interpres noſter reddidit, propugnatorem; Chaldæus verò & Græci* iudicantem *vertere. Atq; mihi quidem videtur Iſaias hoc nomine idem voluiſſe ſignificare, quod Meſsias Hebræis, Chriſtus Græcis arcanè ſignificat. Hũc verſum Chaldæus Paraphraſtes ita expoſuit: Et erit in ſignum & in teſtem ante Dominum exercituum in terra Aegypti. Quod orauerint ante Dominum, ab ante tribulatores eorũ miſit eis liberatorem & iudicem, & eripuit eos. Quid verò ex illa diuina liberatione & ſalute per Chriſtum allata, euenturum eſſet, ſubiunctis verſibus Iſaias indicauit.*

Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptij Dominum in die illa.

I A M *initiò abundè ſatis, vt arbitramur, docuimus; & ſæpe etiam in variis huius Commentarij locis admonuimus, Iſaiæ orationẽ vnam tãtùm, ſed multiplici, non varia, aut ſecũ pugnanti tamen ſignificatione refertam eſſe, lectoremq; poſtulare cum primis attentum, & in ſacrorum librorum contemplatione non negligenter verſatum: vtpote quæ omnis ferè conſtet diuinæ legis & hiſtoriarum antiquarum commemorationibus ad noui Teſtamenti myſteria redactis. Itaq; & ſimul vtraque ſcripta, & noua & vetera in huius Vatis theſauro concluſa eſſe, intelligere oportet, & vtraque ſimul ad explicationem proferre, in his præſertim locis, in quibus de Chriſti virtute efficacitateq; agitur, cuiuſmodi hic, in quo verſamur, locus eſt:*

cùm

cùm Moſem Deus de ſalute paulo pòſt Iſraëlitis danda, alloqueretur. Illud orationi initium fuerit: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum ADONAI non indicaui eis. & tamen nomen illud τετραγράμματον dictũ ſæpè ſæpiùs fuerat, & ab Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo appellatum: id quod ex libri Geneſeos lectione conſtat. Verùm quòd Deus ait, illis à ſe non indicatum nomen, ita à nobis exponitur, vt illius nominis, quod conſtantem miſericordiam, efficacitatémque propoſiti, & promiſſorum ſpontaneam præſtantiam ſignificat, virtutem & efficientiam experimento ipſo patribus illis nondum oſtenſam & demonſtratam fuiſſe, Deus exponat. Quippe cùm Abraham Iſaac & Iacob temporalibus rebus, honoreq́ apud eos, quibus notos eſſe contigit, auctos à Deo fuiſſe, à periculis & diſcriminibus, quæ obiri poterãt, antè ereptos, quàm vt obita ſibi eſſe ſentire ipſi poſſent: atq́ hac ratione Deus in Deo omnipotente, ſiue, vt Hebraicè eſt, proſperante, apparuiſſe illis dicitur. At verò nullam vnquam vel ſeruitutis, vel maximi laboris conditionem patres illi ſuſtinuerunt, ex qua erepti & liberati nominis illius virtutem cognoſcerent: quod totum ex miſericordiæ infinitæ & conſtantiæ in propoſito, ac promiſſis efficiendis ratione exponitur. Illud quidem verum eſt, Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum intellexiſſe poſteritatem ſuam in ſumma ſeruitutis afflictione futuram eſſe, habuiſſeq́ promiſſum certum liberationis & ſalutis ex miſerrima illa conditione, idq́ promiſſum voce ac verbis ADONAI, factum fuiſſe. S.S.E. Scito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent eos quadringentis annis: verumtamen gentem cui ſeruituri ſunt, ego indicabo, & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Hæc ad nomen ADONAI referuntur. Illud verò quod ſubiungitur: Tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona, ad nomen Dei omnipotentis eſt referendum. Idem eodem modo Iſaaco & Iacobo & notum fuiſſe, & contigiſſe, obſeruabit quiſquis pertinentes ad illos hiſtorias legerit. Ex quibus rebus diſcimus nomen ſanctiſſimum hoc Dei, quod propriè non IEHOVA, ſed IEHVEH pronuntiatur, miſericordiam & promiſſorum conſtantiam ſpectare. Præterea etiam nomen ipſum, hoc eſt, ipſius virtutem agnoſcere, non humanæ virtutis, aut facultatis actiuæ, ſed paſſiuæ cuiuſdam habilitatis; efficacitatis verò ac donationis diuinæ eſſe; eosq́ propriè teſtari poſſe, quæ ſit illius nominis virtus, quos ex magna miſeria, qua oppreſſi fuerint, Deus liberandos à ſe receperit, & oportuno tempore liberauerit. Cuius rei exemplum nobis poſitum eſt in Iſraelitarum populo, qui ex duriſſima illa ſeruitute ad populi Dei libertatem eſt traductus, illius nominis ADONAI, auctoritate & efficientia, id quod Deus ipſe Moſi declarabat, dicens: Ego audiui gemitum filiorum Iſrael, quo Aegyptij oppreſſerunt eos; & recordatus ſum pacti mei. Ideo dic filiis Iſrael, Ego IEHVEH educã vos de ergaſtulo Aegyptiorum, & eruam de ſeruitute, ac redimam in brachio excelſo, & iudicijs magnis; & aſſumam vos mihi in populum, & ero veſter Deus; & ſcietis quòd ego ſum IEHVEH, Deus veſter, qui eduxerim vos de ergaſtulo Aegyptiorum,

Exodi 6. Gen. 15. Ibidem. Exod 6.

" *ptiorum, & induxerim vos in terram ſuper quam leuaui manum meam,*
" *vt darem eam Abraham, Iſaac, & Iacob; daboq́; illam poßidendam vobis,*
" *ego* IEHVEH. *Nihil apertiùs aut expreſſè magis dici poſſe nobis videtur, quàm huius nominis cognitionem, non volentis, nec currentis eſſe; ſed Dei miſerentis, qui ſuis illis maximis beneficiis promittendis primùm, deinde verò oportunè præſtandis, ſeſe ipſum vltrò hominibus cognoſcendum præbeat. Quod verò ex illius ſalutis, quæ Iſraelitarum populo in figura contigit, contemplatione ad veritatem figuræ ipſius referendum eſt, hoc eſt, ad liberationem humani generis per Chriſtum efficiendam: cuius ſumma ratio illa fuit, vt homines ex Ægyptiaca ſeruitute, hoc eſt, ex peccatorum iugo, & Pharaonis, id eſt, Sathanæ tyrannide liberati per mortem & ſepulturam Christi, per eiuſdem reſurrectionem ad vitæ nouitatem traducerentur; &, accepto Spiritus ſancti dono, in gloria filiorum Dei gloriarentur; & hoc modo Deum ipſum* IEHVEH *cognoſcerent, vitam æternam habētes. de qua*
Ioan. 17. *ſcriptum eſt: Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum ve-*
" *rum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. De huiuſmodi cognitione Dei ſcri-*
Ierem. 31. *ptum eſt: Non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum,*
" *dicens: Cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me, à minimo eorum*
" *vſque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, &*
" *peccati eorum non memorabor ampliùs. Huius cognitionis dono qui à Deo donati ſunt, cognoſcunt illum alio modo, quàm vel ex naturæ instinctu, vel ex rerum creatarum contemplatione, vel ex librorum lectione, vel etiam ex Angelica aliqua reuelatione cognoſci poßit: alio, inquam, modo præſtantiore, vtpote diuino, cùm ſeſe Deus cognoſcendum inſinuat per Spiritum ſanctum, & Christi virtutem. Ad huiuſmodi cognitionem referimus huius verſus ſententiam: Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto, cui ſeſe ille cognoſcendum præbebit. Atq́; huius dicti interpretationem, præterquam quòd res ipſa probat, Hebraica oratio ad verbum verſa comprobat: Et cognitus erit, ſiue, notificabitur Dominus Ægypto. Ita etiam Græci interpretes hūc locum in hunc modum vertentes,* καὶ γνωςὸς ἔςαι κύριος τοῖς αἰγυπτίοις, καὶ γνώσονται οἱ αἰγύπτιοι τὸν κύριον, *tunc autem Ægyptij cognoſcent Dominum in die illa, ea cognitione, qua ſeſe ipſe illis præbuerit cognoſcendum, atque ita cognitum, colent eum hoſtiis ſpiritualibus acceptabilibus ipſi per Ieſum Chriſtum, & donis & muneribus gratißimi odoris in conſpectu Dei: Et vota vouebunt Domino ipſi miſericordi & conſtanti, & ſoluent non inuiti, non ex triſtitia, ſed ex hilaritate; Hilarem enim datorē diligit Deus. Cultum adorationemq́; huiuſmodi, qualem Chriſtus Samaritanæ feminæ ſignificabat, Deo gratiſſimam per Ieſum Chriſtum, hoc loco à Vate indicari Hebraica verborum conſtructio oſtendit, hoc modo:* Et ſeruient hoſtia, & munus, *vel* hoſtiam & munus *Namq́; in recto & obliquo vertere poſſumus abſq́; ſententiæ detrimēto: ſed rectus caſus hoc loco maiorem emphaſim habet:* Et vouebunt vota Domino, & perficient. *Magnum, magnæq́; ſignificationis verbum eſt.* SALAM, *quod hoc loco vſurpat Vates: Latinis finire, perficere, perſoluere, reddere, atq́; aliis huius generis vocabulis vix*

plenè

*plenè vertendum: nam cumulum quemdam perfectionis huius verbi vis
in ſe continet. Illis autem quibus Deus, eo quem explicuimus modo, notus
eſt, contingit, ſi quibus maximè, & vouere Domino votum, & perfectè
reddere: At qui ſacrorum ſcriptorum mos eſt, euentum ipſum ſperandum
& expectandum priùs proponere, & deinde cauſas vel modos aut formas,
ex quibus euentus ille ſit oriturus indicare. id quod iam ſæpè aliàs obſerua-
uimus ac docuimus, & hoc loco ab Iſaia ſeruatur; qui cùm exitum illum op-
tabiliſsimum cognitionis Dei, qua ratione expediendum eſſe intellexerit,
ſubiunxit. hoc eſt,* Percuſſo priùs per Deum Ægypto, *qui cùm aduerſis
rebus preſſus conditionis ſuæ humilitatem cognouerit, Deum ipſum ſaluta-
rem, ſupplice deprecatione in ſuam ſalutem cōciliet: hoc eſt quod ſubiunxit,*
Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, & ſanabit eam, & reuerten-
tur ad Dominum, & placabitur eis, & ſanabit eos. *Ipſa rerum con-
ſideratio ſeriem tenendam apertè indicat; eſt enim exornatio quædam ora-
tionis non infrequens ὕστερον πρότερον dicta. Percutiet Dominus Ægyptū* Inf.43.
*plaga, ſed ipſe ſanabit eos. S. S. E. Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniqui-* “
*tates tuas propter me, & peccatorū tuorum non recordabor. & illud: In tri-* Oſeæ 6.
*bulatione ſua manè conſurgent ad me: venite, & reuertamur ad Dominū,* “
*quia ipſe cepit, & ſanabit nos: percutiet, & curabit nos. hoc autem pacto ſa-* “
*nabit: nempe percuſsi Aegyptij reuertentur ad Dominum, & placabitur
eis, & ſanabit eos. Alludit autem Vates ad antiquam hiſtoriam liberatio-
nis filiorum Iſrael: in qua ſæpe percuſsi Aegyptij, quamquam plagas ſenſe-
rint, & perhorruerint. S. S. E. Dixerunt autem ſerui Pharaonis ad eum,* Exodi 8.9.
*Vſquequo patiemur hoc ſcandalum? Dimitte homines, vt ſacrificent Do-* 10.11.
*mino Deo ſuo: tamen non ſunt conuerſi ad Dominum. Sic enim dicebant,* “
*vt ſacrificent Domino Deo ſuo: atq; illa quidem proteruia id ſibi peperere
malorum; vt tandem in mari rubro Pharao cum curribus & exercitibus
ſuis perierit; nec tamen Dominum in ſuam ſalutem inuocauerint: ſed dixe-
rint potiùs, fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Exodi 14.
*Atq; ita fugientibus Aegyptiis, occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Domi-
nus in mediis fluctibus. Reuerſæq; ſunt aquæ, & operuerunt currus &
equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſsi fuerant mare:
neque vnus quidem ſuperfuit ex eis. At verò illa die quam Iſaias ſignifica-
bat, aliud melius & ſalubrius conſilium ſecuturi erant Aegyptij: nempe vt
percuſsi conuerterentur ad Dominum, atq; ita ſeruarentur. Latet autem
in hoc vaticinio magnum myſterium à Vate inuolutum quidem; ſed quòd
rerum ipſarum imagine, & verborum explicatione non nimis difficulter
aperiri poſsit. In primis verò in promptu habenda eſt ſignificatio & aucto-
ritas nominis illius ſanctiſsimi* יהוה, *à nobis perſæpè indicata. Deinde
etiam animaduertendum duplicem eſſe Aegyptum, alteram viſibilem, alte-
ram inuiſibilem: Viſibilis Aegyptus prouincia illa eſt inter Catabathmon
vel Cyrenaicam prouinciam, & Arabias ſita; cum populus illis ex Camo
procreatis. Inuiſibilis verò Aegyptus, regnum eſt peccati: in quo peccatum
illud ab Apoſtolo corpus peccati dictum imperat, ſuoq; imperio genus huma-*

*num in ſeruitute miſerrima exercet: cuius rei imago in illa Iſraelitarum ſeruitute apud Aegyptios viſibiles olim ſeruita expreſſa fuit: neque verò hæc interpretatio, & interpretationis diſtinctio ingenij noſtri eſt: ſed Prophetarum fere omnium, & Chriſti maximi illius præceptoris, & Petri, Pauli, atq; Iohannis, qui hac imagine frequentiſſimè in humanæ ſalutis ratione ſignificanda vtuntur. Quòd ergo Iſaias ait, Ægyptios percuſſos, ad Dominum conuerſum iri; non tantùm refertur ad externam plagam per Romanos acceptam, quæ commoditatem Euangelio enuntiando, apud Aegyptios creauerit; ſed etiam idque propriè magis, ad vtramq; Aegypti ſignificationem eſt referendum. Namq; viſibilis Aegypti natio, ſicut ceteræ orbis totius gentes ſub regno ſiue tyrannide inuiſibilis Aegypti ſeruiebat; ſed percuſſa Aegypto inuiſibili, in illa multipliciū plagarum refertiſſima Chriſti paſſione, & in illo ſanguinis eiuſdem mari rubro ſubmerſa; Aegyptus viſibilis, non vt olim refugere voluit, imò potiùs ad Dominum cōuerſa eſt, ipſumq; ſalutis ſuæ auctorem cognoſcens, appellauit: & ſanata eſt à peccato, & à plagis illius inuiſibilis Aegypti liberata, Dominum Saluatorem agnouit, & confeſſa eſt, atq; Eccleſiæ vniuerſalis membrum eſt effecta. Tunc illam depoſuit contentionem, illamq; ſtultam æmulationem, quæ inter ipſos Aegyptios, & gentes alias de antiquitate, de nobilitate, de ſapientiæ præſtantia eſſe ſolebat. Omnes enim vnum Deum, auctorem humani generis crediderunt; omnes vnum Seruatorem Ieſum Chriſtum; omnes vnam fidem, vnum baptiſma receperunt; omnes vnum Spiritum ſanctum Chriſti virtutis & efficientiæ teſtimonium probauerunt: In omnem terram ſonus eorum, qui Euangeliū Chriſti annunciabant, exiuit: & in fines orbis terræ verba eorum perlata ſunt. Sed in his præcipuas quaſdam partes Aegyptiis tribuit Iſaias: vtpote quos præuiderat eo maiori pietatis Chriſtianæ ſtudio atq; exercitio veræ & puræ virtutis illuſtrādos eſſe, quo maiori, magis vario & diuturniore ſuperſtitionis & vanitatis errore inflatos anteà fuiſſe conſtaret. Id verò euentu ipſo cōfirmatum eſſe ex Apoſtolorum actis, ex Philonis, Egeſippi, atque Eccleſiaſtica, & ex Lauſiaca hiſtoria conſtat apertiſſimè. Huiuſmodi myſteria, quæ ſimplicioribus & paruulis reuelare voluit Deus, prudentibus ac ſapientibus mundi ac ſeculi occulta ſunt: ideo nec nobis latiùs explicanda videntur, vtpote quæ iis qui capere poſſunt, vel ſignificatione tenui capiuntur; iis qui non poſſunt, quo magis inculcantur, aut latiùs exponuntur, eo magis deſpiciuntur. Orandus autem Deus eſt, vt mittat Spiritum ſanctum ſuum in terras, qui harum rerum omnium veritatem omnem doceat, & ſuggerat. Chaldæus Paraphraſtes non nimis longè ab hac à nobis expoſita ſententia diſceſſiſſe videtur: Et reuelabitur potentia Domini ad benefaciendum Aegyptiis, & cognoſcent Aegyptij ad timendum à facie Domini in tempore illo: & ſeruient in ſacrificio ſanctitatum, & in oblationibus, & vouebunt vota ante Dominum, & perſoluent. Illam verò concordiam maximam, & pacem fidei & charitatis communionem inter Chriſtianos, quamuis vario ſecundùm carnem genere prognatos, futuram ad duas notiſſimas has orbis nationes Aegyptios, qui propter Sapien-*

*pientiæ profeßionem, & Aſſyrios, qui propter imperij potentiam celeberrimi fuerant; & ex illis ad omnes alios ex conſequenti Iſaias retulit ſubiuncto carmine:*

In die illa, erit via de Ægypto in Aſſyrios, & intrabit Aſſyrius in Ægyptum, & Ægyptius in Aſſyrios. & ſeruient Ægyptij Aſſur.

MAXIMAM, *celeberrimam, & frequentiſsimam communicationem & ſocietatem magnam, & concordiam & facilitatem; atque adeò coniunctionem quandam ſtudiorum & commodorum indicat via ex aliquo loco in alium lapidibus conſtrata. Namq; aliàs communes viæ & iter facientium, tantùm conculcatione apertæ non ita feruentem, neque ita aßiduam conſuetudinem arguunt. Romani per totam Italiam, quã imperij ſui vſu quaſi communem quandam patriam habebant, varias vias ſtrauerunt, ad Alpes vſque ferè pertingẽtes: quarum conſpicua veſtigia adhuc extant. A Gadibus ad Pyrenæos vſque productam & munitam viam Traianus in Hiſpania reſtituit, & multis in locis auxit, & amplificauit: cuius partes maximæ adhuc inter Emeritam & Salmaticã extant, qua via lata dicitur. Ad hanc ſimilitudinem Iſaias alludens, viam non quamlibet aut obſcuram, & incertam; ſed ſtratam lapidibus, vt frequenti conſuetudine tritiſsimam, ab Aegypto in Aſſyriam conſtituram prædicebat: non tam viam ipſam materialem, quàm pacem & concordiam & ſpiritualium commodorum communicationem ſignificans; id quod Vates ipſe exponit:* Intrabit, *inquiens*, Aſſyrius Ægyptum & Ægyptius in Aſſyrios: & ſeruient Ægyptij Aſſur. *Hebraicè ſcientibus facilè probare poſſumus huiuſmodi interpretationem:* ſeruient Ægyptij cum Aſſyriis, *namq;* ETH, *particula Hebraica, & accuſatiuo ſeruit, & ablatiuo etiam, eodem officio functa, quo apud Latinos* CVM: *frequentiſsimaq; vtriuſque ſignificationis exempla in Sacris libris obſeruantur. Atq; expoſitorum verborũ ſententia cum ſuperiùs dictis coniungitur: nam ſuperiùs dixerat Vates Aegyptios culturos Deum hoſtiis & muneribus, &c. Idem autẽ verbum hoc loco vſurpauit, vt idem ſeruiendi ſiue colendi genus indicaret. Eſtq; verbum* GHABAD, *quod colere & ſeruire ſignificat. Ergo Aegyptij cum Aſſyriis Dominum colent, ſiue ſeruient Domino, hoſtiis & muneribus; & vota vouebunt, & ſoluent. Sin verò Latinè tantùm ſcientes hanc orationem, vt in noſtra verſione habent, ſibi expoſitam malint; exponemus Aegyptios Aſſyriis mutuæ charitatis officiis eſſe ſeruituros: quod etiam ſeruitij genus cultus Domini eſt. Ita fiet, vt qui antea familiis, & familiarum diuerſitate ortis ſtudiis diſiuncti diſsidentesq; fuerant, in vnam pietatis coniunctionem & conſuetudinem coëant, ſeque mutuis officiis iuuent. Namque Aſſur, Semi; Aegyptus verò, Chami filius fuit: poſteà verò omnes in vno capite Chriſto coniuncti, vnius Patris Dei filij effecti. Et cùm vterque populus, tam Aſſyriorum quàm Aegyptiorum, Iſraelitas grauiſsimo odio anteà fuerit proſecutus, quippe quos Ægyptij in extrema & humillima ſeruitute detinuerant, Aſſyrij verò abductos, per totum orbem diſperſerant, futurum eſſe, Iſaias ait, vt Chriſti virtute, & Euangelij communicatione Iſraelitæ, illi, inquam, Iſraelitæ, qui verè ſic appellan-*

*pellandi eſſent promiſſorum diuinorum compotes, tertij in hac ſocietate forent, hoc eſt, medij, & interpretes, ac internuncij, quorum opera & Euangelico miniſterio, & Aegyptij, & Aſſyrij ad Dominum conuerſi, in vnius Eccleſiæ ſocietatem conuenirent.*

In die illa, erit Iſrael tertius Ægypto, & Aſſyrio: benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, opus manuum mearum Aſſyrius, hæreditas autem mea Iſraël.

ORDINEM *ſitumq́; regionum ſequutus ſpiritualium myſteriorum, rationem nobis Vates deſcribit hoc loco. Ex Aegypto Aſſyriam petentibus, Iſraelis regio media aditur; eademq́; media etiam peragratur iis, qui ex Aſſyria in Ægyptum redeunt: vt ex tabulis, per nos deſcriptis, cognoſci poteſt.* Appar. ſacr. Lib. de Phaleg. Canaam, & Caleb. *At verò quod medium eſt inter duo in ratione Geometriæ, tertium inter vtrumque extremorum in Arithmetica enumeratione conſtituitur. In naturali verò obſeruatione, quæ ad Mathematicam etiam tractationem refertur: quæcumq; ſunt eadem vni tertio, eadem inter ſe, & quæ vni tertio ſimilia, inter ſe ſimilia eſſe dicuntur. Porrò Iſrael, quem hîc commemorat Vates, nō ille carnalis Iſrael nobis eſt exiſtimãdus, ſed & qui ſemen Abrahæ ſit, & opera Abrahæ faciat, id eſt, veræ Iſraelitæ, ſecundùm Spiritum: ſequiq́; debemus diſtinctionem illam, apud Apoſtolos frequenter vſurpatã:* Rom. 9. *Non qui filij carnis hi filij Dei ſunt, ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine. Huiuſmodi filij Iſrael populus ille eſt, quẽ tantopere & Prophetæ, & Chriſtus, & Apoſtoli celebrant, & probant. Hi tertij fuerunt Ægyptiis & Aſſyriis; non numerandi ordine, ſed agendi ratione: hoc eſt, fuere per quos Aſſyrij & Aegyptij verbum Dei receperunt, & Chriſti diſciplinam ſubierunt. Atq; ita Aegyptij & Aſſyrij huic tertio ſimiles, inter ſe ſimiles etiam euaſerunt. Hi voce fuerunt filij promiſſionis, atq; ita primi omnium promiſſa à Deo facta acceperunt, & re ipſa ſunt experti: primi enim Spiritum illum ſanctificationis ſanctum, à Chriſto miſſum, acceperunt, & poſt illos, gentes aliæ, ipſorum doctrina & prædicatione inſtructæ;* Act. 10. *ſicut de hac re pluribus in locis ſcriptum eſt in hanc ſententiam: Et obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut & nos? & illud:* Act. 11. *Audierunt autẽ Apoſtoli & fratres qui erant in Iudæa, quoniam & gentes receperunt verbum Dei. & illud, poſt lõgam à Petro factam expoſitionem: His auditis, tacuerunt; & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus pœnitẽtiam dedit Deus ad vitam. Hæc omnia de primitiua illa ex Iſraelitis & gentibus, Eccleſia per nos annotata, Iſaias hoc loco ſignificaſſe apertè videtur: non qui poſtremas partes Iſraelitis his det, ſed qui medias, hoc eſt, mediatoris, internuncij, & interpretis, atq; conciliatoris partes, eiusq́;, qui primus veritatis cognitione à Deo inſtructus, cæteros tum verbo, tum exemplo inſtruxerit. Atque hac ratione*

*ſemper*

ſemper Iſraelitæ gentibus, non tam dignitate ſpirituali, quàm ordine, præponuntur, tam in iis quæ ſalutem, quàm in iis quæ pœnam ſpectant. S. S. E. Non erubeſco Euangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco. & alio loco: Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci. Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. & illud, Quid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circumciſionis? multum per omnem modum. Primùm quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei, & illud apertiſſimè hunc rerum ſpiritualium ordinem inter Iſraelitas et gentes conſpicuum declarat. In quo nos etiam (de Iſraelitis loquitur) ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ: vt ſimus in laudem gloriæ eius, qui antè ſperauimus in Chriſto. In quo & vos (gentes) cùm audiſſetis Euangelium ſalutis veſtræ, in quo & credẽtes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto. Et plurima alia in hanc ſententiam à Chriſto Apoſtolisq́; pronũciata, & ſcripta, quæ manifeſtè declarant, Iſraelem electum quondam in lucem gentium; vt ſit ſalus Dei vſque in extremũ terræ, & ſalutem ex Iudæis fuiſſe, atq; in gentes emanaſſe. Animaduertendum autem eſt, Iſraelitas, quos primos eſſe dicimus ordine, eos à nobis æſtimari primos, qui primi Chriſtum receperunt: atq; in ea ratione gentiles ſecundo loco cenſeri: iuxta illud: Maior ſeruiet minori, de duobus populis Iſraelitarum & gentium ab oraculo reſponſum. At verò illi Iſraelitæ qui poſt promulgatum Euangelium per totum orbem à cæcitatis errore, in quo nunc detinentur, ad lumen cognitionis Chriſti reducendi ſunt, ſecundum locum poſt gentes, non dignitatis, ſed ordinis ac temporis obtenturos. S. S. E. Nolo vos ignorare, fratres, myſteriũ hoc; vt non ſitis vobis ipſis ſapientes. Quia cæcitas ex parte contingit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. S. S. E. Veniet ex Sion, & auertet impietatem à Iacob. & hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum, ſecundùm Euangelium quidem inimici propter vos: ſecũdùm electionem autem chariſſimi propter fratres: ſine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei. Atq; ita huiuſmodi Iſraelitæ, qui ad extremum conuertentur, tertio loco cenſeri poterunt, ſi temporis rationem ſequamur: ſi tamen electionem ſpectemus, illi ad ſuos fratres priores referentur. Non enim noua electio iſtorum fiet, ſed vna eadémque electione propter patres chariſſimi habiti ſunt: fractis tamen aliquot ramis propter incredulitatem. Illud etiam eſt animaduertendum, non obſeruari diſtinctionem ac diuiſionem ad populos pertinentem, quæ vltra dualem numerum protrahatur (ſi dualis dicendus eſt numerus.) Omnes enim gentes quotquot in orbe ſunt, in duas partes, ſiue populos duos diducuntur ex veteris Teſtamenti ratione: quos variis nominibus ad eandem tamen rem referendis, appellari obſeruauimus. Alter dicitur Edom, vel Græcus, vel præputium; vel cõmuni verbo, gentes: alter Iſrael, vel Iudæus, vel circumciſio. Ex vtroque verò vnum populum, vnamq́; Eccleſiam effectum iri, Vates prænunciarunt: & Chriſtus Apoſtoliq́; declararunt. Itaq; gentilitatem

Marginal notes: Rom. 1. Rom. 2. Rom. 3. Epheſ. 1. Iſa. 49. Ioan. 4. Gen. 25. Rom. 11.

*tem omnem ita dictam, vnum orbis terrarum hominum genus erroribus antea actum: Iſraelitas aliud genus agnoſcimus. tertium genus nullum eſt. De vtriſque oraculum ſcriptum eſt: Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur. Ad hos duos, Eſau & Iacob, omnes referuntur orbis totius nationes: atq; ex hac ratione illa frequens horum verborum, alter, vterque, vnus, vſurpatio apud noui Teſtamenti Scriptores obſeruatur. Quam quidem ob rem, quòd hîc ab Iſaia Iſrael tertius futurus eſſe Aegyptiis & Aſſyriis dicitur, eam, quam ſuperiùs expoſuimus, ſignificationem habet: vt medius ſit Iſrael & internuncius, qui vtrumque vicinum populum ſibi ipſi, & inter ſe etiam coniungat, vtpote Euangelij Ieſu Chriſti interpres miniſterq; ſedulus. Hinc adeò fiet, vt horum populorum acceßio ad Eccleſiam fiat: nam ſecundùm promißionem Iſraël hæreditas Domini ab ipſo prima dicta & conſtituta eſt; ſecundùm verò ſingularem miſericordiam gentibus factam, additi etiam ſunt Ægyptij & Aſſyrij huic hæreditati Domini, idq; ex gratiæ diuinæ copia & affluentia: quod oratio ipſa à Vate ſubiuncta, declarat: Benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Aſſyrius. Metaphorica verba hoc loco vſurpantur, ex ipſa ſimilitudinis, vnde ſumuntur, obſeruatione exponenda. Manifeſtum eſt iis qui Scripturarum linguæ aures aſſuetas habent, in agriculturæ rationibus benedictionem id dici, quod à Latinis, fertilitas, ſiue copia maxima, & fructuum terræ bonorum exuberantia dicitur. Vt ſi agri ſolum, quod communiter ad decuplum reddit, ad vigeſimum, trigeſimum, vel ſexageſimum, eoq; amplius reddere aliquando contingat, id benedictionis verbo ſignificatur. S.S.E. Seminauit autem Iſaac in terra illa, & inuenit in ipſo anno centuplum, benedixitq; ei Dominus. & illud: Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro: benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq; iumentorum tuorum, greges armentorum tuorũ, & caulæ ouium tuarum: benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Ex qua ſignificatione illud eſt: Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Gratuita etiam & liberalis donatio, ſiue auctarium vltra promiſſa additũ, benedictionis verbo in ſacro ſermone ſignificatur: eſtq; verbum iudiciale, cuius exemplum illud eſt: Da mihi benedictionem, terram auſtralem & arentem dediſti mihi; iunge & irriguam. Sunt & aliæ huius verbi ſignificationes his non diſsimiles, de quibus in Apparatu ſacro diſſeruimus, & aliàs per oportunitatem, Deo volente, diſſeremus. Verùm ad huius loci explicationem duæ hæ à nobis indicatæ ſatis erunt: ad quas orationem ſuam retuliſſe Iſaias videtur in eã ſententiam, vt cùm ſignificarit, & affirmarit ex diuinorum promiſſorum iure Iſraelem hæreditatem Dei eſſe, cui manifeſta facta fuerint promiſſa, & præſtanda ſint primùm. Addat etiam Iſrael ex altera parte adiunctam Aegyptum, Aſſyriam verò ex altera benedictionis, hoc eſt, auctarij nomine, fore celebrandas, cõmunicata cum illis virtute illius promißi patribus olim facti, In ſemine tuo (hoc eſt, in Chriſto, qui ſemen fuit Abbraham, Iſaac,*

Marginal notes: Gen. 26. (beside "gnificatur. S.S.E."); Deut. 28. (beside "anno centuplum"); 2. Cor. 9. (beside "ſignificatione illud eſt"); Ioſue 15. (beside "Da mihi benedictionem"); Lib. Ioſeph. (beside "quibus in Apparatu"); Gen. 12. & 22. (beside "facti, In ſemine tuo").

*&,*

*& Iacob) benedicentur omnes cognationes terræ: ita, vt ſi quis quærat, vn- "*
*de effectum ſit, vt Ægyptij & Aſſyrij, abalienati anteà à Deo, ac Dei po-*
*pulo infeſtiſsimi hoſtes, in vnam Eccleſiæ ſocietatem, in vnam Sanctorum*
*communionem coierint; illud reſponſum referat, Dei liberalitate ac miſe-*
*ricordia factum eſſe, qui in medio terræ, hoc eſt, in Iſrael regione, in illo me-*
*dio terræ, in quo fuit Filius hominis tribus diebus & tribus noctibus, (qui*
*legit, intelligat) Benedixit etiam Aſſyriis & Ægyptiis, dicens: Benedictus*
*populus meus Ægypti, & opus manuum mearum à me factum, meaq́; vir-*
*tute & efficientia conſtans. Aſſyrij itaq; benedictionis nomine cenſebãtur,*
*vnà cum hæreditate Domini antiquæ poſſeſsionis iure obtenta, & nomina-*
*ta, Iſraele videlicet, qui nomen hæreditatis iam olim obtinuit, ex cuius be-*
*nedictione & fertilitate fructuum diuinorum benedictio etiam in proxi-*
*mas prouincias Euangelio credentes, redundauit. S. S. E. Qui ex fide ſunt,* Gal. 3.
*benedicentur cum fideli Abraham, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſ- "*
*ſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed ei qui ex fide eſt Abrahæ,* Rom. 4.
*qui pater eſt omnium noſtrum. S. S. E. Quia patrem multarum gentiũ po-* Gen. 17.
*ſui te ante Deum, cui credidiſti: qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non "*
*ſunt tamquam ea quæ ſunt. Neque verò ipſius additionis, ſiue auctarij tan- "*
*tùm, ſed fructuum magnorum & probatiſsimorum, vbertatis fertilitatisq́;*
*nomine benedictionis verbum quadrare in Aegyptios & Aſſyrios potuit:*
*ita vt & fructus benedictionis ab illis perinde, atque ab Iſraelitis, illis cre-*
*dentibus, & Euangelij virtute amplificatis, redderentur. Eſſet igitur hinc*
*Aegyptus, illinc Aſſyrius additus, & medius collocaretur Iſrael, hæreditas*
*Domini antiqua, qui & temporis, & promiſſorum acceptorum, & experi-*
*menti virtutis Euangelicæ, quadam veluti prærogatiua frueretur. Et cùm*
*hæc benedictio ad omnes cognationes terræ pertinuerit, harum tamen dua-*
*rum gentium mentionem hoc loco Vates præcipuè fecit; quoniam in proxi-*
*mo antè, & in hoc capite, harum tantùm regionum rationes exponendas*
*ſuſceperat.*

## ARGVMENTVM VATICINII XIII.

*EA quæ proximè continuato ordine leguntur vaticinia quin-*
*que, & propter ſingulorum breuitatem, & propter argumenti*
*ac ſententiæ communionem vnica lectione, vnicaq́; cõmentan-*
*di opera exponi poſſunt. Primum autem ex his eſt: In anno quo*
*ingreſſus eſt Thartam in Azotum; vſque ad illa verba: Quomodo effugere*
*poterimus nos? cuius illud argumentum eſt: Iudæi à Babylonis rege infe-*
*ſtati & afflicti, metuentes ne tandem opprimerentur; & vt decem tribus*
*etiam captiui abducerentur, Aegyptios & Aethiopes in auxilium ſibi ad-*
*uocare cogitabant; idq́; ſeriò agebant, illorum copiis & artibus potiùs, quàm*
*Dei omnipotentis ſubſidio ac virtute fiſi: qui ipſorum ſpem vanã fore oſten-*
*dere volens, Prophetam ſuum nudum certo tempore agere, & incedere iuſ-*
*ſit, idq́; mandatum referendum addidit fore, vt poſt tertium annum Aegy-*
*ptij & Aethiopes à Babyloniorum rege capti & abducti, ad extremam mi-*

Cyrill. *ſeriæ, & humilitatis conditionem redigerentur. Ex quo intelligere Iudæi poſſent quid ipſis eſſet futurum, cùm eos, quorum viribus & copiis vti ad ſuam defenſionẽ cupiebant, huiuſmodi miſerũ exitũ manere cognoſcerent.*

## CAPVT XX.

IN anno, quo ingreſſus eſt Thartan in Azotum, cùm miſiſſet eum Sargon Rex Aſſyriorum, & pugnaſſet contra Azotum, & cepiſſet eam: in tempore illo locutus eſt Dominus in manu Iſaiæ filij Amos, dicens.

HVIVS *capitis facilis explicatio eſt, temporum tantùm ratione rectè examinata, quam ſic habere res ipſa oſtendit. Babyloniorũ rex Sargan, qui & Senacherib eſſe dicitur, octo nominibus appellatus, vti veteres Hebræi* Ioſeph. Lib. 10. cap. 1. *interdictionibus meminere (quamquam ab ipſis Ioſephus diſſentanea ſcribat) vnum ex regni ſui principibus, eumdemq́ exercitus ducem ſummum, in expeditionem contra Azotum, fortiſſimam & frequentiſſimam Palæſtinorum vrbem miſit; quam eodem anno expugnatam cepit: neque hoc pacto Paleſtinos in ſuam ditionem redegit. Eodem autem tempore Iudæis Aegyptios, & Aegyptiis affines Aethiopas ſibi in auxilium concire cogitantibus; idq́ iam per legatos & conuentiones agentibus; eodem ipſo tempore, quo capta Azotus fuit, iuſſus eſt Iſaias à Deo ſaccum, quo propter decẽ tribuum captiuitatem indutus incedebat, exuere, & nudus publicè ingredi, vt inſolitæ actionis exemplum & omnes mirarentur ſpectatores, & tamquã prodigioſam rem cum ipſius interpretatione alij aliis narrarẽt; & eam, quia aliter fieri non poterat, ad alias nationes, atq; adeò ad Aegyptios ipſos rumor & fama perferret. In tempore illo, quo capta iam Azotus fuerat, in manu Iſaiæ filij Amos loquutus eſt Dominus cũ Iudaico populo miniſterio Iſaiæ: & quia ſermo non verbis tantùm, ſed etiam actionibus explicatus fuit, & exemplis populo ſpectandis, ideo vtitur Scriptura hoc idiotiſmo* in manu: *hoc eſt, agente & referente Iſaia illo nobili & celeberrimo viro filio Amos; non obſcuro, ſed ex præcipua Iudæorum, atq; adeò ex regia familia, vt perſonæ grauitas & auctoritas, cognitaq́ antea & perſpecta ſeueritas atq; dignitas maiorem rei nouitati fidem admirationemq́ conciliaret.*

Vade, & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calciamenta tua tolle de pedibus tuis: & fecit ſic, vadens nudus & diſcalciatus.

VADE. *Rem ſeriò agendam, & mandatum faceſſendum commendat* Pſal. 82. *hoc verbum, Vade; ſine vlla exceptionis aut cunctationis mora, vt: Venite, » & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſraëlis vltrà. &* Gen. 37. *illud: Vade, & vide ſi cuncta proſpera ſint apud fratres tuos.*

Et dixit Dominus, ſicut ambulauit ſeruus meus Iſaias nudus & diſcalciatus, trium annorum ſignum & portentum erit ſuper Ægyptum, & ſuper Æthiopiam.

PRIVS *actionem illam aliquot diebus ab Iſaia initam, & à populo ſpectatam fuiſſe intelligimus; idq́ fuiſſe verbum Domini in manu Vatis:* dein-

*Deinde populo rei nouitatem inſolitæ admiranti in hanc ſententiam fuiſſe reſponſum,* Sicut ambulauit. *Perinde atq; verum & manifeſtum eſt, ambulaſſe Iſaiam ſeruum meum iuſſu meo. Namq; id ſignificat miniſterij nomen hoc loco appellatum: ſignificat etiam conſtantem & certam Dei ſententiam. Non etenim Deus Iſaiam ſeruum ſuum exponeret, in ſignificationem eius rei, quæ nuſquam futura eſſet. neque enim Deus ſeruorum ſuorum miniſterio abutitur, quos valde diligit ipſe. Magnam ergo & certam oportet eſſe rem cuius exemplo illos exponat, quos apud omnē populum grauiſsimos eſſe vult, quibusq; magnam fidem tribui poſtulat.* nudus & diſcalciatus. *verè corpore & pedibus nudus ambulauit, nihil indutus præter fæmoralia, ſiue ſubligacula. quæ Aſiaticis viris in vſu fuere. Ideo dicit,* Solue ſaccum de lumbis tuis. *Namq; mæſtitiæ cauſa ſacco ſuper nudum indutus erat.* Trium annorum ſignum & portentum erit. *Non quòd tres annos integros nudus & diſcalciatus inceſſerit, ſed certis aliquot diebus, in tempore illo quo Azotus capta fuit: mirantibus vicinis & finitimis populis tantam vrbem tam citò ſubactam, & in ditionem Aſſyriorum redactam: quibus cùm Deus oſtendere vellet, multo grauiorem fore conditionem ſeruitutis Aegyptiis atq; Aethiopibus ab Aſſyriis imponendam; eodem tempore ſpectaculum longè horridius exhibuit Vatis ſui nudis corpore ac pedibus incedere iuſsi: id autem ſignum eſſe voluit ſeruitutis extremæ Aegypto & Aethiopibus ſubeundæ: idq; ſignificat nomen ſigni, hoc eſt, ſimilitudinis cuiuſdam. At verò portenti nomen, quod à porrò vel procul tendendo dictum Latini exiſtimant, rectè ab interprete noſtro vſurpatum, id quo ſpatio definiendum eſſet, expreſsis verbis indicauit Deus:* portentum erit, *inquit,* trium annorum. *non vlterius tribus annis protrahetur huius portenti tempus: quibus actis,*

Sic minabit rex Aſſyriorum captiuitatem Ægypti, & tranſmigrationem Æthiopiæ iuuenem & ſenem, nudam & diſcalciatam, diſcoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.

SIC *Hebraica dictio* CHEN, *& ſimilitudinem & certitudinem affirmationemq; ſignificat. Nuditatem autem & vaſtitatem totius regionis, & ſingulorum hominum etiam ignominiam ſignificauit ſpectandā, nulla neq; ſexus, neque ætatis ratione habita.* iuuenem & ſenem, *pueros & ſenes. Sic hunc locum exponimus ex Hebraico, nedum, inquit, validioris ætatis homines adducet; cùm neque erga eos clemens ſit, quibus ob ætatis imbecillitatem parcēdum eſſe, alij bellorū duces, etiam ſæuiores arbitrantur.* diſcoopertis natibus ad ignominiam Ægypti, *Hebraicè, diſcoopertos nate turpitudine Ægyptij. Iſaias nō ita nudus inceſſerat, ſed tergo, lumbis, ac pectore, cruribusq; nudatis. Cùm verò longè maiorem, ac planè turpem Aegyptiorum nuditatem futuram ex Dei decreto cognouiſſet, addit & illud explicationis maioris cauſa,* Diſcoopertos nate; *quod poſteriores turpitudinis partes indicat: anteriores verò illud, ignominiam, ſiue turpitudinem Aegypti. Quam verò ob rem Aegyptios hac ignominia præcipuè afficiendos declarauerit, illud in cauſa eſſe exiſtimamus, quòd libidinoſi & ſalaces magis*

*Aegyptij quàm Aethiopes fuerint, atq; ea parte deformiores quæ libidini inſeruit. S.S.E. de illis, Quorum carnes ſunt vt carnes Aſinorum. atque adeò turpes fuiſſe dicuntur, vt Priapum pro Deo coluerint, & cum ſororibus connubia paſsim contraxerint. Horum igitur turpitudinem ad ignominiam ipſorum manifeſtam & conſpicuam fore, Aſſyriorum rege iubente, ait Iſaias ex verbis Dei: ita vt non ſolùm victis & ſubactis Aegyptiis & Aethiopibus, ſed ignominioſè etiam exceptis atque in viliſsimam & abiectiſsimam conditionem redactis, Iudæos pœniteret ſimul & puderet conſilij ſui, de petendo ab illis gentibus auxilio contra regem Aſſyriorum: atq; adeò res ipſa euenit, vt prædicta ab Iſaia fuerat. Nam cùm expeditionem iam paraſſet Senacherib rex Aſſur vt Ieroſolymam expugnaret, ac legatis præmiſsis ad deditionem cogeret, maneretq; ipſe in terra apud Lobnam vrbem, illam expugnans, audiuit nuncios dicentes à Tharnea Aethiopum rege exercitum aduerſus ſe duci; quem ille non fugit, ſed excepit, & vicit vnà cum Aegyptiis, qui ſimul in bello Aethiopibus cõiungi ſolebant: victos autem aduerſus deduxit, & captos denuò, Ieroſolymam inuadendi ſtudio incenſus, cui legationem illam minarum plenam præmiſit; quam inferiùs Iſaias refert. Cùm ergo viderint, & ſpectauerint Iudæi quemadmodũ actum ſit cum Aethiopibus & Aegyptiis,*

Ezech. 23. Diodor. li 4. c. 1. Alexan. lib. 1 cap. 24. Inf 27.

Timebunt, & confundentur ab Aethiopia ſpe ſua, & ab Aegyto gloria ſua.

TIMEBVNT *magis Aſſyriorum potẽtiam & vim, & pudefient, quòd exiſtimarint Aethiopum auxilio & fortitudine, & Aegyptiorum dexteritate & elegantia exercitus poſſe infringere Aſſyriorum impetum. Appellatur Aegyptus gloria ſua, Hebraicè, pulchritudo ſua; quòd Aegyptij & propter principum & militum nitorem, & cultum eximium, pulchriores copias explicare ſolerent quàm aliæ Africæ nationes. Solet autem hæc pars etiam inter bellatores commendari.*

Et dicent habitatores inſulę huius in die illa: hæccine erat ſpes noſtra ad quos confugimus: vt liberarent nos à facie regis Aſſyriorum: & quomodo effugere poterimus nos?

LITERARVM *ipſarum, quibus nomen inſulæ ſcribitur, elementis & ſitu terræ ipſius cognoſcitur Iudæam regionem, ſiue Iſraelis terram voluiſſe ſignificare Vates. Eſt enim genus quoddam pronuntiandi atque ſcribendi apud Hebræos celeberrimum, quod* notaricon *à grammaticis illius linguæ dicitur, cùm prima tantùm elementa ſingulorũ verborum, pro tota oratione vſurpantur. Huius frequentiſsima exempla in omnibus libris reperiuntur: ſed vnum ex antiquis proferre commodiſsimum erit, non ſine vſu expoſitionis operæpretium attendentibus facturæ: quos vulgato ac communi nomine* MACHABEOS *vocamus; propter quos Machabæorum libri inſcripti ita ſunt proprio & gentilitio nomine* HASMONEOS, *Hebræi dicunt, ſuaq; pronunciatione* HASMONIM, *appellant. Ex illis autem vnus celeberrimus Iudas, idemq; fortiſsimus, cùm bella religionis cauſa aduerſus Græcos & finitimos Syrios, aliosq; gentium populos capeſſeret, illud ſui cæterorumq;*

rumq́ fratrum ac ſociorum exhortandorũ cauſa hemiſtichium in Elogium Dei vſurpauit. MICHAMO CHABEELIM, quod Latinè ſonat: Quis ſimilis tui in fortibus? cuius hæmiſtychij prima elementa in vexillis atq́ ſcutis, aliisq́ ornamentis & inſignibus inſcripta, MACHABE ſonant: vnde illi MACHABEI dicti ſunt. Hæc legendi, ſcribendi, & pronũciandi forma notiſſima, vti diximus, eſt iis, qui literas Hebræas didicere: ſic enim Moſes ille Aegyptius inſignis ſcriptor RAMBAM, dicitur, hoc eſt, Rabi Moſes, Bar Maimon. Gerundenſis ſacrorum librorum commentator RAMBAN appellatur, id eſt, Rabi Moſes, ben Nehemia & RASI. Rabi Salomo Iarchi. Huiuſmodi itaq́ verbum hoc loco pronũciauit Iſaias, cùm Iſraelitidis, vel Iuda regionem ſignificare vellet. Eodem namq́ nomine & regionem ipſam per Notaricon ſiue abbreuiationem appellauit: & illius ſitum & habitudinem ad alias regiones finitimas elegantiſſimè ſignificauit. Namq́ Hebraicum nomen, pro quo Latini inſulam reddũt, eſt, AI, coniunctis duabus conſonantibus Aleph & Iod in vnam ſyllabam: quas quiſquis per NOTARICON, explicuerit, leget apertè ARETS ISRAEL, vel, ARETS IEHVDAH, hoc eſt, terra Iſrael, vel, terra Iuda. Itaq́ apertè regionem illam abreuiatione literarum vſus indicauit Vates, quam etiam addito priùs articulo HE, & poſteriùs pronomine demonſtratiuo poſito, HAI HAZEH, inſulæ huius. Idq́ vocabulum quod contractè terram Iſrael, ſiue Iehuda extensè, ita vt ſonat, inſulam ſignificat, conſultò à Vate eſt vſurpatum, illud ſignificante, regionem videlicet illam non plus habere conſortij aut commercij cum finitimis, aut longè etiã remotis regionibus, quàm inſula mari cincta, quæ nullum vlla ex parte habet continentem ſibi aliarum terrarum tractum, ſed aquis vndique ambita, Deum ſolum ſui conſeruatorem aduerſus fluctus & maris procellas agnoſcit. Ita etiam regio illa, tamquam inſula quædam in medio nationum poſita erat, quas aquarum ſimilitudine aliquando ſacri auctores deſcribunt, non magis morum, legum & ſapientiæ atque pietatis ac religionis, non magis fœdere, & animorum coniunctione cum gentibus conueniens, ſi modo eam normam tenere vellet, quam à Deo præſcriptam acceperat. non magis inquam conueniens, quàm aquæ inſulam vallantes, cum terra ipſa conueniunt; imò omnes alios populos infenſos infeſtosq́ ſibi ſæpiſſimè experta. S.S.E. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, pol- Pſal. 78.
luerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Ieruſalem in pomorum custo- "
diam. & paulo pòſt: Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris: ſubſannatio "
& illuſio iis, qui in circuitu noſtro ſunt. Eamdem maris inſulæ tranſlatio- "
nem ſequutus idem Pſaltes, ita de eadem regione alio in Pſalmo canebat:
Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt; & qui oderunt te, extulerunt caput. Pſal. 82.
Super populum tuum malignauerunt conſilium, & aduerſus ſanctos tuos. "
Dixerunt, Venite, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen "
Iſrael vltrà. Quoniam cogitauerunt vnanimiter, ſimul aduerſum te teſta- "
mentum diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum & Iſmaelitæ, Moab, & "
Agareni, Gabal, & Amon, & Amalec alienigenæ cum habitãtibus Ty- "
rum. Etenim Aſſur venit cum illis, facti ſunt in adiutorium filiis Lot. Ex "

*his apertè patet Iſraelis regionem non alia ſimilitudine commodiùs ad finitimos populos, quàm inſulam ad mare referri: id quod & Ioſephus Iudæus, nobiliſsimus ſcriptor, dilucidè etiam expoſuit. Igitur huius inſulæ habitatores exempli in Æthiopas & Ægyptios editi ſpectaculo pauentes & pudefacti, ſuum conſilium damnabunt; qui eiuſmodi auxilium carnis & ſanguinis ſibi expetitum aduocauerint: agnoſcentq́ tandem omnia ſua in vnico Dei præſidio collocari debere. Quod verò ad dubitationem quamdam attinet, de prodigioſa illa Iſaiæ nuditate; quam quidam actione, & re ipſa publicè ſpectatam; alij verò Prophetica tandem viſione illi expeditam fuiſſe ſcribunt; nos, vti videmur, ſatis apertè in Hoſeæ Commentariis explicauimus: quæ ſtudioſus lector non ſine fructu, vti ſperamus, leget. atque de multis aliis propheticam rationem ſpectantibus, rerum generibus certo conſtitutoq́ opere nos, Deo iuuante, diſputaturos ſperamus. Satis autem nūc fuerit noſtram ſententiam vnica addita ratione dicere. Ea autem eſt, hoc non mente tantùm & cogitatione, ſed re ipſa & exemplo publico fuiſſe ab Iſaia editum, diuini verbi iuſsis religioſè obſecuto, vti decuit obſequi tātum ſeruum tanto Dño nihil hæſitantem, nihilq́ humanarum rationum moratum.*

Ioſeph. cōtra Apion. lib. 1.

## ARGVMENTVM VATICINII XIIII.

VARIA & *multiplex huius vaticinij expoſitio tam à Chaldæis & Hebræis, quàm à Græcis & Latinis interpretibus & commentatoribus edita eſt: omnium tamen eadem fere eſt ſententia, ad Babylonis vaſtationem hoc oraculum referentium propter illud carmen: Cecidit, cecidit Babylon illa, &c. Id autem huius vaticinij argumentum non videri eſſe iis, qui ſingulorum verborum pondera & rationes examinarint, multa profectò docere poſſunt. In primis, quòd non pauca à commentatoribus longiſsimè petuntur, quæ magno molimine trahi oportet: & poſtquam in locis certis conſtituta ſunt, non aptè cohærent, immo multis partibus exilire, & diſsilire velle videntur. Deinde quòd quædam ſunt à Vate dicta, quæ cum Babylonis vaſtatione omnino pugnare, vt quod duram viſionem ſibi oſtenſam dicat, quòd ſe de conſpecta ſibi re dolere vehementer affirmet, idq́ lamentetur. Quid enim durius quàm duram videri Vati optimo, & ſui populi ſtudioſiſsimo viſionem vaſtationis & exciſionis populo ſuo atque adeò diuino inimicorū nomini: idq́ lamentari acerbè, quòd nuſquam in aliorum populorum ſibi ſuiſq́ minùs grauium caſu, aut præuidēdo, aut prædicendo facit. Cætera etiam pertranſimus, quæ cum ſentētia huiuſmodi conſtare non poſſe videntur: vt quæ de interpretatione ſpeculatoris & leonis, & aliis afferuntur. Quæ quoniam ſigillatim attingere & inuertere non eſt animus, cōſultò prætermittimus. Iudicandi poteſtatē integram, & pronunciandi arbitrium lectoribus relinquentes, qui & alia Commentaria, & noſtra legere voluerint. Fatemur in illis multa eſſe,*

&

& egregia, & docta; multa tamen nobis duriora, quàm ipſam Vati prophetiam, videri. Quamobrem ab inſtituto noſtro non diſcedentes penſandi ſingula verba, & alia cum aliis conferendi, atque interpretationis in hoc caput ducem ſtrenuiſsimũ nacti Iohannem Euangeliſtam, Theologum & Prophetam, Spiritu ſancto plenum; expoſitionis noſtræ curſum illius veſtigiis obſeruatis tenebimus, &, vt ſperare fas eſt, conficiemus. Igitur huius Vaticinij argumentum ad calamitates ex Antichriſti regno, potentia, & miniſterio Chriſtianæ Eccleſiæ allatas, & importatas pertinet, quas præuidens Iſaias, grauiſsimè dolebat. Eas autem ſub imagine excidij, & malorum quæ Ieruſalem illa altera in Iudææ regione ſita Babyloniæ potentia & vi ſuſtinuit, depingebat: cuius ſingulas partes, vnà cum verborum expoſitione explicabimus.

## CAPVT XXI.

Onus deſerti maris.

IN ſuperioribus Propheta noſter Ieroſolymorum labores per Nabucodonoſorem, Babyloniorum regem afferendos dilucidè ſatis & apertè prædixerat. Eandem autẽ rem hoc capite ac vaticinio in aliud tempus, aliumq́; modum præuiſam refert. Itaq; duplex argumẽtum eadem imaginis deſcriptione tractat, priusq́; poſterioris cauſa perſequitur. Vidit enim primam illam terrenam cladem, quam Babylon illa in terra Sanaar condita Ieroſolymæ patriæ ſuæ allatura erat. Eã ipſe præuiſam grauiter dolebat: ſed multo grauiùs doluit, oſtenſam ſibi Eccleſiæ Chriſtianæ, atq; matris Ieroſolymæ ſpiritualis miſerandam conditionem, per Babyloniæ illius arcanæ regnum, & vim atq; dolos ferendam. Id autem propter hominum ipſorum qui hanc Ieroſolymam incolerent, peccata ſuperbiam & arrogantiam Deum permiſſurum eſſe cognouerat. Hanc autem in hoc vaticinio exponendo rationem ſequemur, vt imaginem ipſam ſuis membris, vt pictã intuemur, diſtinguamus. Significationem verò arcanam, annotatis ex nouo Teſtamẽto locis indicemus; & lectorem ad Dei ſapientiam exoptandam hortemur: qui huiuſmodi, aliorumq́; myſteriorum cognitionem longè clariſsimã in iis, quos ille docere vult, efficere poteſt, & ſolet. Appellatur autẽ Babylon illa terreſtris, mare deſerti, περιφραςικῶς, propter illam aquarum copiam, qua Euphrates fluuius perpetuò abundat: deinde etiam propter nimias tempeſtates à populis illius ciuitatis & regni exurgentes; quæ totum ferè terrarum orbem, cui imperarent, infeſtabant. atq; hoc ἀλληγορικῶς, vt multa, à Vatibus dicuntur. Maioris verò explicationis cauſa appellatur; mare deſerti, propter vaſtam ſolitudinem, Babylonia Ieroſolymam petentibus tranſeundam. Itaque Babylonem eſſe, quæ mare deſertum appelletur, ferè omnes expoſitores, Geographiæ ratione habita, conſentiunt. At verò Antichriſti illud regni caput Babylonem, de qua præcipuè ſermo hoc in vaticinio eſt inſtitutus, propriè & verè mare deſerti appellari, Iohannes Euangeliſta huius Vaticinij interpres in Apocalypſi docuit: Veni, oſtendam tibi damnationem meretri- Apoc. 17.

" *cis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas. Aquas multas populorum variorum multitudinem appellauit Iohannes, qui in mundo tempeſtates mouent aßiduas & importuniſſimas. Eos autem mare deſerti veriſſimè dici poſſe, ipſum deſerti vocabulum Hebraicum,* MIDBAR, *oſtendit, quod ex etymo ſolutum Latinè,* SINE VERBO, & SINE RE, *reddere poſſumus. Ad Babyloniæ huius arcanæ regnũ & poteſtatem pertinent populi omnes qui non ſpiritu, neque verbo diuino gubernantur; ſed impetu quodam marino, & inconſtanti, & inutili aguntur: ad illud igitur, mare deſerti, Babylonem terreſtrem; ad iſtud aliud, mare deſerti, Babylonem arcanam,* Onus hoc, *hoc eſt, vaticinium graue in epiſtolæ modum ab Iſaia miſſum eſt: quippe qui nec præſens in Babylonia hæc dixit, neque ad ea tempora, quæ nunc iam moueri cœperũt, ſe viuum peruenturum ſciebat: quamobrem tanquam abſens ad abſentes & futuros ſcripſit. Iam verò rem ipſam atq; adeò turbulentam tempeſtatem Hieroſolymæ vtrique, ab vtraque Babylone concitandam, ſpiritu præuidens, κατ' ἐνθουσιάσμον, deſcribens ait:*

Sicut turbines ab Aphrico veniunt, de deſerto venit, de terra horribili. M A G N A M *vim, magnam tempeſtatem, magnam populorum confuſionem, & ingentem omnium perturbationem in Ieroſolymos paratam & aduectam ſignificabat Vates, cùm Auſtri meridionalis venti Iſraeliticam terram turbinibus & procellis inuadẽtis imaginem expreßit.* Ezech. 27. *de quo S. E. Ventus Auſter contriuit te in corde maris. Etenim in omnibus illis regionibus meridiem ſpectantibus, Africa Ægypto & Aſiæ parte magnam vim Auſter exercet: id quod à prophanis etiam ſcriptoribus commemoratur. Deſertum itaq; regio illa inter Babylonem & Iſraelis terram iacens dicitur. Eademq; terra horribilis propter ſtupendam tyrannicam potentiam iam inde à principio vſurpari cœptam à Nimrod, & poſtea à multis Regibus conſeruatam & auctam. Magis autem horribilem terram illam* Apoc. 17. *alteram ſignificat Babylonico arcano imperio ſubiectam: de qua S. E. Cum*
" *qua fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram, de*
" *vino proſtitutionis eius. Quod verò dicit, de deſerto venit, quadrat etiam*
" *cum altera iſta Babylone arcana, vt idem interpres indicat: Et ſuſtulit me*
" *in ſpiritu in deſertum, & vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, &c. Hæc cùm intelligeret Iſaias, maximo horrore affectus, & præcluſo ad exponendam rei indignitatem, animo exclamauit, ſimulq; declarauit rem ipſam à ſe viſam eſſe eo genere vaticinandi quod grauiſsimum eſt, & ad remota etiam, longéque pòſt futura tempora pertinet, initio etiam in proximè ſpectandis rebus conſtituto.*

Viſio dura nunciata eſt mihi. N O N *quadrat exclamatio hæc cum Babylonis excidio, ſed magis cum Ieroſolymæ vtriuſque calamitate: quam ſibi viſione oſtenſam, & non ſolùm oſtenſam, ſed narratam & expoſitam, atq; temporum etiam ratione indicata, viſam ſibi ex Deo fuiſſe ait.* duram, *inquam,* viſionem, *cuius illa breuis enarratio eſt.*

Qui incredulus eſt, infideliter agit; & qui depopulator eſt, vaſtat. *Chaldæus Paraphraſtes hunc verſum ſic exponit:* Dicit Propheta, prophetia

phetia dura nunciata eſt mihi: violenti violentiam inferunt, & dire-
ptores diripiunt. *Babyloniorum ille terrenus Rex ab vrbibus appellatur,*
BOGED, *quod incredulum, infidelem, violẽtum, iniuriatorem, decipientem,*
*& inſolentem ſimul vertere poſſumus: quippe omnia hæc ſignificat hoc ver-*
*bum. Sic etiam apud Habacuc Nabucodonoſor decipiens, & deceptus dici-* Habac.2.
*tur. Et quomodo vinum potantem decepit: ſic erit vir ſuperbus, & non de-* “
*corabitur. Eſt igitur Iſaiæ in hoc loco ſententia, incredulum illum & infi-* “
*dum, atq; fraudulentum Babylonis regem cum populo ſuo, id quod proprium*
*eiuſmodi morum & ingeniorum eſt, eſſe facturum: hoc eſt, iura omnia di-*
*uina & humana peruerſurum; vt perdat, & deſtruat, ſibiq́; ſubigat Ieroſo-*
*lymam, & habitatores eius abducat captiuos, ſpoliatos, & direptos. Hoc*
*propriè ad Antichriſti regnum pertinet: cuius Rex & miniſtri omnes in*
*eam rem intendunt, vt Chriſtianam Catholicam Eccleſiam per totum or-*
*bem inuertant, & in ſeruitutem redigant: idq́; mendaciis, fraudibus, ac do-*
*lis, & iniquis diuini verbi, nimiúmve callidis interpretationibus texentes*
*telam, ſed non ex Deo; conſulentes conſilium, ſed non ex Spiritu Dei. Hoc*
*modo omni cura, diligentia, atque adeò violentia omni piorum animos ſub-*
*uertere ſtudent: & multos etiam ſubuertunt, atq; in errorum captiuitatem*
*miſerrimam abducunt: deuaſtantes quotidie populum Deo. Heu, heu, heu*
*tempeſtatis noſtræ miſeram faciem: non poſſumus ſine lachrymis & grauiſ-*
*ſimo animi dolore intueri ab Iſaia tot ante ſeculis ita ad viuum expreſſam.*
*Et quoniam non vno modo hoc regnum Antichriſti, ſed multis & variis*
*Eccleſiam Dei affligit, dolo primùm & fraude, atq; malitioſa diabolicaq́;*
*ſapientia: ſed vi interdum ac ferro igniq́; agit, & quãtum poteſt, quãtumq́;*
*permittitur, graſſari pergit. Vt niſi Dominus Deus reliquiſſet nobis reſi-* “
*duum, iam periiſſemus omnino: ſed tamen relictum hoc reſiduum variis* “
*moleſtiis, & multiplici hoſtiũ incurſione exercetur. Hoc prauidens Iſaias,*
*ſic in ſua illa imagine deſcribebat:*

Aſcende Ælam, obſide Mede. MEDI, *Parthi, & Ælamitæ, atque*
*adeò Perſæ, Aſiæq́; populi omnes Nabucodonoſori Babyloniorum Regi ſub-*
*iecti fuere: ex quibus bellicoſiſſimos quoſq;, vt Parthos, Medos, & Scy-*
*tharum partem ille in bellum ducebat. Ex his Medi, quibus Perſæ coniungi*
*ſolent, & Elamitæ à Vate hoc loco per enthuſiaſmum videbantur aduerſus*
*Ieroſolymam grauiter pugnaturi: quod & in proximo capite etiam ſignifi-* Inf.22.
*catur: Et Aelam ſumpſit pharetram, currum hominis equitis, & parietem*
*nudauit clypeus. Verbum autem imperatiuo modo,* Aſcende, obſide, *non*
*ex ſua, ſed ducum ipſorum, atq; adeò imperatoris perſona, per conformatio-*
*nem figuram pronunciauit Vates: illud quod ſequitur, de ſua ipſius perſo-*
*na protulit.*

Omnem gemitum eius ceſſare feci.

VIDERAT *Iſaias viſionem duram & grauiſſimam; audierat in illa*
*viſione vocem hoſtium ſeſe ad Ieroſolymæ expugnationem cohortantiũ; præ-*
*uiderat temulentam rabiem Arabum, Parthorum, Aelamitarum, & Mæ-*
*dorum, ac demum Turcarũ, qui ab vno ex illis maximis Antichriſti prin-*

*cipibus Machometo conducti aduerſus Eccleſiam Dei, magno impetu & conſenſu ferendi erant. Cœperat eam rem, gemitu & ſuſpiriis diſsimulatis, proſequi; ſed vehementiſsimo dolore affectus, gemitibus ad clamores impulſus eſt: idq; ipſe declarauit, dicens ſe gemitum non potuiſſe aut ſuſpirium ampliùs edere; quæ doloris vehementiam non tam oſtendunt, quàm indicant; ſed in grauiorem etiam clamorem vociferationemq; ingentẽ prorumpere compulſum.* Gemitum, *Nomen Hebraicum, & ſuſpirium etiam ſignificat: gemitum eius viſionis duræ ſibi oſtenſæ, intelligimus; quem cùm comprimere vellet, & ſine gemitu narrare, ac prædicere ea quæ ſibi viſa fuerant, in grauiorẽ etiam vocem erũpere eſt coactus. Hoc eſt, quod ſubiungit:*

Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore, & anguſtia poſſedit me, ſicut anguſtia parturientis.

PROPTEREA, *inquit Vates, quòd viſionem hanc dum videre inciperet, gemitũ & ſuſpiria proſequi, temperare, conariq; ſuſpirio ſemoto, vaticinium mihi oſtenſam referre; ob eam rem cõceptus ille ardentiſsimus ſpiritus, qui in gemitus ac ſuſpiria efflari debebat, immo in ſe, intraq; viſcera reductus, vehementibus me doloribus repleuit, & arctiſsimis difficultatibus tenuit; non ſecus atq; debile parturientis feminæ corpus internis doloribus grauiſsimè torquetur. Cauſam autem huius doloris tantíque interni motus mihi attulit vaticinij huius viſio, & expoſitio à Deo propſita, quã*

Corrui, cùm audirem, conturbatus ſum, cùm viderem.

HÆC *cauſa prima affectus vltimi fuit: namque non ex auditu tantùm corpus concidit, ſed ex debilitatione, aut impulſu aliquo hunc impulſum ſibi ex auditu factum; animi etiam turbationem ex viſione ortam ſibi eſſe ait: atque naturalem affectionẽ ſuis momeneis ac partibus indicat. Priùs enim ſenſus aliquo ſenſili mouetur. quod ſi iucundum ſit, cor exhilarat; ſin contrà verò, premit ac moleſtat: ex animi moleſtia corpus ipſum tãgitur. S. S. E*

Prou.17. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa: corpore tacto dolor naſcitur, qui vociferationẽ*

» *clamoremq; extorquet. Cùm itaq; Iſaias & cauſam indicaſſet, auditum & viſionem, quibus offenſi ſunt ſenſus interni, per externos ſignificati: & ipſum extremum corporis* Corrui, *ſiue (vt Hebraicè expreſſo magis habitu legimus) contorſus ſum, tum animi conturbatus ſum, mediã ipſam corporis & animi affectionẽ ſtatim indicauit, Quantũ ad corporis vires attinet, ait:*

Emarcuit cor meum.

COR *enim vitalium virtutum fons & origo eſt; atq; adeò, ſi antiquiſſimam philoſophiam ſequimur, ſapientiæ etiam ſedes & caput: imo & cerebro, & aliis membris, quæ præcipuum in animalis corpore locum noménque obtinent, calorem, ſpiritum, virtutem, facultatemq; omnem cor ſuggerit; hoc vbi compunctam, maleq; affectum fuerit, ſenſuum perturbatio ſequatur neceſſe eſt. id autem eſt quod Vates ſubiungit:*

Tenebræ ſtupefecerunt me.

*Hebraicè ad verbum: Tremor conturbauit me, tali affectu nimirum, cordis error ſiue trepidatio, qualem Hebraica verba ſignificant, ſequitur. Et quoniam hanc viſionem per noctem vates accepit, quo tempore ipſe laborum*

*rum & curarum intermiſſionem ſperabat, perturbationis ſuæ grauitatem amplificauit huius rei commemoratione.*

Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum.

V B I *Latinè in vulgata editione legimus Babylon. Hebraicè eſt,* NESEPH, *quod vel Diuo Hieronymo teſte, qui hanc lectionẽ agnoſcit, noctem ſignificat, ſed primam ac poſtremam noctis partem, cùm auræ tempeſtatisq́; viciſſitudo ſit; id eſt, poſt primum crepuſculum, & ante Lucanum tempus. Deducitur namq; nomen à verbo* NASAPH, *quod ſpirare ſignificat. tranſlatè autem interpres noſter reddidit, Babylonem pro* NESEPH. *ſed nos ſimplicitatem, primum, vt ſolemus, obtinẽtes verbum, ex ſua ſignificatione exponimus, cuius illam ſententiam facimus: Noctem quam ego exoptabam, vt animi mei curas aliqua ex parte delerem, vel leui ſomno ſopitus leuarem: eam noctem ſiue primam, ſiue vltimam noctis partem viſio hæc mihi poſuit in tremefactionem. Namq; ita ſonat ad verbum hæc oratio Hebraicè: Crepuſculum deſiderij mei poſuit mihi in conturbationem. Solent enim hi, qui in labore atq; cura verſantur horæ ac temporis mutationem exoptare, leuamen aliquod ſibi allaturam ſperantes. Namq; natura comparatum ita eſt, vt cum aëris ac temporum variatione corporum animorúmque affectiones nonnihil perſæpe immutentur, ſiue in bonum, ſiue in malum: ex quo fit, vt qui malè habent, ſibi ita tempus mutari cupiunt: ſed quibuſdam huiuſmodi temporis & animi mutationes, præter animi ſententiam accidunt. cuius rei exemplum illuſtre apud Iob legimus: Si dixero, conſolabitur me lectulus* Iob 7.
*meus, & releuabor loquens in ſtratu meo; terrebis me per ſomnia & per vi-* "
*ſiones horrore concuties. Idem ab Iſaia hoc loco ſignificatur hac oratione:* "
*Crepuſculum deſiderij mei poſuit mihi in conturbationem. Interpres noſter id voluit ſignificare, Babylonis viſionem illam à Vate exoptatam aliter acciđiſſe quàm cuperet ipſe; oſtenſum enim ſibi mirandum malum à Babylone afferendum. Sic exponimus hũc locum in hac verſione, vt verum vero conſonet. Illud præterea grauiſſimè dolebat Vates, quòd videbat temporibus illis, à ſe præuiſis vtriuſque Ieroſolymæ eos maximè negligentes fore, quos malum illud maximè tangeret, hoc eſt, Iudæos prioris, Chriſtianos poſterioris Ieroſolymæ temporibus, genio, vitiis, voluptatibus, & huius mundi delitiis operam dantes, & tamen profitentes ſe pro religione pugnare ac dimicare velle; & eam rem cognoſcere volentes, quam neque cognitam rectè agerent. Id verò vt grauius ſignificaret, inductione vſus expoſuit, vtpote qui viſione illa ſua quidquid futurum faciendúmque eſſet, tamquam præſens ſpectaret.*

Pone menſam, contemplare in ſpecula, comedentes & bibentes, ſurgite principes, accipite clypeum.

N I H I L *hominibus, præcipuè qui veræ pietatis nomen profitentur, minùs omni tempore expedit, quàm mundanis delitiis ac voluptatibus indulgere: ſed longè maximè id duris aduerſisq́; temporibus officit, quibus qui vino languidi, confectiq́; cibo ſunt, quid poſſunt rectè aut agere, aut efficere? Quamobrem amantiſſimè ſuos Præceptor noſter monebat: Attendite*

Lucæ 21. *autem vobis, ne fortè grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate, &*
» *curis huius vitæ, & ſuperueniat repentina dies illa, &c. Quid autem magis pugnans, magiſq́ ad rem expediendam ineptum, quàm ſeſe homines voluptatibus dedere, & ſimul cauere ſaluti ſuæ? Inducit itaque hoc loco Vates huiuſmodi hominum mores, quos ætate ſua cùm Ieroſolymi ab hoſtibus peterentur. Futuros videbat, & quos vtinam noſtris temporibus præſentes non conſpiceremus, ab illo eodem Vate præuiſos ac prænunciatos. hominum, inquam, qui cùm ſuas delitias etiam cæteris rebus, etiam ſaluti propriæ re vera anteponant; tamen ſalutis ſuæ res agere profiteantur, videriq́ velint tales. Namque hoc modo acturos præuidebat Vates, vt iuberent ſibi primùm menſam inſtrui; quippe hoc ſignificat Hebraicum verbum* GHARACH: *deinde magnam diligentiam adhiberi præciperent in cognoſcendo nūquid periculi, aut incommodi, aut mali efficeretur ab hoſtibus.* Contemplare in ſpecula. *Nulla imagine exprimi aptiùs potuit ſpecies eorum, qui de religione & virtute diſputant, & loquuntur, & tamen pulcherrima dictu, nec vita nec moribus ac re præſtant. Oportet enim vigilare, ſobrios in oratione, certiſſimè ſcientes aduerſarium diabolum tanquam leonem rugientem circuire, & quærere quem deuoret. Et tamen eo modo, iiſq́ moribus res aguntur, vt cùm certiſſimum inſtet periculum, tumultuariè propulſandum videatur, coactis ad id ineptis & inexercitatis hominibus, hoc eſt, populo vitiis & voluptatibus obruto, & principibus, qui per arma iam tunc inutilia, malum compeſcant.* Comedentes & bibentes. *Hebraicè eſt, comedere & bibere, ea ſignificatione quam indicabamus: nimirum interea, dum de periculo agitur, ſtudium tamen eſſe comedendi & bibendi; quod cùm ferre non poſſet Vates à ſe præuiſum, ciuitatis ſuæ principes, atq́ etiam Chriſtianæ religionis miniſtros ad rem ſeriò agendam ab illis voluptatibus auocabat.* Surgite principes, arripite clypeum. *Hebraicè eſt, vngite clypeum: quo inungendi verbo certum, maturum & conſtans, omniq́ ſtudio atque cura inſtructum, conſilium de ſalute ſua cogitandi & agendi præcipiebat. etenim qui inungit clypeum, de periculo cogitat ſeriò pellendo. Quid, inquit, ita ſecuri atque ſegnes de rebus adeò maximi diſcriminis agitis; voluptatibus operam, virtuti ſermonē tantùm impertimini. Surgite, virtutiſq́ veræ cuſtodes, rigidoſq́ ſatellites vos præbetote. Quemadmodū verò vaticinium hoc ad ſpiritualem noſtrorum temporum rationem interpretari poſſimus,*
Ephеſ.6. *docuerunt Apoſtoli. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & in-*
» *duite loricam iuſtitiæ, & calciati pedes in præparatione Euangelij pacis, in*
» *omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea*
» *exſtinguere. Et hoc eſt quod Iſaias dicebat,* Vngite clypeum: *quippe non oportet tantum omnium commune periculum negligenter curare, & totum tempus conſumere in cognitione atq́ expectatione, an hoſtis veniat, an cunctetur, vacaréque interim ventri & voluptatibus: ſiquidem periculum & malum certiſſimè venturum iam per Prophetas ſuos veros & fideles ſpeculatores denunciari Deus ipſe iuſſit.*

Hæc

Hæc enim dicit mihi Dominus: Vade, & pone ſpeculatorem: & quodcumque viderit, annunciet.

Consilivm *curamq; Dei erga hominum ſalutem nobis teſtatur Propheta: qui iuſſus fuerit ſpeculatorem in edito loco conſtituere ſedulum ac vigilantiſsimum, qui venientia procul mala præuidens, ad cauendum & propulſandum annunciaret. Hos autẽ ſpeculatores primos Prophetas ipſos fuiſſe manifeſtum eſt, qui Ieroſolymæ illi terreſtri calamitatem affuturam prædixerunt, & Eccleſiæ etiam Chriſtianæ turbationem afferendam præuiderunt; & iiſdem verbis inuolutam ſignificarunt: quorum etiam in hoc genere partes Apoſtoli obtinuerunt, prænunciantes eam, in qua iam verſamur, calamitoſam Eccleſiæ Chriſtianæ conditionem. Quid autem huiuſmodi ſpeculatores retulerint, audiamus.*

Et vidit currum duorum equitum aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli. *Hebraicè ad verbum*: Et vidit currum binorũ equitum, & currum aſini, & currum cameli.

Magnvm, *terribilem, & frequentem exercitum illi viſum narrat, & innumeram hominum turbam, à qua Ieroſolymorũ vrbs & expugnanda & occupanda eſſet, ac longo tempore tenenda. Vtinam non hoc magis noſtris temporibus certum exploratumq; eſſet in Eccleſia Chriſtiana, quàm fuit olim Ieroſolymis veriſsimum, certoq; periculo grauiſsimum.* Currum duorum equitum, *ſiue*, binorum equitum. *Indefinitè dixit, pro curribus pluribus, ex quibus bini equites pugnarent; cùm aliàs ſatis inſtructus cenſeatur exercitus, in quo ſingulis curribus ſinguli equites inſideant. Eſt autem Hebræis familiare, vt indefinitum pro vniuerſali, ſiue ſingulare pro plurali accipiatur: vt bouem, camelum, capram, ouem, equum; pro equis, ouibus, capris, camelis, & bobus: neque inauditum Latinis genus dicendi. & inter hæc: Alexander ad conducendum ex Peloponeſo militem, &c. &:* Curt. lib. 3. *Interea calet, & regnat; poſcitq; maritum Paſtores, & ouem Canuſinam, vlmoſq; falernas. Quòd verò præter bellatores equitum, currus aſinorum,* Iuuen. Sat. 6. *etiam & camelorum currus ſibi viſos, ait ſpeculator; ſignificat populi multitudinem illius, & certum ac deliberatum conſilium diu manendi in poſſeſsione illius vrbis ac regni; vel diripiendi & ſpoliandi omnia. quippe huiuſmodi currus non ad belli vſum, ſed ad ſarcinas ſupellectilemq; comportandum parari ſolent: & aſinorum currus certam & ſecuram poſſeſsionem indicant: huiuſmodi namq; iumenta ad bellum inepta, ad pacis verò commoditates & vſus aptiſsima habentur. Videbat itaque frequentem hominum turbam tamquam in proprias domos venientium: rem autem penitus ab illo ſpeculatore cognitam, & clariùs etiam indicatam fuiſſe, cùm ſignificare vellet Iſaias, ſubiungit:*

Et contemplatus eſt diligenter multo intuitu. *Hebraicè ad verbum*: Et attendit attentionem, multam attentionem.

Cvm *verò non negligenter officiũ ſuum faceret, rem omnem intus & extra, hoc eſt, & figuram ipſam, & figuratũ cognouit; eamq; figuratè etiam ſub tranſlatione indicauit: videlicet, Ieroſolymam inuadi à potentiſſimo*

*& immaniſſimo hoſte.* Et clamauit leo. EXERCITVM *anteà viderat ſpeculator, qui diligenter intuitus, vidit exercitus illius ducem maximum eſſe Babylonis regem, quem leonis nomine propter robur & crudelitatem appellauit atq; ſignificauit. Huius tranſlationis ſimplicem ſignificationem nos Ieremias docuit his verbis: Leuate ſignum in Sion, confortamini, nolite ſtare, quia malum ego adduco de Aquilone & contritionem magnam. Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe leuauit: egreſſus eſt de loco ſuo, vt ponat terram tuam in ſolitudine: ciuitates tuæ vaſtabuntur, remanentes abſque habitatore. Quid autem ſignificet leonis nomen, ad abſtruſiorem ſignificationem relatum, in Apparatu ſacro oſtendebamus, vt hoc loco, apertè ſignificari Antichriſtũ, Antichriſtiq; caput Diabolum docuit Diuus Petrus. Huius verò viſionis progreſſu vehementer commotus Propheta, ſeſe exoptaſſe ait, & cupiiſſe vehementer cognoſcere, quiſnam futurus eſſet exitus, atq; edoctũ demum ſeſe refert Babylonici imperij, ac tyrannici illius erroris excidium fore certiſſimum. Non autem tam de Babylone illa in terra Sennaar ſita hic agitur, vt ſæpè iam admonuimus: quàm de cetera Babylone, cuius tyrannis & error vniuerſum orbem occupauit, & Eccleſiam Dei vehementer affligit.*

Ierem. 4. · Lib. Ioſeph. · 1. Pet. 5.

Super ſpeculam Domini ego ſum, ſtans iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus.

Hab. 2. SIMILI *oratione ſignificabat Habacuc ſtudium ſuum, & cupiditatem cognoſcendæ rationis diuinæ prouidentiæ: Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me. Huiuſmodi propoſito ſe inſtitiſſe Iſaias ait, non ſolùm diebus, ſed noctibus totis expectantem viſionem aliquam ad huius rei exitum cognoſcendum, & tandem intellexiſſe Babylonis regnum eſſe euertendum. Illius, inquam, regnũ Babylonis, quam ſæpiſſimè Apoſtoli ſignificarunt; quæ inebriauit reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt. Indicat autem Vates viſum ſibi virum fortiſſimum & ſtrenuiſſimum, qui Babylonis ruinam denunciarat.*

Ecce, iſte venit aſcenſor vir bigæ equitum, & reſpondit, & dixit: Cecidit, cecidit Babylon, & omnia ſculptilia Deorum eius contrita ſunt in terram.

HVNC *quem appellat Vates virum, nuncium bonum, gratiq; reſponſi auctorem interpretamur Angelum quempiam, verbi Dei miniſtrum: qui Babylonem certiſſimè euertendã denunciaret. namq; repetitio, Cecidit, cecidit, non tantùm aſſeuerationem rei, ſed etiam exemplum geminum ſignificat, ad geminam Babylonem relatum; terrenam illam Chaldæam, quæ non longè poſt prædictionem hanc ab Iſaia decantatam, euertenda erat: & illam alteram, quam longo pòſt tempore futuram & regnaturam, idem Propheta præuiderat. Eius enim caſum non minùs certum, quàm alterius prioris futurum eſſe voluit.* cecidit *prior Babylon,* cecidit *etiam poſterior Babylon. Atq; hunc eundem virum eſſe exiſtimamus, qui hæc Vati noſtro retulerit, cum illo qui hanc eandem rem Ioanni Euangeliſtæ demonſtratã referebat.*

*Illum*

*Illum autem non vnicum, ſed geminos fuiſſe, & Propheta noſter indicauit, & Ioannes declarauit. Namque vbi Latinè legimus,* Aſcenſor vir bigæ equitum. Ecce hic venit currus, *ſiue*, currus quidam paris equitum. *Idem autem hoc eſt, cum illis quæ à Ioanne explicata ſunt, de altero quidem nuncio ſic: Et venit vnus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas,* Apoc.17.
*& loquutus eſt mecum, dicens: Veni, oſtendam tibi damnationem meretri* "
*cis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas. De altero verò ſic: Et poſt hæc* "
*vidi alium Angelum deſcendentem de cælo, habētem poteſtatem magnam:* Apoc.18.
*& terra illuminata eſt à gloria eius. & exclamauit in fortitudine dicens:* "
*Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cu-* "
*ſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ &* "
*odibilis. Hæc eadem à Ioanne in illa reuelatione explicantur, quæ ab Iſaia hoc loco prædicebantur. Quod verò additum eſt:* Et omnia ſculptilia deorum eius contrita ſunt in terra. *De illa Babylone ſimpliciter, de hac altera ſpiritualiter ſunt exponenda. Sunt enim hæc ſculptilia Deorum Babylonis; illa errorum copia, quibus vniuerſus ferè orbis ſeductus eſt: quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cū illa fornicati ſunt, & moratores terræ de virtute delitiarū eius diuites facti ſunt. At verò quòd vaticinium hoc duriſſimum fuerit ſibi viſum, diligentérque conſideratum, & apertè indicatum, atq; certis verbis ſignificatum cōfirmat Iſaias, populum ſuorum, hoc eſt, Ieroſolymitanos ciues, ſed Eccleſiæ Chriſtianæ homines, in primis hac præmonitione & obteſtatione, ad ſibi cauendum exhortari cupiens.*

Tritura mea, & filij areæ meæ; quæ audiui à Domino exercituum Deo Iſraël, annunciaui vobis.

TRITVRA mea. *Iſraeliticum populum illum antiquū, ſed præcipuè Chriſtianum, cui Iſraelis nomen propriiſſimè conuenit, appellat Iſaias trituram ſuam; tranſlatione ſumpta à bobus, qui non ſibi, ſed aliis laborant. Namq; Prophetæ publici miniſtri ſunt; quatenuſq; id muneris exequuntur, laborem grauiſſimum cum ſudore curaq; coniunctum ſuſcipiunt: neq; plus ipſi ex illo labore, quàm alij, quibus operam dant, emolumenti capiunt, imò &, vt alij ipſorum laboribus fruantur, ipſi laborant. Multæ ſunt in ſacris libris huiuſmodi dicendi figuræ, quibus miniſtrorum munus & officium ſignificatur. Appellantur enim boues; vt, Non alligabis os boui trituranti. appellantur oues: Ecce ego mitto vos tanquam oues in medio luporum. operarij etiam ſæpiſſimè dicuntur. Bonum affectum illum quem Vates expreſſit, dicens,* Tritura mea, *Paulus etiam expreſſit, alia tamen tranſlatione vſus: Filioli mei, quos iterum parturio. Profitetur autē Iſaias ſedulitatem,* Gal.4.
*fidem, diligentiamq; ſuam in officio faciendo: quippe qui annunciarit quæ audierit à Domino miſericorde & conſtantiſſimo, eodémque potentiſſimo Deo exercituum, qui exercitus habet per quos expedit iuſtitiæ ſuæ exempla ſeueriſſima. Eorum autem exercituum parte primùm Iſraelitas ob violatæ pietatis crimen iudicatos, puniturus ſit. Deinde verò ipſos hoſtes graui vltione proſecuturus, ac tandem Iſraelis Deum ſeſe eſt exhibiturus, quem*

*in illam priſtinam ex ſuo diuino conſilio conceſſam dignitatem, demum inſtauraturus eſt.*

## ARGVMENTVM VATICINII XV.

VARIA *ac multiplex capitis huius expoſitio apud expoſitores, tam Hebræos quàm Græcos & Latinos, legitur: quorum tamen ratio omnis in allegoria verſatur, neque cum ſuperiorum & inferiorum ſerie contexitur. Nos verò propoſitum vrgentes, vt ſimplicem ſententiam explicemus, quæ allegoriarum, aliarumq́ue enarrationum fundamẽtum iaciamus, Vaticinium hoc de Edon, ſiue Idumæis ſcriptum arbitramur, ad increpandum & obiurgandum Iſraelitas; qui non eodem ſtudio, ſimiliq́ue diligentia & cura ſuæ ſaluti conſulerent, atque Idumæi ſuas res agerent: qui ad bellum prædæ & quæſtus cauſa faiendum eſſent promptiſſimi & ſtrenuiſſimi; cùm tamen Iſraelitæ in ſua ſalute procuranda negligentiſſimi ignauiſſimiq́ue eſſent: vtpote qui nõ, vt viri, mori, mortemq́ue appetere ſcirent: neque auertendi mali cauſa Deum precibus & pœnitentia ſupplici placare ſtuderent.*

Onus Duma.

1.Paral.1. DVMA *vna ex Iſraelitarum familiis fuit. S. S. E. Primogenitus Iſmaelis Nabaioth & Cedar & Abbeel, & Mabſan, & Maſma, & Duma. Huius nomen Hebraici ſermonis conſuetudine pro tota gente ac natione vſurpatur. Erant autem hi in Arabia non longè à montibus Seir Idumæorum gente habitatis, à qua variis inuaſionibus infeſtabantur, quandoquidem montoſa illa loca Idumæos duriores, ab bellúmque paratiores conſeruabant, & ad receptum etiam & conſeruationẽ ſui, tutiores reddebant. In his montibus ſpeculatores conſtituebantur; qui certis ſignis Idumæos ad prædam excurſuros docerent, opportunitates temporum, & locorum cõmoditates, quorum monitus & conſilia illi ſtudioſè faceſſebant: atque ita aliis ſedulò conſulentibus, aliis rem ſtrenuam agentibus, Idumæorum diuitiæ & opes augebantur: id ſignificare volens Iſaias, orationem ex figura, quam Rhetores Conformationẽ vocant, inſtituit: vt imaginem ipſam rei oculis, veluti ſubijceret contemplandã. Euenit autem perſæpè vt huiuſmodi orationes, quarum multa energiæ pars in pronunciatione cõſiſtit, ad ſcriptum relatæ, obſcuriores difficilioresq́ue reddantur. Igitur cùm* Onus Duma, *hoc vaticinium inſcribatur, illud ſignificat vaticinium hoc, non à Vate præſente pronunciatum apud Dumæos aut Idumæos fuiſſe; verùm ad gentẽ ipſam ſcriptum, & in denunciationis formam miſſum. Inducit autem Propheta perſonam, ſermonem & colloquium; videlicet, ſpeculatoris, quem Idumæi interrogarent, & conſulerent, atque ipſorum etiam Idumæorum proponit verò ſpeculatorem rem ipſam dicentem.*

Ad me clamat ex Seir, cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte?

DILIGENTIAM, *ſtudium, & curam, atq́ue cupiditatem, quæ mater cæte-*

*cæterorum affectuum eſt, indicat illa repetitio:* Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? *Simul etiam duplicem ſignificationem oſtendit. interrogatur enim cuſtos, quantum temporis nocturni peractũ iam ſit, quantumq́; reſtet peragendum: vt ex indicatis horis exiſtiment ij qui interrogant, num commodum ſit, opportunúmque fuerit excurrere in Duman ad prædas faciendas.*

Dixit cuſtos, venit manè & nox: ſi quæritis, quærite: conuertimini, & venite.

RESPONDET *cuſtos Seirenſibus Idumæis, à quibus interrogabatur: atq; iam aduentante manè, hoc eſt, mediam noctem eſſe trãſactam, horasq́; in matutinũ tempus vergere: tamen adhuc ſuperaſſe noctis & tenebrarum ſpatium, quantum feſtinantibus, & ſtudioſè rem agentibus ſatis ſit ad excurrendum, & quæſitam, obſeruatamq́; prædam capiendum, agendum, & redeundum. Venit, inquit, iam manè, ſed tamen adhuc nox eſt, quantum ſatis ad prædam aliquam diligenter faciendam eſſe poſſit: ſi quid vobis quærendum eſt, quærite quamprimùm, conuertiminiq́;, & venite in veſtrum locum redeuntes. Hæc illos adeò diligenter & cogitare, & agere Vates refert, vt ex ſtudiorum huiuſmodi contentione ſuos Iſraelitas, imò & noſtros Chriſtianos magnæ ignauiæ, deſidij, ac negligentiæ argueret, qui neq; ſe defendere ſcirent, neque rationem inire ſtuderent, quemadmodum Deus ipſis placaretur; quem verum tutorem ac propugnatorem agnoſcere, & appellare oporteret. Huius autem argumentationis concluſionem inferiùs legemus. Quidnam quoque tibi eſt, quia aſcendiſti tu omnis in tecta? & interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui in bello.*

## ARGVMENTVM VATICINII XVI.

CVM *certam & conſtantem ſibi vaticiniorum interpretationem quæramus, cogimur nonnunquam inferiora & ſuperiora connectentes curare & elaborare, ne quid pugnans aut abſonum, aut à propoſito alienum admittamus; aliàs cùm nos à nobis diſſenſerimus, videbimur diſſentiẽdi occaſionem ab ipſo Vate accepiſſe, qui tamen ſibi conſtans conſentienſq́; perpetuò eſt, neque propoſitum ſermonem niſi argumẽto, quod ſemel ſuſcepit, peracto mutat. Igitur cùm Iſaiæ vaticinia omnia ad Iſraëlem & Iudam referenda eſſe ex ipſa inſcriptione prima huius libri cognouerimus, quidquid ad alias gentes aliquando digreſſionis fieri videatur: tamen ad Iſraelem, cùm terrenũ, tum ſpiritualem, eſt referendũ: aliqua enim ratione ad ipſum pertinere cognoſcetur, iis qui rem diligenter tractauerint, & exiſtimauerint. Eſt ergo in vaticinio hoc argumentum aliud à Vate productum, ad improbandam Iſraelis deſidiam, qui ſuas partes nec rectè cogitaret, nec diligenter ageret: imò officium omne, etiam ſibi ipſi opportunum & commodum, negligeret; cùm aliæ vicinæ ac finitimæ gentes hoc nomine*

*laude*

*laude dignæ eſſent, quòd mores ſuos & conſuetudines atq; ſtudia numquam prætermitterent, imò indies propagarent, & promouerent. Quemadmodum enim Idumæi noctu denique prædis faciendis inuigilabant, vt ſuas ampliarent res: ita etiam Arabes & in negotiis ſuſcipiendis & tractandis ſtrenuiſsimos & diligentiſsimos, & in humanitate hoſpitibus & peregrinis exibenda ſeſe officioſiſsimos præbebant, & conſeruabant: quæ res & illis laudem, & vtilitatem magnam paritura erat: & tamen Iſraelitæ, vti diximus, in ſua ipſorum ſalute ſibi à Deo oblata procuranda erant negligentiſsimi. Cæteræ expoſitiones quæ in hunc locum afferuntur, cùm neque certis historiis nitantur, neque ex verborum ſignificatione oriantur; lectorum arbitrio excipiendæ à nobis relinquuntur.*

Onus in Arabia.

N O N *ignobiles auctores Hebraicæ linguæ peritiſsimi idem eſſe dicunt, idemq́; ſignificare Hebraicè* BEGHEREB, *&*, GHEREB, *hoc eſt, vtrumque & ſimplex, & compoſitum nomen eſſe Arabiæ. quorum ſententiam ſi ſequamur, interpretabimur hanc deſcriptionem,* Onus Arabiæ, *hoc eſt, vaticinium ad Arabes deferendum: quod quidem graue eſt, non tam Arabibus ipſis, quàm iis in quorum reprehenſionem editum eſt, hoc eſt, Iſraelitis. Sin verò præpoſitionem, in, eſſe velimus, eadem ſignificatione exponemus atque, ſuper, vel aduerſus. Onus aduerſus, vel, ſuper Arabiam.*

In ſaltu ad veſperam dormietis, in ſemitis Dodanim.

A R A B E S *& pecuariæ rei curandæ, & mercaturæ exercendæ operam*
Iſa.13. *dederunt: inſignesq́; paſtores & mercatores habiti ſunt. S.S.E. de altero*
Ezech.27. *negotio: Et non ponet ibi tentoria Arabs. De altero autem: Arabia & vni-*
» *uerſi principes Kedar, ipſi negotiatores manus tuæ, cum agnis, arietibus, &*
» *hœdis venerunt ad te negotiatores tui. Erat autem Tyrus magnum totius Orientis emporium, omnibus ferè orbis terrarũ nationibus commune. Ex Arabum verò regionibus Tyrum vel Iudæam verſus iter facientibus, ſaltus, ſyluæ, & ſolitudines pertranſeundæ ſunt, & pars etiam Idumæorum ditionis eſt peragranda; maximè ea quæ in Ducatu ſiue præfectura Dedan cenſetur. Fuit quippe Dedan vna ex celeberrimis Idumæorum præfecturis, propter negotia etiam, &, vt res ipſa indicare videtur, propter frequentem conſuetudinem Arabum, & aliorum illac in Tyrum emporium tranſeun-*
Ierem.25.& 49. *tium: atque ita in Eſau gentibus hæc præcipuè commemoratur. S.S.E. Et Dedan, & Thema, & Buz, & vniuerſi qui attonſi ſunt in comam. & ali-*
» *bi: Deſcendite in voraginem habitatores Dedan, quoniam perditionẽ Eſau*
» *adduxi ſuper eum. Fuiſſe autem illos etiam mercatores, negotiaq́; in nundi-*
Ezech.27. *nis habuiſſe apud Tyrum, Ezechiel teſtatur: Dedan negotiatores tui in tapetibus ad ſedendum. Meminiſſe verò oportet illius obſeruationis à nobis ſæpiùs repetitæ, de futuro verbo in Hebràici ſermonis ratione abſolutè poſito, non ſignificante tempus, ſed rei aut operis conſuetudinem perpetuam. Itaq;* Dormietis, *hoc loco pro, dormire ſoletis, interpretamur. Significat autem*

*tem Iſaias Arabum gentem, cùm pecuariæ rei & paſtionis, tum aſportandarum mercium & negotiationis ſtudio non reſidere domi ſegnem & deſidem, ventri & ludis vacantem; ſed in ſaltibus pernoctare, & in ſemitis atq; viis Dedanim agrorum Dedan, per quos tranſeundũ illis erat, Tyrum petentibus. Hæc pars ad diligentiam Arabum & ſedulitatem oſtẽdendam ſpectat: illa altera, ad eorundem commendandam humanitatem, & rectam de rebus mortalium cogitationem pertinet.*

Occurrentes ſitienti ferte aquam, qui habitatis terram Auſtri: cum panibus occurrite fugienti.

ARABES *erga peregrinos & iter facientes hoſpitaliſſimos & humaniſſimos eſſe, ex lectione antiqua, & multorum relatu cognouimus: fuere qui nobis narrarent ſe, dum per Arabum tractus iter facerent, ſub veſperũ ad tentoria illorum venientes, offendiſſe duos viros, à quibus pietatis nomine hoſpitij officium poſtularent; vtrumque libenter annuiſſe ſimul, & poſteà grauiſſimè inter ſe contendiſſe de præſtando in peregrinos officio, cùm alter alteri cedere in ea re nollet. Illud autem vulgariſſimum eſt, illorum fœminas viatoribus & caricarum ſiue palmularum vſum, & aquæ potum vltrò offerre. Hunc autem morem frequenti conſuetudine confirmatum in Arabum gente refert, laudátque Vates, vtpote humanitatis plenum. cùm enim illa in terra Auſtro expoſita, & calidiori, atq; ex conſequenti, ſicciori agerent; cumq; iter facientibus, grauem accidere ſolere ſitim ſcirent: vltrò venientibus obuiam facti, frigidæ potum exhibebant, & panem etiam ad vires reficiendas porrigebãt.* Qui habitatis terram Auſtri. *Nomen, Thema, vnicæ ſignificationis eſt nomini, Theman, quod aliquãdo pro meridionali plaga vſurpatur: ideoq; ab interprete noſtro in hanc ſignificationẽ eſt redditum. fuit etiam vnus ex filiis Iſmaëlis, octauus videlicet. Arabum* Gen. 25.
*autem natio omnis ad Iſmaëlem refertur. metonymicῶs itaq; hanc regionem appellabat Propheta, Thema, ad vtramq; ſignificationẽ relato nomine, ad Arabas videlicet, atq; cæli plagam. Imperatiuum autem verbum non iubendi, ſed exponendi officio hoc loco fungitur. vt illud: Lætare iuuenis in iuuentute tua. & apud Latinos auctores: Inſere nunc Melibæe pyros, pone* Virg. Eccl. 1.
*ordine vites. Verbum autem,* fugienti, *exponimus, vaganti, id eſt, peregrino, ex Hebræa voce* NODEH. *Hunc verò morem Arabibus inductum fuiſſe ait Vates, experimento & periculo indigentiæ aliquando ſubitæ: vtpote per varios bellorum & captiuitatis ac ſeruitutis caſus vexatis & exercitis. Vnde diſcere contigit, quæ ſit humanarum rerum viciſſitudo, & frequens miſeria; quæq; commoditas beneficij indigẽtibus exhibendi, quæ etiam eiuſdem accepti gratia. hanc itaq; rationem Propheta exponit.*

A facie enim gladiorum fugerunt: à facie gladij imminentis, à facie arcus extenti, à facie grauis prœlij.

NON *ignara mali miſeris ſuccurrere nouit gens illa Arabum; quippe ſæpe vagati ſunt propter infeſta ſibi ab aliis mota bella. Proptereà euecti è locis vbi conſederant, nunc fame & temporum difficultate pulſi, nũc prœliis victi & fugati, quibus vagationibus cùm ſæpè fame ſitiq; laborarint;*

 *cogno-*

*cognouerunt manifeſtè quantæ humanitatis officium eſſet, eſurientes ac ſitientes cibo potuq́ iuuare. Nomen,* Gladiorum, *pro omni vaſtatione accipimus ex Hebraico,* HHARABOTH, *non tantùm gladios, ſed ſiccitatis ardores, ſolitudines, vaſtationesq́ ſignificat. Deinde adduntur bella à vicinis illata, nomine gladij imminentis, Hebraicè, gladij extenſi, & arcus extenti, & grauis prælij: quibus verbis omnia indicantur pugnandi genera iis, qui Aſiam olim incolebant, familiaria: alij enim gladiis, vt Idumæi & Chaldæi: alij arcu; vt Perſæ & Parthi; alij etiam graui pugna curribus & equitibus rem gerebant. Fuerunt enim omnes vicinæ gentes Arabibus inimicæ & infeſtæ; ſicut & illi cæteris omnibus etiam negotium faceſſerunt. Hanc enim illis ſortem editam legimus: Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum; & è regione fratrum ſuorum habitabit.* Fugerunt. *Vagati, peregrinati ſunt, & errauerunt: ſic hoc verbũ exponimus ex Hebraico,* NADADV. *Errauerunt, inquam, in ſolitudinibus, & ignotis regionibus ipſi Arabes: nam cùm nullum aliud nomen hoc loco indicatum aut proditum ſit, & ad alias gentes hæc verba referamus, nulla certa ratione ducimur. Huius autem tum diligẽtiæ, tum beneficentiæ præmium temporale, ſed illuſtre & commodum Arabibus, à Deo deferendum propediem eſſe, Vates exponit. Victoriam videret aduerſus Kedar, vnã ex nationibus illis ab Iſmaele progenitis; quæ, vt ex lectione ipſa cognoſcere licet, bellum cum Thema illa tempeſtate gerebat: neque enim inter illas gentes Iſmaelitas ita conueniebat perpetuò, vt non interdum vel propter paſcua, vel propter illã contemptionem bellum exardeſceret, à qua ratione non alienum oraculum illud eſt: Manus eius contra omnes, & manus omniũ contra eum. Hanc adeò rem ſubiuncto vaticinio ſignificare videtur Vates.*

Gen. 16.

Quoniam hæc dicit Dominus ad me, adhuc in vno anno, quaſi in anno mercenarij, & auferetur omnis gloria Kedar.

CERTAM *ac decretam à Deo ſententiam aduerſus Kedar, pro Thema pronunciatam, hoc loco Iſaias exponit: cuius expeditionem intra annũ præciſum expectandam eſſe ait, vt certi temporis notatione rem ex Dei conſilio & ſingulari prouidentia, non autem aut ex caſu, aut ex hominum ſtudio, vel diligentia profectam confirmaret. Mercenarij dies præciſi certiq́ ſunt: cuiuſmodi præciſionem Vates proponebat obſeruandam à die vaticinij huius editi; cùm omnis nobilitas Kedar, illius, inquam, gentis, quæ ſecundo loco in filiis Iſmaëlis cenſetur, auferenda & perdenda prænunciatur: idq́ à Thema Arabum gente, quæ hic præcipuè nominata eſt. Exciſa autẽ gloria amplitudinéque, id eſt, nobilitate, in promptu eſt vt reliquum vulgus diſperdatur, & partim bello exciſi, partim vagi & inſtabiles, apud alias gentes profugi confundantur & miſceantur, hoc eſt quod Iſaias adiungit:*

Et reliquiæ numeri ſagittariorum fortium de filiis Kedar imminuentur. PRIMORES *gentis, & nobiliſſimi non ſolùm armis communibus & vulgaribus, verùm prudentia, ſapientia, & conſilio, fortitudinis nomen & virtutem bello ac pace tuentur: cæteri verò, numero plures, virtute & honore minores copias tantùm inſtruunt, & arma exercẽt,*

*quibus*

*quibus res geritur: verùm ſi commodis & oportunis ducibus defecti deſtitutique fuerint, nihil ferè valent, multitudineq́ue ipſa inutiles magis redduntur propter ingenij & iudicij penuriam & voluntatem, varietatem & confuſionem. Itaque præcipua & maxima pars virtutis & efficientiæ ad res gerendas in principibus viris eſt; ceteri, quamquam fortes ſint & animoſi, vti eſſe oportet eos, quorum opera & armis bella fiunt, tamen cùm conſilio auctoritateq́ue non valeant, diſſipantur, & diſpereunt ſua ingenij ac iudicij infirmitudine euaneſcentes. Hoc autem eſt quod Iſaias declarabat, Gloria & nobilitate Kedarenſium extincta, cæteros omnes, qui non ex nominibus & artibus, atque egregia virtute, ſed ex numero cenſerentur, quamuis animoſos ac fortes ſagittarios; qui ſagittas iaciendi peritiā, à patre Iſmaele acceptam, vſu exercitationeq́ue confirmarint: quamquam non omnino perituros (neque enim vulgus integrum in bello conſumi ſolet) imminuendos eſſe. Indicauit autem Iſaias arcus & ſagittarum exercitationem familiarē eſſe* Gen. 21. *Kedarenſibus, atque ex Iſmaelis patris ipſorum imitatione conſeruatam: qui creuit moratus in ſolitudine, factusq́ue eſt iuuenis ſagittarius, habitauitq́ue in deſerto Pharan. Hanc autem tum prædictionem, tum orationem omnē, & ad Arabas prophetiam certiſſimam veriſſimamq́ue eſſe auctoris Dei nomine appellato, confirmat Vates; idemq́ue ſermonem hunc ad Iſraelem pertinere declarat; quem Deus his exemplis Idumæorum & Arabum arguere, & reprehendere voluerit, vtpote ſibi in grauiore cauſa, hoc eſt, certiſſimo vitæ ac ſalutis ſuæ periculo malè conſulentem.*

## ARGVMENTVM VATICINII XVII.

EX loco Dialectico, cui nomen comparatio ſiue contentio eſt, *arguit Iſaias ſegnitiem, ignauiam, ſocordiam, & affectatam negligentiam Iſraelitarum Iudæorū: qui ſomno, vino, aliisq́ue voluptatibus & vitiis vacantes, atque à puræ religionis obſeruatione, & virtutis veræ cultu degenerantes, diuina in ſe ira commota, ſummam calamitatē ab hoſtibus afferendam Aſſyriis, ſibi importarint; quam tamen neque virtute depellere potuerint, neque pœnitētia & ſupplicibus precibus apud Deum deprecari ſtuduerint. Neque verò ſimplex hoc argumentum eſt, ſed duplex: quippe quod ad illam Ieroſolymam & Sionem pertineat: de qua nobis in ſuperioribus aperta explanatio fuit expedita.*

## CAPVT XXII.

ONVS vallis viſionis.

IDEM *Prophetiæ nomen, quo iam ter ſuperiùs vſus erat Iſaias, hoc in loco vſurpauit, vt indicaret totam hanc orationem ad vnam ſententiam eſſe referendā. Idemq́ue quatuor cōiunctorum vaticiniorum argumentum eſſe; videlicet exprobrationem ſupinæ cuiuſdam & ignobiliſſimæ ſtultitiæ ignauiæq́ue, maximæ aduerſus Ieroſolymam, Iudæorum gentis & regni*

*caput comparatum cum Babyloniorum conſilio & ſtudio, de ipſa Ieroſolyma perdenda, & cum Seir & Arabum gentibus: quarum ſtudia & mores, & rationes, ſi cum Ieroſolymitanorum exemplo conferantur, vehementer laudari poßint ſuo in genere: contra verò hos, non tantùm reprehendi, improbari, & corripi debere, apertè confirmatur. Itaque vt ceteris illis vicinis & finitimis gentibus ſuæ ſortes ſingulis ſcripto dictæ & miſſæ ſunt; ſic etiam Ieroſolymis eodem genere dicendi ſuam etiam rationem exponere, Spiritu ſancto inſtructus, voluit; atq; in epiſtolij modum ſcriptam mittere: maximè cùm prophetia ipſa ad Eccleſiam pertineret Chriſtianã, longo poſt Vatem tempore futuram, cui hoc vaticinium legendũ relinqui oportuit. Quod verò ad nomen attinet explicandum,* vallis viſionis, *omniũ qui*
Græca Etoſ. Procop Hiſeon. Euſ b. *de hoc vaticinio quoquo modo mentionem fecerint Hebræorũ, Græcorum, Chaldæorum, ac Latinorum ſcriptorum communis & conſtans ſententia eſt, Ieroſolymam vrbem appellari,* vallem viſionis; *propter confluentiã ſpiritus & conſilij, Prophetarum & prophetiarum, quæ in illam ciuitatẽ tanquam in vallem quandam communem intenduntur ac diriguntur. Quam explicationem nos communi conſenſu probatam, patere etiam ampliùs exiſtimamus; & ad Chriſtiani nominis cultores, atq; adeò ad vniuerſalẽ Dei*
Act.3. *Eccleſiam pertinere: in quam præcipuè omnium Prophetarum, qui à Samuele & deinceps vaticinati ſunt, mens intenta fuit, & finis certus propoſitus.*
1.Cor.10. " *Hæc enim omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad* " *correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt.*

Quidnam quoque tibi eſt, quia aſcendiſti & tu omnis in tecta? *Hebraicè ad verbum:* Quidnam tibi hic, quia aſcendiſti tu omnis in tecta?

NON *caret certa notatione vox illa, hîc, quæ locum indicat. Quærit enim Propheta à ciuitate illa, quidnam fortitudinis; quid diligẽtiæ aut ſtudij, aut officij; quid denique vel imitationis, vel æmulationis, vel ſimilis exempli ſit ipſi; vt iuxta nationes illas confidentiùs probari poßit, vel ſaltẽ reprehenſionem vitare; vt quæ ſuas partes non ſecùs egerit, atque aliæ gentes, quæ in contentionem ab ipſo Vate ſunt appellatæ. Quid, inquit, fortitudinis & ſtudij, atq; expeditionis Babyloniorum exemplo ſimilis, quid diligentiæ & alacritatis Idumeæ, quid patientiæ & celeritatis, quid humanitatis, & in ea excolenda erga te ipſam ſedulitatis tibi eſt, hîc apud iſtos, quos tecum comparamus; qui in minori cauſa multum ſtudij & operæ ponunt: tibi verò nihil horum, aut his ſimile eſſe manifeſtum eſt; ſed muliebris quædam ignauia & inertia: id quod ſitus ipſe & habitus arguit tuus: quia tu omnis, cunctis ordinibus eodem modo affectis, aſcẽdiſti ſuper tecta; vt mulieres ſolent, metu & pauore correptæ, quæ ſe calamitatis in vrbem ab hoſtibus illatæ, ſpectatrices tãtùm præbent. Admiratur autem hoc loco Iſaias, incredibilem quandam negligentiam, quam inter Chriſtianos Antichriſti tempore futuram eſſe præuidebat: qui cùm Idumæos & Arabes, atq; adeò Babyloniæ illius magnæ populos, vel aduerſum Chriſtianum nomen excitatos, vel ſuam ipſorum rem quàm diligentißimè agentes, cernerent: tamen*

*ipſi,*

*ipſi, neſcio quo ſtupore detenti, ſuam ſalutem non curarent; imò ſuorũ malorum, & publicæ calamitatis ignauos ſpectatores ſeſe præberent, aſcendentes in tecta, nihilq; agentes eorum quæ ad tantum pellendum malum opportuna eſſe poſſent. Nõ, inquã, diuini verbi & fidei viuæ armis ſeſe inſtruentes; non morum & vitæ correctioni ſeriò operam dantes; non pœnitentia & ſupplicibus precibus Deum placantes; nec Scripturarum veritate, & communi ſtudiorum ac ſcientiæ concordia, aduerſariorum impetum ſuſtinentes & frangentes: ſed ludo, iocis, conuiuiis, & voluptatibus atque delitiis vacarent, id quod ſub propoſita imagine, terrenæ illius Ieruſalem Vates ipſe exponit.*

Clamoris plena vrbs frequens, ciuitas exultans: interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello.

*Ieroſolymorum ciuitatem eo tempore, quo bella & mala vaſtatura iam infeſtabant: tamen plenam eſſe tumultibus, contentionibus, ambitione, dolis, ſcelere, atq; libidine, & ira arguit Iſaiæ oratio, ſuis, vti conſtat verbis, conſiderata.* Plena clamore, *Hebraicè,* THESVOTH, *in plurali numero; quod nomen eleuationes ſignificat; ſed quia minùs generale Latinis eſt verbum eleuare, quàm Hebræis* NASH; *non poteſt ſatis vno verbo huius nominis ſignificatio explicari. Hiſpanicum nomen, Leuantamientos, aptiùs exponit; ſed non omne explet pondus. Latinè dici poſſet, turbarum, vel tumultuum plena. Quòd verò additur, vrbs frequens, Hebraicè eſt,* HVMIAH; *quod ſonitum exultantium, canentium cateruatim, & ludo vacantiũ ſtrepitum, vel hoc ipſo Vate interprete, ſignificat; ex illo loco, quẽ iam legimus: Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, ſonitus nabliorum tuorum: vbi Latinè legimus, ſonitus; Hebraicè eſt,* HAMIATH. *Itaq; frequentem, quaſi feruentem, frementem, à nomine* HAMON, *ex eodem themate deducto, noſter interpres conſultò reddidit. Bullicioſa, Hiſpanicè diceretur. Idem autem ſe ipſum explicat,* ciuitas exultans; *quæ omnis in exultatione & lætitia quærenda verſatur: quóque magis admonetur, & prædictionibus, minis, atque malorum aduentante & creſcente caterua impetitur, magis ipſa ſuos mores prauos & corruptos tenet, & ſeruat. Sic eſt omniũ ferè hominũ ingenium: qui non niſi extremum malum perpeſſi, dolent; & duris etiam temporibus voluptati renunciare nolunt. Præſens hac tempeſtate exemplum valdè deplorandum omnis ferè terrarum orbis præbet: ſed nobis ipſis ſpectatoribus hoc, in quo, dum hæc ſcribimus, communicamur, Belgium certiſſimum & apertiſſimum præbet. In mediis enim bellorum ciuilium, & diſcordiarum atq; diſſidiorum de religione & ditione tumultibus & ardoribus, eadem vitia, eadem peccata, nunc magis etiam grauia publicè vigent, quæ horum flagellorum diuinitus adhibitorum certiſſima cauſa fuere. Atque his moribus futuros Chriſtianos, qui, Babylone imperante, viuerent, iam præuidebat Iſaias. itaq; multos fore, qui tanquam pecora ſine vlla virtutis ad ſe defendendum, aut periculo eripiendum, demõſtratione pereant.* Interfecti tui, non interfecti gladio. *Multi enim in illa Nabucodonoſoris obſidione, & Ieroſolymorum vaſtatione, fame, plures incendio perierunt; alij*

Sup. 14.

*alijs modis occiſi ſunt, non autem pugnantes, aut dimicantes, ita notantur, vt nihil etiam in ſua ſalute defendenda, officij oportuni facietes; ſed latenter ſignificauit Propheta magnam hominum multitudinem Antichriſti vaſtatione, & Babylonici regni tyrannide, neque propugnantem, neque ſe defendentem interficiendã fore, non ſolùm corporis, verùm grauiore etiam animorum cæde, hoc eſt, prophana doctrina affectam. id quod vocabulum* HHALAL, *Hebraicum indicat: quod corrumpere, violare, & prophanare ſignificat. Atque hoc malum ad omnes hominum ordines peruenturum eſſe, apertè ſignificat Propheta.*

Cuncti principes tui fugerunt ſimul, vinctiq; ligati ſunt. Omnes qui inuenti ſunt, pariter procul fugerunt.

FVGERVNT ſimul. *Hebraicè, inſtabiles vagiq́; fuerunt. Apertè ita res habuit ea tempeſtate, qua Ieruſalem illa terreſtris capta fuit à Nabucodonoſore. Principes enim, quorum præcipuè erat & officium & decus, iuxta ſuſcepti muneris rationem propugnare patriam, ſiq́; fortiſſimos & primos ad defenſionem & dimicationem præbere; atq; in bello potiùs occumbere, quàm vel fugere, vel ignominiosè occidi; deſerta ciuitate, trepidam & inutilem fugam quæſierunt: ſed comprehenſi ab hoſtibus, partim cæſi, partim capti ſunt. Hanc omnem expoſitionem ſacra hiſtoria docet. S.S.E.* 4.Reg.25. *Factum eſt autem anno eius (Sedechiæ videlicet) nono, menſe decimo, decima die menſis, venit Nabucodonoſor Rex Babylonis, ipſe & omnis exercitus eius in Ieruſalem, & circundederunt eam, & extruxerunt in circuitu eius munitiones, & clauſa eſt ciuitas atque vallata, vſque ad vndecimũ annum Regis Sedeciæ, nona die menſis; præualuitq́; fames in ciuitate, neque erat panis populo terræ. Et interrupta eſt ciuitas, & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ eſt inter duplicem murum ad hortum Regis (porrò Chaldæi obſidebant in circuitu ciuitatem) fugitq́; Sedecias per viam quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis. Et perſecutus eſt exercitus Chaldæorũ Regem, comprehenditq́; eum in planitie Iericho: & omnes bellatores qui erant cum eo diſperſi ſunt, & reliquerunt eum. Apprehenſum ergo Regem, duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha, qui locutus eſt cum eo iudiciũ. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitq́; eum catenis, & adduxit in Babylonẽ. Ex hac lectione obſeruamus multos mortuos fame, alios non in bello, nec gladio, ſed ſagittis Chaldæorum, aut ignominiosè productos ad ſupplicium, vt filios Regis; Principes verò & bellatores omnes viros & cum Rege, & Rege relicto fugiſſe: reliquum autem populum partim ante ipſam diem prælij & inuaſionis in vrbem, fugiſſe procul: cæteros omnes qui inuenti ſunt, captos ligatoſq́; fuiſſe abductos. Nam dimidium huius verſus, vſque ad,* vinctique ligati ſunt, *ad principes pertinet, qui omnes fugerunt, vt hiſtoria refert. Hebraicè eſt,* ab arcu ligati ſunt, *ſignificatq́; fuiſſe detentos & comprehenſos principes ipſos, ab iis qui arcu ſagittas iaciebant, vt ſingulare pro plurali collectiuè vſurpetur. vel ſi accipiatur ſingulariter, id ſignificabit vnius ſagittarij, vnius arcus tantùm metu fuiſſe vinctos Regem & filios: quod maximè eorum imbelles & timi-*

dos

*dos animos arguit: quòd verò ait*, ligati ſunt, *de principibus exponimus, qui cum Sedecia fuerint comprehenſi: namq; plures comprehenſos fuiſſe hiſtoria indicat apertè: alios autem diſperſos fuiſſe, ipſumq; reliquiſſe, ex iis etiam quidam ſunt capti, alij procul fugerunt, vt ſignificat illa oratio:* Omnes qui inuenti ſunt. *Verbum inuenire, conſequi, aſſequi, & obtinere, ſignificat in Sacro ſermone, frequentiſsimè. vt, Si nõ inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, aut duos pullos columbarum. Igitur omnes qui inuenti ſunt, tã ex iis qui in vrbe manſerant, quàm ex iis qui Regem fugientem comitabantur, deſeruere, & fuga ſibi ſalutem conſulere ſtuduere; illi omnes vincti ſunt pariter: præter eos qui procul fugerunt. Quatuor enim membra huius orationis triplici ſuppoſito reſpondent:* Principes tui fugerunt. illi principes ligati ſunt. Omnes qui inuenti ſunt, *hoc eſt, comprehenſi ſunt. & etiam qui inuenti ſunt in te, intra mœnia vincti ſunt pariter, tamquam oues & pecora ſine delectu. Ideo dicit, pariter, ſiue ſimul; Hebraicè, in vnum, id eſt, in vnum gregem procul fugerunt, alij videlicet, qui diem non expectauerunt pugnæ. Eſt autem ampliſsimæ ſignificationis verbum illud*, inuenti in te, *ſiue, vt Hebraicè legimus, inuenti tui: complectitur enim omnes foris & intus inuentos & comprehenſos; atq; adeò omnes eos qui in illa continebantur vrbe, ſiue fugerint, ſiue capti fuerint. Idem namque eſt, inueniri, in aliquo loco, atque eſſe in illo. Quod verò dicit, procul fugerunt; ad eos pertinet, qui diu antè fugerunt, quàm extremum periculum eſſet ciuitati allatum. Namque Hebraicè* MERAHHOK, *Latinè ſonat, à longè; & tam tempus quàm locum indicat. Atque adeò hac imagine deſcribebat Vates principum Chriſtianorum ignauiam: qui, cùm pro religione occumbere deberent, & ad extremum vſq; pugnare armis ſpiritualibus, & magna animi fortitudine, omnes officiũ ſuum deſerturi erant tempore Antichriſti & Babylonici regni, & ſe in hoſtium & Chaldæorum manus tandem comprehenſi dedituri, ſine vlla propugnationis gloria: vnde facilè efficiendum erat, vt reliquus populus, in ciuitate ipſa inuentus, caperetur; inq; hæreſeon, & falſæ doctrinæ captiuitatem duceretur: aliqua etiam populi pars, antequam ad vltimum periculum deueniret, tamquam imbecillior, & fide infirmior: quàm longiſsimè fugiens in atheiſmum, atq; impietatem extremam exularet. Qui legit, intelligat. nam myſterium iniquitatis iam operatur, & res ipſa agitur miſeranda, quam ſuo tempore adhuc longè pòſt futuram præuidens Iſaias, magnis luctibus & lamentis eſt proſequutus.* Leuit. 12.

Propterea dixi, recedite à me, amarè flebo, nolite incumbere, vt conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei.

SOLENT iÿ, *qui rerum euenta, cauſas & rationes æſtimant & contemplantur, grauiùs, & iniquiori animo ferre ea mala quæ negligentia eorum qui cauere & propulſare debuiſſent & potuiſſent, allata ſunt. Dolent enim non eſſe officium factum; quod ſi factum eſſet, aut non eſſet allatũ omnino malum, aut minus fuiſſet; aut certè negligentiæ culpa, quæ turpiſsima eſt, fuiſſet vitata. Hanc eandem rationem animo verſans Iſaias, cùm ad princi-*

*principum populi ſui ignauiam & culpam, in illa viſione Ieroſolymitani excidij mentem aduertiſſet: grauißimo dolore correptus, in elegiam lamentumq́ prorupit: &, vt qui nullam aliam animi leuandi viam, quàm per fletum & lachrymas inueniret: ita conſolationem aliquam ab amicis accipere renuit. Hoc autem modo & rei ipſius indignitas, & cauſæ magnitudo dolorisq́ acerbitas indicatur. Atq́ adeò nobis ſignificatur, non tam illam populi Iudaici vaſtationem & cladem, quàm Eccleſiæ Chriſtianæ, cuius ratio maximi à Vate fiebat, calamitatem deplorari.* Propterea dixi. *Illa vox, Propterea, proximam rationem indicat, eam videlicet, quam modò audiebamus, de principum fuga & captura, & populi ſeruitute ac diſperſione.* Nolite incumbere, vt conſolemini me. *Hebraicè, Ne ſoliciti ſitis ad conſolandum me. Qua oratione docet, eam eſſe doloris ſui acerbitatē, vt præter lamentationē, conſolationis alterius expers ſit: grauißimā enim eſſe iacturam, quam nullo modo compenſare poſſet oratione quauis ab hominibus producta; ipſiq́ planè ſtupidi animi & ſenſus eorum, qui vnà cum ipſo tantum malum non ſentiant, atq́ doleant. Huiuſmodi amplificatione magnum & inſanabilem dolorem homines indicare ſolent. Sic apud exteros* Propert. li. 1. Eleg. 1. *auctores:*

*Et vos qui ſerò lapſum reuocatis amici,*
*Quærite non ſani pectoris auxilia.*
*Fortiter & ferrum duros patiemur & ignes.*
*Sit modò libertas, quæ velit ira loqui.*

Super vaſtitate filiæ populi mei. *Hebraiſmus eſt, qui ex ſimplicitate verborum in figura Syllepſi ciuitatem Ieruſalem Hebræis ſignificat: ſed nobis indicat arcanè Chriſtianæ Eccleſiæ gentem; quæ propriè filia Sion, & filia populi religioſi, cuius Iſaias pars erat, dicitur. Namq́ reuera ſcimus Eccleſiam Chriſtianam à matre Synagoga originem ducere; illam Sion ſimpliciter, hanc & Sion figuratè, & filiā Sion ſimpliciter dici. ad quam illa etiam* Thren. 1. *oratio, & aliæ ſimiles referuntur: Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius. Illam autem vaſtitatem & cladem, quam viſione cognouerat, multis nominibus exponit, ab antecedente coniuncto, & conſequente deductis: quamobrem dolorem ſuum grauißimum eſſe ait:*

Dies enim interfectionis & conculcationis & fletuum Domino Deo exercituum in valle viſionis, ſcrutans murum, & magnificus ſuper montem.

NON *caſu, ſed hominum culpa, atq́ Dei ob ipſorum culpam permißione illam cladem Ieroſolymis, tam illi ciuitati terrenæ, quàm illius filiæ, hoc eſt, veræ valli viſionis, afferendam fore ait; tribusq́ nominibus appellatis ſignificat.* Domino, *qui ciuitatis ipſius Princeps, Rex, Gubernator, Patronus, & Fautor erat, poteſtatemq́ habebat Eccleſiæ ſuæ ſuo ſpiritu regendæ. quam poteſtatem Chriſtus indicabat, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas, in cælo & in terra.* Deo. *Hebraicum nomen illud ineffabile, ſiue arcanum eſt, quod miſericordiam in promißis, & veritatem in promiſſorum cōſtantia ſignificat.* Exercituum verò, *illam potentiam indicat, qua Deus in vlciſcendis ſceleribus & peccatis vtitur aduerſus eos qui poteſtatem miſericordiamq́*

*cordiamq́; ſuam non exceperunt, ſed culpa ſua ipſorum & prauo conſilio repulerunt. Ex horum nominum rationibus illam diem grauiſsimam, & maximè horrendam proficiſci ait.* Diem interfectionis. *Vox Hebraica,* MEHVMAH, *conſumptionem, ſtrepitum, tumultum, rumorem, & omnem ferè perturbationem ſignificat, quam interpres noſter ſic aliàs tranſtulit. Et mittet Dominus ſuper te famem, & eſuriem, & increpationem, &c. Huiuſmodi magnæ perturbationis, confuſionis, & conſumptionis diem prævidebat Vates in vallem viſionis venturam: confuſionis, inquam, & conculcationis ab hoſtibus factæ. qui optima & pulchriora quæq; tam temporalium, vti vocare ſolent, bonorum, quàm ſpiritualis theſauri conculcabunt. Nam vaticinium hoc, vti admonuimus, duplex eſt; ſit iq; omni ex parte conſtat.* & fletuum. *Hebraicè, in ſingulari numero, conturbationis, Chaldaicè, occiſionis, Græcè, erroris. Ita variæ linguæ vocabulorum ampliſsimam ſignificationem pro ſua parte ſingula complere moliuntur. Intus autem & extra hæc mala fore ait; & non ſolùm diruendam & extinguendam eſſe, concutiendam, & à fundamentis mouendam ſcrutans murum. Dies, inquam, quæ muros etiã impetet & quattet. Hebraicè paranomaſia quædam eſt ſignificatiſsima.* MEKARKER KIR, *quam Latinè reddere nõ poſſumus, imitari barbarè poſſumus, deurbare vrbem, demurare murum.* Et magnificans ſuper montem. *Hebraicè eſt,* Et clamans ad montẽ. *At verbum clamans non ſimplex, ſed magnificum ſtrepitus, & tumultus ſignificatione eſt; ita vt rectè expoſuerit noſter interpres,* magnificans, *ſiue vt in aliis codicibus legimus,* magnificus *Magnum omnium hoſtium clamorem, magnam etiam eorum, qui expreſsi fuerint, vociferationem verbum hoc medium, vtriſque conueniens indicat, aliis ad montem Sion ſeſe recipere, inuicem vocantibus, aliis hoc eſt, hoſtibus ipſis montem illum in primis occupandum eſſe vociferantibus: itaq; vtriuſque partis, tam eius quæ premeretur, quàm eius quæ premeret communis vox eſt.* Super montem, *ſiue, vt Hebraicè eſt,* ad montem. *Alteri enim nullum alium locum ſibi opportuniorem fore exiſtimabant ad ſalutem & defenſionem ſui: alteri verò arbitrabuntur capto & occupato monte, totam ciuitatem debellatum iri. Atqui hoc ſignificabat arcanè Vates tempeſtate illa grauiſsima Antichriſti, cùm omnia occuparentur vi & fallacia, atq; peruerſæ doctrinæ armis communẽ eorum, qui ſeruari cuperent, ferre vocem, & ad Chriſtum, Eccleſiæ totius caput, & montem ſummum ſeſe ſalutis cauſa reciperent: contra hoſtium illorum propoſitum, & clamorem communem eſſe Chriſti auxilium & præſidium illis, quo minus peteretur impedire, & eos qui ad Chriſtum confugere ſtuderent, & conarentur deturbare. Itaque ipſum caput vtraque pars petitura erat: pij in ſuam ipſorum ſalutem; impij aduerſarij in perniciẽ piorum, quos de præſidio illo deijcere conarentur. Hæc omnia arcana ſunt, & ſimillimæ ſententiæ illis: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam. & cetera omnia quæ in illo Pſalmo lamẽtatur Propheta. Indicat autem Iſaias, multas nationes alias, præter Chaldæos, ad Ieroſolymã vaſtan-* Pſal.78.

*dam venturas eſſe: ex quibus aliquot nominat, præcipuè inſignes: quæ & ad rem gerendam animatæ & inſtructæ, & ad conficiendum valdè promptæ fuerunt.*

Et Ælam ſumpſit pharetram, & currum hominis equitis: & parietem nudauit clypeus.

ÆLAMITÆ *fratres Aſſyriis, atq; ex conſequenti, in bello ac pace ſocij fuerunt. Ælam enim primus Sem filius, deinde Aſſur ſecundus in ſacris Annalibus recenſetur. Hi Aſſyriis finitimi vixere, vt ex ſacra geographia cognouimus. ſæpe enim cum Aſſyriis aut Babylonicis, & cum Parthis commemorantur: vt apud hunc Vatem ab Ælam & Senaar, & ab inſulis maris. Non enim ſunt Ælamitæ ex Arabum gente, vt quidam ex prophanis geographis exiſtimauere; neque maritimi, ſed mediterranei populi ad Aquilonarem Aſiæ partem habitantes, vt ex Hieremia cognouimus, gentiũ nomina & ſedes recenſente. Et cunctis regibus Zamri, & cunctis regibus Ælam, & cunctis regibus Medorum, cunctis regibus Aquilonis de propè & longè. Ab Ezechiele etiam in Septentrionalibus gentibus commemorantur. Hi & arcubus in pugna vtebantur, vt Parthi. S. S. E. Hæc dicit Dominus exercituum, Ego confringam arcum Ælam, & ſummam fortitudinem eorum. quam Hieremias fortitudinem ſummam Ælamitarum dixit, interpretari licet, equites & currus, qui præcipua & acerrima pars belli erant: his autem currus adiungendos in Ieroſolymorum perniciem præuidebat Iſaias.* Sumpſit pharetram. *Metonymia eſt, qua arcus & ſagittæ ſignificantur, à loco dialectico, à deſtinatis, appellato. Verbũ, ſumpſit, ſtudiũ rei gerendæ indicat.* & currum hominis equitis. *Hebraicè, in curru hominis equites. quæ oratio ex Hebraico idiotiſmo ſic Latinè explicari poteſt: Vſi ſunt Ælamytæ ſagittariis, arcuq; iacientibus vectis curru: non curru eo quo impedimenta portantur, ſed curru bellico, qui ad hominem vehendum paratur, & inſtruitur. Addidit præterea equites; ita vt curribus, equitibus, & arcubus inſtructiſſimus veniret. Quod verò ſubiũgitur:* Et parietem nudauit clypeus; *ſi ita, vt Latinè ſonat, exponamus, illam ſententiam efficiet:* Clypeos fuiſſe ab hoſtibus admotos ad muros vrbis, *vt ipſis tecti foſſores, muros pertunderent, effoderent, & perforarent: hoc eſt nudare parietem: atque hanc rationem Chaldaica paraphraſis ſequitur. Clarius explicabitur hic locus ex Hebraico nomine* KIR, *pro quo interpretes murũ, vel parietem aliquando reddidere. Fuit autem* KIR, *vrbs & regio celeberrima in Aſſyriorum ditione: altera etiam eiuſdem nominis in Moabitarum regione ab illa Damaſceni ab Aſſyriis victi traducti ſunt, vt apud Amoſum expoſuimus. Hanc aliquando interpretes Cyrenem dixere; ſed à nobis ſatis de his nominibus in Amoſi commentariis abundè eſt diſputatum. Ait igitur Vates,* KIR, *ciuitatis & regionis habitatores demiſiſſe clypeos ex armamentariis, in quibus cuſtodiebantur; vt aduerſus Ieroſolymam ferrent. Quid verò arcanè dictum commodiùs ſignificare poſſet calamitatẽ à pluribus gentibus aduerſus Chriſtianos Ieroſolymæ myſticæ ciues allatam, non ſolùm doctrinis & ſectis perditionis, atque fraudibus, & inani ſapientia mundi,*

[Marginal notes: 1. Paral. 1. — Sup. 11. — Ierem. 25. — Ezech. 32. — Ierem. 49. — Amos. 1.]

*mundi; ſed etiam vi & armis, curribus, equitibus, arcubus, gladiis, & clypeis per multas nationes Chriſtiano infenſas nomini, Parthos, Ælamitas, Chaldæos, Machometanos, & eos omnes, qui ad Turcarum imperium referuntur: quod ex variis nationibus commixtum eſſe apertè conſtat. Iam vidimus apertè collationem Ieroſolymitanorum ad alias gentes à Vate factam, quod aliæ gentes, vel vt ſeſe defenderent, vel tuerentur, vel alerent, & amplificarent, noctu diuq́; in opere & exercitatione eſſent: nec ſolùm in ciuitatibus ac domibus contenti, ſed per vias & agros agerent excubantes, iter facientes, negotia obeuntes. At verò Ieroſolymitani neque extra portas vrbis ſuæ exirent, vt hoſtem pellerent; neque è muris vrbem propugnarent: ſed intus & extra hoſtibus etiam murum perforantibus, aut aliàs ducentibus, tempus, otium, locusq́; eſſet, nemine prohibente. Quæ cauſa fuit huius magni fletus Prophetæ ipſi, qui adhuc alias partes enumerat potentiæ, & copiarum hoſtilium: quibus non ſolùm vrbs ipſa, ſed agri etiam impleti, occupatíque eſſent.*

Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, & equites ponent pedes ſuos in porta.

TANTA *copia hoſtium erit, tanta bellici apparatus multitudo, vt valles electæ tuæ, in quibus hortos, & nemora, & ſegetes habebat, impleãtur curribus. Tanta etiam hoſtilium animorum intrepida magnitudo, & tam certa ignauiæ tuæ opinio, vt ad portas vſque equites veniant, aperturi, & per vim irrupturi; nullo deterriti metu propugnationis, aut intus ex vrbe, aut ſuperius ex muris à tuis ciuibus adhibendæ. Arcanè audaciam ſignificat, hoſtiũ nominis Chriſtiani, & Eccleſiæ ſanctæ Dei, qui eos qui propugnare deberent; non, vti oportuerat, paratos & inſtructos fore opinati, ad ipſas vſque Eccleſiæ portas, fallacis doctrinæ armis & numero atq; multitudine principumq́; hominum, & humanæ potentiæ auxilio nixi irruere, & corrumpere non vereantur.*

Et reuelabitur operimentum Iudæ: & videbitis in illa die armamentarium domus ſaltus.

FIGVRA *quam interpretando primùm ſequimur, ſic habet: Ieruſalem erat præcipuum præſidium & propugnaculum, & veluti latibulum, perfugium & aſylum totius Iudeæ: idq́; ſitus & operis munitione ac hominum multitudine, ſed præcipuè & verè Dei protectoris virtute conſtabat. Eadem verò vrbe diruta, & templo illo, quod velut arx firmiſſima erat, deſtructo,* reuelabitur operimentum totius Iudææ. *Fecerat verò Salomon domum in ſaltu, quæ Latinè, domus ſaltus Libani, eſt dicta, in qua collocarat trecenta ſcuta, & ducẽtos clypeos. Ait autem Propheta ironicῶs Ieroſolymorum ciues illa tempeſtate, cùm clades illorum vrbi afferenda eſſet, ad domum illam ſui defendendi & propugnandi cauſa mentem oculoſq́; eſſe conuerſuros, ac ſi diceret: eò tunc reſpicietis, vbi ſunt quingenta ſcuta quibus liberari poteritis, ſcilicet; nullum enim reliquum erit vrbis perfugium, nullum armamentarium apud quod inſtrui poſſitis. Solent enim homines quædam ſibi pro magnis auxiliis & commoditatibus ſtatuere & prædicare,*

*quæ re vera exiguum vſum habent, cùm periculi tempus accidit. Huiuſmodi remedia cùm ex rerum comparatione nihil valere cognoſcant, ſolent irrideri ab iis qui rectè intelligunt, vt: Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam: ſurgant, & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant. hoc modo ait Iſaias: Vos qui ad verum veſtrum præſidium Deum viuum & verum, illiusq; conſilium non reſpexiſtis, reſpicietis in illa die ipſo iam periculo præſente, atq; Deo ob veſtram culpam permittente; reſpicietis inquam ad armamentarium domus, ſaltus Hebraicè eſt, ad arma in ſingulari numero, quod, quia Latinè dici non poterat, interpres noſter,* armamentarium, *tranſtulit. Quod verò ad rem attinet, quam præcipuè Vates intendebat, reprehenſio & conſilij inutiliter initi, in ipſo iam periculo & cogitati auxilij nihilum iuuaturi, vti fieri plerumq; videmus in his tempeſtatibus, quibus agimur, & iactamur, quæ vitari commodiùs & meliùs potuerant; ſi Deus alia ratione placatus propitiusq; nobis redderetur: pœnitentia videlicet, deprecatione & ſupplicatione. Alloquitur autem Iſaias Ieroſolymitanos ipſos: vtroſque, inquam, in ſecunda perſona tamquã præſentes. Eadem dicendi figura vſus, qua inceperat. Quidnam tibi eſt, quia aſcendiſti in tecta omnis tu? Obiicit etiam alia huiuſmodi inutilia, exiguiq; momenti conſilia & opera, quæ pro ratione magnitudinis rerum & periculorum illo tempore iniri poterant: non qui illa probet, ſed qui tamquam inutilia per ironiam exponat. Duobus, inquit modis iam preſſi, & oppreſſi, armis, & diruptione murorum: alterum vitabitis, aut propulſabitis armis, ex Libani ſaltu petitis; hoc eſt, quingentis illis ſcutis, quæ, ſcilicet, ſatis erunt: alterum verò ædificationibus inſtauratis, operiſq; magnis inſtitutis reficietis nimirum.*

Sciſſuras ciuitatis videbitis, quia multiplicatæ ſunt: & congregaſtis aquas piſcinæ inferioris.

NVNC *adeò nouimus in quem vſum potiſſimùm inferior & ſuperior à Ieroſolymitanis fuerint conſtructæ, nimirũ, vt publicis ædificiis extruendis, aut reſarciendis aquam ſuppeditarent. Atq; hoc irridet Propheta, quòd ciues, relictis illis præcipuis officiis, quibus ciuitates & res publicæ conſeruantur, videlicet, pietate, iuſtitia, innocentia, concordia, & cæteris virtutibus, quæ Deum protectorem conciliant, & conſeruant, in muris reſarciendis, materiaq; ad eam rem comparanda plurimum curæ, diligentiæ, operæq; poſuerint: quum tamen nihil illis hoc ſtudium profuturum ſit. Diligenter, inquit, cognouiſtis quàm multis partibus ciuitas Dauid, hoc eſt, ea pars vrbis, quæ ædificata erat à Dauid in monte Sione, tanquam munitiſſima arx, & propugnaculum omnium aliarum partium habita vitium fuerit, ruinas ſciſſuraſq; omnes expleturi: ideoq; inferiorem piſcinam conſtructam aquis congregatis repleuiſtis, &, vt pluribus domibus vrbs aut viæ inter muros & vrbem occuparentur, murosq; recto ordine continuandos curaſtis: domos verò ſi quas muris aſſignatum locum intercipere deprehenderetis, diruendas ſanxiſtis; atque ex illis ruinis lapides muris etiam paraſtis. deniq; diligenter conſuluiſtis, vt facta eſſent omnia, & nullis impedimentis intercepta, hoc eſt quod adiungit:*

Et domos Ieruſalem numeraſtis, & deſtruxiſtis domos ad muniendum murum.

*Huiuſmodi enim diligentia adhiberi ſolet ab hominibus, humanam rationem cogitātibus, & ineuntibus ad vrbes ſuas muniendas & propugnandas: quas tamen, niſi Dominus cuſtodierit, fruſtra vigilat qui cuſtodit. Omnia hæc in præterito tempore exponenda ſunt, quæ iam, Iſaia ſic vaticinante, agebantur; magnaq́; auctoritate, atque adeò regia diligentia curata ſunt. Id quod ſignificaſſe videtur Vates in ſuperioribus, cùm Achaz Regem in extremo aquæductu ſuperioris piſcinæ offenderet. Pertinet enim ad ciuitatum conſeruationem iuxta humani inſtituti regulas murorum ædificiorumq́; publicorum curatio, & eorum quæ ad hæc conferre poſſunt, apparatio. Plurimum etiam defenſionis in aquis aquarumq́; foſsis ineſſe exiſtimatur: quamobrem, vbi commodè id fieri poteſt, foſsæ vel magno ſumptu parantur; eæ optimæ habentur, quæ viua aqua & manante repletæ fuerint: quod ſi non contingat, collectis imbribus, ſuffici ſolent. Retardantur enim hoſtes, & arcentur à mœnibus huiuſmodi aquarum & foſſarum opere circundatis, vt vulgus hominum putat. Hoc eſt quod Vates noſter ſignificat, adhuc ſuam ironiam vrgens.*

Et lacum feciſtis inter duos muros ad aquam piſcinæ veteris.

CONVENIVNT *omnia hæc cum illius veteris Ieruſalem deſcriptione, quæ Iſaiæ ætate gemino cingebatur muro, quē Ezechias refecit, S.S.E. Ædificauit quoque agens induſtriè omnem murum, qui fuerat diſsipatus,* 2. Paral. 32.
*& extruxit turres deſuper, & forinſecus alterum murum, inſtaurauitq́;* “
*Mello in ciuitate Dauid. Apertè videmus fuiſſe duos muros: alterum inte-* “
*riorem, alterum qui forinſecus ab interprete noſtro fuiſſe indicatur. Inter duos autem hos muros foſſam factam fuiſſe ait Iſaias, quæ imbribus & aquis illis tenuibus, quæ intra vrbem manare ex paruis fonticulis adhuc in ipſo ſitu viſuntur, eſſe repleta. atq́; eā foſſam inter duos muros deductam, ad aquam piſcinæ veteris pertinuiſſe indicat. Erat autē vetus piſcina aquarum viuentium congregatio, quæ ex fonte Mello proximo potiſsimùm alebatur: de quibus partibus omnibus in ſacro Apparatu diſſeruimus. Inter* Lib. Nehem. in Appar.
*duos autem muros factum fuiſſe aut lacum, ſiue, vt Hebraicè eſt, congregationem. vt ſi hoſtes priorem fortaſsis murum exteriorem occuparent, ab interiore occupando arcerētur, aut impedirentur foſſæ interiectæ altitudine. Appellatur autem Piſcina vetus, vt dignoſcatur ab aliis piſcinis, quæ poſtea conſtructæ ſunt. vt piſcina inferior, & piſcina illa non longè à templo ad Probaticam portam. Omnia autem hæc à Vate relata eò pertinent, vt Ieroſolymitanorum ciuium tum ignauia, tum etiam inſcitia, vel ineptia redarguatur: quæ ciuitatem ſanctam, à Deo conditam, protectam, & conſeruatam humanis iſtis artibus & rebus potiùs quàm diuino præſidio defenſum propugnatumq́; iri putauerant; eaq́; neglexerint, quæ prima & potiſsima eſſent ad certam rerum ſuarum ſalutem: videlicet, fidem in Deum, & ſpem cū pœnitentiæ ſtudio, ac virtutū exercitatione, ſuppliciq́; oratione ac deprecatione ad placādū ipſum ciuitatis illius et ſalutis veræ auctorē certiſsimū.*

Et non ſuſpexiſtis ad eum qui fecerat eam: & operatorem eius de longè non vidiſtis.

CETERA *quæ à vobis facta ſunt, nonnihil vſus habere poterant fortaſsis vobis rem ipſam rectè inſtituentibus, hoc eſt, à Deo principium ineuntibus; qui & cum his apparatibus, & ſine his omnino ſeruare vos poterat; & ſine quo iſta omnia nihil valitura ſunt, vt vos eripiant. Oportuerit, inquit, conſuluiſſe Dominum auctorem ipſum ciuitatis huius: qui, quemadmodum illius fundationem, ædificationem, culturam, amplificationem olim ipſe inſtituit, promouit, & fouit: adeò vt nullæ humanæ prudẽtiæ, aut induſtriæ, ſed diuinæ tantùm prouidentiæ, voluntati, ac tutelæ accepta referri debeat huius vrbis felicitas, quæcumque à diebus Dauid, quibus capta eſt, contigit: ſic etiam idem rationem inſtitueret, quemadmodum defendi & conſeruari vobis reſpub. veſtra poſſet. Atq; hæc omnia ad nouæ Ieruſalem ciues, Chriſtianæq; religionis profeſſores referri facile eſt. Huc enim pertinebat omnis hæc Prophetæ viſio Chriſtianos arguentis, quòd aliam rationem ciuitatis ſuæ reipub. ab Antichriſtis, & hoſtibus communibus defendendæ excogitarint; ab illa qua fundata, ſtabilita, promota, amplificatáque fuerat per Spiritum ſanctum. Quid autem murorum rupturæ, quid reſartiones, quid congregationes aquarũ, quid vetus piſcina ſignificẽt, per tranſlationem hoc loco vſurpatam facilè ſtudioſus quiuis ex ſuperioribus cogno-*
Lib. Ioſeph. *ſcet; aut ex Apparatu ſacro petere poterit: neque in ſingulis commorari eſt animus; atq; adeò res ipſa docere hoc poteſt, & ſpectata noſtrorũ temporum facies, & cum antiqua illa anteacti ſeculi ætate collata, tamquam in ſpeculo cognoſcendum præbebit. Oportuit autem in primis ab eo conſiliũ, ſubſidium auxiliumq; peti, qui auctor fuit vtriuſque Ieruſalẽ; veteris illius terreſtris,*
Pſal 146. *& nouæ huius myſticæ, de quo ſcriptum eſt: Ædificans Ieruſalem Dominus, diſperſiones Iſraelis congregabit. Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Magnus Dominus, & magna virtus eius: & ſapientiæ eius non eſt numerus. Suſcipiens manſuetos Dominus, humilians autem peccatores vſque ad terram. Præcinite Domino in confeſſione, pſallite Deo noſtro in cythara. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruitui hominum. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum: & in eis qui ſperant in miſericordia eius. Hic Pſalmus apertè hunc Iſaiæ locum nobis ſpiritualiter declarat. Verbum illud quod ab auctore additum eſt,* de longè, *ad vtramque partem referri commodè poteſt: hoc eſt, ad Deum auctorem, & ad Ieroſolymitanos, ad quos ſermo fit. Deum ipſum, quem iam ab antiquo huius ciuitatis & regni patrem, patronum, auctorem denique ſummum eſſe cõſtat, formatorem verum atq; vnicum. Nam verbum, operatorem, ſic exponimus, formatorem à* TSVR. *hunc non vidiſtis à longè. Ante etiam quàm calamitas & periculum aduentaret, cùm de munienda veſtra ciuitate ageretis,*

*non*

*non cogitaſtis de illo, neque rationes veſtras ex illius cōſilio, iuicio, ac verbo iniiſtis: ſed, quod miſerrimū planè eſt, neque in ipſo etiam periculo, cùm ipſe præſentem ſe exhiberet, voſq́; ab illa obliuione reuocare ſtuderet, & rebus atq; vocibus apertiſsimis veſtri ſtatus admoneret, modumq́; præſcriberet, atq; indicaret conſulendi ſaluti veſtræ: tunc, inquam, minimè etiam reſipuiſtis ab illa ſtupiditate, certiſsimaq́; ignorantia; imò quàm maximè à veſtræ ſalutis ratione eſtis, veſtra culpa ſtudioſáq́; voluntate abalienati. hoc eſt quod ſubiungit:*

Et vocauit Dominus Deus exercituum in illa die ad fletum, & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum ſacci.

MIRABILIS *hominum inſania, qui non ſolùm rebus integris dum ſapienter admonentur futuræ calamitatis, vel monitus ſpernūt, vel vitandi mali rationem peruerſam ineunt: ſed in ipſis iam diſcriminibus & periculis poſiti, tamen vehementiùs inſanire ſolent; & nihil minùs quàm de vero & certo remedio cogitant. Dum aliquando cùm per Mediterraneum mare, aut etiam Oceanum nauigaremus, ac tempeſtatum procellis iactaremur, duplici ſtudio nautarum ingenia & curas diuidi obſeruauimus. Alteris enim conſilium erat, vt ridendo & canendo, dicteriisq; pronunciandis, & iocis multis tum ſuos ipſorum, tum vectorū animos exhilararent: hanc rationem potiorem ducentes, metus diuertendi, & diligentiæ adhibendæ ad ventorum marisq́; vim ſuſtinendam, periculumq́; vincendum: contrà alios vidimus & metu pauidos, & Dei memoria atq; religione tactos, nō intermittentes officium munusq́; ſuum; tamen Deum ſæpiſsimè, repetito nomine inuocare, diuosq́; omnes in patrocinium appellare, vectoribus precum lachrymarumq́; ſtudium ſine vlla intermiſsione commendare, atq; hac ratione ſalutem ſibi à Deo afferendā promittere. Atq; huiuſmodi exempla dum nos aliquando apud varios, variiq́; ingenij homines narraremus, diuerſis ſententiis excipi, & probari cognouimus. Aliis enim, qui animoſitatem fortitudinemq́; temeritati & audaciæ magis quàm prudentiæ coniunctā eſſe volunt; quiq́; alacres & ſtrenui videri cupiunt, priorum ratio vt magis vrbana, magis, vt ipſi dicunt, prudens; magis denique animoſa probari ſolet. Aliis verò qui quid homo ſit, quid, quantumq́; humanis artibus & conſiliis effici poſsit, quid malorum & pœnarum, diuinæq; iræ peccatis conciliari, quid à Deo opis, auxilij, & miſericordiæ peti & præſtari ſciūt, vana omnia & mundana damnantes, ad fidem, ſpem, pœnitentiam, & deprecationes confugiendum eſſe cenſent in rebus perturbatis. Hoc enim pacto aut Deum placatum, vel ſi iam ſcelerum magnitudo vltionem illam irreuocabilem effecit, non magis tamen iratum numen reddet, neque theſaurizabitur iniuſtitia & ira in diem iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. Atq; horum quidem ſententiam potiorem multo eſſe; imò illam alteram huic diuerſam, vehementer improbandam, & pietatis quam profitemur, veritas, & ipſius diuini verbi auctoritas confirmat. S. S. E. Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus*

Pſal. 106.

„ *fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendũt vſque ad abyſſos: ani-*
„ *ma corũ in malis tabeſcebat, turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & om-*
„ *nis ſapientia eorum deuorata eſt: & clamauerunt ad Dominum cùm tribu-*
„ *larentur, & de neceßitatibus eorum eduxit eos. Hanc autem rationem ſe-qui, hoc exemplum imitari debent homines omnes, rerum ac temporum difficultatibus laborantes. hoc agere oportebat Ieroſolymitanos vtriusq; Ieroſolymæ à nobis explicatæ omnes: quos tamen adeò peruerſa mente fuiſſe notat Iſaias, vt neque prædictam illis calamitatem ea ratione præcauere, & vitare, ac deprecari, quæ optima & certißima eſſet; neque allatam iam, & præſentem vel detrahere, vel leuare illo modo, qui commodißimus & opportunißimus eſſet, ſtudentes prænouerit: imò maxima inſania actos, ac tunc maximè furentes, neque morbum ſentientes, cùm maximè & grauißimè laborare conſtaret. Nam quos Dominus Deus exercituũ antè præmonuerat, ne imparatos & negligentes prædictum anteà malum opprimeret: cùm videret alienatos, & ad alias auertendi mali vias traductos, iam vltor & vindex manuq; extenſa hoſtium impetu in illos permiſſo, in ipſa laborum & difficultatum die* vocauit ad fletum & planctum, & ad caluitium, & ad ſaccum. *quæ contriti cordis ſigna, indicia habitusq; ſunt: & animi mœrorem ac pœnitudinem conſequuntur, Deumq; placare ſolẽt, ſicut multis & frequentibus exemplis eſt compertum. Horum omnium pœnitentiæ ac deprecationis ſignorum rationem & ſignificationem atq; vſum ſingillatim in ſacro Apparatu docuimus: & quàm commoda atq; vtilis ratio ſit, abundè etiam oſtendimus. quamq; pios homines deceat, iam ſæpè demõſtrauimus, atq; hic Vates noſter demonſtrat: qui turbationum & afflictionum Dei permißione allatarum initia ad pœnitentiam magis, quàm ad internecionem ſpectare ſignificat. Ait enim Dominum Deum exercituum illa die qua calamitas afferebatur, vocaſſe non ad cladem & cædem, non ad vaſtitatem ſibi augendam, ſed ad fletum & planctum, & caluitiũ, & cingulum ſacci. Quo autem pacto illi vocati reſponderint, conſequenter exponit.*

Lib. Hierem. (margin)

Et ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes; comedere carnes, & bibere vinum.

SIVE *enim Prophetæ vaticinio hominibus fides haberetur, ſiue non; idẽ conſilium, idem ſtudium, eadem mens omnibus erat: in omnibus rebus ſeſe præſtare ignauos præterqua luxu, voluptatibus ac delitiis. In his enim fortitudinis magnæ exemplum, ſcilicet egregium omnibus viribus præbituros eſſe ait. Occiſuros quidem non ſua peccata lachrymis & pœnitentia, non hoſtes virtute & ſapientia, ſed* occidere vitulos, & iugulare arietes. *Eſt enim in his occidendis quædam delectatio puerilis. Videmus namq; pueros circa domos, in quibus vituli occiduntur, frequenter obuerſantes, lætos, & operam etiam ſuam pollicitos, vt reſtim teneant, vt miniſtrent. ſiquidem ex illa crudelitate, atq; ex cibi etiam ad ipſos non pertinentis cogitatione, voluptas capitur. Hæc opera, atq; hæc ſunt generoſorum ciuium artes, gaudentium vitulorum & arietum occiſione, atq; conuiuiorum frequentia; idq; tunc maximè agentium, cùm maximè oportuerat ieiuniis, deprecationibus, & ho-*

*& honeſtis atque piis officiis vacare. Omnis autem voluptatis delitiarum, & luxuriæ ſumma illis verbis continetur:* Comedere carnes, & bibere vinum, *vt in Apparatu ſacro docuimus. Tanto autem magis improbandū, magisq́; Deo inuiſum hoc peruerſum actionum & ſtudiorum genus eſt, quanto maiore deliberatione, & certiore ſententia ſuſcipitur: atq; adeò in irriſionem vaticiniorum & prædictionum, atque admonitionum huiuſmodi orationes pronunciantur.* Lib. Joſeph. & Hier.

Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.

Non *deliberatam atq; contemptam mortem, ſed irriſionem hæc oratio nobis ſignificat: ſi quidem, inquiunt, nobis vt mala prædicuntur, & imminent, quid vlterius morte timere poſſumus? Ergo ſi moriendum nobis eſt, ſatius eſt vt exiguo gratoq́; fruamur tempore, raptim, vt ille aiebat. Solent autem pernicioſi homines bonis ſententiis pro libidine abuti, atque ad ſuos mores detortis iocari: maximè ij, qui nulla religione tangūtur, nec Dei pietate, nec æternæ mortis aguntur metu. Cuiuſmodi exempla illa ſunt: Vmbræ tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri, quoniam cōſignata eſt, & nemo reuertitur. Venite ergo & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus; & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo veſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ, vbique relinquamus ſigna lætitiæ. Quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Iiſdem ſententiis gentes animum ad voluptatis vſum confirmant:* Sap. 2.

*Seu mæſtus omni tempore vixeris,*
*Seu te in remoto gramine per dies*
*Feſtos reclinatum bearis*
*Interiore nota falerni.*
*Huc vina & vnguenta, & nimium breues*
*Flores amœnæ ferre iube roſæ*
*Dum res & ætas, dum ſororum*
*Fila trium patiuntur atra.*

*Atque in hanc ſignificationem hemiſtichium hoc Iſaiæ à Diuo Paulo eſt vſurpatum ex more & ſermone hominum.* Comedamus, & bibamus, *Hebraicè indefinitè eſt, comedere, & bibere: vt aſſiduum & frequens ſtudium notetur. Quantum verò huiuſmodi corrupti hominum mores, & impuri ſermones, petulanteſq́; orationes diuinam Maieſtatem offendant, & offenſam ad pœnas ſumendas excitent, apertè Iſaias oſtendit, qui Deum ipſum vltorem locutum inducit.*

Et reuelata eſt in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc à vobis, donec moriamini: dicit Dominus exercituum.

Devs, *quem non curare humanas res, vel non mandaſſe oracula hæc, vel non ita ac exactè atq; prædicta ſint, effecturum illi exiſtimarent; & tanquam non auditurum, ſic eludere voluerunt, ſicut ſcriptum de iſtis eſt: Iam*

*non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius: quis noſter Dn̄s eſt? is, in-quā, manifeſtè audita cognita ſibi hæc eſt re ipſa, & apertè, inquā, exemplo demonſtratiuum ſe eſſe ait. Oratio enim Dei eſt :* Et reuelata eſt in auribus meis. *Nomen* vox *, ab interprete noſtro expoſitionis cauſa addita eſt: quæ nec Hebraicè, nec Chaldaicè, nec Græcè legitur, ſed intelligitur tamen vox, aut ratio, vel oratio, vel res, vel aliud ſimile, quod iſtorum morem, ſtudium atq; ſermonem ſignificet.* Meis, *inquam,* Domini, *qui res Iſraeliticas ſingulari quadam & inſigni prouidentia curo, maximè eas quæ ad Iſraelem myſticum, hoc eſt, ad Chriſtianum populum attinet.* Exercituum, *vltoris & vindicis ſuperbiæ, inſolentiæ, iniuriæ, & ſcelerum omnium. Eſt autem duplex ſignificatio verborum illorum ,* In auribus meis, *& duplex conſtructio: altera cum verbo reuelata eſt vox; altera verò cum ſequēti oratione,* Si dimittetur. *atq; hæc poſterior iuramenti vim & figuram obtinet, vt, In capite meo, in memetipſo iuraui; vt eſt apud Ieremiā. Et, vt frequentibus aliàs exemplis Hebraicorum idiotiſmorum obſeruauimus vocem* IN *ad iuramenta ſæpiſſimè vſurpari; ad vtramq; ſimul ſignificationem hoc loco à nobis exponitur oratio. In auribus meis.* Reuelata eſt, *inquit, res hæc in auribus meis, & in auribus meis iuro; iuramenti huius exemplo & argumento probaturus, nec audire, & intelligere quæcumque, vel in occulto & ſecretiſſimè dicuntur.* Si dimittetur iniquitas hæc vobis. *Quin ita eueniat, quemadmodum locuti eſtis: vos irridētes dicebatis, mortem ſubituros; non ergo dimittetur hæc prauitas, donec moriamini. Hæc autem ſententia ſtat* Domino exercituum , Deo vltori, *certa , decreta, & pronunciata: atq; Chaldaica paraphraſis totum hunc verſum ad eam ſignificationē mortis, ad quam præcipuè referendum eſt, retulit, mutata ſolummodo perſonarum ratione. Dixit Propheta; In auribus meis auditum eſt, quando decretum eſt hoc à facie Domini exercituum. Si dimittetur peccatum hoc vobis, donec moriamini morte ſecunda, dicit Dominus exercituum.*

## ARGVMENTVM VATICINII XVIII.

Q VAMQVAM *arcanam ſignificationem ad Chriſtianorum tempora pertinentem huic vaticinio ſubeſſe intelligamus: idq; manifeſtè cognoſcamus ex noui Teſtamenti myſticis lectionibus: tamen illam ſignificationem literali, vt vocant, & ſimplici hiſtoria præmonſtrari fateamur oportet: vt quod figuratum ad nos refertur , apud antiquos in figura conſtitiſſe nouerimus. Cuius figuræ ſuæ hiſtoriæ narrationem breuem ab Hebræis accepimus ; non ſanè ab huius Vatis & vaticinij oratione alienam. Quo tempore Iſaias ea quæ iam ſuperiùs legimus, Deo dictante, præcinebat, Sobna in regia familia inter principes , magnæq; auctoritatis & poteſtatis viros cenſebatur , ac totius domus regiæ gubernator erat, quem Sennacherib Ieroſolymos obſidente , ſecretò aduerſus regem ſuum , cum factionis ſuæ homi-*

hominibus quibuſdam coniuraſſe, antiqui ex Iſraelitis auctores ſcribunt in libro repetitionum tractatu de Sanhedrin, ſiue de veteribus iudicijs. Eius coniurationis euentum irritum, atque in ipſius potiùs auctoris caput & perniciem deuoluendum fore; Vates, à Deo edoctus, ipſi Sobnæ denunciat: cui ab illo magiſtratu abdicato, & in exilium miſſo, atque à populi illius communione pulſo, Eliachim vir bonus & pius ſufficiendus erat: qui deſtinatum mandatumq́; ſibi munus, fideliſſimè & diligentiſſimè eſſet culturus. Quid autem hæc arcanè ad Chriſtianorum tempora relata, ſignificent, inter commentandum indicabimus.

Hæc dicit Dominus Deus exercituũ: Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo ad Sobnam præpoſitum templi.

PERFIDORVM ac duplicium hominum fraudem in auctores ipſos deuolui, Deo iudice & vindice oſtendit nobis Iſaias hoc loco: qui Domini Dei exercituum, vltoris, inquam, fraudis & iniuriarum, mandata ad Sobnam regiæ domus præfectum defert; quibus illius caſus denunciatur, diuino iudicio ob proditam fidem decretus. Quo in gradu Sobna iſte fuerat ante Senacheribis aduerſus Ieroſolymam aduentum ſatis apertè ſignificat Vates ex titulis à Deo auditis. Qui habitat in tabernaculo. Gubernatoris & collatoris nuncium, atq; diſpenſatoris noti ſignificationem, hæc periphraſis nobis indicat ex Hebraico verbo ZZOCHEN, quod Chaldæus interpres PARNZZAH, gubernatorem vertit: noſter verò interpres Græcum nomen, ταμίαν, explicare voluiſſe videtur, idq́; præſtitit. Propheta verò ipſe rem expoſitione aperire volens, ſubiungit: Ad Sobnam præfectum templi, præfectum regiæ domus, & familiæ. namq; Hebraicè & Chaldaicè eſt, præpoſitum domus, videlicet regiæ: quem quæſtorem Latini, alij præfectũ domus, alij œconomum, ærarij præfectum, cuſtodem, & condum dicunt. Vtcumq; vertatur vocabulũ; res ipſa indicat illum fuiſſe totius familiæ veluti ſummum adminiſtratorem: qui, cùm ea dignitate & auctoritate fungeretur, primusq́; in adminiſtranda regia domo, atq; adeò templi cura habenda eſſet (quippe templi curandi ratio ad regni etiam pertinebat) eo honore elatus de perpetuitate & amplitudine cogitabat, quàm proditione ſibi parare ſtudebat idq́; occultis modis, atq; conceptæ gloriæ & amplitudinis ſpe, magnifica opera ſibi & viuenti & morituro, ſtruebat. Cuius animi cogitationes & ſtudia non ſolùm Deum, ſed Vatem etiam à Deo edoctũ, non fefelliſſe, ipſo mandato audito, ipſaq́; denunciatione cognouit ille, iiſdem verbis quæ à Deo mandabantur, relatis. In libris autem Regum legimus Sobnam fuiſſe Scribam. non autem Scribam Legiſperitum, ſiue legis interpretem, illo loco exponimus, ſed qui rationes omnium miniſteriorum & miniſtrorum regiã aulam & familiam ſpectantium conſcriberet, conſcriptasq́; haberet: id quod nullo modo pugnat, imò valde congruit cum duobus titulis ab Iſaia nominatis ZZOCHEN, & præpoſitum templi, ſiue domus. Neque etiam pugnat, quod quidam ex veteribus ſcribunt, illum fuiſſe Sacerdotem magnum: nihil enim obſtabat quominùs eundem regium etiam Scribam eſſe cõtingeret. 4. Reg. 18.

 Quòd

Præpoſitus magni.

*Quòd verò Eliachim in illo loco etiam appellatur Præpoſitus domus regis, vel fieri potuit per expoſitionem figuram; quòd iam, cùm Liber ille ſcriberetur, Sobna depoſito Eliachim regiam domum gubernaret: ac tantum abeſt, vt ea res hanc Iſaiæ notationem infirmet, vt potiùs etiam prædictionem explicet, & confirmet. Quandoquidē quo tempore liber ille ſcribebatur, iam Eliachim regiam domum adminiſtrabat, quemadmodū adminiſtraturum prædixerat Iſaias. ſic etiam ſæpè & nomina & titulos in hiſtoriis legimus ſacris; quorum vſus erat non eo tempore quod indicatur, ſed cùm ab auctoribus libri conſcriberentur. Petro enim nomen factum eſt à Chriſto Domino, illo præcipuè tempore, quo reuelatum eſt myſterium diuinitatis Ieſu: & tamen ab Euangeliſtis in ipſa primùm Simonis mentione eſt appellatū. Potuit etiam fieri vt Sobna, qui regiæ domus ſcriba eſſet, templo eſſet præpoſitus, & Eliachim regiæ domus adminiſtrationem gereret; vtrumque autem poſteà miniſterium ad Eliachim deferretur. Quamquam verò Sobna, quo tempore Senacherib vrbem obſidebat, ad Iſaiam cum aliis regis familiaribus, de publica ſalute ſolicitis, veniret: non probatur ex ea re illius animus ac mens ſimplex, omniq; dolo expers fuiſſe: vtpote qui agitatam intra ſe proditionem occultaret, publiceq; fidem & ſedulitatem erga Regem, & regiam domum profiteretur, ac ſimularet. Niſi duo huius nominis eodem tempore fuerint; alter domus præfectus, & alter ſcriba: ille, cuius mentio in libro Regum facta eſt, & hic regiæ domus adminiſtrator ſummus de proditione cogitauerit, & ab Iſaia detectus, vt ex verborum ſententia conticere licet, atq; præfecturæ munere & honore priuatus, ad Aſſyrios fugerit: quod idem etiam in illum Sobnam, de quo iam diximus, quadrare potuit. nihil enim pugnātiæ vel difficultatis exiſtet, ſiue duos fuiſſe exiſtimemus, vt quidā volunt; ſiue vnum tantùm opinemur, vti antiqui ſupplemētorum auctores declarauere. vtcumq; ſit, cōſtans ferè omniū antiquorū ſcriptorū traditio eſt, hunc Sobnam non fuiſſe Ieroſolymis natum, ſed aduenam; imò, vt multi aiunt, alienigenam & proſelytum, qui tamen propter ingenij dexteritatem in miniſterio regis ad eum locum aſcenderit. Legimus enim & alios alienigenas in honore fuiſſe apud Reges Iudæ, & miniſteriis functos regiis; vt Thebedmelech Æthiopem Hieremiæ Vatis temporibus. Iubetur autem Vates à Deo Sobnæ illi & cogitationis ac propoſiti ſui peruerſitatem obijcere, & redarguere, & exitum dignum obnunciare.*

Et dices ad eum: Quid tu hîc? aut quaſi hîc.

*Hebraicè ad verbum*: Quid tibi hîc, & quis tibi hîc. *Chaldaicè*, quid tibi hîc, & quid tibi in hoc. *Græci interpretes*: Quid tu hîc, & quid tibi eſt hîc. *Manifeſtè apparet nullum illorū interpretum legiſſe aliquid, quod verti poſſet in, quaſi: vnde ſuſpitio nobis fit vitij librariorum incuria in noſtram verſionem admiſſi, qui, pro, qūs, tī, hîc, quomodo ſolebant multa ſcribi contractè, repoſuerunt: quaſi, cùm legendum & reponendum eſſet,* quis tibi, *& interpretem noſtrum legiſſe arbitramur. Cùm autem homo nouus perpetuitatem, neſcio quam, & amplitudinem ſibi parare, & confirmare in illa ciuitate moliretur, elatus nimirum honore, & ſecundarum rerum*

rum

*rum magnitudine, atq; expeditionis præmio ſummum aliquem locum in illo regno ſibi promitteret, petitus à Vate latenter argumento aperto, quod ad alterum ex duobus vitiis arguendum directè intenditur; vel ambitionem ſummam cum obliuione propriæ conditionis, vel machinationis doloſæ cuiuſpiam. Nam quò pertinet, nouum hominē, qui nullas in ciuitate diuitias, in agro poſſeſſiones, aut hæreditates antiquas, nullas cognatorum & familiæ; aut generis ſui opes habeat; tamen magnifica ædium & ſepulchrorum opera conſtruere? maximè in illa regione, in qua omnes familiæ ad certas tribus referantur, ad quas nemo ex alienigenis admitti ſoleat, in promptu eſt, ſuſpicari, illum vel de rerum ſtatus immutatione cogitare, vel inſigni cuiuſdam ambitionis inſania laborare, qui ſolus magnus haberi velit in ea repub. in qua nemo alienigenarum magni fit; niſi ob ſuam ipſius ſingularem virtutem, non autem ob ædificiorum magnificentiam.* Quid tu hîc *habes vel diuitiarum, vel prædiorum, vel cenſus antiqui in hac ciuitate ac tribu?* aut quaſi hîc *natus ſis, & tuam familiam oſtendere poſſis, maioribus & propinquis nominatus? ſiue, vt ex Hebraico indicabamus,* Quis tibi hîc *pater, auus, frater, & conſanguineus, cùm homo nouus ſis.*

Quia excidiſti tibi ſepulchrum, excidiſti in excelſo memoriale, diligenter in petra tabernaculum tibi.

CERTISSIMAM *ſibi & propriam finxiſſe proſperitatem Sobna arguitur, ex eo quòd exciderit ſibi ſepulchrum: vt qui nunquam ſibi illinc per totam vitam migrandum eſſe putaret, ſed cum ſummo honore ad mortem vſque ibidem agendum; nihilq; metueret, vel dolum ſuum detectum iri, vel vlla potentia, aut vi, aut auctoritate rerum ſuarum ſtatum eſſe tegendum, nedum imminuendum, vel euertendum. Primum huius orationis mēbrum ad rem ipſam pertinet, atq; hiſtoriam indicat, quòd verè Sobna ſepulchrum ſibi exciderit Hieroſolymis, vt qui exiſtimaret ibidem ſeſe moriturum eſſe. Duo reliqua,* Excidiſti in excelſo, & diligenter in petram, *ad ſimilitudinem referuntur. perinde, inquit, pollicitus es tibi perpetuā manſionem in hoc loco, ac ſi excidiſſes ſepulchrum in editiſſimo loco, quem nemo attingere poſſet: vt inde tuum monumentum deÿceret, atq; incidiſſes in ſaxo firmiſſimo tabernaculū tibi, quod nullus diruere poſſet homo. Adeóne nullam fore cauſam cogitaſti, nullam vim qua tua iſta cogitata perpetuitas labefactaretur? Vt hæc ex comparatione, ſiue ſimilitudine exponamus. facit perſonarum ſubita mutatio in Hebraica lectione, quam Chaldæus Paraphraſtes agnoſcit.* Incidens in excelſo, *monumentum ſuum.* Sculpens in petra, *tabernaculum ſibi. Memoriale monumentum, id eſt, Sepulchrum hoc ſignificat. Atqui non eadem quæ tu cogitas, Deus cogitat, namque,*

Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus, & quaſi amictum, ſic ſubleuabit te.

HOC *loco magnam varietatem in omnium linguarum verſionibus deprehendimus, & admirationem quorundam interpretum, vnde nam in noſtram verſionē deuolarit ille gallus gallinaceus. Cùm Hebraicè ita legatur:* Ecce Dominus aſportari te faciet. GEBER, & GOTECHA GATOH.

*Namq; vt gallus gallinaceus ſignificetur nomine* GEBER, *nullo exemplo conſtare aiunt.* GEBER *enim ſignificat virum, vel fortem, ſtrenuum, & robuſtum: diſtinguitq; hoc nomine virilitatem à muliebri imbecillitate. Deinde illud:* Quaſi amictum ſubleuabit te; *variè verſum eſt ab aliis atq; aliis, quibus cum verſione noſtra minimè conuenit. Sed nos interpretis noſtri rationem, ingenium ſummopere laudamus, qui duplicis ſignificationis verba dupliciter etiam exponere voluerit. Siquidem Hebraicũ verbum,*
Gen. 15. 11. GHATAH, *amicire, ſiue operire ſignificat. Ex eodem autem themate deductum nomen* GHAIT, *auem ſignificat: maximè verò id autum genus quod rapax dicitur, & vnde fit etiam verbum* GHET: *pro quo Latinè reddere*
1. Sam. 25. 14 *poſſumus, arcere, ſiue, abigere aues rapaces. Hiſpanè autem aptiùs, Oxear.*
Iob 28. 7. *Harum ſignificationum loca in margine ex more annotauimus, vt qui Hebraicè viſere cupiat, inuenire facilè poßit. Apertè itaq; ex his cognoſcimus, Interpretem noſtrum vtramque ſignificationem aſpexiſſe, & ad auis imaginem retuliſſe illud,* Aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus. *ad amiciendi verò notationem illud*, Et quaſi amictũ, ſic ſubleuabit te. *atq; vtramq; ſignificationem à nobis exponi poſſe commodè hoc mo-*
In lib. Sahedrim p. 26. & Chetaboth. pag. 28 *do:* Ecce Dominus te quàm longiſſimè propellet propulſione viri. *Namq; vt rectè antiqui annotarunt peregrinationes & impulſiones virorum longiores quàm feminarum ſunt: Longißima, inquit, expulſione te expellet, & abiget te ab iſta præda quam adornas. abiget, inquam, longißimè, vti abiguntur rapaces aues à canibus, quas obſeruare quis vult; idq; funda, arcu, ſaxis, & terroribus: idq; erit tam facilè factu, quàm facile eſt amictum tollere, & in altum proiicere. Eſt elegantißimum verbum ad ſimilitudinem quam Iſaias cagitauit explicandam: cui aliam etiam aptißimam adiungit.*

Coronans coronabit te tribulatione, quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpatioſam.

EST *etiam hic mira alluſio Hebraicorum verborum,* TSANOPH IITSNOPHCHA TSENEPHAH, *Cidariſare cidariſabit te cidari. Nam Latini his nominibus ornamentorum capitis carent, quorum vſum nullum habuere. Eſt autem,* TSENEPHAH, *quam Græci cidarim dicũt: vel ſaltem hoc nomine ſignificare volunt capitis ornamentum Orientalibus vſitatißimum, quod Turcica lingua Torbant vocatur, ex longa & ſubtilißima vel linea, vel ſericea tela in globi aut ſperæ formam conglomeratum: cuius exemplum in ſacro Apparatu deſcripſimus, atq; depinximus. Hoc, quòd rotũdum ſit, & in ſpheræ figuram conglobatum, coronæ & coronandi verbis tranſtulit noſter interpres, quòd Latina alia illi ſignificationi viciniora non ſuppeterent. Alludit autem Iſaias tum ad vſum, tum ad figuram: vſus quidẽ eſt capitis ornatus; figura verò ſperica: eſtq; inſultatio, ſiue Sarcaſmos ex antitheto. Parabat enim ſibi Sobna coronam, ſiue cidarim gloriæ, dignitatis, & amplitudinis cuiuſdam maximæ: ſed eum exitum habiturã eſſe ait Propheta ambitionem illam, vt Sobna ipſe à Deo* [illegible] *inſtar inuolutus, & conglomeratus proijciatur* in terram latam & ſpatioſam: *perinde atque*

*pila*

*pila proiici ſolet, quæ ludentum manibus quàm longiſſimè iacitur, & propellitur: neque vſquam ferè quieſcit, aut ab vllo excipiente retinetur, ſed ab alio ad alium proiicitur, & repulſatur: ita magnam vagationem, longum exilium, perpetuam inſtabilitatem, his ſimilitudinibus Sobnæ denunciare Vates voluit, ſimilemq; illi quam Deus Caino denunciauit. Vagus & profugus eris ſuper terram. Atq; eandem tranſlationem, ſiue allegoriã vrgens Iſaias, vbi nos legimus, latam & ſpatioſam, Hebraicè dixit, latam manibus. quibus verbis, præterquam quòd magnum ſpatium ſignificatur, vt in Pſalmo verſu illo: Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus; certa etiam inſtabilitas, & perpetua repulſio innuitur. Namque in pilæ luſu permagni refert latis eſſe manibus eos qui ludunt, vt ad impulſam pilam certiùs excipiendum; & exceptam, repellendum; quem in vſum & reticulati circuli parantur, qui vulgari vocabulo, Raccettæ, dicũtur. A variis igitur regionibus excipiendum, atq; ad alias repellendum continua agitatione & vagatione concuſſum iri Sobnam, Vates ait; contrario euentu conſiliis & ſtudiis ſuis. Quippe cùm cogitaret, atq; ageret omni diligẽtia et magno molimine, vt per totam vitam permanere Ieroſolymis poſſet; atq; ibidem etiam mortuus, magnificè & ſumptuosè componi, & ſepeliri, perinde ac ſi in petra tabernaculum ſibi excidiſſet, tamen vagus & profugus futurus, perpetuò agitatus, omnibus peroſus & repulſus, vt Caim, qui dicebat: Omnis qui inuenerit me, occidet me; & illo metu, illisq; laboribus actus & exercitatus, tandem in illo exilio periturus eſſet. Hoc eſt quod ſubiungitur:* Gen. 4. Pſal. 103.

Ibi morieris: & ibi erit currus gloriæ tuæ, & ignominia domus Domini tui.

IBI, *inquit, triumphabis, hic erit currus gloriæ, quem tibi parabas: ignominia videlicet, domus Domini tui Senacheribi, quem Dauidicæ familiæ regi prætuliſti. quocumque deueneris, habebis paratum currum gloriæ, ſcilicet, quam commeritus es: eo curru excipieris, ac duceris per vrbes, oppida, & fora, atque vias. Erit autem currus ille opprobrium iuge quod tibi obiicietur nefaſti exitus Senacheribi cum familia ſua: quem tu, poſthabita Dauidis domo, colere maluiſti. Ita interpretamur hunc locum ex verborum ſequaci & continuata ſimplicitate. quam paululum immutatam Chaldæus Paraphraſtes ad Dominũ Ezechiam Regem referens, ſic eſt interpretatus:* Eo quòd non conſeruaſti gloriam domus Domini tui. *Vnius autem rei efficiendæ cauſa primum illum de dignitate diuino iudicio deponi oportebat. id autem ita factum iri declarat Deus.*

Expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te.

QVONIAM *verò non eſt volentis nec currentis, ſed Dei miſerentis, ac prouidentis ad magnas res gerẽdas idoneos miniſtros deligere; ſufficiendum ſibi pollicetur Deus, alium illius Sobnæ muneri adminiſtrãdo virum, Dei ipſius iudicio probatum, qui non ambitione, auaritia, dolo, aut fraude, aut arrogantia aliqua ſibi munus illud aſſcribat; aut creditum tamquã propriũ ſuperbè vſurpet, & occupatum, ſuæ gloriæ ſeruire faciat: ſed Deo acceptum referens, ſanctè & ſtrenuè, atq; diligenter gerat, & exequatur.*

Et

Et erit in die illa: vocabo ſeruum meum Eliachim filium Helchię.

NON *quòd ille ſe vltrò aut ambitioſè, aut arroganter & ſtudioſè aliqua mala ratione huic muneri obtinendo ingerat: ſed dum ille modeſtiam, humilitatemq́ ſummam, animiq́ integritatem vitæ moribusq́ præſtet, non quærens gloriam ſuam, vocabitur à me; & iſti miniſterio conſilij iudicijq́ mei decreto præficietur, præfectusq́ à me amplificabitur ſpiritu ac virtute, qua, vt mihi placeat, ad multorum vtilitatem vtetur, non ad potentiam exercendam, non ad arrogantiam, non ad vim, aut ad inanis gloriæ oſtentationem; ſed ad id, cuius rei cauſa miniſteria inſtituta ſunt, hoc eſt, ad publicam vtilitatem omne ſtudium opusq́ ſuum adhibebit.*

Et induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius, & erit quaſi pater habitantibus Ieruſalem, & domui Iuda.

TVNICARVM, *& veſtium varias formas olim fuiſſe, quibus magiſtratuum & munerum, atq́ miniſteriorum varia genera & nomina diſtinguerentur, partim in ſacro Apparatu diximus, partim planiùs & exactiùs nos aliàs docturos ex diuina prouidentia ſperamus.* [Lib. Hierem. & Aaron.] *Hac veſtiendi, & tunicæ mentione ſignificabat Deus Eliachim præficiendum eſſe illi muneri, quod malè à Sobna eſſet cultum: eundemq́ non ad tempus, ſed perpetuò confirmandum in illa dignitate ac functione addidit:* & cingulo tuo confortabo eum. *nam cingulum adminiſtrationis & promptitudinis ad res agendas ſignificationem obtinet, vt in Apparatu ſacro expoſuimus. cuius exemplum eſt: Sint lumbi veſtri præcincti.* [Lib. Hierem. Lucæ 12.35.] *quòd verò vſus eſt verbo,* confortabo eum, *fortitudinem ac perpetuitatem ſignificauit, maximè in lingua Hebraica,* EHHAZKENV. *Ad hæc verò muneris auctoritatem apertam & manifeſtam fore ait, & quam à Deo traditam inficiari nemo poſſit, qui rem ipſam rectè æſtimauerit.* Poteſtatem tuam dabo in manu eius. *Hanc electionem Deo gratam probatamq́ fuiſſe, adminiſtrationis ratio, forma, & vſus docebit: namq́ erit ille ſtudio, amore, cura, diligentia, ac ſedulitate,* quaſi pater habitantibus Ieruſalem, & domui Iuda. *Hebraicè non eſt dictio, quaſi: quam interpres noſter ex Græco explicationis cauſa addidit. Hebraicè eſt, Et erit pater, ſiue, in patrem, vel, ad patrem, non peregrino dicendi modo Latinis: Tu es mihi magiſtro. Omnia autem ex illius ſententia & nutu facienda, omniumq́ conſenſu probanda fore, vtpote ab optimo vigilantiſſimo miniſtro profecta, ſubiuncto verſu declarandum, Deus dictauit.*

Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.

CLAVIS *cognitionem & poteſtatem ſiue facultatem ſignificat: nam quæ clauduntur, ad cuſtodiam; quæ aperiuntur, ad vſum & liberationem, atq́ exhibitionem referimus. Cui committitur clauis, & creditur; eidem ſumma fides habetur, & admittendi aut excludendi poteſtas tribuitur: Summā igitur adminiſtrationis & gubernationis in regia domo Eliachim concedendam eſſe ait Deus, vt quem ille admittere, includere, ſeruare, cuſtodire,*

*dire voluerit, poſſit etiam, atq; contrà, quem vel excludere, vel liberare, vel non admittere voluerit, itidem poſſit: idq; adeò rectè factum ſit, quod ille fecerit; adeò iuſtum, adeò ratum, ac non tantùm regia, ſed diuina quoque auctoritate confirmatum, vt reſcindere, aut impugnare poſſit nemo. Quòd verò dicit,* Super humerum eius. *eò ſpectat, vt Eliachim non ex ambitione, vel temeritate, vel ſuperbia, vel propria inuentione, & opinione; ſed ex certa ratione, regula, lege, ac conſuetudine irreprehenſibili rem geſturũ eſſe ſignificet. Clauis enim certi loci, clauis eſt, certa ratione & arte mouetur, & voluitur, vt claudat, vel aperiat; cum clauſtro ipſo, clauſtriq; funibus & anfractibus conuenit, & certa arte tractata aperit, quanquam qui adſunt, non videant quemadmodum aperiatur, aut claudatur; tamen apertum, aut clauſum experiuntur. Humerus autẽ arcana ſignificatione obedientiæ ſymbolum eſt: humero enim iuga ſuſtinentur, & oneri ſuppoſiturum, itaq; eſſe ait Deus Ioachim humerum ſuum iugo legis atq; conſuetudinis, & inſtituti domus Dauid, idq; adeò inculpatè & irreprehenſibiliter, adeò ſapienter, & ſedulò acturum quod ad muneris ſui functionem attinet, vt nemo contra efficere quid valeat. Aliter autem feciſſe Sobna ſignificatur, vt qui in regiã perfidum, & in ciuitatem & ciues crudelem, & hoſtem ſeſe præbuerit. At verò hanc dignitatem & gloriam Eliachim propriam perpetuámque fore: & non ſolùm ipſi propriam, ſed omnibus cognatis propinquiſq; ipſius communicandam eſſe, apertè indicat per Vatém Deus inſigni tranſlatione ad eam rem vſurus.*

Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in ſolium gloriæ domus patris ſui.

*Tranſlationem priùs indicare, deinde exponere operæpretium fuerit. Quid ſit paxillus, & in quem vſum præcipuè paretur, nemo ferè eſt qui ignoret: fiunt autem ex varia materia paxilli, ferro, ære, oſſe, & duro atque vitij experte ligno: huiuſmodi paxilli infiguntur muris, idq; quàm firmiſſimè fieri poteſt, ne aut ipſi facilè extrahantur, aut ſuſpenſarum ex ipſis rerum grauitate & pondere decidant, vel rumpantur: ſuſpenduntur enim ex illis quæ ſeruata volumus, vt vaſa aurea, argentea, coronæ, torques, picturæ, & veſtes etiam elegantes, quæ & pendentia ſpectatores iuuant, & melius conſeruantur. Ex hac tranſlatione ſignificatur Eliachim magnum & perpetuum decus ſuis, & propinquis, & cognatis, & omni domus Dauidicæ familiæ ac poſteritati futurus.* Figam illum paxillum. *Latinus interpres vtitur diminutiuo; quòd pali nomen, vnde paxillus deducitur, aliam rem, & ad alium vſum deſtinatam ſignificet; ſed re vera Hebraicè non eſt diminutiuum nomen: Staca, dicitur Hiſpanicè. Ipſius autem Eliachim certam dignitatem, gloriam ipſam, poteſtatem perpetuam, paxillum nominauit Deus. Efficiam, inquit, vt ille firmus ſit in eo dignitatis & poteſtatis gradu, quem, me auctore, obtinebit; idq; in loco firmiſſimo: videlicet, in Rege ipſo, regiaq; domo, & in ipſa Ieruſalem ciuitate, eritq; idem* ſolium glorię patris ſui. *Amplitudinem quam dicũt Latini, gloriam plerumq; vocat noſter Interpres. Honor, inquit, decus, & amplitudo totius familiæ, cognatio-*

*nis, & poſteritatis illius, totius, inquam, domus patris eius conſidet in illo; illiusq́; nomine, veluti in ſolio firmiſſimo ſedere ſolent ij, qui potentes, magniq́; ſunt: adeò, vt quidquid in ſuis poſthac gloriæ, laudis, & decoris fuerit, ſiue in magnis, ſiue in paruis, cuiuſcumq; laudis id dignum fuerit, ad ipſum, tamquam ad certiſſimum laudis fundamentum referatur, omníſque gloria aliorum ex huius gloria pendeat; vt qui alios ex huius familia ſplendentes & illuſtres virtutibus viderit, protinus ad huius auctoritatem, & exemplum conſiderandum, oculos, animumq́; intendat. hoc eſt, quod ex perpetua metaphora, quam Vates perſequitur, explicare poſſumus.*

Et ſuſpendam ſuper eum omnem gloriam domus patris eius, vaſorum diuerſa genera, omne vas paruulum, à vaſis craterarum vſque ad omne vas muſicorum.

ILLIVS *virtute efficiendum eſſe ait, vt filij, nepotes, & poſteritas omnis domus patris ipſius variis virtutum, & laudum nominibus prædicentur, id autem ex paxilli defixi allegoria ſignificat.* Vaſorum diuerſa genera. *Multa quæ nomen certum apud Hebræos ſortiuntur, in aliis linguis ad commune aliquod nomen, propter verborum inopiam, referuntur. Hebraica nomina hoc loco* TSEETSAIM, *&* TSEEHIGHOTH, *ex etymo interpretari poſſumus exitiones & genimina: erant autem vaſorum nomina ex hoc etymo impoſita, quæ certa ratione alia ad alia referebantur; ex nominibus verò facilè tranſlationis interpretatio cognoſcitur; quam Chaldæus Paraphraſtes ceteris, qui ſe ſecuti ſunt interpretibus indicauit.* Omne vas paruulum. *Hebraicè, omne vas paruuli; nam alia vaſa maioris, alia minoris ſunt vſus, vt Diuus Paulus ait: ſed omnia tamen alicuius vſus & laudis ſunt. Erit itaq; adeò firmus paxillus ille, adeò fideliter fixus, vt contineat tutò ex ſe ſuſpenſa omnia vaſa.* A vaſis craterarum; *cuiuſcumque materiæ fuerit: antiqui enim inter diuitias vaſa, & polita, & cælata ponebant.* Vſque ad omne vas muſicorum. *Hebraicè,* NEBALIM. *Sunt autem* NEBALIM, *omnia vaſa ex corio facta, caua, & inflata; ſiue, quæ inflari poſſunt: vnde factum eſt nomen illi antiquo muſicorum inſtrumento, quod Græci & Latini ex Hebraico vocabulo Nablum dixere: conſtat ex vtriculo cui fiſtulæ adaptatæ ſunt, & inflatum comprimitur ludentis brachio, ſonumque reddit, quem digiti foraminibus fiſtularum admoti, temperant, & modulantur. Hiſpanis, Gaita; Italis, Pina; Germanis ſackpype.*

*Igitur quemadmodum Ioſeph in Regia Pharaonum familia, & in omni Ægyptiorum regno conſtitutus paxillus fuit, ex quo omnis poſteà dignitas & commoditas fratrum, & vniuerſæ domus patris illius ad multos annos pependit. Sic Eliachim decus omne ſuis futurum pollicetur Deus; contrà verò, Sobnam, qui non ex diuino conſilio, ſed ex ſuo ſtudio ambitioſè inſtituto, ad illum gradum aſcenderat, diuino iudicio deturbatum iri ait: idq́; ſub eiuſdem tranſlationis imagine pronunciat.*

In die illa dicit Dominus exercituum auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur: & cadet, & peribit quod pependerat in eo: quia Dominus locutus eſt.

QVAM-

QVAMQVAM *Sobna fixus fuiſſet in loco fideli in regia domo ac ciuitate Ieroſolyma; tamen quia ipſe paxillus erat maximè probandus, vtpote qui proditione ſua in domum Dauid intẽtata, ſe ipſum in illo loco & gradu indignum reddiderit; neque verò integer auferetur, ſed ſuccidetur, & frangetur impetu ac vi, & decidet in terra: & ex illius caſu quidquid commoditatis, vel dignitatis rerum aut perſonarũ erat, quod ad illum referretur, comminutum peribit, vt comminui ſolent, & corrumpi vaſa ex paxillo pendentia; ſi paxillo fracto, ruant.* Et peribit quod pependerat in eo. *Hebraicè, Et peribit onus quod ſuper eum. Symbolum eſt cognatorum, propinquorum, clientum, & eorum qui illi ſtudebant. Omnia ſunt ex antitheto Eliachim dicta: quæ ex tranſlatione ad ſimplicitatem producta, Chaldæus Paraphraſtes ſic eſt interpretatus:* Et conſtituam eum præpoſitum fidelem, miniſtrantem in loco firmiſſimo: & erit in ſolium gloriæ domui patris ſui, & innitentur ſuper eum omnes nobiles domus patris ſui: filii, & filij filiorum, à maximis vſque ad tenues, à ſacerdotibus indutis ephod, & vſque ad filios Leui, tenentes nablia. In die illa, dicit Dominus exercituum, auferetur miniſter fidelis miniſtrans in loco firmo, & reſecabitur, & cadet: & ceſſabit onus Prophetię quod eſt ſuper eum: quia in dicto Domini decretum eſt hoc. *Atqui nomen Domini hoc loco appellatũ, certam ſcientiam ſignificat, idq; adeò repetitum cõfirmat: verùm illud cognomen, Sebaoth, Dei vltoris, potentiſſimi, iniuriarumq; vindicis ſignificationem habet. atq; hactenus huius capitis hiſtoriæ ſimplex, & ex verbis ipſis petita explicatio eſt; cuius arcanam ſignificationem quàm breuiſſimè indicabimus: namq; longiorem ex ipſo rerũ euentu expectamus. Nondum enim hoc negotium expeditũ eſt: futurum autem eſt, vt expediatur, & reueletur tempore ſuo.*

*Ex huius Vatis & aliorum, atq; ex Chriſti Apoſtolorumq; prædictionibus cognouimus, magnam preſſuram & vexationem Eccleſiæ Chriſti, ac domui Dauid ſpirituali, cuius Chriſtus eſt Rex; Ieroſolymorumq; ciuitati, hoc eſt, Chriſtianæ religionis populo per hoſtes cùm viſibiles, tum inuiſibiles allatum iri; & fore etiam, vt ex iis qui in ipſa religionis profeſſione vixerent, multi officium, quod diligenter præſtare oportuerat, negligant, maioremq; etiam commoditatem ad hoſtilem inuaſionẽ creent. Inter ipſos autem præcipuè quendam, qui pro miniſtro ſeſe gerat, vereq; miniſtrũ agat, fore ait; aſcitum tamen, & creatum, atq; in ciuitatem conſcriptum: qui munus officiumq; ſuum, quod ad ciuitatem ipſam, pietatemq; Chriſtianam colendam, ipſamq; Dauidis domum, hoc eſt, Chriſti regiam conſeruandam, & fouendam referre debuerat, ad ſuam ipſius ambitionem, & mũdanam gloriam commoditatemq; transferens, Rempub. Chriſtianam hoſtibus prodere paret, & penè prodat, niſi diuini conſilij ac propoſiti prouidentia, quo minùs id fiat, impediatur. Igitur non ex ipſius conſilio & voluntate, nõ ex hoſtium cupiditate & animi ſententia rem conſtituendam eſſe ait: ſed ex Dei benignitate & paterna proſpicientia: qui Eccleſiæ gubernationẽ Chriſto ſuo conceſſerit, & tradiderit; cuius virtute, & ſpiritu ſanctitatis & iuſti-*

*iuſtitiæ omnia in ſuis ſingula vocis repoſitum iri affirmat; ita vt deinceps omnis domus David, hoc eſt, Chriſti Regis regia in hac ciuitate Ieruſalem, cuius mentio frequens facta eſt, decoro, grato, & pulcherrimo adminiſtretur ordine, communicato per Chriſtum Spiritu ſancto, diſtributisq́ donis & gratiis per omnes miniſtrorum Ordines, Pontifices, Reges, Doctores, Interpretes, Euangelizantes, & Magiſtratus reliquos ciuitatis Dei, quorum decus perpetuum ſit Chriſtus, à quo omnia, & in quo omnia, & per quem omnia, tanquam per caput in membra, & per filium legitimum, & hæredem primogenitum in fratres cooptatos, & cohæredes, à Deo ipſo pro filiis agnitos & probatos. Atq́ hoc modo freti, vt Chriſtus in loco fideli defixus, patris ſui domui gloriæ ſolium perpetuum ſit: ex eoq́ pendeant fideliſsimè vaſorum diuerſa genera; ad varia rerum Chriſtianæ Eccleſiæ miniſteria comparata, & totus Chriſtianus papulus illius, hoc eſt, tota domus patris illius, cuius pars in cælo, pars in terris eſt, ipſius decore & amplitudine ornetur. Quamquam enim vaſa ad domum domeſticamq́ rem referantur: non tamen ſunt tota domus, ita non omnes miniſtri ſunt, ſed alij miniſtri, alij domeſtici ſiue familiares tantùm dicuntur, miniſtri autem aliorũ cauſa inſtituuntur. Sic igitur fiet, vt eiectis iis, qui ex Sobna arroganti & ambitioſo, tanquam onera, vt Iſaias indicat, pendebant: illi ſubſtituantur, & confirmentur, qui officium ſuum in Chriſto rectè faciant, pulſis aduerſitatibus, hæreſibus, erroribusq́ vniuerſis, & Dauid regnum beatè ac feliciter ſub illo ſummo & optimo miniſtro agat, quem habitantibus Ieruſalem, & domui Iudah patrem futurum eſſe prædicabat Iſaias, idq́ certiſsimè affirmabat:* quia Dominus locutus eſt. *Quòd verò omnia ex Chriſto pendere ait, & Chriſtum in loco fideli defixum, id nobis ſignificat, quod Apoſtolus dixit: Caput Eccleſiæ Chriſtus, Caput Chriſti Deus. Eliachim autem ex etymo interpretamur,* Deus confirmabit. Helkiah *verò, idem eſt quod Latinis, pars mea Deus: vtrumq́ quàm aptè ad Chriſtum referebatur, imò ad illum ſolum aptiſsimè referri cognoſcent planè Theologi, qui in huiuſmodi rationibus explicandis diligentem operam ponere ſolent.*

## ARGVMENTVM VATICINII XIX.

TYRVM *inſulam & vrbem munitiſsimam, per Senacheribum expugnandam & diripiendam per annos ſeptuaginta in frequentem, & omni commerciorum vſu deſtitutam fore, deinde verò inſtaurandam, & emporio totius orbis terrarum reſtituto, amplificandam eſſe Vates prædicit: hoc totius vaticinij ſummum argumentum eſt. Verùm enimuerò quia diuiſas hoc loco ab expoſitoribus in temporis ac loci certa ratione aſsignanda, ſententias haberi obſeruauimus: illarum examen lectorum arbitrio relinquentes, noſtram quoque ex ſimplici verborum & orationis obſeruatione pronũciatam, eorundẽ etiã candido iudicio ſubijciemus.*

## Iſaiæ & Ezechielis vaticiniorum collatio.

IGITVR *vaticinium hoc non idem eſſe cum illo Ezechielis Tyri vaſtitatem prædicantis, verùm ad aliud tempus hoc atq; illud referri arbitramur, illud initiò ſtatuentes nomine Tyri, quæ Hebraicè,* TSOR, *dicta eſt, non ſignificari hoc loco vel illam* TSOR HHAZZAR, *Rymoy vicinam, quam cùm Ezechiel nominat, ſemper cum adiuncto nominat, vel,* TSOR HHAZZAR, *vel* TSOR MALA. *Hanc verò perpetuò nominat idem Ezechiel* TSOR, *ſine vllo adiuncto: neque etiam Vendelas, vt alij volunt, quæ neque Ezechielis Iſaiæve ætatibus conditæ erant, neque poſt mille & ampliùs annos poſtea habitari cœptæ. Verùm id quod res habet, ſcimus duas fuiſſe maximas vrbes non longè diſſitas: alteram* TSOR, *alteram* TSIDON, *dictam: quas Græci & Latini Tyrum & Sidonem pronunciarunt: vtramque verò Iſraelitarum regioni vicinam fuiſſe, & Galilæas Hebraicè appellatas: quòd cum Palæſtinis vicinos agros habentes, limites partirentur: adeò verò vicinas fuiſſe Iſraelitarum regioni, vt illarum incolæ pueros ex Iudæa abductos, in Græciam vendendo traduxerint, quam rem omnem Ioel Vates* Ioel. 3.
*manifeſtè docuit: Verùm quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, & omnis* "
*terminus Palæſtinorum? (Hebraicè, omnes Galilææ Palæſtini) numquid* "
*vltionem reddetis mihi, & ſi vlciſcimini vos contra me, citò velociter red-* "
*dam viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum? Argentum enim meũ &* "
*aurum tuliſtis, & deſiderabilia mea, & pulcherrima intuliſtis in delubra* "
*veſtra; & filios Iudah, & filios Ieruſalem vendidiſtis filiis Græcorum, vt* "
*longè faceretis eos de finibus ſuis. Vtriuſque autẽ ciuitatis ac regionis eun-* "
*dem regem tempore Salomonis fuiſſe Hiramum nomine, ſacræ nobis hiſto-* 2.Reg.5.
*riæ teſtantur, quamquam præcipuo nomine Tyri Regem plerumq; appellari obſeruauerimus, quod regni caput Tyrum fuiſſe confirmat. Fuit autem antiquius Sidonis nomen, quàm Tyri, ſi auctoris primi tempora obſeruẽtur. S.S.E. Canaan autem genuit Sidonem primogenitum ſuum. Atq; Tyrus* Gen.10.
*& Sidon, vtpote ad eandem gentem & ditionem relatæ, perſæpè in Sacris libris coniunguntur. At verò non eſſe eandem calamitatem quæ hoc loco ab Iſaia aduerſus Tyrum prædicitur, cum illa clade & vaſtatione quam Ezechiel vaticinatus eſt; multa ſunt, quæ nobis vtriuſque Vatis orationem conferentibus arguunt. Primùm enim apud Ezechielem vaſtationis ipſius auctor diſertè nominatur, Nabuchodonoſor futurus. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabucodonoſor Regem Babylonis ab Aquilone Regem regum, cum equis & curribus & equitibus, & cætu, populoq; magno: quibus verbis expeditionem certo conſilio atq; ſtudio à Nabucodonoſore faciendam aduerſus Tyrum Vates ille ſignificauit: ita vt in eam expeditionem à Deo ſingulariter educendum, & profecturum indicarit, cùm tamen nulla hîc ab Iſaia Nabucodonoſoris mentio ſit facta, ſed tãtùm Chaldæorum; qui, vt exiſtimare poſſumus, non aduerſus vnicam Tyrum, deliberato conſilio belligerandi cauſa prodierunt, ſed aduerſus vicinas & finitimas gentes, præcipuè autem aduerſus Iudæam, quam Senacherib Eze-*

*chiæ Regis ãno decimo quarto vaſtauit. & tunc vicinam Iudææ Tyrum expugnauit ac diripuit, multiſq́; hominibus abductis, deſertam, & ad negotia exercenda ineptam reddidit: vtpote qui eius ingenij fuerit, vt terrarum orbem (quemadmodum de ipſo ſcribitur) & humanas res miſcuerit, & confuderit. Deinde verò non eadem ſunt quæ Tyro ferenda ab Iſaia prædicuntur: imò nec ſimilia fere, nedum paria iis quæ Ezechiel explicuit. apud*
Ezech. *Ezechielem enim prædictum eſt, Tyri murum cum turribus euertendum,*
„ *omnemq́; vrbem in medio mari demergendam, perpetuaq́; vaſtitate & ex-*
„ *ciſione damnandam. Vaſtabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas, &*
„ *deſtruent muros tuos, & domos tuas præclaras ſubuertẽt: & lapides tuos,*
„ *& ligna tua, & puluerem tuum in medio aquarum ponent. Et dabo te in*
„ *limpidiſſimam petram: ſiccatio ſagenarum eris, nec ædificaberis vltrà. Et*
„ *cùm dedero te vrbem deſolatam, ſicut ciuitates quæ non habitantur: & ad-*
„ *duxero ſuper te abyſſum, & operuerint te aquæ multæ: & detraxero te cum*
„ *iis qui deſcendunt in lacum ad populum ſempiternum, & collocauero te in*
„ *terra nouiſſima, ſicut ſolitudines veteres, cum iis qui deducuntur in lacum,*
„ *vt non habiteris: porrò cùm dedero gloriam in terra viuentium, in nihilum*
„ *redigam te, & non eris: & requiſita non inuenieris vltrà in ſempiternum,*
„ *dicit Dñs Deus. Hæc omnia exactã & perpetuã vaſtitatem, & exciſionem abſolutam Tyro minantur; quibus nullũ verbũ ſimile apud Iſaiam legitur.*

*Culpam etiam manifeſtè indicat Exechiel, quamobrem illas pœnas Tyrus luitura eſſet: ait enim: Et factum eſt vndecimo anno, prima menſis, factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Ieruſalem, Euge, confractæ ſunt portæ populorum, cõuerſa eſt ad me, implebor: deſerta eſt: propterea hæc dicit Dominus Deus tuus. Huius autem cauſæ aut culpæ nulla apud Iſaiam mẽtio eſt. His accedit, quòd Ezechiel Sidona, quæ proxima Tyro vrbs erat, & ad eandem gentem ac ditionem referebatur, ſuam etiam ruinam poſt vaticiniũ de Tyro prænunciauit; gladium & ſanguinem, atq́; alia grauiſſimi excidij verba proferens: quorum nullum apud Iſaiam eſt. ex quibus verborum ac ſententiarum collatis obſeruationibus intelligi poteſt, vtriuſque Vatis de Tyro prædictiones ad eandem hiſtoriam non pertinere: eſſeq́; quoddam magnum Tyri detrimentum, quod ab Iſaia prædicitur per Chaldæos direptores, & orbis perturbatores afferendum, quo tempore Senacherib vicinas regiones vaſtaret; vt ex ipſa lectione ſimplici cognoſcere nobis videmur. ait enim Iſaias: Ecce terra Chaldæorum talis populus non fuit, &c. Vbi non ait illam vrbem funditus euertendam, & æterna ſolitudine ac vaſtitate damnandam, ſed direptoribus impetendam, & negociationum ac mercaturæ vſu priuandã per annos ſeptuaginta: quibus duraſſe obſeruauimus illam rerum perturbationem à Senacheribo inductam in omnes gentes. Oportunitas autem huius vaticinij ab Iſaia capta videtur ex ſimilitudine caſus Ieroſolymitani, qui in proximis antè capitibus fuit explicatus: vt enim Ieroſolymorum ciues Iudæi à Nabucodonoſore abducendi, illo ciuitatis ſuæ vſu per annos ſeptuaginta priuãdi erãt: deinde verò in patriam redituri; ſic etiam eandem ferè, certè ſimilem,*

Tyrij

*Tyrij tracturi erant poſt ſeptuageſimum annum, ab illa humilitate & paupertate ad priſtinam amplitudinem redituri; rurſusq́; amicitiam & conſuetudinem cum Ieroſolymitanis facturi. Exiſtimamus autem hanc calamitatem Tyriis Ezechiæ regis Iudææ temporibus allatam: in quibus Senacheribi illa potentia, omnes ferè nationes turbatæ ſunt. Fluxerunt autem à Iudææ per Senacheribum vaſtatione, ad Ieroſolymitanorũ abductionem in Babylonem anni ferè centum viginti & ſeptem; in quibus includimus ſeptuaginta annos ab Iſaia hoc loco Tyriarum rerum debilitationi aſsignatos: reliqui fuere quinquaginta & ſeptẽ; quibus rurſus Tyrij floruere, amicitiam Ieroſolymitanorum exercentes, & templum Domini, vt anteà ſolebant, muneribus, & pietatis officiis colentes. Poſteà verò afflictis & protritis Ieroſolymitanorum rebus, quòd ipſi vehementer fuiſſent gauiſi, & de occupanda ditione, vt Ezechiel ſignificare videtur, ſuperbè & inſolenter cogitauerint; illam extremam cladem commeriti fuere, quam per Nabucodonoſorem afferendam, ac tandem per Alexandrum conſummandam, Ezechiel prænunciauit. Oportunè itaq; poſt mentionem Sobna & Eliachim, qui fuere Ezechiæ tempore, hæc prædicta ab Iſaia de Tyro ſunt, paulo pòſt ſpectanda damna ac detrimenta. Poſt hæc autem vaticinia, illud conſequenter poſitum eſt, ab hac, quam indicauimus, ratione non alienum: Ecce Dominus diſsipabit terram, & nudabit eam, & cetera, quæ deinceps adiunguntur. Collatis igitur tum rebus, tum verbis vtriuſque vaticinij; huius, inquam, & illius apud Ezechielem, diuerſa ratio cognoſcitur, atque vtriuſque Vatis ſententia conſtat.*

## CAPVT XXIII.

ONVS Tyri.

VATICINIVM *de Tyro à Propheta in Iudæa regione agente, cognitum, & ad Epiſtolæ inſtar conſcriptum, atq; ad Tyrios ipſos miſſum. Exordium autem Prophetiæ ſumitur ex abrupto, duciturq́; argumentum ab euentu & conſequenti, quo antecedens manifeſtè confirmatur. Adeo verò certa erat Prophetæ noſtro prædictio ſua de Tyri direptione, vt nuntium in ſemotas regiones mitti non recuſauerit; imò quod in ſe fuit, parauerit, & inſtruxerit: quò notum fieret illius, & communis terrarum emporij damnum & malum. Solent enim ij, quorum intereſt aliquando de publicis rebus agere, poſt oblatum aliquod rerum vel temporum inſigne exemplum atque editum in publicum, literas & nuncios ad eos populos mittere, quorum id quod acciderit, cognoſcere retulerit. Non rarò autem vſu venire videmus, vt neque certi, neque conſtantes eiuſmodi nuncij ſint: vtpote quibus falſum pro vero ſit relatum; aut aliter, quàm vt res habuerit, narratum, ita frequens & vſitatum inter homines mendacium eſt; maximè cùm improbitas eò audaciæ proceſſerit, vt ex mendacio quæſtum nonnulli faciant; ea ſpargentes in vulgus, quæ cùm vana deprehenſa fuerint, tamen aliquo modo auctoribus ipſis commoda fuiſſe poſſe videantur. Vtinam huiuſmodi artibus nullus hodie apud Chriſtianos eſſet locus! At verò Propheta rerum*

*futurarum rationes & euentus adeò certè ſibi monſtrari, adeò conſtanter fore nouerunt, vt conſequentias etiam alienis nationibus, antequam res ipſæ extent, denunciare non dubitent. Id quod apud Iſaiam noſtrum & alias ſæpiſſimè, & in hoc loco apertè obſeruamus, qui longinquas prouincias & regiones ad luctum & lamentum vocat, detrimenti & damni ipſis communiter etiam in Tyri direptione & perturbatione parati.*

Vlulate naues maris, quia vaſtata eſt domus, vnde venire conſueuerant, de terra Cethim reuelatum eſt eis.

Gen. 2. HOMINES *quos charitate coniungi, & mutuis officiis iuuari æquiſſimum fuerit, vtpote ad conſuetudinem & ſocietatem natos, S.S.E. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. Poſtquam peccatum & ſuperbia diſiunxerat; nulla res magis (pudendum profectò) copulauit, quàm lucri & pecuniæ, caducarumq́ rerum, quas fœturas vocant, opinio & ſpes: cuius cauſa nauigationes inire, & peregrinationum difficultatem, aliaq́ maxima pericula ſubire pro leui incommodo ducitur; cuius ſi ſpes nulla refulſerit, quàm rariſſimi reperiantur, qui alienas prouincias, & longè ſitas regiones, vel doctrinæ, vel diſciplinæ, vel pietatis gratia adire velint: hoc enim non niſi maximorum, & humanas res deſpicientium animorum eſt, qui numero vix* Iuuen. Sat. 13 *totidem ſunt, quot Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili. Itaq́ commercia potiſſima & præcipua hominum conciliabula ſunt, ex varies nationibus in eundem locum concurrentibus commerciorum cauſa emporia inſtituta, &* Horatius lib. 1. Ser. *nauigationis compendium, non raro verò diſpendium factum. Hic mittit merces ſurgente à Sole, ad eum quo veſpertina tepet regio, qui per mala præceps fertur, vti puluis correptus turbine; ne quid ſumma deperdat metuens, aut ampliet vtrem. Inter emporia autem toto orbe celeberrima, vnum maximè omnium frequens Tyrum fuiſſe, & ſacræ & prophanæ omnes hiſtoriæ teſtantur; adeò vt nauigationis inuentio Phenicibus, vt antiquiſſimis, & diligentiſſimis mercatorum omnium, per Poetas adſcribatur. Eius autem opinionis vera cauſa aliquando nobis, Deo propitio, exponetur. Fuere autem Phenices ex Cananæorum gēte primi, qui Mediterraneo mari adiacens littus occupantes: & habitantes inſulam non procul à continenti tenuerunt portuoſiſſimo mari eminentem, in qua Tyrum ædificarunt. Creſcente verò gentis multitudine, & cupiditate etiam opum ac diuitiarum aucta, Coloniam per mare vectam in tertiam illam terræ partem, quæ Chanis ipſorum primi poſt diluuium parentis filiis ceſſerat, deduxerunt, à qua, littore maris obtento, vrbs illa condita eſt, cui nomen Punicum Carthago apud Græcos etiam & Latinos factum fuit. Ea ab antiquiſſimo illius oræ occupatore Iaphethi filio, Charſis nomen primum acceptum retinuit, apud ſacros ſcriptores. Tamen Colonia illa Carthaginenſis & finitimos ſibi ſubegit, & cum Italis, maximè verò cū Romanis, capitalia bella geſſit, quæ originem duxere ab illis antiquiſſimis inimicitiis & contentionibus in Babylonica confuſione natis inter trium fratrum Semi, Chami, & Iapethi familias. Igitur cùm maximum hominum ſtudium in re comparanda ſit, maximaq́ beatitas à corruptis filiis Adæ in fortunarum, quas vocant copia & ampli-*

*amplitudine poni ſoleat, cùm accidit has imminui, vel deteri, vel impediri, quo minùs augeri liceat; maxima calamitas & miſeria ea eſſe exiſtimatur, & illorum ſermone atque ſententia maximum infortunium id huiuſmodi eſſe cenſetur.*

*Quandoquidem accepto claudenda eſt ianua damno*
*Et maiore domus gemitu: maiore tumultu*
*Planguntur nummi quàm funera, nemo dolorem*
*Fingit in occaſu veſtem diducere ſummam*
*Contentus, vexare oculos humore coacto,*
*Ploratur lachrymis amiſſa pecunia veris.*

*Huiuſmodi hominum affectum cùm rectè cognoſceret Vates, Tyriarum rerum calamitatem conſequuturam præuidebat, & ipſis quos damna tangerent, denuntiabat: in primis verò Tharſenſibus, qui maiori præter ceteros incommodo afficiendi erant; vtpote qui non tantùm quæſtus & commerciorum ſocij, ſed etiam familiares, proximi ac domeſtici haberentur. Vtitur autem Vates appoſitiſſima metonymia,* Vlulate naues Tharſis, *ſiue* maris. *Nam metonymicè etiam vertit noſter Interpres maris pro Tharſis: eo quòd Tharſis celeberrimus totius Mediterranei maris ex Aſia venientibus, haberetur, idemq́ antiquiſſimus locus, & quòd gemma illa, quam aquam marinam lapidarij vocant, apud Hebræos Tharſis appelletur; vt in ſacro Apparatu oſtendebamus. Nauis autem pro nauigantibus dixit, hóſque in primis appellauit, quorum ſenſus in damno atque incommoditate primus futurus erat, intelligentium ſibi ademptum eſſe portum illum & familiariſſimum, & vtiliſſimũ: in quo non modò vt aduenæ mercatores, verùm etiam vti domeſtici ac familiares in proprijs domibus exciperentur. Erat autem ex Tharſis nauigatio ad Tyrum frequentiſſima, atque rurſus ex Tyro in Tharſim. Tharſis namque omnia in Aſiam transferebat, quæ ex Hiſpania atq; Africa omni comportari poterant: rurſus Tyrus quidquid ex omni Aſia & Scythia omni venale ad ſe comportabatur, in Tharſim exponebat; vtrumque commune & celeberrimum emporium habebatur: alterũ ad occaſum, alterum ad ortũ in Mediterraneo mari ſitum: atq; ita legimus apud Ionam: Et ſurrexit Ionas vt fugeret in Tharſis à facie Domini, & deſcendit in Ioppem, & inuenit nauem euntem in Tharſis, &c. Quod verò ait:* " Quod vaſtata eſt domus vnde venire conſueuerant: *illud ſignificat Tharſenſes mercatores & nautas, quos primos ad luctum vocat, Tyro allatæ cladis nuncio audito, primos omniumq́ maximè vlulaturos: vtpote qui domibus iis, ad quas tamquã ad proprias diuertebãt, priuatos ſeſe ſentirẽt. Hebraicè eſt,* Quia direpta eſt à domo ab eundo, *ſiue,* ab introeundo. *hoc eſt, ita direpta eſt Tyrus, vt non ſint iam vobis domus illæ vſui futuræ, quas pro veſtris habebatis; & ita commorabatis, quaſi veſtræ eſſent: proindeq́ petebatis, atq; veſtras ipſas Tharſis, ita vt cùm illi ſoluerent ex Tharſis, dicerent ſe domum ire, hoc eſt, Tyrum: in qua, vt cognati & propinqui, ac neceſſarij familiariſſimè excipiebantur. Quamobrem verò naues Tharſis potiùs, quàm vrbem ipſam Tharſis primùm compellarit, rationem red-*

Lib. Abar.

Ionæ 1.

*dere, in promptu eſt: quòd hi primùm, & maximè ſentirent damnum & incommodum; qui cõmodis omnibus Tyriæ non ſolùm mercaturæ, ſed ipſius ciuitatis & vrbis fruebantur. Deinde iidem priùs cognituri erant Tyriarum rerum caſum, qui nauigabant ad illam vrbem: quandoquidem nuncius ille ad ciuitatem Tharſis per naues ipſas erat deferendus. Antè ergo oportuit rem cognoſci à nauigãtibus, quam à ciuitate, quæ immobilis erat, ac de Tyriarum rerum ſtatu per nauigantes certior fiebat: ipſi verò nauigantes rem cognituri erant, vel vbi in Tyrum perueniſſent, vel antequam eò deueniſſent, in ipſo nauigationis tempore; nimirum ab iis certiores facti qui minùs procul à Tyriis habitabant. Futurum autem ſignificat Vates adeò velocem illius direptionis famam, vt ab inſulis & regionibus intermediis, vel Tharſis vrbi propinquioribus quàm Tyrus erat, ad Tharcenſes naues peruaſurum ait.* de terra Cethim reuelatum eſt eis. *Etenim ex Siciliæ, Calabriæ, & Cretæ portubus, vel ex nauibus illinc venientibus, vel ex piſcatoribus qui in illis regionibus rumorem ſparſum audierant, Tharcẽſes naues excepturæ erant non vanum. Hæ namq; Europæ partes & inſulæ nomine* Chetim *ſignificantur, vt in ſacro Apparatu demonſtrabamus. Sed nobis hoc loco illam partem Italiæ indicare videtur Propheta, quæ nũc Calabria dicitur: in cuius extremis littoribus Careta eſt, nomen illud Chetim, quamquam nonnihil propter linguæ Latinæ inflexionem variatum, adhuc retinens; namq; Græca pronunciatione integrum ferè conſeruat* KHITHS. *Siquidem ex Carthagine in Tyrum nauigantes oram illam præterlegebãt, & commeatus, & aquarum, atq; etiam nauigationis dirigendæ cauſa: eſt enim rectiſſima & expeditiſſima Brundiſio in Phœniciam nauigatio, atq; tota illa regio Calabria dicta, & ad Citim relata, ab antiquis fuit alio nomine magna Græcia appellata. Nam ceteras inſulas, in medio mari ſitas, Cretam & Cyprum, quæ nomine etiam Chetim comprehenduntur, ad ſua etiam damna & incommoda ex Tyri direptionibus profecta, dolenda ac lugenda, vnà cum vicinis ac finitimis regionibus appellat Vates.*

Tacete, qui habitatis in inſula, negociatio Sidonis, transfretantes mare, repleuerunt te.

Threni. 2. 3. DOLORIS *magni vim ſilentium aliquando ſignificare in Apparatu ſacro oſtendebamus, ex huiuſmodi exemplis: Sederunt in terra, conticuere ſenes filiæ Sion. &, Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſe ſuper ſe. Vehementem ſiquidem afflictionem, quæ ſenſus occupet, & lamentationum leuamen, quodcumq; illud eſſe poteſt, præpediat, huiuſmodi habitus arguit. Quid verò attineret ad inſulas ex calamitate Tyri, exponit ipſe Iſaias:* Negotiatio Sidonis transfretantes mare, repleuerunt te. *Magnum ſiquidem emolumentum, tum ſuas res vendendo, tum aliundè comportatas emendo inſulæ capiebant ex negotiatione illa Sidoniæ. Quippe & Sidonij fructuũ, & vini atq; olei copiam ex Creta & Cypro comparabant, qua ſuas ciuitates, ſuaq; emporia inſtruerent: tum etiam ipſi nauigantes obiter illas inſulas adeuntes, replebant argento & auro, delitiis ac diuitiis peregrinis. Appellat autem negotiationem illam Tyriam, Sidonis negotiationem, quia*

omni

*omni regioni illi à Latinis Phœniciæ dictæ, nomine antiquiſſimæ & maximæ etiam vrbis adſcribebatur. Siquidem Tyrus à Sidoniis condita, & in mari ſita, non regio, ſed vel inſula, vel peninſula appellari poterat. Mutauit autem Propheta numerum commodiſſimè, perſona retenta pronominis,* repleuerunt te, *inſulam videlicet. Siquidem verbum,* tacete, *quod ad dolorem refertur, rectè conuenit cum nomine habitatores, ſiue habitantes, vt in Hebræo eſt: at cum eodem non tam aptè coniungitur, replendi verbum, quàm cum inſula ipſa. replebantur, inquam, inſulæ illæ pecuniis & diuitiis ob eas cauſas, quas expoſuit Vates. Verùm quia non ſatis erat copia pulcherrimorum fructuum, & vini atq; olei copia ad emporium illud, & regionem totam alendam, niſi vt annona etiam abundaret, ſignificat Propheta locum ex quo annonæ frumentorumq; copia maxima aſportaretur*

In aquis multis ſemen Nili, meſſis fluminis fruges eius, & facta eſt negotiatio gentium.

MAGNAM *Ægypti fertilitatem Nilo, qui Hebraicè* SIHHOR, *id eſt turbidus dicitur, acceptū referri, iam ex ſacris & prophanis hiſtoriis non ſemel intelleximus: neque enim in illa regione pluit, ſed ex inundantis Nili aquis & limo rigata & obducta terra miram fœcunditatem accipit, ita vt aquæ virtus ipſa & fructus & fœtus gignere & alere dici poſſit: quamobrem poëticè ſimul & philoſophicè dixit Iſaias, Semen Nili: quòd enim ex vno modio ſementis trigecuplum aut ſexagecuplum colligatur frugis; ipſius Nili ſemine factum videtur, quod cum mortui in terra grani ſubſtantia commixtum, illud admirabile incrementum efficit: ita Nilus à Vate noſtro* Mela.lib.1. *ſeminum & frugum pater appellatur; atque idem aquarum multarum nomine deſcribitur. Eſt enim Nilus amnium in mare noſtrum permeantium maximus, qui olim ſeptem pleniſſimis oſtiis in mare defluebat, Diues ab antiquis vocatus, hoc igitur ſignificat,* In aquis multis ſemen Nili. *Semen illius magni & abundantis amnis, qui Nilus dicitur, quiq; terram fœcundat aquis ſuis, & multos magnus alit magno commixtus corpore fœtus: idemq; aëris & vaporum à ſe remiſſorum fruges ad maturitatem perducit, atq; ad meſſem vſque deducit. hoc eſt quod dicit,* meſſis fluminis. *illud inquam, ſemen, illa meſſis eſſe ſolent* fruges eius, *Tyri videlicet: quæ neque ipſa fruges fert, cùm breuis inſula, ſiue peninſula ſit; neque ex regione ſua Sidonia, quæ maritima ferè omnis eſt, vt plerumque montoſa percipit; ſed ex Nilo Ægyptóque, tanquam ex horreo comportatas accipit. Ipſa autem veluti regina alienis rebus omnibus fruitur: nihil aut agens, aut præſtans, præter commoditatem & oportunitatem nundinarum & emporij omnibus aliis gentibus aperti & conſtituti. Hoc illa locutio ſignificat:* Et facta eſt negotiatio gentium. *Vnde feliciſſima in rebus humanis dici poſſe videretur Tyrus, quæ nullo ſuo labore ac ſudore diuitiis delitiisq; terrarum vteretur: ex quo Phœniciæ nomen regioni illi factum eſt.* PANAK *enim Chaldæis delitias ſignificat; inde Pancaia à poëtis celebratiſſima regio, & Phœnicia, & Punici populi, & quia Phœniciæ illius caput Sidon erat, vnius diei itinere à Tyro diſtans, ita vt quotidie Sidonij negotiatores Tyrum adirent, &*

*perpetuò frequentarent, permagnaq́ negotia tractarent: à Vate etiam ad partes vocantur, vtpote qui cum primis ex Tyri calamitate vehementer turbandi erant.*

Erubeſce Sidon, ait mare, fortitudo maris, dicens: Non parturiui, & non peperi: & non enutriui iuuenes, neque ad incrementum perduxi virgines.

SIDONIOS *magna confuſione, ac turpi pudore, magnoq́ luctu afficiendos eſſe prædicit: id enim quod imperatiuo pronunciatur, ad futurum refertur. ſed ita pronunciatur imperatiuo, vt certiſſimum fore cognoſcatur: nam qui conſequens præcipit, antecedens confirmat. Vtitur autem eleganti proſopopæia Propheta noſter, inducens Tyri lamentum, quam mare appellat, & maris fortitudinem; vtpote in mari ſitam, & omnium, quæ in mari eſſent, vrbium præſtantiſſimam, eam autem ſuam ſolitudinem, direptionem, aut paupertatem ita lamentaturam prædicit, perinde ego ſola deſerta lugens, mærens, omni lætitia priuata; ac ſi ſterilis fuiſſem, nulloſq́ iuuenes filios, nullas puellas haberem; quorum iuuenta ciuitates exhilarātur, propter elegantiam veſtium, ornamentorum, & ludorum quibus illa delectatur ætas. tria autem verba matribus apta protulit.* Non parturiui, non peperi, non enutriui. *hoc autem dicturam eſſe ait Tyrum, nimirum orbatam omni iuuentute ſua, quam hoſtis abducturus erat. Namq́ in direptione publica & hoſtili, relictis ſenioribus, qui minùs ad laborem & ſeruitutem idonei ſunt, iuniores capiuntur, & pueri & virgines, in ſeruitiorum & mancipiorum vſum abducuntur. Quæ tibi virginum ſponſo necato barbaro ſeruiet? Puer quis ex aula capillis ad cyathum ſtatuatur vnctis?*

Cùm auditum fuerit in Ægypto, dolebunt, cùm audierint de Tyro.

SIGNIFICAT *non minùs perturbandos eſſe Ægyptios nuncio aduentus Sennacherib, quàm Tyrij perturbati fuerint ſimili nūcio accepto: quippe exiſtimabunt Ægyptij illius calamitatem & direptionem Tyriæ ſimilem impendere ex Senacheribo; id quod re vera accidit. Huic expoſitioni certam nobis viam muniuit Hebraicæ orationis ſimplex obſeruatio, quæ ſic habet:* Sicut auditio Ægypti dolebunt, vt auditio Tyri. *Quemadmodum Tyrij doluerunt audientes hoſtis aduentum: ita Ægyptij dolebunt, metuentes ſimile exemplum in ſe edendum. Conuertit autem ſermonē ad Tyrios Vates, quibus fugā ſuadet calamitatis illius effugiendæ cauſa; id quod plerumque euenit, cùm ciuitatibus ruina, vel direptio, vel aduerſiſſima huiuſmodi tempora incidunt.*

Tranſite maria, vlulate qui habitatis in inſula.

TYRIOS *inſulæ habitantes appellat, quòd Tyrus, vti diximus, vndique mari ambiretur, nonnihil à continente diſſita: hos iubet ſaluti ſuæ conſulere, aut rebus aliquo modo proſpicere, fugiētes in Tharſis. quæ ex illorum gente cùm eſſet, à periculo remotior erat; cùm Senacherib eò vſque non eſſet peruenturus. Hunc locum apertè expoſuit Chaldæus, ſed apertiſſimè Græci Interpretes reddiderunt. Chaldaicè ſic habet:* Migrate in regionē maris; vlulate habitatores inſulæ. *Græcè verò ſic:* Abite in Crathaginem,

vlulate

vlulate habitantes in inſula hac. *Eos verò qui, relicta domorum ſuarum commoditate in longinquam regionem, quamquam ad gentem affinem migrarent, res ipſa docet magnis lamentis & eiulationibus ac fletibus, multiſq́ lachrymis ſeſe tradituros. Et quoniam lamentationis mentio facta eſt, ipſius lamenti argumentum e veſtigio ſubiungitur: fore videlicet illam magnam florentiſſimi & diuturni ſtatus mutationem & conuerſionem, vt quæ ciuitas ſedens quieta opulentaq́ erat, atque omnes nationes ad ſe complendam ornandamq́ attrahebat; eadem migrare nunc cogeretur, atque ex illa quiete & opulentia in fugam & paupertatem traduceretur: quæ peregrinos excipiebat, ea nunc peregrinabitur.*

Numquid non hæc veſtra eſt, quæ gloriabatur à diebus priſtinis in antiquitate ſua: ducent eam pedes ſui longè ad peregrinandum?

VERBVM *gloriabatur, hoc loco paſſiuè exponemus, vt conſtet ſententia cum Hebraica veritate. Hæccine, inquit, vrbs iucundiſſima & cõmendatiſſima antiquiſſimis vſa bonis hactenus, quæ omnes ad ſe viſendum & colendum pertrahebat; nunc eadem quieti ac delitiis aſſueta, cogetur pedes migrare, & vel fugiens, vel captiua remotas regiones peragrare, & hoſpes adire.* à diebus priſtinis in antiquitate ſua. *Ex quo illa eſſe cœpit, ſemper iucunda, grata, & glorioſa fuit. Itaq́ nũquam hactenus aduerſo rerum ſtatu vſa eſt. Ex Hebraicis verbis ſic oratio hæc ſonat, Latinis reddita:* Hęccine vobis iucunda à diebus antiquitatis antiquitas eius, ducent eam pedes ſui longè ad peregrinandum? *Peregrinare autem hoc loco ſignificat, in alienis locis ac regionibus habitare, ex verbo* GVR. *Magnam autem & mirandam hanc rerum mutationem, & vix prædictam credibilem fore, ipſe Vates lamentationis argumentum proſecutus, oſtendit.*

Quis cogitauit hoc ſuper Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores principes, inſtitores eius inclyti terræ.

*Calamitatem illam Tyriis rebus allatam, non caſui, non conſilio, aut potentiæ, opibúſve hominum adſcribendam eſſe Vates ait. Quamquam enim Senacherib maximus potentiſſimuſq́ princeps eſſet, homo tamen erat; & homini maxima aggredi, atq́ expedire non contingit, niſi ex Dei vel conſilio, vel permiſſu: aliàs quid poteſt homo efficere egregium præter cæteros homines? Bella in primis ſine ingenti pecunia geri non poſſunt, & ſine multis militibus, & militarium copiarum ducibus: neque verò quiſpiam magnus Imperator eſt, qui maximas & antiquiſſimas res, atq́ diuturno & perpetuo ſtatu confirmatas, euertere vel turbare aggrediatur, vel etiam tentet; non ſubducta priùs ratione & conſilio inito, atq́ opinione concepta, ſe multis partibus eſſe ſuperiorem. S. S. E. Quis Rex iturus committere bellum* Lucæ 14.
*aduerſus alium Regem, non ſedens prius cogitat ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad ſe? Quid ergo refert, ait Vates, vt Tyrus hanc tantam calamitatem & direptionem pateretur? num principis ipſius in ipſam impetum facientis maieſtas? atqui illa non minori maieſtate, ac fortaſſis antiquitate pollebat: vtpote quæ non tantùm coronata, ſed coronatrix eſſet, regina ipſa erat. Multos autem adeò ditabat, opu-*

*lentoſq́ efficiebat, vt Reges etiam principesq́ magnos conſtitueret.* Quondam coronatam. *Hebraicum verbum, non ſolùm coronatam, ſed coronatricem etiam ſignificat, idq́ ſubiũcta expoſitione exponitur. non enim vulgares illa, aut homines mercatores alebat: ſed permagnu negotiis potentiſſimos viros opibus & gloria valentes; qui vel in ipſa habitabant, vel inter ipſius ciues aut nobiles erant conſcripti: eſt enim decorũ etiam magnis principibus maximarum ac celeberrimarum ciuitatum iure vti, interq́ illuſtria ornamenta cenſetur, vel Romanum ciuem, vel Venetum patritium appellari. Tyri autẽ negotiatores principes inſtitutores eius inclyti terræ. Ex Hebraico ſic:* Cuius mercatores principes, negotiatores eius ampliſſimi terræ. *Ij autem cùm & multi eſſent, & opibus ac diuitiis abundarent, poterant coniunctis auxiliis vel illam defendere, vel cum hoſte de pace, & rerum ſuarum conſeruatione paciſci: & tamen neutrum ab illis præſtitũ eſt; neque impeditum quò minùs illa, coronatrix ipſorum, diriperetur, & in ſolitudinem penè redigeretur: id quod manifeſtè arguit, non caſu, non temerè, non hominum conſilio ac virtute; ſed Dei vltoris & vindicis iudicio & permiſſione rem illam actum iri. Ideo Propheta illam argumentationis huius collectionem exponit.*

Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret ſuperbiá omnis gloriæ, & ad ignominiá deduceret vniuerſos inclytos terræ.

NVLLAM *tantam eſſe vel maieſtatem, vel potentiam, vel prudentiam humanam, quam diuina vltio non euertat, ſi modò cauſa, ſiue potiùs culpa extet, hoc loco ſignificat Vates nomine Domini exercituum appellato, quod ad potentiam, vlciſcendiq́ facultatem ac rationem referri, iam ſæpè aliàs demonſtrauimus. cauſa autem eſt ipſorum qui puniuntur culpa & ſcelus. Sicut enim ad Reſpublicas conſeruandas, vnica efficaciſſima tutela, diuina cura, prouidentia, & gratia; hæc autem per innocentiam, ſimplicitatem, & integritatem conciliatur, quæ vnicum & firmiſſimum regnorum, ciuitatum, atq́ hominum præſidium eſt: ita rurſus ad eaſdẽ facillimè labefactandas & diſſipandas apertiſſimã viam culpa & iniuria munit: quæ & iram diuinam accendit; & eas, in quibus hoc malum verſatur, Reſpublicas perdendas, prodit iis, quibus exercituum Deus eam operam permiſerit, vel impoſuerit. frequentiſſimis autem exemplis ita rem ſeſe habere compertum eſt, vt potentia & opulentia, ſuperbiam & ambitionem progignant & faſtum: ex his vitia oriantur multa, quæ diuinum iudicium incitent; idq́ tandẽ publica iniuria accedens, maturet, atq́ ad pœnas celeriter ſumendas ſollicitet. Hoc autem exemplum in Tyro ſtatuendum eſſe Vates prædicit. quam vnà cum inclytis ſuis omnibus, à quibus ornatam & defenſam atq́ amplificatam ſeſe illa eſſe exiſtimabat; ſuperbiæ, inſolentiæ, & eorum criminum, ac ſcelerum, quæ ex his vitiis proficiſcuntur, damnatam;* exercituum, *potentiſſimus Dominus expugnandam, labefactandam, atq́ diruiendã traditurus erat.* Vt detraheret ſuperbiam omnis glorię. *Tyri deſcriptio hæc eſt: quam omnem gloriam, ſiue pulchritudinem omnem, hoc eſt, vrbiũ pulcherrimam & ſpecioſiſſimam Iſaias vocat; quia hoc nomine iactari ipſam norat.*

*morat. Hebraicè*, CHOL TSEBI. Et ad ignominiam deduceret vniuerſos inclytos terræ. *Hoc ad ſocios, ciues, patriciosq́; Tyrios refertur, qui multi per omnes regiones erant, quorum gloriam & amplitudinem, atque nobilitatis illius iactationem vanam euaſuram eſſe Vates affirmat, eleganti antitheto, vt Latinus interpres noſter vertit*, deducere inclytos ad ignominiam. *verùm elegantiori etiam Hebraicè, ſi verba ex ſimplici ſignificatione expendantur: quamquam id Latinus ſermo cõmodè præſtare non poßit, totidem ſimplicibus verbis, tamen vtrumque plurium congerie præſtabit.* Ad leues reddendos omnes grauiſſimos ampliſſimos terræ. *Cùm autem Tharſenſes, ſiue Carthaginenſes illius emporij primas partes tenerent, & magna frequentia exercerent; eos in hac prædictione ac denunciatione, & ſæpiùs & ſtudioſiùs compellari monerìq́; oportuit. moniti autẽ fuere in primis ij, qui in ipſa Carthagine erant, & ij etiam qui ex Carthagine in Syriam ſiue Phœniciam nauigabant; nunc etiam ij monentur, qui in Tyro agebant, quos quàm primùm, & quàm celerrimè loco cedere, abireq́; iubet Vates, ne afferenda ex diuino decreto calamitas imparatos opprimat, & cum Tyriis inuoluat:*

Tranſi terram tuam quaſi fluuium filia maris: non eſt cingulum vltrà tibi.

MARE *hoc loco Carthaginem nobis ſignificat ex Hebræo, in quo legimus*, filia Tharſis. *Filiam verò Tharſis, gentem interpretamur Carthaginenſium, ante illam tempeſtatem Tyri agentẽ: vt filiam Sionis, Ieroſolymitanam gentem; & Philiſthiim filiam, Palæſtinos eſſe nouimus. Monet autem illos Iſaias quàm citißimè & quàm celerrimè ex Tyro inſula, in ſuam Cartaginem tranſire, magna frequentia & copia; perinde atq́; fluuij aqua multa celeritate tranſire ſolet, ex vno loco in alium: atq́; hac ſimilitudine metus, trepidatio, & fuga illi genti denuntiatur. quippe ciuitatis aut emporij rebus florentibus homines exteri & hoſpites locum ipſum frequentant ſubeuntes & redeuntes; ita vt à longè proſpicientibus maris fluctibus ſimiles videantur; at verò rebus iiſdem trepidantibus & periclitantibus, hoſpites omnes cateruatim alij poſt alios aufugiunt, locoq́; cedunt, & egredi, atq́; abire omnes, nulli ferè ingredi vidẽtur, ſpeciemq́; præbent fluminis aquæ, quæ omnis alia parte aliam continuato deflexu impellente, abire, & aufugere videtur. Ex Carthaginẽſibus, cùm Tyri proſperitas conſtaret, alij ingredi, alij egredi portis; & nauigatione frequenti venire hi, abire illi viſebantur: at verò illa tempeſtate omnes trãſire in terram ſuam, Carthaginem inquam, viſentur.* Quaſi fluuium. *In nominatiuo caſu hoc nomẽ fluuium ex Hebraico accipimus. Tranſi, inquit, quaſi flumen, quod omne in eundem locum aquis in pronum fluentibus tranſit atq́; decurrit. Huius moniti rationem Vates reddit:* Non eſt cingulum vltrà tibi. *quia nullum, inquit, eſt robur, nullum præſidium reſtat Tyro, quo protegi defendiq́; poßis. Cingulum, robur hoc loco interpretamur, ex Hebraico* MEZAHH, *quod fortitudinẽ, robur, firmitudinemq́; ſignificat. Illud verò pronomen*, tibi, *expoſitionis cauſa ab interprete noſtro ſignificanter eſt adiunctum. Atque hæc*

huius

*huius carminis ſimplex germanaq́; expoſitio eſt, cui & Paraphraſtes Chal-
daicus ſuffragatur. Poſtquam verò nullum robur, nullum in Tyro præſi-
dium Vates affirmauit; eiuſdem rei cauſam exponit; videlicet, decretũ Dei
omnipotentis: cui nullam hominum, naturæ nullam vim obſiſtere poſſe, ma-
nifeſtis exemplis demonſtratum iam diu fuerit. ille enim*

Manum ſuam extendit ſuper mare, & turbauit regna.

H A C *deſcriptione prædicta huius tempeſtatis, quæ Tyriis afferenda
erat, auctoritas refertur ad Deum: cuius potentia & virtus contra omnes
improbos & impios manifeſtis argumentis cognita fuerit. Is quippe eſt, qui*
Pſal.135. *antiquis temporibus manum ſuam extendit ſuper mare, & excußit Pha-*
» *raonem, & virtutem eius in mari rubro. Et hoc exemplo oſtendit iudicio-
rum ſuorum virtutem præſtantißimam eſſe: idemq́; confirmauit Canam
primùm regnis contremefactis, labefactatis, ac peſſundatis. hoc eſt quod ad-
ditur:* Et turbauit regna. *Hebraicè eſt ad verbum,* tremefecit regna. *Si-*
Pſal 134. *gnificatq́; idem quod in Pſalmis canitur: Qui percußit reges magnos, &*
» *occidit reges fortes. Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Baſſan, &*
» *omnia regna Canaam. Eundem itaq; eſſe ait Iſaias principem maximum,
cuius auctoritate ac decreto Tyrus in direptionem tradenda ſit; non enim
huiuſmodi nunc efficientias turbandi, extendendi manum ſuper mare, at-
que regna turbandi Tyro adſcribimus; ſed Deo: cuius auctoritas hoc loco à
Vate ſignificatur. id quod manifeſtè docet Hebraicè maſculinum genus in
hac oratione ter vſurpatum; cùm Tyri nomen femininũ ſit, vt anteceden-
tia omnia & conſequentia verba demonſtrant: maximè autem quòd Pro-
pheta ipſe ſeſe per expolitionem figuram continuò explicat, oſtendens ipſum
auctoris nomen, & rei ſummam totius breui oratione complexus.*

Dominus mandauit aduerſus Canaan, vt contereret fortes eius.

E V N D E M *eſſe ait enim cuius auctoritate & iuſſu Tyri fortitudo con-
teratur, qui olim manu extenſa Pharaonem in mari demerſerat, & reges
omnes Amorrhæorum, Chananæorumq́; regna dißipauerat. Canaan verò
duo ſignificat: populum Cananæorum, & mercaturæ negotiisq́; deditos ho-*
Prou.31. *mines: cuius exemplum illud eſt in verſione noſtra: Sindonem fecit, & ven-*
» *didit; & cingulum tradidit Cananæo. In vtraque ſignificatione vſurpatum
eſt hoc nomen à Propheta, quia vtraque ex parte Tyro apprimè conuenit.
erat enim Tyrus Sidonis Colonia: Sidon verò primogenitus Canaan fuit.
deinde etiam Tyrus Canaan dici digna fuit, ſi quæ totius orbis ciuitas ma-
ximè hoc nomen vſurpauit; quippe quæ in mercaturæ negotiis primas obti-
nuit: adeò vt quod Latinus noſter interpres paulo antè inſtitores eius ver-
tit, Hebraicus ſermo Cananæos eius dixerit; id quod Græci etiam interpre-
tes indicarint. Dominum itaque voluiſſe, decreuiſſe, atque mandaſſe exer-
citibus ſuis; vt illi fortißimi, & locupletißimi mercatores, qui aliàs prin-
cipes & inclyti terræ erant, contererentur: nunc verò, occaſione iam obla-
ta, Threnus à Vate componitur ſub perſona vel Dei, illam calamitatem de-
cernentis; vel alicuius poetæ, qui ex more magnam illam Tyri miſeriam
elegia proſequatur.*

Et

Et dixit: Non adiicies vltrà vt glorieris calumniam, Suſtinens virgo filia Sidonis.

THRENI *huius ſententia & oratio ad Sidonem refertur, non ad Tyrum: namq;* Filia Sidonis, *idẽ ſignificat quòd ciuitas Sidonis; vt filia Sion, ciuitas Sion; filia Babylonis, Babylonica ciuitas. Illam autem virginem anteà fuiſſe, hoc eſt, omnis oppreßionis & aduerſitatis atq; direptionis expertem, ſuis rebus, ornamentis ac delitiis diutiſsimè vſam affirmat Vates: quæ & ſua virginitate, intactisq; theſauris gauiſa & gloriata fuerat. Huius ciuitatis cùm multa negotia, negotiatoresq; cõplures apud Tyrum fuerint, eademq; in illa tempeſtate quæ Tyro excitata fuit, magnam ſuarum rerum iacturam etiam fecerit, appellatur nunc hoc lamento, & lugetur: vtpote quæ non iam vlteriùs exultatura eſſet, aut facilitatem ſuã iactatura. Quod verò dicit:* Non adiicies vltrà, *non ſolùm ad tempus, ſed ad rerum etiam incrementum & amplificationem refertur, indies enim auctior, magis atque magis exultabat, ſuasq; fortunas iactabat. Verbum autem,* Calũniam ſuſtinens, *Hebraicè eſt,* HAMEGHVSEKAH, *quod ex etymo & coniugationis forma* ſuperuiolentatam *exponere poſſemus; ſiue,* ſupercompreſſam. *Perſtat enim oratio in tranſlatione ſumpta à nomine Virginis; quippe non ſolùm Tyrus oppreſſa fuit; ſed & Sidon etiam, cui permagna negotia apud Tyrum erant, fuit etiam ſuperoppreſſa. Erat enim Sidon maxima commoditas & oportunitas in Tyri nundinis; tum propter locorum propinquitatem, tum etiam propter gentis affinitatem, & cognationem mutuam. Sed cùm negotiandi conſuetudo, & cupiditas etiam pecuniæ magis adeò ex direptionis dolore aucta, Sidonem ad nota exercitia, hoc eſt, ad mercaturam excitatura eſſet, idq; fieri non poßit in Tyri nundinis, quæ nullæ poſt direptionem illam per totos ſeptuaginta annos futuræ erant: monet per Sarcaſmon Vates ipſos Sidonios, vt negotia aliò transferant; videlicet ad Græcorum & Italorum regiones: in quibus emporia erant; non tamen illi Tyrio comparanda, hoc eſt, quod adiungitur:*

In Kitim conſurgens transfreta: ibi quoque non erit requies tibi.

CHETIM, *ſiue Chitim Græciæ inſulas Cyprum, Cretam, & Italiæ partem Calabriam appellatam eſſe, ex ſacris libris obſeruatum, in Apparatu ſacro demonſtrauimus.* lib. Phaleg. *Iubetur ergo Sidon negotia ſua in illas regiones transferre, quæ tamen numquam adeò proſpera, adeoq; grata experiretur, vt illam commoditatem, vtilitatem, & oportunitatem Tyri ſuæ non deſideret.* Surgens. *quæ dum Tyri proſperitas manebat, ſedere ſolebas, atque domi agens, negotiari; iam deinceps, ſi lucri ſtudio tenearis, illo velut otio antè tuo relicto, tranſibis in Chetim. Verùm neque ibi inuenies requiem, aut parem ſimilitudine conditionem huic, qua nunc apud Tyrum florentem vteris. Hactenus autem Vates Tyri calamitatem prædixerat, eamq; ex Dei decreto afferendam eſſe affirmauerat, qui mandaret euertendam & peſſumdandam illam florentißimam & ſuperbißimam mercatorum gentem: ſed quibus miniſtris id faciendum eſſet, cùm nondum ſignificarit, nunc deinceps exponit, non obſcurè indicato Senacherib rege, cuius exercitus Tyrum*

*eſſet direpturus. Atq; oratio quidē difficilior aliquanto eſt, propter Threni, ſiue elegiæ ſtilum; qui conciſus, & eclypſibus interceptus plerumq; eſſe ſolet.*

Ecce terra Chaldæorum, talis populus non fuit. Aſſur fundauit eam in captiuitatem: traduxerunt robuſtos eius: ſuffoderunt domos eius: poſuerunt eam in ruinam.

OBSERVANDA *primùm eſt diſpunctio à nobis indicata, deinde ſingula verba ex Hebraico ſermone ſunt explicanda. In primis verò admirationis figura oportunè inducta eſt in hunc locum: qua oſtenditur in paruis initiis magnas res creſcere, incendiaq; maxima exiguis ex ſcintillis oriri. Hoc autem ſignificatur nunc de Chaldæorum regione, quæ cùm rariſsimis, iiſdemq; humillimis olim cultoribus habitaretur, eò potentiæ & roboris, atque audaciæ creuit; vt vel auctores ſuos, imò totum orbem turbauerit, humanaſq; res miſcuerit: vt non mirandum ſit hanc calamitatem Tyriis ab eadem Chaldæorum gente fore afferendam. Atque in primis indicatur exiguus Chaldæorum ortus, qui initiò inter gentes & populos fuerit connumeratus. Non enim in diuiſione orbis terrarum, quæ Phaleg ætate contigit, Chaldæorum nomen inuenitur, vtpote quod longo pòſt tempore extiterit. Namq; Chaldæi, qui propriè* CHASDIM *dicuntur, & genus & nomen à* CHASED, *Nachoris filio duxerunt. Nachor verò longè poſt diuiſionis tempora fuit peregrinus & hoſpes in Meſopotamia. Huius poſteris nō omnibus, ſed iis qui à Chaſed orti erant, Aſſyrij primi omnium orbis imperium occupantes, in eam terræ particulam, quæ Chaldæa dicta eſt, non tam ad colendum, quàm ad vagandum, atq; adeò ad incurſiones & prædas agendum conceſſere; vtpote paruo numero gentis, & ad bellum exercitato, atque idoneo vt per ipſum negotium & labor inferatur iis nationibus, quas Aſſyrij occupare cupiebant. hoc eſt quod Iſaias ſignificat, dicens:* Aſſur fundauit eam in captiuitatem. *Sic enim diſpungimus. In captiuitatem verò, idem quod in prædā, vel in prædas interpretamur nō fuiſſe inſtitutā gentem illam Chaldæorum in magnum aliquem & illuſtrem populum, ſed in direptionem vicinorum; idq; ex Hebraico,* TSIIM, *exponimus, quod naues pyraticas, & prædonum atque piſcatorum nauigia ſignificat. Huius populi, inquit, initium factum fuerat in eum vſum, in quē pyraticæ naues parantur: illi autem ex prædandi conſuetudine, & bellorum exercitatione, eò audaciæ & inſolentiæ creuerant, vt omnibus gentibus grāues, detrimentoſi,*
Habac. 1. *inuiſi, formidabileſq; euaſerint. S.S.E. Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos,*
» *gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſ-*
» *ſideat tabernacula non ſua. Horribilis & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudi-*
» *cium & onus eius egredietur. Leuiores pardis equi eius, & velociores lu-*
» *pis veſpertinis. Itaque ij qui primùm, tamquā latrones & pyratæ, ignobilis populus fuerant, neq; populi nomine digni, tamen vſu exercitationeq; belli, & direptionum & prædarum copia locupletati, & principes viros inter ſe conſtituerint; vrbes, munitaſq; arces ſibi comparauerint, ex quibus tāquam aquilæ ex propriis nidis, ad alias nationes turbandas & proterendas aduo-*
Habac. 1. *lauerint. ſicut de his horumq; ducibus ſcriptum eſt: Et diffundentur equi-*

*tes*

*tes eius: equites namque eius de longè venient, volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens: & congregabit quaſi arenam captiuitatẽ. Et ipſe de regibus triumphabit, & tyranni ridicula eius erunt: ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eum. Hoc ipſum eſt, quod ſignificat Iſaias hoc loco:* Traduxerunt robuſtos eius. *Hebraicè ad verbum:* Erexerunt electos ſuos. Suffoderunt domos eius. *Hebraicè*, Excitauerunt palatia ſua, *ſiue*, palatia eius. *Ille exiguus & ignobilis quondam populus, illa latronum antea manus, delectos inter ſe conſtituerunt duces & principes; magna mole conſtruxerunt palatia, arceſq́; munitiſſimas. Hanc adeò gentem à Deo ad ruinam atq; deturbationem populorum, ciuitatum, & regnorum à Deo poſitam eſſe, Vates affirmat.* Poſuerunt eam in rŭinam. *verbum* Poſuerunt, *ſi pluraliter, vt Latinè legimus, accipiatur, ad Deum & Aſſur refertur: ſin verò, vt Hebraicè eſt, ſingulariter legatur, Deum auctorem indicat: poſuit enim Deus Chaldæorum gentem in ruinam multorum, quos punitos eſſe voluit. S. S. E. Væ Aſſur, virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quaſi lutum platearum. Itaq; non adeò mirabile videri debet Tyro ſe grauiter fuiſſe inuaſos, & penitus direptos à Chaldæis, quos ſcirent ab initio direptores & prædones fuiſſe. Atq; hac oratione ſignificat Propheta calamitatem illam Tyriis allatam fore ex decreto & iudicio Dei; qui ad eam rem Chaldæis vtatur, gente amara & veloce, vt poſſideat tabernacula non ſua: gente, inquam, amara, quæ omni ferè orbi dolorem & luctum allatura ſit, variaſq́; nationes grauiter affectura. Quamobrem Carthaginenſium naues ad luctum ex communi iactura vocantur.* Sup. 10.

Vlulate naues maris, quia deuaſtata eſt fortitudo veſtra.

PRO *qua mare à noſtro interprete redditur fortitudo Tyrus fuit. erat enim Tyrus horum Tharſeſiorum non ſolùm mater, ſed altrix etiam; quippe ipſius matris mercatu & emporiis Carthaginenſium res augebantur. Iam verò huius miſeriæ & tenuis conditionis, quam Tyrus ex diuini iudicij decreto ſubitura erat, certum tempus ac durationem Iſaias præfinit, & indicat: qua in re diuinam miſericordiam commendat; quæ correptionem erga homines priùs experitur, quàm extremam cladem internecionémque afferat.*

Et erit in die illa, in obliuione eris, ô Tyre, ſeptuaginta annis, ſicut dies regis vnius. Poſt ſeptuaginta annos erit Tyro, quaſi canticum meretricis.

DIXIMVS *illum Tyri caſum non demolitionem, aut vaſtationem, ſed humiliationem fuiſſe: atque illius maximæ & frequentiſſimæ negotiationis intermiſſionem; idq́; à Propheta apertè ſignificari oſtendimus: quod hîc etiam apertiùs exponitur illis verbis,* In obliuione eris ô Tyre. *Sunt, vt Hebraica ſonant:* Obliuioni tradetur Tyrus. *non ait: Exciſa eris, vel,*

*exciſſa & vaſtata erit Tyrus, ſed obliuioni tradita in frequentiam illā mercaturæ & negotiationum indicans, eamq́; rem appoſitiſſima ſimilitudine meretricis exponens. Quicuit enim aliquando vt meretrix, quæ à plurimis amatoribus peti, adiriq́; ſolet, in morbum, vel in aliam conditionis, vel fortunarum, vel formæ imminutionem incidat; quamobrem ab amatoribus vel faſtidiatur, vel deſeratur; minusq́; frequenter, aut etiam rariſſimè petatur, vt in quandam huius notæ poëta ille ludebat:*

*Parciùs iunctas quatiunt feneſtras*
*Ictibus crebris iuuenes proterui,*
*Nec tibi ſomnos adimunt, amatq́;*
*Ianua limen.*
*Quæ priùs multum faciles mouebat*
*Cardines, audis minùs, & minùs iam*
*Me tuo longas pereunte noctes*
*Lydia dormis.*

*Eadem verò poſtea valetudini reſtituta, & conditionis prioris memor, atque cupida, quæ priùs ſuperba arrogansq́; propter amatorum copiam & riualium frequentiā faſtidire etiam multos videbatur, ipſa ad eas artes animum ſtudiumq́; reuocat, quibus ſtulti iuuenes in amorem pellici conſueuerunt, ad cantus, geſtus, & ſaltationes; quemadmodum & ille idem:*

*Audiuere Lyce Dÿ mea vota: Dÿ*
*Audiuere Lyce, fis anus, & tamen*
*Vis formoſa videri:*
*Ludisq́; & bibis impudens,*
*Et cantu tremulo pota cupidinem*
*Lentum ſollicitas. ille virentis &*
*Doctæ pſallere Chiæ*
*Pulchris excubat in genis.*

*Huiuſmodi rationem & ſimilitudinē ad Tyri tempora ſignificanda aptiſſimè Iſaias attulit, prædicens illā humilitatē & ſolitudinē vno ſeculo duraturā: vno, inquam, minori ſeculo; nimirum annis ſeptuaginta: nam ſeculum communi hominū vita conſideratum centum ferè annorū ſpatio definitur. At verò regum vita breuior eſſe ſolet, quàm vt centeſimū attingat annum, & rariſſimè ſeptuageſimum excedit: vt ex omnium ferè nationum chronicis obſeruata eſt. Solent autem ciuitatum, prouinciarum, regnorum, atq́; rerum publicarum rationes Regum ipſorum ætatibus, & annis adnotari, & ſub quo Rege quid acciderit, indicari. Igitur vnius tantùm hominis Regis vitam & ætatem illam Tyri ſolitudinem & infrequentiam duraturā eſſe, Iſaias ait. Hunc autem vnum Regem ipſius Tyri, potiùs quàm aliarum regionum fuiſſe exiſtimamus, quo puero illa calamitas Tyro allata fuerit: is autem propter tenuitatem & dolorem, atq́; mæſtitiam; & tempus etiam ipſum, quod non repentè magnas calamitates & incommoditates reſarcire ſolet, non potuit per totam vitam ciuitatis ſuæ res inſtaurare; & forſitan vt illa gentium ſuperſtitio erat horoſcopi & genÿ ſui infortunio, ſua damna*

*&*

*& incommoda adſcribens, minus etiam diligenter inſtaurandas curauit, ſed tamen ex diuino iudicio, nõ ex hominum conſilio, aut aſtrorum efficientia vel impedimento pendebat, illi verò iam vita defuncto regi, alius ſucceßit, qui & Dei voluntate alacrior, & ad rem gerendam aptior expeditiorq́ eſſet: atque ciues ſuos illius miſeriæ minùs memores, vtpote iuniores, ſuæq́ ætatis (extinctis iam illis prioribus, qui calamitatis ſenſu animum deſponderant) ad rerum ſuarum inſtaurationem animauerit, & excitauerit, contento ſtudio, et inito conſilio, ac ſecundo euentu: hoc eſt, quod ait Propheta:* Poſt ſeptuaginta annos erit Tyro quaſi canticum meretricis. *Vt enim meretrix, quæ aliquandiu neglecta, atq́ ab amatoribus deſerta, latuit, maximè propter morbum aduerſamq́ valetudinem, aut aduerſam aliquam conditionem, qua premebatur rurſus reſumptis viribus, & ſpecie ac pulchritudine aliquantum inſtaurata, cythara & cantu, huiuſmodiq́ illecebroſis artibus iuuenes inuitat & allicit. Sic Tyrus poſt ſeptuaginta annos ruinis ſuis reſtitutis, domibus reparatis, & commoditatibus priſtinis portuum, fororum, apothecarum, aliarumq́ rerum ad emporium publicum, oportunarum denuò curatis, epiſtolas & nuncios ad varias regiones, vrbes, nationesq́ miſſura erat, omnibus vſufructus priuilegiorum commodorum, & immunitatum, aliarumq́ rerum ad mercatum & nundinas factitantium promißis plenas, quibus inuitati exteri, antiquum illud commercium repeterẽt. Hoc ipſius Tyri ſtudium per Enthuſiaſmon præuidens Propheta certißimarum rerum à ſe viſarum forma non ſolùm prædicit, ſed etiam imperatiuo, ſiue conſultiuo modo monet.*

Sume tibi cytharam, circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita, bene cane, frequenta canticum, vt memoria tui ſit.

HEBRAICVS *ſermo paßiuas voces in omnibus verbis ferè habet: quibus non rarò deſtituta Latina lingua, ſententiam cùm referat, elegantiam orationis, & genuinam quandam ſignificantiam reddere minimè poteſt. Hortatur in futurum Vates, tanquam præſens Tyrum ipſam, vt omnes artes moueat, quibus allicere poſſet omnes orbis nationes ad ſe, nundinasq́ ſuas repetendas & frequentandas: vtitur autem tranſlatione deſumpta ex ſimilitudine meretricis, quã ceperat. Habet verò Hebraicè magnam elegantiam & ſignificationem oratio hæc. Namque* ZONAH, *nomen propriè quæſtuariã, vel quæſtricẽ ſignificat: hoc eſt, eam quæ non ex labore ſuo, ſed ex proſtitutione ſui vel exceptione hominum in hoſpitium, vel conuiuiũ viuit. Itaq́ non ſolùm eas quæ corpore ſuo quæſtum faciunt, ſed caupones tabernariasq́ ſignificat: qua ſignificatione Rahab Iericuntis tabernaria, & duæ illæ feminæ quæ iudicij cauſa Salomonem adiere, meretrices appellantur: cõmodißimeq́ Interpres noſter Latinus pro* ZONAG, *Hebræo in vtraque ſignificatione meretrix reddidit. Quippe & meretrix, à merẽdo, honeſtum vocabulum magis, quàm ſcortum eſt honeſtatis gratia à Latinis vſurpatum, hac ſolùm ſignificatione quæſtuariæ, ſiue quæſtricis. Itaq́ meretrix non rationem quæſtus, ſed quæſtum ipſum, quocunque modo ſine labore fieri contingat, ſua ipſius etymo indicat: & Terentius quæſtus nomen*

*meretricem eſſe ait. & Horatius meretricem tybicinam appellat.* ZONAH, *verò Hebraicum vocabulum idem quod victuariam, ſiue alimentariam ſignificat; illi eiq; conuenit mulieri, quæ victum ſibi cõparat, & quæ victum aliis parat; vti de tabernariis & cauponis dicebamus. Aptiſſimè igitur nomen hoc* ZONAH, *ſiue Latinum meretricis, in Tyrum quadrat, quæ hominibus peregrinis ad ſe pelliciendis & excipiendis, victum ſibi comparabat: non agricultura, non artificiis aliis præterquã iis, quæ ad emporia & mercatus faciunt. In eiuſmodi enim mercatoriis ciuitatibus omnia proſtant venalia; omnia negotiatoribus plena ſunt; omnes domus, omnis ſuppellex hoſpitibus locãtur; omnes ferè ædes tabernæ ſunt; quod ſiue tabernæ ſunt, ſiue tabernæ publicæ, tamen aliquo nomine & colore ſunt meritoriæ: ſerpit enim per omnia, & latè vagatur illa lucri contagies; ita vt omnia proſtituant, atq; præter cætera pudicitiã, quæ in publicis emporiis cõmuniter venalis eſt.*

*Motus doceri gaudet Ionicos*
*Matura virgo, & fingitur artubus*
*Iam nunc; & inceſtos amores*
*De tenero meditatur vngue.*
*Mox iuniores quærit adulteros*
*Inter mariti vina, neque eligit,*
*Cui donet nuper miſſa raptim*
*Gaudia luminibus remotis:*
*Sed miſſa coram non ſine conſcio*
*Surgit marito, ſeu vocat inſtitor,*
*Seu nauis Hiſpanæ magiſter*
*Dedecorum pretioſus emptor.*

*Ad vtramque itaque ſignificationem alludens Propheta, Tyrum meretricem aptiſſimè appellauit: quam obliuioni traditam ſeptuaginta illis annis, excitat ad reuocandos & pertrahendos amatores; hoc eſt, negotiatores & mercatores. Obliuioni tradita, Hebraicè eſt, Oblita: paſſiuè tamen.* Bene cane, frequenta canticum. *Studium & diligentiã ſignificat ſcribẽdi epiſtolas, & perſuadendi omnibus reditum ad ſuas nundinas, blanditiis, promiſſis, commoditatibus, oportunitatibus, libertatibusq; magnis immunitatibus ac priuilegiis honoribusq; propoſitis.* Vt memoria tui ſit. *Hebraicum verbum eſt paſſiuũ, vt rememoreris, ſiue, vt recolaris, ab amatoribusq; iterum petaris: quòd verò ait, Circui ciuitatem; ex meretricis imagine deſumptum eſt: de qua S. E. Ecce occurrit mulier ornatu meretricio, quæ præparata ad decipiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians, &c. Ex qua imagine tranſlatum eſt ad Tyrum, quæ nunciis & literis in omnes terrarum regiones miſſis, ad ſe omnes negtiatores aduocaret. Sed nihil illo ſtudio, nihil adhibita, quamuis magna diligentia effici poſſet; niſi Dei prouidentia & miſericordia Tyri reſtitutio decerneretur, & expediretur: Niſi enim Dominus ædificauerit domũ, in vanũ laborauerunt qui ædificant eam. Atq; hanc quidem rem ſignificans, ſubiungit Propheta.*

[Margin: Prou. 7. ; Pſal. 126.]

Et

Et erit poſt ſeptuaginta annos, viſitabit Dominus Tyrum, & reducet ad merces ſuas; & rurſus fornicabitur cum vniuerſis regnis ſuper faciem terræ.

D E I *conſilio & prouidentia Tyri celebritatem reſtitutum iri prædicit.* Viſitare, *idem quod recordari, & curare ſignificat, vt ſæpiſsimè vidimus in ſacris libris, & in Hebraicis Idiotiſmis docuimus.* Et reducet eam ad merces ſuas. *Hebraicè,* ad mercimonium ſuum. *Illa enim mercatui atque nundinis locum parabat oportunum; cùm nullas merces ex ſuo haberet, ſed ex omnibus aliis regionibus aduocaret; vti apud Ieremiam & Ezechielem legimus. idq́ ſignificat hoc loco Propheta, dicens:* Et rurſus fornicabitur cum vniuerſis regnis ſuper faciem terræ. *Hebraicè, verbis ad ſimilitudinē accōmodatis* ZANTHAH, *merebitur, ſiue ad meritoriā alliciet omnia regna terræ, ſuper faciē terræ. Hoſpitium omniū regnorū terræ facta meretrix excipiet; quibus ipſa tanquā tabernariæ cauponæq́ aliis excipiendis, diteſcat & locupletetur. Itaq́ fornicari honeſtè hoc loco accipimus vocabulū, ex trāſlatione ſemel iam cœpta deſumptū, promereri & in taberna meritoria, ſiue caupona ſuſcipere; vt ad emporij rationem referamus. Neque enim Deus, qui mercaturam non improbat, in ipſa mercatura peccatum & fornicationem probat: imò gratam illi fore negotiationem Tyri denuò inſtauratam Vates ait; cùm propter amicitiam & ſocietatem rurſus cum Iſraëlitis contrahendam, tum propter munera atque donaria in ſacrum templum à Tyriis mittenda.*

Et erunt negotiationes, & merces eius ſanctificatę Domino.

H E B R A I C E *ad verbum*, Et erit mercatura eius, & lucrum eius, ſanctificatio Domino. *Prædicit Vates fore, vt multi ex mercatoribus in Tyro agentibus, & ipſa etiam Tyrus, mercium, & lucri ſui partem Deo in Ieruſalem mittendam conſecrarent, in vſus ſacerdotum, & ad ſacra etiam tecta curanda. Hoc eſt, quod exponitur:*

Non condientur, neque reponentur : quia his qui habitauerunt coram Domino, erit negotiatio eius.

N O N *in theſauros conferentur; vt vaſa, tabulæ, lapides & gemmæ conferri in theſauros ſolent & reponi; ſed habitantibus coram Dño miniſtris Dñi ſacerdotibus et Leuitis cedet in vſū negotiatio Tyri: vſus verò ille erit,*

Vt manducent vſque ad ſaturitatem, & ad operiendum fortiter.

*Gratiſsimum fore munus Tyriorum & Tyrienſium Domino ait, idq́ ex ipſo vſu probat: videlicet, inſumendum eſſe in cibos abundantes miniſtrorum Domini, & in integrum veſtitum & cultum ipſorum. Sed cùm dicat,* Ad operiendum fortiter; *non ſolùm veſtitum, ſed domos ex illis muneribus inueniendas intelligimus. Ex his igitur quæ à Vate dicta, à nobis verò expoſita ſunt, cognoſci facilè poteſt, hanc Tyri vaſtationem eſſe definiendam; ſed calamitatem quæ poſt annos ſeptuaginta reſtituenda, & reſarcienda iactura illa poſt Senacheribi mortem, deinde etiam amicitia cum Iſraelitis erat ineunda Ezechiæ ætate, ídque Dei prouidentis ac miſericordis conſilio & voluntate.*

## ARGVMENTVM VATICINII XX.

*CVm in proximè antecedenti vaticinio calamitatem & humiliationem Tyro munitiſſimæ ac florentiſſimæ inſulæ & vrbi afferendam prænunciaſſet Vates, eaq́ res audientibus admirationem ſtuporemq́ eſſet allatura: alias longè maiores, multoq́ magis admirabiles ex diuini conſilij ac iudicij decreto toti orbi partas, & tandem afferendas, hoc vaticinio vigeſimo prædicit, quarum altera eſſet clades & ſtrages omnibus gentibus per Nabuchodonoſoris, Aſſyriorumq́ imperium & exercitum inferenda; altera publica ſalus per Chriſtum danda omnibus credentibus & obedientibus Euangelio gloriæ Dei, cum ingenti pernicie eorũ, qui non crediderint, & qui non obedierint voluntati diuinæ.*

## CAPVT XXIIII.

ECce, Dominus diſſipabit terram, & mundabit eam, & affliget faciem eius, & diſperget habitatores eius.

Lib. Phaleg. IN *Apparatu ſacro docebamus nomine* ARETS, *quæ propriè terra à Latinis dicitur, Orbem hominibus habitabilem ſignificari: id autem exemplis pluribus quàm viginti confirmare poſſemus; niſi à Deo conſtans eſſet res, vt confirmatione non indigeret. Ex quo fit vt hoc vaticinium non de regione Iſraelitide tantùm (quæ tamen ipſa non excipitur) ſed de omnibus terræ habitabilis partibus exponendum nobis ſit, quibus tantam cladem & ſtragem, atq́ vaſtitatem afferendam eſſe Vates prædicit, vt leuiſſimum videatur iam illud exemplum de Tyri calamitate pronunciatum. Quandoquidem Domini iudicio decretum ſit, vt omnes orbis nationes propter ipſorum hominum peccata, clade afficiantur maxima; non caſu aliquo, nõ ipſius imperatoris, per quem afferenda clades erat, potentia aut virtute eximia; ſed Domini auctoritate.* diſſipabit, *vaſtationem ſignificat. Hoc verbũ Hebraicè,* vacuabit, *ſiue,* vacuans, *in participio, quod auctoritatem, & rem certam ſignificat,* Et nudabit eam. *Hebraicè,* BOLEQ. *ad verbum vertere poſſumus populari, ſiue depopulari terram, in quam Iſrael, Iehuda, Amon, Moab, Tyrum, & Ægyptum, regionesq́ ceteras, quas Nabucodonoſoris*
Ierem. 25. *manu euertendas Ieremias vaticinatus eſt. Quia ſic dicit Dominus exer-*
„ *cituum Deus Iſrael, Sume calicem vini furoris huius de manu mea: &*
„ *propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & tur-*
„ *babuntur, & inſanient à facie gladij quem ego mittam inter eos. Et accepi*
„ *calicem de manu Dñi, & propinaui cũctis gentibus ad quas miſit me Dñs:*
„ *Ieruſalem, & ciuitatibus Iuda, & Regibus eius, & principibus eius: vt*
„ *darem eos in ſolitudinem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in maledictio-*
„ *nem, ſicut eſt dies iſta: Pharaoni Regi Ægypti & ſeruis eius, & principi-*
„ *bus eius, & omni populo eius, & vniuerſis generaliter: cunctis Regibus ter-*
„ *ræ Auſitidis, & cunctis Regibus terræ Philiſtiim, & Aſcalonis, & Gazæ,*
„ *& Accaron, & reliquiis Azothi, & Idumææ, & Moab, & filiis Ammon.*

Et

*Et cunctis Regibus Tyri, & vniuerſis Regibus Sidonis: & Regibus terræ* «
*inſularum, qui ſunt trans mare. Et Dedan, & Thema, & Buz, & vni-* «
*uerſis, qui attonſi ſunt in comam. Et cunctis regibus Arabiæ, & cunctis* «
*regibus occidentis: qui habitant in deſerto. Et cunctis regibus Zamri, &* «
*cunctis regibus Elam, & cunctis regibus Medorum: cunctis quoque regi-* «
*bus Aquilonis de propè & de longè, vnicuique contra fratrem ſuum: &* «
*omnibus regnis terræ, quæ ſuper faciem eius ſunt: & rex Seſac bibet poſt* «
*eos. Quod verò ex tranſlatione ſiue allegoria addit Vates*, & affliget faciem eius. *Potentes, diuites, & magnates terræ ſignificat; quos conſilij inopia afflictos & oppreſſos fore ait, neſcientes quid agendum, quomodo malis tantis proſpiciendum obſiſtendumq́ ſit. Sunt enim habitabilis terræ facies magnates viri: cæteri verò inferioris conditionis homines, terræ habitatores dicuntur; qui non illuſtri aliqua dignitate ſuperiorem locum, tamquam facies obtinent. hos diſpergendos eſſe, Propheta vaticinatur.* Et diſperget habitatores eius. *Hanc autem terræ cladem afferendam, ac confuſam promiſcuamq́ magis fore Iſaias præuidebat, eoq́ grauiorē ſignificabat: nullam enim rationem cuiuſuis ordinis, dignitatis aut ſexus, aut etiam perſonæ habendam eſſe aiebat.*

Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos: ſicut ſeruus, ſic dominus eius: & ſicut ancilla, ſic domina eius: ſicut emens, ſic ille qui vendit: ſicut fœnerator, ſic is qui mutuum accipit: ſicut qui repetit, ſic qui debet.

OMNIVM *Ordinum & perſonarum diſcrimina hoc verſu complexus eſt Vates: aut enim dignitate, aut conditione, aut facultate diſtinguuntur homines, qui aliàs naturæ definitione pares æqualeſq́ ſunt. Dignitas eſt inter miniſtros & populum; pares enim quodammodo ſunt omnes qui gubernantur: qui verò gubernant, & rem gerunt, certis gradibus habentur ſuperiores. Sacerdotis autem nomen hoc loco generale eſt, non ſpeciale; omnéſque complectitur publicorum miniſtrorū ordines. eſt enim Hebraicè* COHEN, *quod propriè miniſtrum, ſiue miniſtrantem ſignificat. Deinde alia diſtinctio eſt conditionū: ſeruitus enim à dominio conditionibus diſparibus differt. Tertia verò facultatum. Honoratiores namque habentur, qui prædia emunt, quàm qui vendunt: hi enim ad paupertatem, illi ad diuitias tendunt: quibus nominibus diſtingui homines ac vulgares maximè ſolent. Sed emptor & venditor priorem locum in hoc genere occupant; fenerator verò & debitor poſteriorem: minùs enim beati habentur fœneratores, quàm emptores prædiorum: qui verò fœneratoribus debent, magis etiam tenues ac miſeri quàm venditores putantur. ſiquidem qui vendit, ſuam pecuniam inſumit, interim dum illa ſupereſt; debitor verò qui à fœneratore accipit, alienam inſumit, cum magno etiam vſuræ damno. Nullius autem omnino neque dignitatis, neque conditionis, neque facultatis, neque miſeriæ ac tenuitatis rationem habitum iri Aſſyriis omnia vaſtaturis, quin omnes pariter eadem ruina inuoluantur. Conſtat igitur quādo clades hæc diuino iudicio in omnes affertur, omnes in culpa eſſe; atq́ ideo omnes pariter fore*

*puniendos ex diuini iudicij decreto ac ſententia lata, in terram ipſam, ſine diſtinctione perſonarum; quippe terram ipſam infectam & contaminatam eſſe conſtat: ideò expiari debere concludit Propheta.*

Diſſipatione diſſipabitur terra, & direptione prædabitur: Dominus enim locutus eſt verbum hoc.

HOC *eſt verbum quod locutus eſt Dominus, infringiq́; non poterit: iuſtiſſimum quippe eſt Domini iudicium, dictumq́; ſanctiſſimum, debere terram diſsipari, hoc eſt, vacuari ab hominibus, & diripi, ſpoliariq́; diuitiis & theſauris. Cùm ergo ſententia lata ſit aduerſus terram, nulla diſtinctio, nulla perſonarum ratio habetur; vt ex diluuij exemplo conſtat: cuius iudicij* Gen. 6. *illa ſumma ſententia fuit: Finis vniuerſæ carnis venit coram me, repleta* » *eſt terra iniquitate à facie eorum: & ego diſperdam eos cum terra.* Diſſipatione diſſipabitur. *Hebraicè,* Exinaniri exinanietur, *ſiue,* Euacuando euacuabitur; *quod ad homines pertinet, quod verò ad ea, quibus homines vtuntur, attinet,* direptione prædabitur: *ſiue, vt Hebraicè eſt,* diripi diripietur. *Omnino diripietur, idq́; certiſſimè: iudicio enim Domini decretum pronunciatumq́; eſt hoc in ipſam terram: nam cùm tota domus damnatur, nemo excipitur ex domo illa: non pater, non filius, non iuuenis, non ſenex, neq; dominus, aut ſeruus. neque verò hoc particulare, aut priuatum, ſed commune omni terræ malum afferendum fore ait, ideoq́; ſubiungit:*

Luxit, & defluxit terra, & infirmata eſt: defluxit orbis, & infirmata eſt altitudo populi terræ.

HEBRAICE *ad verbum: Corrupta eſt, ſiue, perit, ruitq́; terra: ita vt,* luxit, *ex euentu verterit interpres noſter:* defluxit *verò idem quod* decidit, & corruit, *interpretamur: præteritum tempus, certiſſimam rem quanquam futuram ſignificat.* Infirmata eſt, *defecta eſt habitatoribus cultoribusq́; ſuis; ita vt omnia horrida, ſquallida, vaſtaq́; videantur. In vniuerſum orbis ille cultus terrarum omnium deflexit, ac decidit de ſtatu ſuo. Illapſus eſt omnino, fractus, multis ruinis diſsipatus: & principes omnes viri, qui populi terræ* altitudo *eſſe dicuntur, atque ducuntur,* infirmata eſt. *Omnis illa altitudo iſtis ruinis maximè deiecta eſt. Solent enim in maximis terræ motibus maxima ædificia prima omnium grauiſſimè corruere. Huius verò damnationis & ruinæ cauſam certiſſimam, & diuino iudicio conſideratiſſimam Iſaias exponit.*

Et terra infecta eſt ab inhabitatoribus ſuis: quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum.

TRIPLEX *crimen diuino iudicio examinatum ponderat: quod terræ adſcriptum ait; ipſamq́; infectam, ſiue, vt Hebraicè eſt, falſificatam: hoc eſt, à debito officio degenerantem arguit. Primum crimen eſt, neminem rectè vſum fuiſſe legibus ſuis ex ratione iuſti & æqui exercitandis, & obſeruandis. hoc eſt quod exponens ait Vates:* quia tranſgreſſi ſunt leges diuinas & humanas. *Non enim de ſola Iſraelis terra agitur hoc loco, quæ diuina lege ſcripta, ſingulariter donata erat; ſed de toto terrarum orbe, in quo variæ leges erant, plerumque autem iuſtæ ſanciebantur, ductis principiis à iure*

&

*& æquitate, naturæq́ consideratione, quam honeſtam vocant. at verò omnes illas violatas, perperamq́ obſeruatas eſſe ab omnibus, & ſummis, & infimis Propheta ait: itaq́ nemo ſuam ipſius, populiq́ ſui legem ſeruabat. ideò ait in plurali, leges. Secundum crimen eſt*, quòd mutauerunt ius. *Ius filiorum Noë ſeptem præceptis concluſum, quo poſt diluuij tempora omnes homines tenebantur: illa ſeptem præcepta, totumq́ ius hominum moribus peruerſisq́ ſententiis mutata eſſe Vates accuſat. Id quod nos, quoniam propter huius loci anguſtias exponere non poſſumus, in aliud tempus ex gentium hiſtoriis demonſtrandum reſeruamus, Deo nobis propitio. Tertium porrò crimen eſt*, Diſſipauerunt fœdus ſempiternum. *Quid hoc ſignificet, ex Hebraicis verbis cognoſcimus. Eſt enim ad verbum ſic Hebraicè*, Irritum fecerunt fœdus GHOLAM. *Gholam autem mundum ipſum, & ſeculum ſignificat, & vtrumque ſimul, hoc loco irritum, inquit, fecerunt fœdus mundo, perpetuò, ſeculisq́ omnibus datum. Etenim homo in mundũ editus eſt, vt auctorem creatoremq́ ſuum perpetuò cognoſceret, obſeruaret, coleret, debitaq́ pietate proſequeretur: id quod per hunc ipſum Prophetam Deus aliàs declarat, cùm de omnibus orbis nationibus agens, dicit: Omnem* Iſa.43. *qui inuocat nomen meũ in gloriam meã, creaui eum, formaui eum, & feci* " *eum. Hoc fœdus omnibus omniũ ætatum hominibus ſanctum perpetuumq́* " *eſſe oportuit: ideò enim dicitur: fœdus ſempiternũ, fœdus mundi, & fœdus Gholam. & Deus rurſus fœdus ſuũ cum omni orbe fecit, ſe daturũ dies & noctes certis temporum & horarũ momentis, quæ à cælo atq́ terra obſeruarentur. id quod ſemper præſtitit: S.S.E. Pactum meum inter diem & no-* Ierem. 33. *ctem, & leges cælo & terræ non poſui. Atq́ manifeſtum eſt, omnes gentes, cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificaſſe, aut gratias egiſſe; ſed* Rom.1. *euanuiſſe in cogitationibus ſuis: & obſcuratum fuiſſe inſipiens cor eorum:* " *& dicentes ſe eſſe ſapientes, factos eſſe ſtultos; inuentis, & excogitatis no-* " *uis doctrinis, ſectis, & erroribus: quibus à Dei veritate legitimoq́ cultu auerſi, degenerauerint. Deinde etiam fœderis illius mundo dati alterã partem mutauere, irritamq́ fecere homines: qui enim ex creationis lege ac ratione fratres inter ſe ſociiq́ erant, eamq́ ſocietatem quam ſingula animantium genera inter ſe obſeruant, longè etiam præſtantiùs ſeruare ipſi deberent; quanto præſtantius, præ ceteris animantibus, ingenium & ſenſum planè cæleſtem ſortiti ſunt? tamen mutuis odiis & bellis ex ambitione, inuidia, & cupiditate profectis, flagrare cœperunt; & hoſtiles inimicitias perpetuò inter ſe exercere; atq́ alij aliis infeſti eſſe, maximeq́ illis moleſtiam & negotium exhibere, qui religionis puritate, ſanctimonia & innocentia ceteris excellerent S.S.E. Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuã, pol-* Pſal.78. *luerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſto-* " *diam. & alio in loco: Cogitauerunt vnanimiter ſimul aduerſum te, teſta-* Pſal.82. *mentum diſpoſuerunt, tabernacula Idumæorum & Iſmaëlitæ, Moab. &* " *Agareni, Gebal, & Ammon, Amalec, alienigenæ cum habitantibus Ty-* " *rum. Etenim Aſſur venit cum illis, facti ſunt in adiutorium filiis Lot. Vſ-* " *que adeò magna rabie & inſania acti ſunt homines ad irritum faciendum*

*fœdus Gholam. Hæc igitur crimina, diuino iudicio examinata, mulctam omni terrarum orbi & pœnam comparauere; vt præter animorum ad æternos ignes, & corporum in poſterum damnationem, magna vaſtitas etiam, & clades per exercitus à Deo miſſos, inferretur, temporaleſq; dictæ pœnæ, æternas illas præirent. Hoc diuinum iudicium poſt criminum enumerationem apertè pronunciauit Vates.*

Propter hoc maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores eius. DIVINA *ira & deteſtatio aduerſus homines, maledictio hoc loco appellatur: deteſtatus enim Deus maxima hæc & communia hominum ſcelera, terram ipſam vaſtitate & deſolatione damnauit.* Peccabũt. *peccato ſuo morientur. Verbum* IESMV, *deſolationem & vaſtitatem afferendam ſignificat; idq; propter peruerſum & commune peccandi exemplum: quod etiam in eiuſdem verbi etymo, vt aliàs docuimus, continetur. Hanc autem vaſtitatem non terræ ipſi, ſed terræ incolis afferendam eſſe, ait Vates. Namq; diluuij tempore Noe ſacrificio placatus Deus, promiſerat ſe non vltrà maledicturum terræ propter homines, ea maledictione quæ terram ipſam inutilem & infœcundam, omninoq; perditam reddere poſſet: cuiuſmodi illa fuit, qua per annum integrum ferè totius terræ facies aquis immerſa, obrutaq; latuit. Cuiuſmodi maledictio* KELALAH *Hebraicè vocatur; de qua ſcriptum eſt: Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines.* Gen. 8. *At verò alterũ maledictionis genus eſt,* ELAH, *ab Hebræis dictum; poëticè verò locuti, expiationem, exponeremus: cùm videlicet terra ipſa integra manẽs, tamen horrida vaſtaq; redditur, cultoribus & culturis deſtituta. Eſt enim terra natura ſua fertilis, multarumq; parens rerum; ſed ſi cultorem non habeat, horreſcit, atq; fructuum ſuorum ſpecie degenerat: idq; vitium hominum primorum culpa & ſcelere contraxit; diciturq; hoc maledictionis genus,* ARARAH. *de quo ſcriptum eſt: Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, &c. Eſt itaque triplex maledictio* ARARAH, *quæ terræ à primorum parentum peccato inhæret: ea quæ aliquantulum corrigitur cultura, non tamen omnino tollitur,* KELALAH; *quæ terram ipſam obruit, & inuoluit. ea ſterilitas terræ accidit propter homines, non amplius propter eoſdem homines repetenda: &* ALAH; *quæ vaſtatio, ſiue expiatio dici poſſit, cum igni, vel ferro, vel cultorum amotione vaſta redditur tellus; ita tamen vt nihilominus faciem ſuam retineat, culturam verò omittat, & nitorem etiam; quem non niſi tempore & cultu adhibito recuperet. Hoc tertium genus maledictionis terris non rarò infertur propter incolentium noxas & ſcelera: idq; vel igni, vel gladio, vel peſte afferri ſolet; vel aliorum Dei vltoris exercituum opera. Quod quidem genus terris omnibus paratum eſſe, cùm Iſaias dixerit; quomodo afferendum eſſet, continuò expoſuit poſteriore verſus parte.*

Ideoque inſanient cultores eius, & relinquentur homines pauci. Inſanient, *hoc loco idem ſignificat quod ardebunt, & incendentur. Eſt enim verbum* HHARAR; *quod propriè incendi, ſiue ardere ſignificat, & areſce-*

*areſcere ex ardore; quod in illo loco vſurpatur; Et oſſa mea aruerũt præ cau-* Iob 30.
*mate. Et quia ira, & inſania, ardores quidam animorum ſunt; ex eodẽ the-*
*mate deductum eſt verbum* HHARAH; *quod ardere, iraſci, furereq́; ſigni-*
*ficat.* Ardebunt, *inquit,* habitatores terræ. *Sic in Hebraico legimus; atq́;*
*hoc modo illa maledictio indicata exponitur: Non ita maledicetur terra, vt*
*omnino obruatur: non etiam illa maledictione tantùm afficietur, qua perpe-*
*tuò laborat, & ex hominum diligentia, & cultura curatur: ſed mediam in-*
*ter vtramque vt horrida vaſtaq́; reddita, tamquam ſi igni actum ſit, culto-*
*res deſideret; ſed paucos, eoſq́; infirmiores obtineat. Hoc eſt quod ſubiungit:*
Relinquentur homines pauci. *Hebraicè eſt,* ENOS MIZGHAR. *Miz-*
*ghar, paucitatem ſignificat & exiguitatem; qualis ex illa maxima & popu-*
*loſa quinque ciuitatum frequentia relicta & ſeruata fuit in illo exiguo op-*
*pido, cui ex euentu nomen* MIZGHAR, *Lot fecit. Sed nomen* ENOS, *homi-*
*nes ſignificat infirmos ac tenues; ſiue humanam naturam ea parte qua mor-*
*talem, infirmam, ac debilem eſſe liquet: quamobrem à nobis in Pſalmorum*
*verſione carminibus edita nomen* ENOS, *in mortalem, perpetuò conſtanterq́;*
*verſum eſt. Omnem itaque terram bello & peſte vaſtandam eſſe Vates ait,*
*ſuperſtitibus tantùm paucis relictis, iiſq́; debiliſſimis & infirmiſſimis om-*
*nium; qui vel propter modeſtiam & probitatem, cuiuſmodi nonnulli in or-*
*be eſſe ſolent: vel propter imbecillitatem & infirmitudinem innocentiores*
*fuerint. Huiuſmodi plerunque ruſtici ſunt, & pagorum incolæ, ſimillimiq́;*
*illis in* MIZGHAR, *tempore Lot, ex incendio Sodomorum exceptis: nam ma-*
*gnarum ciuitatum oppidorumq́; frequentium, & iudicij, & vitij improbi-*
*tatiſq́; exemplum idem ferè perpetuò eſt. Igitur qui frequentiſſimus priùs*
*fuerat populorum multitudine terrarum orbis, poſt illam vaſtationem pe-*
*nè ſolitarius reddendus eſſe prædicitur; adeò vt voluptatum omnium mate-*
*ria, quæ ex humo producitur, ab hominibus præcipuè amata & quæſita illa,*
*ſeſe ſectantium & incolentiũ frequentia deinceps deſtituta lugeat, ſtudio-*
*ſoſq́; ſui deſideret; minorq́; ob eam rem atq́; deterior euadat. Solet enim ali-*
*quando terra ſuis fructibus priuari ex nimia aëris intemperie, ex igni, gla-*
*dio, bello; ex locuſtæ aut aliorum nocentium inſectorum vi, & copia maxi-*
*ma: contrà verò homines in terra relinqui, qui fructuum & frugum ino-*
*piam miſerè deflcant, & lamententur. idq́; aliis in locis apud Prophetas vi-*
*dimus. Solent contrà interdum homines ipſi, cultoreſq́; de initio tolli terræ,*
*quæ, deſerta cùm maneat, fructus quidem profert verùm degeneres magis,*
*& eorum, qui vti poſſent, inopia pereuntes. Tunc fructus ipſi deſiderio &*
*planctu, luctu ac lamentatione affici videntur: lugent enim fructus, & de-*
*plorant raritatem eorum, qui frui ipſis poſſent. Huiuſmodi terræ conditio-*
*nem hoc loco depingit Propheta.*

Luxit vindemia, infirmata eſt vitis: ingemuerunt omnes qui læta-
bantur corde. *Hebraicè ad verbum:* Periit muſtum, ſuccisa vitis.

MVSTVM *quod iam expreſſum ſeruatumq́; erat, non ampliùs cura-*
*tum ab hominibus, qui iam perierant, emarcuit, & periit, in vappamq́; ab-*
*iit. Vites ipſæ generoſæ belli vaſtatione exciſæ, fructus quidam reddidere,*

 *ſed*

*ſed degeneres omnino: & qui lætabantur corde, quibus cordi erat lætitia atque voluptas, eaq́; vna prima viuendi cauſa putabatur; partim capti & abducti, partim in bello, dum occiderentur, videntes ſe ſuis voluptatibus priuari, partim membris mutilati & inhabiles, ineptiq́; relicti, atq; ipſa terrarum vaſtatione attoniti ingemuerunt. Hebraicè eſt, Suſpirarunt: quod verbum deſiderium maximum ſignificat rerũ quæ ſuſpiriis cauſam attulerint. Demùm omnem vſum rerum, propter quas vulgò iocunda vita habetur, & expetitur, ceſſaturum. Huiuſmodi deſcripta vaſtatione Vates ait.*

Ceſſauit gaudium tympanorum, quieuit ſonus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.

VOLVPTAS *omnis vulgaris in ſenſibus ſpectatur, maximè autem in guſtu, auditu, & tactu. Ex his duo ſunt quibus homines ad omnem libidinem præcipuè incendũtur: Ebrietas, quæ guſtu, peccat & cantionũ genera quædam turpia, & muliebria irritamentum Veneris languentis, & acres diuitis vrticæ: maior tamen iſta voluptas alterius ſexus, magis ille incenditur. Hanc rem omnem indicabat Vates hoc verſu, tympanorum enim in primis meminit: quod Muſici inſtrumenti genus à feminis propriè vſurpatur; à viris impropriè, & turpiter etiam. Sicut de omni hoc genere alium diſſerendi locum Deus dabit. Vidimus autem iam ſæpè in ſacris litteris huiuſmodi notas humanorum morum: quibus ea quæ ad honeſtum vſum nata ſunt, per abuſus atq; luxus corrumpuntur, & infamantur: vt cibi, vt odores, cantus & ſonitus: quæ laudantur quidem, ſi modeſtè ſumantur ad animi corporisq́; vires recreandas redintegrandasq́; ad verum hominum ſtudium, pietatis videlicet excolendæ: ſin verò hæc tanquam viuendi cauſæ appetantur, vt vulgò appeti ſolent, reprehenduntur maximè; & diuini iudicij ſententia euenit, vt omnino aboleantur. Iis rebus, quoniam terrarum orbis Iſaiæ tempeſtate vacabat, aliàs culpis & ſceleribus, vti ſuperiùs legimus, totus contaminatus, deficiendus omnino prædicitur præteriti temporis pronunciatione, quo res certiſſima fore aſſeueratur.* Ceſſauit gaudium tympanorum. *Hebraicum verbũ, pluſquam ceſſare ſignificat, quieſcere etiam: nimium enim frequenter exercebatur illud gaudium tympanorum, adhibitis mulierculis ad feſta & ludos; idq́; præter modum. Nulla quies erat, nulla intermiſſio huiuſmodi voluptatum: quieſcet igitur.* Quieuit ſonitus lætantium. *Hebraicè,* Eſſe deſiit tumultus ille, ſiue fragor exultantium. *Eiuſmodi ſtrepitum ſignificat, qualis edi ſolet in theatris & campis, in publicis ſpectaculis, in ludis, tripudiis, & ſaltationibus celeberrimis. cuius rei exemplum illud eſt:*

Iuuen. Sat. 11

*In terra Megaleſiacæ ſpectacula palmæ*
*Idæum ſolemne colunt, ſimilisq́; triumpho*
*Præda caballorum prætor ſedet, ac mihi pace*
*Immenſè nimieq́; licet ſi dicere plebis;*
*Totam hodie Romam circus capit, & fragor aurem*
*Percutit, euentum viridis quo colligo panni.*
*Nam ſi deficeret, mæſtam attonitamq́; videres*

Hanc

*Hanc vrbem, veluti Cinnarum in puluere victis*
*Conſulibus, ſpectent iuuenes, quos clamor & audax*
*Sponſio, quos cultæ decet, aßediſſe puellæ.*

Conticuit dulcedo citharæ. *Magnam omnino, imò maximam vaſtitatem fore ſignificat orbis, in quo nullæ lætitiæ indices voces audiantur; imò neque in ipſis conuiuiis vllæ cantiones erunt: ſed qui reliqui fuerint, etiamſi ſimul prandeant, non tamen illam iucunditatem & voluptatem canendi adhibebunt, quæ inter pocula peti, quærique ſolet, vt ille dicebat:*

*I, pete vnguentum puer, & coronas,*
*Et cadum Marſi memorem duelli,*
*Spartacum ſi qua potuit vagantem*
*Fallere teſta.*
*Dic, & argutè properet Neæræ*
*Myrrheum nodo cohibere crinem,*
*Si per inuiſum mora ianitorem*
*Fiet, abito.*

*Omnia autem hæc voluptatum irritamenta auferenda eſſe ait, vel propter illam tunc orbi calamitatem ſua ſponte deſitura, ideóque addit Propheta:*

Cùm cantico non bibent vinum. *Non erit ille inter pocula canendi & ludendi vſus, qui frequentißimus anteà fuerat; adeoque placet hominum moribus, ſicut & ab hoc Vate notatũ eſt. Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam æſtuatis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis veſtris, & opus Domini non reſpicitis, & opera manuum eius non conſideratis. Huiuſmodi voluptatis iis, qui reliqui fuerint, iis etiam qui in ipſam calamitatem, & publicam cladem inciderint præ mæſtitudine ac dolore, & animi perturbatione, nullum vſum futurum eſſe Vates confirmat: adeò vt & vini aliàs generoſißimi & laudatißimi guſtus nullus gratus habeatur. hoc eſt, quod ſubiungit:* Et amara erit potio bibentibus illam.

*Perturbationis animi, aut alicuius ſenſus ſtuporis ſignum eſt, poculorum ſuauitatem non ſentire; maioris verò & grauioris affectionis poculi aliàs gratißimi, amarum guſtum habere. Sic ille pingebat hominem conſcientiæ ſtimulis actum, & diuinæ iræ pauidum.*

*Perpetua anxietas nec menſæ tempore ceſſat,*
*Faucibus vt morbo ſiccis: intraque molares*
*Difficili creſcente cibo, ſed vina miſellus*
*Reſpuit, Albani veteris pretioſa ſenectus*
*Diſplicet, oſtendas melius, denſißima ruga*
*Cogitur in fronte, velut acri ducta falerno.*

*Hanc autem cladem, quam omnium ordinum & conditionum hominibus communem fore anteà dixerat, non ſolùm ad priuatas perſonas, ſed ad oppida, ciuitatéſque omnes, quamuis munitißimas, diffundendam eſſe ait: ita vt nulla locorum ſecuritas, nulla commeatuum aut armorum commoditas & copia impedire valeat.*

Attrita eſt ciuitas vanitatis, clauſa eſt omnis domus nullo introeunte. *Hebraicè ad verbum*: Facta eſt vrbs inanis, concluſa omnis domus ab intrando.

VANITATIS *ciuitatem ex euentu dixit, vrbes, quæ hominum frequentia & diuitiis plenæ anteà fuerant, & ædificiis erant perquàm munitæ, hominibus partim occiſis, partim abductis & direptis rebus omnibus, inanes relinquendas, & ſua ſponte confringendas eſſe, & domos magnas claudēdas, nemine ingrediente. hoc eſt: Claudētur domus quæ nemini vſui futuræ ſunt ingreſſuro. Vaſtitatis ſigna & argumenta ſunt omnia hæc, & maximæ conuerſionis, ſiue euerſionis ſtatus rerum omnium: adeò vt pro lætitia & clamore iucundiſsimo, quo vinum anteà celebrabatur, iam deinceps ſuſpiriis editis, & gemitibus bibatur; non ad iucunditatis excitationem, ſed ad doloris obliuionem aliquam.*

Clamor erit ſuper vinum in plateis. *Hebraicè*, Clamor mæſtus erit ſuper vino in plateis. *Rebus enim ſecundis, proſperoq́; ciuitatum ſtatu, plateæ ac fora lætis vocibus & iucundis cantibus perſtrepere, & perſonare ſolent; idq́; maximè poſt vina & pocula. Contrà verò turbulentis & mæſtis temporibus vinum, quod obliuionis cauſa bibitur, materiam lachrymis, & mæſtis clamoribus, ſuſpiriis etiam ſpiritus ſuppeditaret copioſos: id futurum, à Vate noſtro prædicitur; ac tandem omnis in vniuerſum lætitia auferenda eſſe prænunciatur: & pro frequentia, conuentu, & celebritate magna, vaſtitas, ſolitudo, ac mæſtitudo futura eſſe declaratur. hoc eſt quod ſubiungitur:*

Deſerta eſt omnis lætitia: tranſlatum eſt gaudium terræ: relicta eſt in vrbe ſolitudo, & calamitas opprimet portas.

OMNIA *hæc grauiſsimis & ſignificantiſsimis verbis pronunciata ſunt ab Iſaia, cuius exactiſsimum dicendi genus nunquam ſatis poſſumus admirari. Sic enim ad verbum, quamquam non exactè exponere illius orationem poſſemus.* Clamor poſt vinum in plateis, obſcurata eſt omnis lætitia, migrauit, ſiue captiuum abiit gaudium terræ. *In quorum loco:* Relicta eſt in vrbe ſolitudo, vaſtitate tundetur porta. *Vſus eſt Propheta verbis & ſignificatione oppoſitis, & pronũciatione affinibus,* SIMHAH, *&* MESOS, *lætitiam animorum, & lætantium ſtrepitum, ac celebrem frequentiam ſignificat. His oppoſuit,* SAMAH, *&* SENAH. SAMAH, *publicæ lætitiæ,* SENAH, *celebritati contrarium nomen eſt: quod verò ait,* Vaſtitate tundetur porta, *manifeſta deſcriptione vſus eſt infrequentiæ hominum. Nam quo tempore vrbes adiri ac celebrari ſolent, portarũ valuæ facilè aperiuntur, & mouentur, cardinibus ex motus aſsiduitate leuibus, & loco etiã ipſo lapidibus, puluere, & aliis impedimentis expurgato & expedito. eſt autem illo tempore exercitatio vſusq́; portarum frequens. contrà verò, vbi raris hominibus portæ ſubeuntur, cardines ferrugine ſituq́; obducti, valuis ex humiditate & puluere iam tumentibus, & certo loco diu nimis incumbentibus, adeò preſſæ, graues, ac difficiles redduntur, vt affixæ eſſe videantur. Ita vt valuæ ipſæ, inutiles iam ex nimio ſitu effectæ, ad ignis vſum*

*aſciis,*

*aſciis & ſecuribus exſcindantur, potiùs quàm putreſcere & perire omnino ſinantur. Omnia hæc nobis ſignificata ſunt illis verbis*, Vaſtitate tundetur porta, *ſiue*, Calamitas opprimet portas. *Huius verò vaſtationis vrbium portarumq́ue ſolitudinis ac deſectionis exciſionisq́ue cauſam fore ait Vates nimiam raritatem hominum toto terrarum orbe relinquendorum.*

Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum.

NON *hoc loco meditullium, ſiue vmbilicus terræ ſignificatur, qui in Iſraelitarum regione, ſiue in ipſis Ieroſolymis nonnullorum deſcriptione conſtituitur: ſed ipſum totius terræ ſolum ipſe habitabilis tractus, quotquot ſunt, Hebraicè*, BEKEREB HAARETZ, *intra terram. Itaq́ue non vnica terra Iſraëlis hoc loco indicatur: ſed omnis in vniuerſum terra. Idq́ue apertiùs etiam exponitur adiuncta expolitione*, In medio populorum. *Hebraicè*, inter, *vel*, intra populos. *Non in vno populo, vnius linguæ & familiæ tantùm, ſed inter populos qui intra terrarũ orbem continentur, erit illa mira hominum paucitas & raritas.*

Quo modo ſi paucæ oliuæ quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, & racemi cùm fuerit finita vindemia.

HVMANI *generis reliquias cum illa quæ præceſſerit, frequentia comparatas exiguas rarasq́ue repertum iri, ait Iſaias. Idq́ue appoſitiſſima ſimilitudine, & iam aliàs à ſe vſurpata, declarat.* Contingit, *inquit, vt tranſacta oliuarum collectione aliquis oliuam excutiens raras oleas paucasq́ue reperiat: idemq́ue ſpectetur poſt vindemiam in vitibus racemandis, pauci enim exiguiq́ue racemi ſuperſunt: ita ſi quis hominum relinquendorũ in orbe terrarum numerum cum illa ante vaſtationẽ multitudine innumerabili comparet, exiguam ſummam ſit ſubducturus. Hoc igitur alterum illud exemplum eſt, quod morbi diuino iudicio edendum eſſe, hoc vaticinio Iſaias prædicit. Alterum verò quod Dei miſericordia poſt illa tempora temporumq́ue incommoda exponendum erat, iam deinceps explicare incipit, oſtendítque eos, qui ex illa vaſtitate relinquẽdi eſſent, populos omnes in omni orbis parte diuinæ virtutis & ſalutis noticia afficiendos, cognitione augendos, atque vſu ipſo cumulandos, ita vt gloria Dei per vniuerſum orbem celebretur, noménque ſanctificetur.* Sup. 17.

Hi leuabunt vocem ſuam, atque laudabunt: cùm glorificatus fuerit Dominus hinnient de mari.

NON *ait Propheta illius vaſtationis quam prædixerat reliquias ſtatim poſt cladem illam omnibus terris allatam, lætitia & gaudio perfundendas eſſe*: Sed cùm glorificatus fuerit Dominus, cùm ſanctificatum fuerit *nomen eius, morte, & peccato, peccatiq́ue principe victis & occiſis, per Ieſu Chriſti mortem illã cruentam, & triumphũ reſurrectionis eiuſdem: tunc enim glorificandum eſſe Dominum Vates prædixere, alludentes ad illam huius figurati imaginem. Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem deiecit in mare, &c.* Exodi 15. *Quòd autem hîc legimus*, " Hinnient de mari, *illud nobis ſignificat, fore vt huius ſalutis publica lætitia, quam ab ortu fore ſuperiùs dixerat in illo vaticinio*, Væ terræ cym-

balo alarum ad occaſum vſque pertineat. *Atque ita totum terrarum orbem compleat: namque maris nomen, pro ea orbis parte, qua ſol demergitur, frequentiſſimè in Scripturis vſurpari in Apparatu ſacro oſtendimus,*
Lib. Ioſeph. *& omnibus Hebraicè ſcientibus eſt notiſſimum. vt illud: Et dominabitur*
Pſal. 71. „ *à mari vſque ad mare. Verbum verò* hinnient, *lætitiæ celebris clamorem nobis refert ex Hebraico* TSAHAL. *quamquam autem aliæ maris arcanæ ſignificationes obſeruentur: hæc nobis hoc loco ſimplicem & conſequentem ſententiam reddit: ſed quemadmodum multa alia in ſacris libris, ita hic locus duplicem ſignificationem vnica oratione, nulla tamen pugnantia; ſed magna rerum ipſarum conſonantia reddit. Hebraica oratio* MIIAM, *quam Latinus ſermo ex verbo interpretatur* à mari, *ſignificat ſimpliciter mare, & occaſum, vti iam diximus. & voces Latinæ à, vel de, cùm ex Hebraico* MEM, *redduntur, præter ſuam vulgatam vim & rationem, comparationis quoque vſum ferunt. vt,* deſcendit hic *iuſtificatus ab illo. hoc eſt, iuſtificatus præ illo. Hanc etiam rationem hoc loco indicat Vates ad myſterium illud Ægyptiacæ liberationis relatam. Cùm enim filij Iſraël, extincto in mari hoſte infenſiſſimo, incolumes in littus euaſere, communi & publica lætitia gratulabundi, omnes pariter ſupplicationem illam decreuere, quam à Moſe*
Exodi 15. *compoſitam, Maria ſoror excipiens, cum vniuerſo populo concinebat. For-*
„ *titudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem: iſte Deus*
„ *meus, & glorificabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum, &c. Longè verò maiorem celebrioremq́; lætitiam futuram eſſe omnibus gentibus ſalutis per Chriſtum allatæ compotibus quã illa fuit; quæ poſt maris rubri tranſitum, à filiis Iſrael celebrata commemoratur.* Hinnient *itaq; hic ab occaſu præ lætitia & exultatione. Hynnient autem præ illa hinnitione maris rubri, vtpote maioris & præſtantioris ſalutis conſcij & compotes. Erit etiam illa celebratio, vt plenior, ita cõmunior omnibus omnium nationum hominibus aliis alios ad rei cognitionem vocantibus & monentibus atq; ad gratulationem publicam, ſigno dato & conſtituto, exhortantibus; qui inter ſe celebritatem & ſupplicationem huiuſmodi indicent.*

Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum: in inſulis maris nomen Domini Dei Iſrael.

VERSVS *hic ex verbo omnibus Hebræis & Chriſtianis conſentientibus, hoc modo verti poteſt:* Propter hoc in luminibus amplificate Dominum, &c. *Eius autem expoſitio & ſimplex nobis, & arcana etiam eſt. Mos olim fuit, atque adeò nunc eſt, vt ſubita aliqua lætitia, eademq́; publica, non ſolùm vocibus, canticis, & carminibus inter ciues & oppida noſtra celebretur; ſed ignibus, tædis, ac flammis accenſis per noctem cõmunicetur. neque verò hæc ratio ad maximæ & lætiſſimæ rei, ſed ad nuncios etiã ſcitu & cognitu dignos communicandos adhiberi conſueuit. Nam quò popularis lætitiæ & ouationis vox peruenire non poteſt; vnico ac ſubito momento flãmæ proſpiciendæ ſpecies contingit. igitur inter populos lætitiam illam ex humana ſalute per Chriſtum afferenda publicam & communicabilem fore, Vates prædicebat, luminibus, inquiens, accenſis, glorificate Dominum:*

ita vt à continenti ad Inſulas vſque maris pertineat cognitio & notitia nominis Dei Iſrael, qui viſitauerit, & fecerit redemptionem plebis ſuæ, & erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui, ſicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt Prophetarum eius. (Lucæ 1.) Non ſolùm, inquam, vocibus, ſed luminibus, quibus publica illa lætitia communicata augeatur; ſed quod ex vulgata & communi conſuetudine communicandæ lætitiæ ſimpliciter Vates pronunciauit, arcanè etiam intelligi voluit, vſus verbo ſacro, et inter myſteria enumerato. VRIM, enim illuminationes ſignificat, & nomen eſt illius rei quam in ſacerdotis pectorali monili fuiſſe inciſam Moſes ſignificauit: de qua in Apparatu ſacro nonnihil dicebamus. Manifeſtum eſt tum ex Prophetarum vaticiniis, etiam ex Euangelio & Apoſtolorum ſcriptis, Eccleſiæ fidelium magnum lumen fuiſſe allatum; Chriſti ſalutaris opera & efficientia lucentibus ſanctiſsimis hominibus in medio nationis prauæ & peruerſæ, ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. (Philip. 2.) Huiuſmodi lumen communicandum fore per omnes populos, regiones & inſulas Iſaias ſignificanter prædicebat. Et Zacharias iam tam mox futurum gratulabatur, dum Ieſum infantem Dei ſalutare lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis Dei Iſrael eſſe prædicaret. (Luc. 1.) & Petrus factum teſtatur. Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes eius annuntietis: qui de tenebris vocauit vos in admirabile lumen ſuum. (1. Pet. 2.) Hoc lumine qui illuminati abundè illuſtratíque fuerint, multa de diuinis rebus cognoſcent, quæ inter ipſos communicata ſapientiæ veræ vſum præſtant; magnaq́; charitate ſeſe inuicem appellant, compellant, iuuant, & adiuuant. S. S. E. Iterum mandatum nouum ſcribo vobis. Quia tenebræ tranſierunt, & verum lumen iam lucet. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt vſque adhuc. Huiuſmodi expoſitionem interpres noſter nobis indicabat cùm verteret, In doctrinis glorificate Dominum. Quod verò additum eſt, nomen Dei Iſrael, eò pertinet, vt intelligat mundus beneficium illud ſalutis hominum per Chriſtum allatæ, hominibus contigiſſe ex Dei voluntate & conſilio: Dei inquã, qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt; qui ex Iacob, humillimo homine, Iſrael præſtantiſsimum virum effecit, & potentem, ſiue valentem Dei appellari voluit. Cùm autem de illa magna humanarum rerum cõcuſſione, quam poſtea publica hominũ ſalus ſecutura eſſet, hactenus verba feciſſet Iſaias; opportunitatẽ nactus, ea quæ à Spiritu ſancto acceperat, arcana indicauit, de omnibus temporibus ante & poſt Chriſti Ieſu Euangelium futuris, atq; de ipſis etiam Euangelicæ efficacitatis, & efficientiæ exemplis: quo in ſermone & de tẽporalibus, & de ſpiritualibus rebus agit, duplici indicio à ſe ſignificatis, quas, quoniam euentus ipſe nobis apertiores reddidit, quàm breuiſsimè licebit explicare, tentandum eſt.

A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iuſti. *Hebraicè ſic:* Ab alâ terræ pſalmodias audiuimus, elegantiam iuſti.

QVID ante ſalutem orbi per Chriſtum afferendam, quid etiam ipſa allata futurum eſſet, hoc loco Vates ſignificabat. Cùm enim omnium ſeculo-

*rum finis Chriſtus ſit, illiusq́; aduentum magna rerum immutatio præceſſura, maxima etiam innouatio ſequutura eſſet: vtramque partem dignam eſſe, quam perpetua commemoratione totus orbis terrarum proſequeretur Iſaias affirmabat. Audiuimus, inquit, illo auditu, quem Spiritus ſanctus excitauit in nobis; audiuimus Pſalmos & carmina à fine terræ, qua terra alas ſuas extendit, quorum Pſalmorum argumentum, elegantiam iuſti illius continebat. Elegantiam, inquam, illam admirabilem, virtutis & efficientiæ illius, qui ponendus erat in ruinam & in reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur, ad cuius aduentum totus terrarum orbis commouendus eſt: multa enim præcedent, multa eodem tempore fient, multa pòſt ſequentur, quæ manifeſtam Dei prouidentiam de rebus humanis circumprobent, cùm in ſtatuum, regnorum & imperiorum mutatione, tum verò maximè in animorum permotione, & quod alteram partem ſpectat, dixi, Secretum meum mihi. hac oratione Vates ſignificabat, res ipſas à ſe indicandas eſſe, temporum autem articulos celandos, vtpote ipſi ſibi tantùm demonſtratos & creditos, quos cognoſceret, non autem reuelaret ſuo tempore ipſa re oſtendendos.*

Væ mihi, præuaricantes præuaricati ſunt, & præuaricatione tranſgreſſorum præuaricati ſunt.

CVM *Latina tranſlatio verbis vtitur communibus ex aliqua proprietate exemplarium linguarum exceptis, res ipſa, apertè cognoſci non poteſt, niſi ad proprietatem illam cognoſcendam exemplares ipſæ linguæ adeantur. Tranſgredi, verbum generale eſt, atque ex tranſlatione ſumptum ab iis, qui terminum aut modum aliquem prætereunt. Verùm incertam habet materiam, ad quam ſignificandam propriè vſurpetur. Idem de præuaricatione fere dicendum, quæ ſi quid propriè ſignificat, colluſionem, atque accuſatoris corruptelam in forenſi ſermone ſignificat. in ceteris commune verbum eſt. At verò* BAGAD, *verbum Hebraicum, pro quo loco interpres noſter, præuaricari & tranſgredi, reddidit; propriè inuaſionem, ſiue incurſionem, aut*
Iob 6. *irruptionem ſignificat. cuius exemplum apertiſſimũ illud eſt: Fratres mei*
Habac. 2. *prætierierunt me ſicut torrens qui tranſit in conuallibus. & illud: Quomodo vinũ potantẽ decipit, hoc eſt, inuadit & inſilit. Itaq; verbũ præuaricari, cùm ex Hebraico* BAGAD, *vertitur, pro, prætergredi, & inuadere, incurrere, atq; impetum facere exponemus, cum obſeruatione eius rationis, & rei ad quam ſignificandam pro loco & tempore vſurpatur. Atque hoc præfati verſum hunc, vt Hebraicè legimus, ex verbo exponemus.* Væ mihi, præuaricantes præuaricati ſunt, & præuaricatio præuaricantium præuaricati ſunt. *Hac oratione Iſaias quatuor orbis imperia ſignificabat, quæ totum humanum genus propter ipſorum hominum culpam & ſcelus concuſſura erant, & ipſa etiam aliud ab alio perdenda. Inuaſores, inquit, totius orbis inuadent orbem, & inuaſores ipſorum inuaſorum ipſi etiam orbem inuadent. Quibus verbis illud nobis prædicere viſus eſt, Aſſyrij & Babylonij orbem inuadentes, miſcebunt Perſæ Aſſyriorum, Græci Perſarum, Romani Græcorum inuaſores etiam orbem terrarum impetent: & quia horum*

rum

*rum imperiorum vi & impetu non ſemel tantùm, ſed iterum & quartum etiam hominum res peſſundandæ erant, iam enim Aſſyriorum regnum omnia occupauerat, reliqua verò erant illa tria Perſarum, & Græcorum, & Romanorum. ſubiunxit Propheta,*

Formido, & fouea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ.

HEBRAICÆ *vocis ac ſignificationis elegantia Latinè reddi non potuit. verba enim Hebraica ex alluſione & annominatione, ſiue paronomaſia pronunciata ſunt hoc modo :* PAHKAD, VPAHHATH, VPAHH. *Super te habitator terræ. Perſarum regnum* PAHHAD, *appellat, quod Latinus interpres* formidinem *dixit. Eſt autem tranſlatio à venatione petita, in qua ij qui indagine ſaltus cingunt, & luſtrant, vocibus & clamoribus feras ex cubilibus excitare ſolent, ac territas & excitatas, in iaculatorum & ſagittariorum conſpectum agere: quos, ſi quæ euaſerint, in foueas incidunt, ipſis ferarum tramitibus ac ſemitis defoſſas & celatas, ramis ac frondibus inſtratis opertas: has quæ tranſilierint tandem laquei & retia, quibus totus ſaltus cingitur, excipiunt. Perſarum regnum, quod primum omnium antiquum illum & veterem ſtatum Aſſyriorum & Babyloniorum tot anteà ſeculis firmatum, turbauit Iſaias, formidinem ſiue terrorem vocabat : conterruit enim totum orbem illa ſubita Babyloniarum rerum exciſio à Perſis facta. Deinde fuit Græcorum fouea, quæ prudentia, arte, & ingenio magis quàm numero & fortitudine (quamquam Alexander magna bella ſtrenuè geſſerit) res omnes excepit. Demum Romanorum imperium variis exercitibus in varias terræ partes miſsis, mari ac terra omnia occupans, retis, ſiue laqueorum in venatione expreſsit imaginem. Quicumq; verò homines ex antecedentium imperiorũ bellis, cæde atq; vi ſuperſtites fuerant, iidem in eorum qui ſuccedebant, poteſtatem deuenere. Perſis primùm, deinde Græcis, poſtremùm tandem Romanis ſubiecti. Hoc eſt quod nobis Propheta ſubiuncta expoſitione ſignificat.*

Et erit : qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam : & qui ſe explicauerit è fouea, tenebitur laqueo : quia cataractæ de excelſis apertæ ſunt, & concutientur fundamenta terræ.

*Tranſlationis à Vate ſuſceptæ rationem ſecutis, facilis eſt ad hos verſus explicandos via. Eſt autem illa, vti iam ſcripſimus, huius loci ſentẽtia. Omnem habitabilis orbis regionem vni ex quatuor illis imperiis eſſe ſubijciendam, atq; ideo nullam partem huiuſmodi calamitatis expertem fore, quæ diuini iudicij iuſtiſsimo decreto ac ſententia in omnem terræ orbem mittenda eſt, non ſecus atq; diluuij tempeſtate ( ad quam hæc lectio alludit) omnis terræ pars, etiam altiſsimorum montium regiones aquis obrutæ ſunt, non ſolùm reſeratis abyßi portis, ſed cælorum cataractis apertis, quæ res maximè oſtendebat communem eſſe inundationem illam, & cælitus decretam atque immiſſam. Itaq; omnia in vniuerſum huic rerum mutationi deſtinata eſſe Vates hoc dicendi genere affirmabat, idq; imperiorum ipſorum ruinam prædicebat, futuram ex diuino etiam iudicio.*

Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commouebitur terra.

T E R R Æ *nomine hoc in loco homines ipſos, ipſamq́; terræ habitationem metonymicôs ſignificari, & nulli dubium eſſe exiſtimo; & ſacrorum librorum, aliorumq́; auctorum, atq; adeò communis linguarum omnium ſermonis frequentiſſimis exemplis comprobari poteſt.* Pſal.64. *Timeat Dominum omnis terra, & ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.* Inf.32. *Vt autem terrarum orbis imperiorum vices & exitus arcano quidem & prophetico, verùm ſignificantiſſimo atq; aptiſſimo ſermone Vates indicaret; tribus verbis vſus eſt: non qui eandem rem expolitione repeteret, ſed qui tribus rerum exemplis in orbe ſpectandis, certiſſimam & propriam vnicuique rationem verborum variatione obſeruandam adſcriberet. Sunt autem verba, vt Latinus interpres vertit,* confringi, conteri, commoueri. *Chaldæus ex verbo à nobis redditus, ſic exponit: Contremiſci contremet terra; vagari vagabitur terra; diſſolui diſſoluetur terra. Hebraica verò proprietas ita habet:* Confringi confringetur terra: comminui comminuetur terra: labaſcere labaſcet terra. *Imperiorum varios exitus apertè nobis hæc verba ſignificant; & rationem occaſionemq́; indicant, quamobrem ſingula perierunt. Babylonicum imperium poſtquam deletum eſt à duabus gentibus fuit occupatum, Perſis, & Medis, hoc eſt,* Confractione confractam eſſe terrá. *Deinde verò, vbi à Græcis rerum eſt obtenta ſumma, in plures portiones, Alexandro vita defuncto, hoc eſt, in regna multa eſt comminuta. atq; hoc eſt,* Contritione conteretur terra. *Eſt autem Hebraicum* PVR, *quod confringere, comminuere, ac diſſipare rectè vertimus. In hanc ſententiam à Iob* Iob 16. *vſurpatur illo carmine: Ego ille quondam opulentus, repentè contritus ſum. Igitur imperium illud, quod à Perſis & Medis ad Græcos tranſlatum eſt, conterendum, atq; in partes diuidendum fore Iſaias præuidens hoc verbo* 1 Mach.1. *ſignificabat, eamq́; rem euentus ipſe declarauit. S.S.E. Et vocauit pueros* Iuſt.lib.3. Ioſeph.li.12. *ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à iuuentute, & diuiſit illis regnum* Oroſ.lib 3. *ſuum cùm adhuc viueret: & regnauit Alexander annis duodecim, & mor-*
» *tuus eſt. Et obtinuerunt pueri eius regnum vnuſquiſque in loco ſuo: impo-*
» *ſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem eius, & filij eorum poſt eos an-*
» *nis multis: & multiplicata ſunt mala in terra, &c. Partitio autem huiuſ-*
» *modi fuit. Antipater Macedoniam & Græciam, Ptolomæus Ægyptum,*
» *Africam Arabiæq́; partem obtinuit. Laomedon Mytilenæus Syriam: Phi-*
» *lotus cum filio Ciliciam, & Illyrium: Acrotapos Mediam maiorem, Sinum*
» *Suſianum: Antigonus Phrygiam maiorem: Learchus Lyciam, & Pamphy-*
» *liam: Caſſander Ciriam: Manander Lydiam: Leonatus Phrygiam mino-*
» *rem: Lyſimachus Thraciam Pontiq́; regiones: Eumenes Cappadociam &*
» *Paphlagoniam: Seleucius caſtris, ſatellitibus Caſſander præpoſiti ſunt in*
» *Principes. Vt Oroſius ait, annos quatuordecim ſe dilaniauerunt; & veluti*
» *opimam prædam à magno leone proſtratam, auidè diſcerpſere catuli, ſeque*
» *ipſos in rixam inuicem irritatos, prædæ æmulatione fregerunt. Hinc manifeſtè intelligimus explicari verbum Iſaiæ:* Contritione cõteretur terra.

*ſiue,*

ſiue, Comminutione comminuetur terra. *Quæ res maiorem Romanis oportunitatem creauit ſingulos reges debellandi occupandiq́ Græciæ, & aliarum prouinciarum imperij. Sicut etiam S. E. Et audierunt prælia eorum (Romanorum) & virtutes bonas quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, & duxerunt ſub tributum: & quanta fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quòd in poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri quæ illic ſunt: & poſſederunt omnem locum conſilio ſuo & patientia: locaq́ quæ longè erant valde ab eis, & reges qui ſuperuenerant eis, ab extremis terræ contriuerunt, & percuſſerunt eos plaga magna: ceteri autem dant eis tributum omnibus annis. & Philippum & Perſem Ceteorum regem, & ceteros qui aduerſus eos arma tulerant, contriuerunt in bello, & obtinuerunt eos. Et Antiochum magnum regem Aſiæ, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantes, & equitatum, & currus, & exercitū magnum valdè, contritum ab eis. & quia ceperunt eum viuum, & ſtatuerunt ei, vt daret ipſe, & qui regnarent poſt ipſum, tributum magnum: & daret obſides & conſtitutum: & regionem Indorum, & Medos, & Lydos, de optimis regionibus eorum: & acceptas eas ab eis, dederunt Eumeni regi. Et paulo inferiùs: Et reſidua regna, & inſulas quæ aliquando reſtiterant illis, exterminauerunt, & in poteſtatem redegerunt. Hinc adeò cognoſcimus terram contritam & comminutam, in variaq́ regna diuiſam fuiſſe, à Romanis tandem ſub iugum miſſam,* Conſilio & patientia, *vt Scriptura. Nam vires terræ diuiſas, in variasq́ partes diductas, fortitudine, tolerantia, conſtantia, & conſilio ſuperare, imminuere, ac contundere potiùs facilè Romani potuerunt. id quod iiſdem penè verbis Daniel expoſuit. Regnum quartum erit veluti ferrum. Quomodo ferrum comminuit, & domat omnia; ſic comminuet & conteret omnia hæc. Sed & Romani imperij exitus, cuiuſmodi expectandus eſſet, eodem carmine appoſitiſsimis verbis Vates noſter indicauit: nimirum labefactatio rerum ob impudentiam, ambitionem, & auaritiam, luxuriam, conſiliiq́ inopiam: quibus vitiis totum imperium paulatim labaſcens, diſſolutum periit: id quod hiſtorias Romanas legentibus apertum exploratumq́ eſt. Atq́ ita vt Græcorum potentiæ finem hoc verbo ſignificabat Iſaias:* Contritione conteretur terra, commotione commouebitur terra, *ſiue,* labaſcere labefactata eſt terra. *Altero enim verbo partitionem, altero exciſionē imperij Græcorum, quod paulatim ſingulis regibus & regnis debellatis conſumptum fuit, ſignificatur. Quod verò ad Romani imperij exitum attinet, illud eſt à Vate pronunciatum, fore, vt qui prudentia, conſilio, & patientia, hoc eſt, laborum tolerantia, & fortitudine, omnia domaſſent; imprudentia, ambitione, luxuria, atque iniuria rurſus, omnia prorſus amitterent. Hoc eſt quod ſubiunxit:*

Agitatione agitabitur terra quaſi ebrius: & auferetur ſicut tabernaculum vnius noctis.

ROMANA *potentia, quæ conſilio, concordia, temperantia, atq́ clementia, cum fortitudine cōiuncta, in vniuerſum excreuerat. S. S. E. Cum amicis ſuis, & qui in ipſis requiem habebant, conſeruauerunt amicitiam, &* (1 Mach. 8.)

*obti-*

,, obtinuerunt regna quæ erant proxima, & quæ erant longè: quia quicunq;
,, audiebant nomen eorum, timebant eos. quibus verò vellent auxilio eſſe, vt
,, regnarent, regnabant: quos autem vellent, regno deturbabant, & exaltati
,, ſunt valdè. Et in omnibus iſtis nemo portabat diadema, nec induebatur
,, purpura, vt magnificaretur in ea: & quia curiam fecerunt ſibi, & quotidie
,, conſulebant, tunc trecentos viginti conſilium agentes ſemper de multitu-
,, dine, vt quæ digna ſunt, gerant; & committant vni homini magiſtratum
,, ſuum per ſingulos annos dominari vniuerſæ terræ, & omnes obediũt vni;
,, & non eſt inuidia neque zelus inter eos. Quæ igitur his artibus creuerant Romanum nomen, & vires famaq́; , & imperij porrecta fuerat maieſtas,
Horatius lib. 3. ad ortũm ſolis ab Heſperio cubili, vt ille canebat. Eadem poſteà quorundam ambitione ac diſcordia & imprudentia moueri & agitari cœperunt. atq; ebriorum more in varios motus inſanire; ciuilibus primùm bellis, deinde luxuria, ambitione, & iniuria graſſante: quibus vitiis illud omnino imperium dirutum, periit, atq; ſublatum è medio eſt, veluti tugurium quod ab agrorum aut vinetorum cuſtodibus aliquando confectum, tamdiu durat quoad fructus decerpti, ex locoq́; ipſo ablati ſunt: deinde verò, dirutum ac ſemotum, omnino perit. Quod hoc in loco legimus, agitabitur ſicut ebrius; vagam, conſiliiq́; inopem & inconſtantem, atq; variis vitiis obnoxiam imperantium mentem ſignificat: Eſt enim hæc ebrietatis imago expreſſiſſima. Quod autem additum eſt: quaſi tabernaculum vnius noctis. Cùm neque in Hebraico, nec in Chaldaico, neque in Græco codicibus legatur, tamen cur Latino interpreti fuerit adiunctum, facilè nobis fuerit conicere. Hebraicum nomen MELVNAH, à verbo LVN, deducitur, quod manere tamquam hoſpitem, ſiue diuertere, ſiue pernoctare ſignificat. Et quia tuguria vinearum, vel pomeriorum cuſtodibus erecta, ad nocturnam quietem præcipuè parantur, quibus interdiu ambulanda & luſtranda loca ſunt, ſuæ fidei commiſſa, neq. enim cuſtodes huiuſmodi quieti aut negligentes eſſe debent: ideò effectum eſt, vt vel interpres ipſe noſter, cùm verteret, tabernaculũ, explicationis cauſa adderet, vnius noctis; quò ab aliis tabernaculis diſtingueret, quæ perpetuum diurnum ac nocturnum vſum domorum inſtar præbẽt; vel alius quiſpiã in margine illud vnius noctis adſcriberet; quod deinde in contextum librariorum opera irrepſerit. Vtcumque legatur, nihil de ſententia decedet, dummodò res ipſa conſtet, rectè Græci interpretes verterunt ὀπωροφυλάκιον, Tugurium pomorum. Idem verbum apud hunc ipſum Prophetam interpres noſter vertebat tugurium in illo verſu: Et derelinquetur filia Sion ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario. Igitur cùm nihil tam quòd raperet ex ſubditis & ſociis, imperium Romanum haberet: habet, collectis fructibus, & ſublatis diuitiis per rapinam, calumniam, vim & iniuriam, quibus totus terrarum orbis vexatus fuit: tandem tugurium ipſum cuſtodum è medio ſublatum, periit: atq; hanc ſententiam omnem ipſorum, qui Romanas res conſcripſere, teſtimoniis confirmare facilè poſſit, quiſquis animum attendere voluerit.

Iuuen. Sat. 8. Expectata diu tandem prouincia cùm te

Recto-

*Rectorem accipies, pone iræ frena modumq́,*
*Pone & auaritiæ, miſerere inopum ſociorum:*
*Oſſa vides regum vacuis exhauſta medullis.*
*Reſpice, quid moneant leges, quid curia mandet,*
*Præmia quanta bonos maneant, quàm fulmine iuſto*
*Et Capito, & Tutor ruerint damnante ſenatu*
*Piratæ Cilicum. Sed quid damnatio confert,*
*Cùm Panſa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit*
*Præconem Cherippe tuis circumſpice pannis,*
*Iamq́ tace, furor eſt poſt omnia perdere naulum,*
*Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par*
*Damnorum ſociis florentibus, & modò victis.*
*Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat aceruus*
*Nummorum Spartana chlamys, conchylia Coa,*
*Et cum Parrhaſij tabulis, ſignisq́ Myronis*
*Phidiacum viuebat Ebur, nec non Polycleti.*
*Multus vbique labor, raræ ſine Mentore menſæ.*
*Inde Dolabella eſt, atq́ hinc Antonius, inde*
*Sacrilegus Verres, referebant nauibus altis*
*Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.*
*Nunc ſociis iuga pauca boum, & grex paruus equarum.*
*Et pater armenti capto eripietur agello,*
*Ipſi deinde Lares, ſi quod ſpectabile ſignum,*
*Si quis in ædicula Deus vnicus: hæc etenim ſunt*
*Pro ſummis: nam ſunt hæc maxima. Deſpicias tu*
*Forſitan imbelles Rhodios, victamq́ Corinthum*
*Deſpicias meritò; quid enim reſinata iuuentus,*
*Cruraq́ totius facient tibi leuia gentis?*
*Horrida vitanda eſt Hiſpania, Gallicus axis*
*Illyricumq́ latus: parce & meſſoribus illis,*
*Qui ſaturant vrbem ludis circoque vacantem.*
*Curandum in primis, ne magna iniuria fiat*
*Fortibus & miſeris: tollas licet omne quod vſquam eſt*
*Auri atque argenti, ſcutum gladiumq́ relinques,*
*Et iacula, & galeam: ſpoliatis arma ſuperſunt.*
*Quod modo propoſui, non eſt ſententia, verùm*
*Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.*

*Ex ipſorum met qui Romæ agebant, Romanoſq́ mores corruptos dolebant, confeſſione apertè oſtenditur, Romanum imperium propter ſcelera & impietatem iniuriamq́ ſubditis illatam, è medio fuiſſe ſublatum ciuilibus primùm, & inteſtinis bellis ardentibus, deinde verò exterarum gentium tumultibus ac defectionibus, ita vt arx illa totius imperij munitiſſima tugurij inſtar eſſe deſierit. Hunc autem exitum Iſaias, vti oſtendimus, ſignificabat,*

*ficabat, qui cauſam quamobrem hoc accideret, continuò ſubiunxit:*

Et grauabit eã iniquitas ſua, & corruet, & non adiiciet, vt reſurgat.

MAGNA *nobis iam diu cupiditas fuit, & eſt, deſcribendæ diſtinctionis rerum ad ſacrorum librorũ ſtudium oportunarum ex Hebraici ſermonis, vnde hæc ratio petenda potiſsimùm eſt proprietate: quandoquidem Latini ſermonis inopia, aut interpretum etiam varia vertendi forma efficitur, vt perſæpe alia res pro aliis accipiatur, propter verborum Latinorum promiſcuum vſum. Id dum non curatur, neceſſe eſt, vt multorum locorum proprietas & elegantia ignoretur ab iis qui vel linguarum periti non ſunt, vel diligentem expoſitorem non fuerint nacti, vel Deo doctore non vtantur. Nam quos diuinus ſpiritus docet, ſingulariq́; ſcientiæ dono cumulat, etiam ſi linguas non doceat, rei tamen vim & genuinam verborum in ſingulis locis ſignificationem docet. Exhibuimus quidem argumenti huius partem aliquam in Apparatu ſacro libro quem Ioſeph inſcripſimus; verùm rationem omnem nondum abſoluimus, quia erat illic locus, nec tantum temporis nobis ſuppetebat, vt poſſemus & huic parti ſatisfacere: quòd ſi nobis hoc aliàs occupatiſsimis non concedatur ab aliquo docto viro in ſtudioſorum gratiam & vſum ſuſcipi quàm maximè optamus. Plurimum enim intereſt tum alia, tum huiuſmodi verba, peccatum, iniquitas, crimen, ſcelus, culpa, prauitas, & quæ ad hoc genus referuntur Latina, ex quibus Hebraicis verbis vertantur, dignoſcere: aliàs quippe magna rerum & ſententiæ notitiæ legentium mentibus ſubducitur. nos in Pſalmis vertendis, quantum potuimus conſtantiam verborum obſeruauimus, vt pro iiſdem Hebraicis eadem ſemper Latina redderemus: quam rem non mediocriter profuturam ſperamus iis, qui loca locis, in quibus idem verbum fuerit, conferre voluerint. Hoc autem loco huiuſmodi diligentiæ adhibendæ ſeſe nobis præbet occaſio, cùm cauſam & rationem Iſaias indicet; quamobrem imperium Romanum abolendum eſſet, eamq́; rationem ita Latinè legamus.* Et grauabit eam iniquitas ſua. *Nomen* iniquitas, *ex Hebraico* PESAG, *tranſlatum eſt. Significat autem* PESAG, *officij proditionem; referturq́; Hebraicè tam ad ſuperiores, quàm ad inferiores; tam ad eos qui miniſterio alicui præfecti ſunt, quàm ad eos, quibus aliquis præficitur. Nam ſi vel ille munus & officium ſuum prodat, & corrumpat, vel illi obedientiæ iugum excutiant, vtrumque*

Gen. 31. PESAGH *dicitur. Alterius rationis exempla ſunt. Quam ob culpam meam,*

Gen. 50. *& ob quod peccatum meum, ſic exarſiſti poſt me? & illud: Obſecro vt obli-*

„ *uiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atq; malitiæ quam exercuerũt*

„ *in te: nos quoque oramus vt ſeruis Dei Patris tui dimittas iniquitatem hanc. Tria hæc, culpa, ſcelus, & iniquitas ex verbo* PESAGH *reddita ſunt: illa rurſus exempla ad alteram partem referuntur, hoc eſt, eorum, qui ab iis*

4. Reg 1. *deficiunt, quibus vel paruerant, vel parere debuerant. Præuaricatus eſt au-*

4. Reg. 8. *tem Moab in Iſrael poſtquam mortuus eſt Achab. &, Receſsit ergo Edom,*

„ *ne eſſet ſub Iuda vſque ad diem hanc. & apud hunc ipſum Prophetam Deus*

Iſaiæ 1. *Iſraelitas accuſans, aiebat: Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Præuaricari, recedere, ſpernere, pro eodem verbo* PASAGH, *ſunt reddi-*

*reddita. Nunc igitur huius loci ſententia aperta eſt. quo Romanorum imperium ob ipſorum imperantium culpam euertendum eſſe, Vates ſignificabat: ita vt proditum ab ipſis officium, officij etiam ſui proditione gentes ac populi exciperent, ideò à Vate ſic ſcriptum eſt: In multitudine impiorum* Prou. 29. *multiplicabuntur ſcelera: & iuſti ruinas eorum videbunt. Quo loco Sa-* " *piens hoc verbum vſurpauit, nobiſq́ ex verbo ſic exponitur hæc ſententia. Cùm multiplicantur iniuſti, multiplicabitur* PESAGH*, hoc eſt, rebellio ac defectio: Et iuſti videbunt ruinas eorum. iniuſtorum videlicet, hoc eſt quod Iſaias dicit: Grauauit eam iniquitas ſua officij proditio grauauit terram,* Iſa. *& præuaricatio ſiue defectio hanc proditionem ſecutura, grauabit etiam eam; atq; ideo ita corruet, vt non adiiciat, vt reſurgat. Mirari ſatis non poſſumus, quantum ſibi conſentiant imago hæc, & illa quam Daniel de eodem Romano imperio eſt interpretatus. Quod autem vidiſti ferrum mixtum* Dan. 2. *terræ & luto, commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebũt* " *ſibi: ſicuti ferrum miſceri non poteſt teſtæ. Atq; obſeruanda eſt diligen-* " *ter tranſlatio à Vate ſumpta; qui, vt firmiſſimum illud Romanorum impe-* " *rium fundamenta in æternitatem iecisse videbatur, nutaturum primùm, deinde omnino ruiturum, ac de medio tollendum eſſe ſignificaret. Terræ nomen vſurpauit, quæ partium orbis omnium firmiſſima & immobiliſſima eſt. Quoniam verò terrarum orbis regna & imperia iuxta hominum opinionem duobus potiſſimùm innituntur fundamentis: Altero videlicet cælorum ac ſiderum influentiis & efficientiis; vnde Aſtrologi ſingulis prouinciis atq; adeò populis & ciuitatibus ſua aſtra adſcribunt, quaſi tutelaria, & horoſcopos notant, & cetera quæ curioſa illa magis quàm vera diſciplina commenta eſt: altero verò Regum ipſorum ac principum potentia, dexteritate, fortitudine, prudentia & conſilio. Nam vbi vtrumque fundamentum probè iactum fuerit, regna & imperia permanſura creduntur ſcilicet; atq; hæc vna ex opinionibus eſt, qua homines dementes effecti, & æternitatem ſuis rebus promittunt; & patere ſibi peccatorum & iniuriarum omniũ impotentia licentiam exiſtimant. vtrumque autem fundamentum, ſiue verum, ſiue falſum potiùs, & inane, tamen firmiſſimũ creditũ, à Deo euertendum eſſe Iſaias affirmabat. Ita vt nulla ad humanæ potentiæ æternitatem, neque in cælorum ſignis, & aſtrorum efficientiis, neque in potentiſſimorum hominum artibus & conſiliis facultas relinquatur, ſed tantùm regnũ illud conſtituatur & ſtabiliatur in æternum, quod Deus ipſe à ſe conſtituendum eſſe promiſit.*

Et erit in die illa, viſitabit Dominus ſuper militiam cæli in excelſo: & ſuper reges terræ qui ſunt ſuper terram.

VTRAMQVE *poteſtatem & facultatem diuino iudicio irritam fore ait, tam cæli aſtrorum, & eorum qui ex efficientia Dij eſſe putabantur, quàm potentiſſimorum principum, qui Dijs ſimiles exiſtimabãtur: & imperio fere pares, vt ille aiebat. Res gerere, & captos oſtẽdere ciuibus hoſtes:* Horat. *Attingit ſolium Iouis, & cæleſtia tentat. Neutri autem horum generi virtutem aut neceſſitatem, aut imperium, vel numen attribuendum eſſe,*

*ſolum Deum regnaturum, illiusq́ numen vnicum & verum cognoſcendum ac probandum eſſe ait. vt & alio in loco idem hic Propheta dixerat. Et*

Iſaiæ 2. ,, *incuruabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum: &*
,, *eleuabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitus conterentur. Et in-*
,, *troibunt in ſpeluncas petrarum, & in voraginibus terræ, à facie formidinis*
,, *Domini: & à gloria maieſtatis eius. Hanc autem maieſtatis gloriam vtroque exemplo conſpectum iri ait Vates, tum potentiæ aduerſæ dirutæ, tum ſimplicitatis ac pietatis redemptæ & liberatæ. Huius namque ſalutis cauſa hanc orationem inſtituerat Vates, vt paulo ante legebamus. A finibus terræ laudes, audiuimus gloriam iuſti: quam ſalutem ſubiuncto etiam carmine declarauit.*

Et congregabuntur in congregatione vnius facis in lacum: & claudentur ibi in carcere: & poſt multos dies viſitabuntur.

SIGNIFICAT *hoc carmen eos qui longo tempore in tenebris & vmbra mortis ſederunt, captiuos peccatorum iugo, & ſub mortis tyrannide laborantes, fore tandē in fine temporū, hoc eſt noui teſtamenti ætate ex Dei miſericordia in libertatem transferendos: non ſecus, imò longè præclariùs, atq́ illi, qui per multos annos apud Ægyptios detenti, duram atq́ miſeram ſeruitutem ſeruire cogebantur. Ad hanc quippe imaginem ſententia hac alludit: quam nos ita exponimus: etenim re ipſa, tum Hebraicæ orationis phraſi inducti, quæ ſic habet:* Et congregabuntur congregatione vincti ſuper lacum: & concludentur ſuper concluſione, & amaritudine dierum viſitabuntur. *Interim, inquit, dum hæc expediūtur quæ in terrarum orbis regnis expedienda ſunt, pij homines, & qui Deum timent, ſalutemq́ ſuam expectant, conſenſerunt, vt quondam captiui Iſraelitæ dura ſeruitute concluſi fuere, de quibus ſcriptum eſt: Ego dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruorum: ſed viſitabuntur demum poſt multos iam dies, qui ab initio mundi, atq́ à legis tempore in captiuitate detenti, in ſpe tamen & fide ſub lege cuſtodiebantur, concluſi in eam fidem quæ reuelanda erat. Eaq́ viſitatio & liberatio imaginem & figuram illam*

Exodi 13. *re ipſa perficiet, de qua ſcriptum eſt: Viſitans viſitaui vos, & vidi omnia*
,, *quæ acciderant vobis in Ægypto: & dixi vt educam vos de afflictione Æ-*
,, *gypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Phereſæi, & He-*
,, *uæi, & Iebuſæi ad terram fluentem lacte & melle. Tunc verò humani generis feliciſſima illa ſalutarisq́ ſors, non aſtrorum viribus & efficientiis, non temporum viciſſitudinibus, verùm Deo ipſi auctori adſcribetur, acceptaq́ referetur: qui efficacitatem ſuam in homines immiſſo Spiritu ſancto probabit, & manifeſtè oſtendet multis teſtimoniis eorum, qui huiuſmodi dono ac beneficio aucti fuerint. hoc eſt, quod Propheta illa oratione nobis ſignificat.*

Et erubeſcet Luna, & confundetur Sol, cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Hieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum; ſicut glorificatus.

Iuu. Sat. 13. SVNT *qui in fortunæ iam caſibus omnia ponunt. Sunt qui ſolem & lunam*

*lanam, vel ſicut auctores temporum, humanarum motores & verſatores rerum eſſe putant, vel ſicut priuati gentium tutores, vt qui gẽtes omnes Romanum imperium maximè Soli & Marti tamquam tutelæ adſcribunt. Iſmaelitarum verò regnum Lunæ tribuunt, quocumq; modo homines iſta ſomniauerint, vana tamen & irrita deprehendentur, nulliuſq; facultatis aut efficacitatis, cùm Dominus Deus, ille in ſuos miſericors, in aduerſarios vltor, exercituum inquam ille Dominus, regnauerit in Eccleſiæ hominibus, habitaueritq; in animis piorum: cuius rei ſignificatio Sion & Hieruſalem nominibus continetur. Idq; erit, cùm Spiritu ſancto immiſſo, glorificatus fuerit in conſpectu Apoſtolorum, & aliorum diſcipulorum; qui diuino hoc dono aucti & amplificati, teſtimonium grauiſsimũ reddent veritatis Dei, & ſanctificabunt nomen ipſius, regnumq; illud cælorum gentibus ac populis prædicabunt. Seniores Dei hoc loco Apoſtolos & alios ſanctos Eccleſiæ Chriſtianæ miniſtros interpretamur. Cuius ſententiæ diuus Auguſtinus* August. in Apoc. 7. *etiam eſt. Atq; hactenus alterum ſecretum vatis eſt à nobis expoſitum. Alterum verò nunc deinceps eſt exponendum. Dicebamus enim vno eodemq; ſermone duo arcana, ab Iſaia non ſolùm coniuncta, ſed indicata etiam fuiſſe, dicente: Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi. Atq; vtrumque ſecretum ad rerum humanarum ante & poſt Chriſti aduentum mutationem pertinere dicebamus, inductum videlicet poſt Epiphonema illud, A finibus terræ laudes audiuimus.* Ephoriam iuſti. *Sed alterum ſecretum externarum mutationes in orbe rerum, vti expoſuimus, præcipuè continebat: alterum verò internam in humanis animis conuerſionem ſubindicat, rem obſcuram atq; difficilem cognitu iis, qui erga diuinam Chriſti virtutem, & efficientiã plena fide inſtructi non fuerint, quibus nihil ſpiritualium huiuſmodi rationum percipitur. S.S.E. Niſi credideritis, non permanebitis* Sup. 7. *in verbis Dei. videlicet, maximam igitur mutationem in hominum mentibus animiſq; futuram eſſe Ieſu Chriſti virtute atque efficientia Prophetæ omnes prædicentes, opportunis locis accuratè inculcauere: id quod Iſaias etiam hoc loco facit. Dixerat enim gentes vocem ſuam leuaturas & laudaturas, cùm glorificatus fuerit Dominus: atq; è veſtigio ſubdiderat: propter hoc in doctrinis glorificate Dominum: in inſulis maris nomen Domini Dei Iſrael: hanc rationem pleniùs ſignificaturus & redditurus, hunc ſermonem ampliauit: indicare volens quemadmodum fieri poſſet, vt gentes omnes in omnibus terræ finibus, & maris inſulis, ad veram Dei Iſraël cognitionem deuenirent. Id quod admirabili Euangelij virtute effectum iri ait: cuius illa efficacitas futura eſſet, vt credentes & obtemperantes à tenebris & vmbra mortis, atq; adeò à morte ipſa liberatos, ad vitæ veræ atq; æternæ lucem reuocaret: contrà verò eos, qui non crederent, in damnatione ſua relictos, & peccato proprio ipſorum dureſcere permitteret; atq; in interitũ tandem ire ſineret. Huius verò rei expeditionem per Apoſtolos & alios Chriſti diſcipulos efficiendam eſſe; qui Spiritus ſancti dono inſtructi, atq; aucti per omnem terrarum orbem diuinæ huius miſericordiæ nuntium allaturi, diſſeminaturiq; eſſent; tamquam ex mortuis extantes, atq; vbique gentium*

 *ſuam*

*ſuam vocem, verbaq́; ſua audienda edentes, magno cum audientium videntiumq́; ſtupore. Neque verò maximos aliquos principes, aut ſummos, & potentes homines, neque humanis artibus, ſapientia, & eloquentia illuſtres, ſed infimæ conditionis, & cõtemptibiles homines ad honorem eſſe deligendos atq; mittendos; non ex celeberrimis & ampliſsimis locis, humana maieſtate illuſtribus, ſed ex Iudæa & Galilæa, huiuſmodiq́; terrarum angulis; Deo id decernente, qui ignobilia & contemptibilia huius mundi eligeret, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, atq; fortia confunderet, ac deſtrueret; vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Vt autem hæc ſententia, & ratio omnis myſteriis plena eſt; ita etiam myſticis & ſignificantiſsimis verbis eſt deſcripta. Nam quod Latinè legimus,* A finibus terræ laudes audiuimus: *Hebraicè eſt,* ab ala terræ. *Significat autem ala, vt in Apparatu docebamus inter alia, rem abſconditam, latentem, & infirmiorem, non* (Lib. Ioſeph.) *tantum ipſam alam, quàm id quod ſub ala eſt: atq; ita verbum hoc ab interprete noſtro in illo loco verſum eſt: Non accipiet homo vxorem patris ſui,* (Deut. 22.)
,, *nec reuelabit operimentum eius: quamobrem hoc loco exponimus ab opertis terræ, ſignificante nobis vocabulo, non ſolùm Iſraelitidem regionem, quæ apud alias gentes ignobiliſsima habebatur: ſed etiam Apoſtolos, & alios ex numero puſilli gregis Chriſti, qui obſcuriſsimi in oculis mundi viderentur. Ab huiuſmodi locis & hominibus mirabuntur gentes, ſibi auditas laudes continentes gloriam iuſti illius, qui homines, Euangelio ſuo credentes, & parentes iuſtificat. S. S. E. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei:* (Rom. 3.)
,, *iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto*
,, *Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad*
,, *oſtentionem iuſtitiæ eius, in hoc tempore: vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans*
,, *eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti. Igitur gentes, hoc nuncio audito, dicturas*
,, *eſſe Vates aiebat,* A finibus, *ſiue,* ab ala terræ, laudes audiuimus gloriam
,, iuſti. *Hunc autem iuſti gloriæ nuncium auditum, magnam agnitionem er-*
,, *roris, cæcitatis, impietatis, & peccatorũ, in quibus gentes verſabantur, con-*
,, *ſecuturã eſſe, Vates affirmat, ipſa vniuſcuiuſque gentis oratione adiuncta.*
,, Et dixi, Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi. *Quod hoc loco*
,, *interpres noſter ſecretum reddidit verbum, Hebraicè eſt:* RAZAH. *quod*
,, *propriè tenuitatis, abſconſionis, & ſterilitatis ſignificationem habet: oppo-*
,, *nitur enim plerumque abundantiæ, pinguedini, ac fertilitati: atque ita ſuis locis ab interprete noſtro eſt expoſitum. vt in illis, Cõſiderate vtrum humus* (Num. 13.) *ipſa pinguis an ſterilis ſit. &, Mittet dominator Dominus exercituum in* (Iſa. 10.)
,, *pinguibus eius tenuitatem. Ex qua ſignificatione locum hunc arcanum ſic exponimus, vt ad querelam & pœnitentiam referamus populorum qui veræ atq; viliſsimæ omnino pietatis cognitione ex Euangelij auditu accepta, agnituri erant, ſe maxima veri cognoſcendi penuria laboraſſe, anteà propter errorem cum lacte matris exuctum: atq; à magiſtris & præceptoribus ſuis, poëtis, philoſophis, & ſacerdotibus vanis, aliisq́; mendacij miniſtris fotum & amplificatum.* Sterilitas mea mihi, tenuitas mea mihi. *Quam ſterilitatem ex vana atque atq; veritatis artisq́; experte cultura auctam fuiſſe,*

iidem

*iidem explicaturi affirmaturiq́ erant. Hoc eſt quod horum ipſorum ſermonem referens, propheta ſubiungit :* Væ mihi, præuaricantes præuaricati ſunt : & præuaricatione tranſgreſſorum præuaricati ſunt. *Prior pars ad falſos & improbos gẽtium prophetas refertur; qui ea quæ de diuina humanaq́ natura tum ſuis gentibus & ſeculis, tum poſteritati tradiderũt; varius fabulis, & obſcuris imaginibus, ementitiisq́ Deorum nominibus, atque aliis commentis & fictionibus ita inuoluerunt, vt ſuæ aliarumq́ ætatum hominibus magis inuidere ac ſubducere, quàm exponere verum voluiſſe videantur. Quid enim Orphei, & Homeri, atq; etiam Pythagoræ, ac Triſmegiſti Mercurij Theologia aliud eſt præter mera nugamenta & ſomnia, inexplicabilibus rerum atq; verborum inuolucris impedita & perturbata, in quibus raræ aliquando apparenti vtilitatis luci innumeræ ac denſæ errorum nubes atque nebulæ permiſcentur? Quid eorum qui hos Prophetas, ſiue Vates poſteà ſecuti ſunt philoſophorum commenta, ac diſputationes de rebus diuinis præcipiunt? Nónne ad impietatem legentium mentes magis protrudunt, & impellunt, quàm ad pietatem deducunt? hoc eſt, quod hoc loco ſubiungitur :* Et præuaricatione tranſgreſſorum præuaricati ſunt. *Siue, vt iam de hoc verbo* BAGAD *agentes explicabamus hunc locum,* Præuaricatione præuaricatorum præuaricati ſunt. *Siue id appoſitiſſimè in hunc locum Latinè dici poſſet,* Falſitate falſarii fefellerunt. *In hanc quippe ſententiam hæc omnis tendit oratio, quam D. Paulus apertè explicans, ſcripſit : Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinẽt. Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis : Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur : ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas : ita vt ſunt inexcuſabiles. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis : & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, &c. Atq; hoc modo alios tamquam bruta, & iudicio carentes pecudes abduxerunt. Sicut & idem Apoſtolus ad gentes ipſas ſcribens, ait : Scitis quoniam cùm gentes eſſetis, ad ſimulachra muta, prout ducebamini, ibatis. Itaq; eiuſdem ſignificationis hæc populorum oratio eſt, atque illa : Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum, in die tribulationis ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent : Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem quæ eis non profuit. Hoc eſt, quod hoc loco dicitur :* Sterilitas mea mihi, ſterilitas mea mihi. *Ex qua vanitate quid colligendum eſſet, quiſnam fructus eſſet expectandus, indicauit Propheta hic noſter, & Ieremias etiam eodẽ illo loco ſignificauerat. iccirco inquiens : Ecce ego oſtendam eis per vicem hanc, & oſtendam eis manum meam, & virtutem meam. Hoc eſt quod Iſaias ait:*

Rom. 1. — 1. Cor. 12. — Ierem. 16.

Formido, & fouea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ.

*Tria pœnarum genera ac tempora eos manentium, qui Dei vera notitia deſtituti, & prauis opinionibus imbuti fuerint per Euangelium orbi denun-*

*nuntianda ſignificabat Propheta his arcanis verbis, primùm pœnas in hac vita luendas impiis nomine formidinis expreßit. Eſt enim propriè mundus hic formidinis plenus, vtpote periculis vndequaq; ſcatens, quibus multæ impiorum miriades obnoxiæ fuere ſemper, ex diuino iudicio; maximè verò ij, qui cum impietate iniuriam coniunxerunt: ſicut quidam ex gentium ipſarum vatibus apertè teſtatur.*

Iuuen. Sat. 13

*Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,*
*Cùm tonat exanimes primo quoque murmure cæli,*
*Non quaſi fortuitu, nec ventorum rabie, ſed*
*Iratus cadat in terras, ac vindicet ignis.*
*Illa nihil docuit cura grauiore timetur*
*Proxima tempeſtas, velut hoc diluta ſereno.*
*Præterea lateris vigili cum febre dolorem*
*Si cœpere pati, miſſum ad ſua corpora morbum*
*Infeſto credunt à numine, ſaxa Deorum*
*Hæc, & tela putant, pecudem ſpondere ſacello*
*Balantem, & laribus criſtam promittere galli*
*Non audent: quid enim ſperare nocentibus ægris*
*Conceſſum? vel quæ non dignior hoſtia vita?*

*Ita perpetua formidine tenentur impij & ſcelerati mundi homines, ſcelerum ſuorum conſcientia ſtimulati & affecti, atq; à vera, & à Dei cognitione, atq; à potentiæ legitimæ ratione abalienati. de quibus S. E. Pluet ſuper peccatores laqueos ignis & ſulphur, ſpiritus procellarum pars calicis eorum: quod ſi nonnulli, aut multi etiam impietatis ſuæ pœnas in hac vita nullas dederint: tamen non effugient; quin maximas poſt hanc vitã luant: primùm anima poſt obitum damnata, & in gehennæ carcerem condita, ac tandem poſt reſurrectionem corporis in corpore ſimul cum anima in alterum ignem deſtinatis, & coniectis. Hanc vtramque futurarum pœnarum partem Iſaias ita apertè ſignificare ſuis verbis nobis videtur, vt apertius nihil deſiderari poßit: qui, cùm huius vitæ turbulentum, & metu atq; periculis plenum ſtatum formidinem dixiſſet, pœnas poſt mortem impiis ſubeundas, carceremq; illum gehennæ ſiue inferni foueam vocauit: illaq; poſt vltimum iudicium improbis omnibus parata æterna ſupplicia, laqueum appellauit: operæpretium autem fuerit tranſlationis eius meminiſſe, quam nos à venatoribus ſumptam, exponebamus. Iam verò pœnarum harum ſeriem atq; tempora diſtinguens, ait:*

Pſal. 10.

Et erit, qui fugerit à facie formidinis; qui nullas in hac vita impietatis pœnas dederit, cadet in foueam gehennæ: & qui ſe explicauerit de fouea. *Hebraicè eſt*: Et qui aſcẽderit de medio foueæ.

QVA *oratione reditus animorum in corpora futurus apertiſſimè ſignificatur.* Tenebitur laqueo pœnarum. *videlicet alternarum corpore ſimul atq; animo luendarum. de quibus S. E. Et egredientur, & videbunt „ cadauera virorum qui præuaricati ſunt in me, vermis eorum non morietur, „ & ignis eorum non extinguetur. Significare autẽ volens Propheta, quemadmo-*

Iſaiæ 66.

admodum fieri poßit, vt homines, poſt mortem, corpore pariter & animo puniantur, addidit: Quia cataractæ de excelſis apertæ ſunt, & concutientur fundamenta terræ. Atq; hac oratione omnium hominum animos, quorum ſedes poſt mortem non in terra erit ante diem poſtremi iudicij: quemadmodum corporum locus in terra & mari condita vel mixta erunt. Animorum verò pars in terra, hoc eſt, corporum inſtar mortua, extincta, aut in nihilum redacta erit: namque improborum & impiorum animæ perpetuæ ſunt. Voluit autem animorum & corporum variam conditionem duobus his nominibus Vates ſignificare, hoc eſt, nomine ſuperiorum vel celſorum, & nomine terræ. Namq; corporis natura infima, ac terrea eſt, & in terram poſt mortem redit, S. S. E. Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam. Animi verò natura ſuperat, ſuperſteſq; eſt vita defuncto.

Sunt aliquid manes, lethum non omnia finit, canebat ille. Eſt igitur Propert. excelſior multo animorum quàm corporum conditio, tum natura ſua, tum perpetua, & numquam deficiente duratione: quamobrem vocem MAROM, quod, excelſum, noſter interpres vertit, ad hanc animorum ſublimitatem referimus: propriè enim altitudinem & exaltationem ſignificat verbum ipſum: omnium autem hominum animas in ſua ſingulas corpora redituras, atq; ibidem præmium accepturas, prout quiſque in corpore geſſerit, ſiue bonum, ſiue malum, Iſaias ait: Apertis cataractis de excelſis, vt animi ad corpora remigrent propria, & rurſus omni tam terræ, tam maris parte concuſſa, vt quidquid ex humanis corporibus vſquam locorũ fuerit, excuſſum reddatur; & partes cum partibus rurſus commixtæ & coniunctæ, totum corpus de integro inſtauretur. Itaq; MAROM, hoc eſt, excelſum, non de cælis tantùm; ſed de ipſo animorum ſtatu hoc loco exponimus. Deſcendent igitur animi ex ſuperiori illo loco, quem poſt mortem tenebunt, ſeparati à corporibus, & corpora ſua repetẽt. Corpora autem, quamuis corrupta, quamuis diſſipata fuerint, quatuor mundi plagis concußis coniungentur & inſtaurabuntur; ſiue inter lapides, ſiue inter ſaxa, ſiue in ipſis infimis viſceribus terræ, ſiue in profundo mari, quod huius infimi orbis pars eſt, humanorum corporum oſſa vel pulueres fuerint. Quidquid erit, vbicunque fuerit, tanquam in cribro excuſſum concutietur, & ſingulæ partes aliæ aliis iuxta naturæ ordinem coniungentur. hoc eſt quod ait: Confractione confringetur terra. Confringetur & aperietur, vt mortuorum corpora producat, & reddat: atq; hæc terra aperta & confracta in minimas portiones, omnes oſſium, carniũ & neruorum particulas ſeparatas remittet: hoc eſt quod Propheta dicit: Contritione conteretur terra. Verborum horum exacta explicatio ex priori huius loci expoſitione repetenda eſt: namque eadem ſignificatio & illi, & huic rationi commodè ſeruiet; ſiquidem vtrobique metaphoricωs hæc verba vſurpantur. & ex eiuſdem tranſlationis vſu adiungitur etiam: Commotione commouebitur terra. Terra omnis ita commouebitur, vt eiuſdem corporis pectora, brachia, caput, quamuis variis locis diſperſa vel diſſita fuerint, tamen commoueantur, & in vnum locum conferantur; ac tandem, vt hoc effici commodiùs poſſe videatur, Agitatione agitabi-

tabitur terra. *Vt partes omnes in vnum conueniant, ita enim ſit agitatione rerum in eodem cribro contentarum: vt quæ craſsiora ſunt, ſeorſum; quæ verò tenuiora ſeorſum etiam ſeiungantur. Agitabitur igitur terra ſicut cribrus: atq; ita illa facies terræ quæ antea fuerat, ille communis ſtatus corporum poſt mortem; communis, inquam, probis & improbis, auferetur reſurrectione communi corporum,* quaſi tabernaculum, *quaſi manſio, vel tugurium ad certum tempus constructũ. Deinde verò quæ cõditio vtriuſque partis futura & conſecutura ſit, ab Iſaia indicatur noua partitione & ſignificatione rerum. Namq; homines deinde in duas partes diuiſi, duobus nominibus in perpetuum diſtinguentur. altera pars terrena, ſiue terra grauis, altera cæleſtis dicetur. Pars terrena, quæ reſurrexerat corpore in mortem æternam ignemq; inextinguibilem detrudetur, peccati ſui grauitate detruſa. Pars verò cæleſtis in reſurrectionem vitæ æternæ ſuſcitata, cæleſtis regni conſors effecta in æternum cum Chriſto regnabit: hanc verò rationem ita expreſsit Iſaias. De parte enim terrena illa hominum* grauabit eam iniquitas ſua, & corruet, & non adiiciet vt reſurgat. *Vtpote quæ in æterni ignis damnationem deciderit: atque hanc rem omnem antiqui etiam cognoſcere potuerunt ex Danielis oraculo cum his Iſaiæ myſteriis conueniente.*

Dan. 12. *Et multi de iis qui dormiunt, in terræ puluere euigilabunt, alij in ,, vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant ſemper, &c. Hanc verò corporum reſurrectionem non naturæ viribus, ſed Dei virtute & voluntate efficiendam eſſe; atq; tunc omnem potentiam humanam, omnem illam dominandi in terra & regnandi poteſtatem defectum iri, atq; adeò totum rerum mundi ſtatum prorſus mutandum, & huius ſeculi faciem finiendam & abolendam ſignificare volens Propheta, ait:*

Et erit in die illa, viſitabit Dominus ſuper militiã cæli in excelſo,

*Ita, vt nihil vel aſtra vel cæli impedire aut efficere poſsint in reſurrectione corporum.* Et ſuper reges terræ qui ſunt ſuper terram.

*Nulli enim deinceps erunt qui ſuper terram regnent: erunt reges in cælo ſancti omnes: in terra nihil poteſtatis humanæ reliquum erit. Hanc verò ipſam mortuorũ, piorum præcipuè, reſurrectionem liberationis eorum, qui in carcere aut lacu detenti ſunt, ſimilitudine deſcribit Propheta.*

Et congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere.

HAC *oratione ſepulchra & loca in quibus mortuorum corpora detinentur, ſignificat Vates. Cuius verborum expoſitio, & conſtructio iam à nobis reddita eſt: apertè verò ſignificatur mors iuſtorum non eſſe perpetua; quippe quorum corpora non perdita, ſed tamquam in carceris lacu congregata eſſe exiſtimẽtur: atque hoc verbo vtitur Scriptura frequenter, cùm de ſanctorum Patrum obitu agit: Et mortuus eſt, & appoſitus eſt ad patres ſuos. Semper enim hoc verbum* AZZAPH, *vſurpatur in illis locis. Atq; hæc de illorum ſtatu poſt mortem, quod ad corpus attinet. De ſuſcitatione verò:*

Et poſt multos dies viſitabuntur. *Tunc verò nullam temporum viciſsitudinis mutationem aut inconſtantiam; nullam Solis aut Lunæ efficacitatem*

*tatem in regno illo beato ac ſempiterno fore, Vates ait. Omnem aſtrorum vim & lucem ſuperuacaneam illic futuram, vbi Dei lux perpetua lucebit; tanto præſtantior ſolis ac lunæ lumine, quanto ſupernaturalia, æterna, & infinita naturalibus, caducis, & finitis præſtant.*

Et erubeſcet Luna, & confundetur Sol, cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Hieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus.

PIORVM *ſanctorumq́ ſortem explicat,* & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus. *ad illudq́ refertur: Cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes, iudicãtes duodecim tribus Iſrael. Superiùs enim impiorum iniquorumq́ hominum ſors indicata fuerat. Hanc eandem ſententiam Danielis ore Spiritus ſanctus confirmauit. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Sion & Hieruſalem hoc loco, pro ſuſcepti argumenti ratione, cæleſtẽ illam Eccleſiam triumphantem interpretamur. Quæ verò Hieruſalem, hoc eſt, alta & conſpicua, pax perfectioq́ eſt. Totum hunc quoque locum Ioannes Euangeliſta ſibi explicatum apertè nobis retulit. Et vidi cælũ nouum, & terram nouam. Primum enim cælum, & prima terra abiit, & mare iam non eſt. Et ego Iohannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo: & audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Et abſterget Deus omnem lachrymã ab oculis eorum, & mors non erit vltrà; neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt. Hæc igitur huius loci altera arcana interpretatio eſt: quam Iſaias initiò indicabat, dicens:* Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi. *Cuius ſumma argumenti ratio eſt, fore vt gentes per Euangelij nuncium excitentur ad cognoſcendum errorem ſuum, & humanæ ſalutis viam doceãtur, iis paratæ, qui credere & obedire Euangelio voluerint: contrà verò, ſupplicia & pœnæ cùm temporales, tum æternæ iis prædicantur, qui vel increduli, vel non parentes & obſequentes voluntati & verbis Dei fuerint. Quam quidem rem omnem Paulus Apoſtolus apertiſſimè declarauit. Non erubeſco Euangelium, virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. S. S. E. Iuſtus autẽ ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iuſtitia detinẽt. & alio in loco pios & ſanctos homines perſecutionibus exercitatos, alloquutus, ait: Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant; & vobis qui tribulamini requiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu de cælo cum Angelis virtutis eius in flammas ignis dantis vindictam iis qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui pœnas dabunt in interitu æternas*

Mat. 19. Dan. 12. Apoc. 21. Rom. 1. 2. Theſſ. 1.

„ *nas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificari in*
„ *ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderint.*

## CAPVT XXV.

DOMINE Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam feciſti mirabilia: cogitationes antiquas fideles Amen.

FVTVRÆ *hominum ſalutis & reſurrectionis corporum, & rerum omnium quæ mutandæ innouandæq́; erant, admonitus in præcedenti capite Iſaias, Deo auctori prouidenti, inſtauratori, & amplificatori hoc loco gratulatur; homines q́; ad eandem ſalutis fidem, ſpem, & expectationem, atq; ad ſimilem gratulationem laudationemq́; hortatur. Oſtendit verò diuinarum laudum initium à creatione mundi, ab hominibus debitarum ad humanæ naturæ renouationem, & eiuſdem ſanctificationem atque deificationem prolatari: ita vt huiuſmodi regeneratione hominum manifeſtè cognoſcatur eum fuiſſe rerum omnium auctorem primum, qui fuerit nouiſſimus reſtitutor & amplificator. atq; ad hoc myſterium illud etiam refertur,* Heb.2. *quod per Apoſtolum mirabili artificio indicatum eſt. Decebat enim eum,*
„ *propter quem omnia, & per quem omnia; qui multos filios in gloriam adduxerat,*
„ *auctorem ſalutis eorum per paßionem conſummare. Quamobrē duo Dei nomine in hac à ſe inſtituta gratulatione, Vates vſurpauit: quorum alterum ad hominum ſalutem, & regenerationem; alterum verò ad generationem ſiue creationem mundi, atq; rerum omnium refertur. Prius nomen illud arcanū eſt, quattuor litteris conſtans, quod ab Hebræis ininterpretabile, à multis ineffabile dicitur; nosq́; pronunciantes, dicimus* IEHVEH. יהוה *cuius rationes & interpretationes miſericordiam, atq; adeò humanæ ſalutis beneficium ſpectare, in Apparatu ſacro oſtendebamus. Poſterius verò illud* אלהים ELOHIM, *eſt quod ad mundi tum conditionem & creationem, tum etiam gubernationem ſignificandam appellari ſolet. Fundamentum autem fidei, ſiue primus articulus fidei eſt, Deum, deinde eundem creatorem, credere: eiuſdem fidei poſtremus ſcopus eſt, ipſum Seruatorem & glorificatorē credere. Poſtremum ſalutis, ſiue redemptionis cauſa, hominū glorificatio. hæc totius fidei variis articulis diſtinctæ ſumma eſt: ex qua confeßio oritur illa, quam & laudem & manifeſtationem etiam & exaltationem ſacer appellat ſermo. Hæc autem omnia Iſaias hac prima profeßionis ſuæ propoſitione ſignificauit, laudem ſe debere profeſſus Deo ſeruatori & regeneratori ſuo; quem primum etiam Creatorem fuiſſe agnoſcat, & confiteatur. Eſt verò hæc totius futuræ orationis inſcriptio, cuiuſmodi multa à ſacris ſcriptoribus eduntur, quæ dicendarum rerum argumentum contineat: ac ſi antiquæ Latinæ linguæ phraſi diceretur,* Deo regeneratori nouiſſimo, auctori, & creatori primo gratulatio. *Atq; hoc modo quoque interpretamur illud, Ego ſum A, & Ω, primus & nouißimus: quod non ſolùm ad æternitatem diuinam, ſed ad diuinam auctoritatem in mundi creatione & renouatione ſpectatum, exponendo referimus. Itaque Iſaias per vaticinij ſpiri-*

*tum*

cum & enthuſiaſmon ſeſe illi ætati aureæ, prophetis omnibus præuiſæ atq; exoptatæ, præſentem faciens, perſonamq; gerens vnius ex iis qui huius diuini beneficij compotes atq; teſtes futuri erant, in has laudes prorupit. Domine Deus meus es tu, exaltabo te. *Domine, inquit, cuius beneficẽtiam agnoſco, & nomine quo* IEHVEH *appellaris, te ipſum credo, & agnoſco, atq; confiteor meum* ELOHIM, *hoc eſt, Creatorem & gubernatorem totius mundi: atq; ideo etiam meum. Illa prior pars admirabilium tuorum beneficiorum mundo creato exhibitorum, fidem adſcribat; poſſe te eundem mundum lapſum, inſtaurare, vnà & amplificare, in melioremq; conditionẽ proferre. Rurſus hæc ſalus, quam exhibuiſti, & præſtitiſti humano generi, te creatorem & auctorem hominum ac mundi gubernatorem manifeſtè probat: nam qui denuò facere potuit, is & primùm facere potuit, & fecit. ſed hæc myſteria, myſteria magna ſunt, & quæ ab animali homine non capiuntur: nos tamen vtcumque poſſumus, verba ſaltem ipſa, quibus enuntiantur, exponimus. Maiora profectò multo & ampliora diuinioraq; norunt ij, quibus huius rei cognitio re ipſa ex diuino beneficio contigit: qui, cùm hæc legerint, nos aliquid eorum quæ ab ipſis cognoſcuntur, oratione hac ſignificaſſe gaudebunt. Agnoſco, inquit Iſaias, laudem ſummam tibi à me debitam ab initio vſque mundi, vſque ad hanc rerũ, in qua per te poſiti ſumus, conditionem tempora euoluenti: nam tu, qui ſeruator regeneratorq; meus es, idem creator etiam es meus, & gubernator. Igitur* Confitebor nomini tuo. *Quidquid ego, ſiue creatus, genitus, & natus, ſiue regeneratus ſum, id nomini, virtuti, efficacitatiq; tuæ acceptum referam; aperteq; teſtabor ſummis laudibus te, qui hanc rerum admirabilem innouationem feceris, antiqua omnia quæcumque ſunt in mundo, & ſupra cælos feciſſe: hoc eſt quod exponẽs, ſubiungit:* Quoniam feciſti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles amen. *Hebraicè ad verbum ſic legimus:* Feciſti mirabile, conſilia à longè, veritatem fidelem, ſiue firmam. *Hoc eſt, Tu, qui mundum conſideras, eundem perditum reparare, imò amplificare, magiſq; perficere conſtituiſti: idq; conſilium re ipſa, atq; vero effectu confirmaſti. Amen, verum, fidele, firmum, ſtabileq; ſignificat. Conſilia verò à longè, à Vate ea dicuntur, quæ Deus æternamente concepta, aliquando pronunciauit. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: & ipſum conteret caput tuum. Atq; hoc conſilium de generis humani ſalute ita firmata, illud aliud etiam conſilium ab æterno initum comprobat de mundi creatione, quam in principio temporis edidiſti: ita res à te effectæ, aliæ alias contemplandas, fide, admiratione, atq; laude excipiendas prædicant. Vocantur itaque conſilia antiqua, quæcunque à Deo inita ſunt, de humana natura exornanda, ſeruanda, atq; amplificanda: de quibus conſiliis ſæpiſſimè ab Apoſtolis verba fiunt in hanc ſentẽtiam: Sicut elegit nos in ipſo ante mundi cõſtitutionem: vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum: ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ. & paulo inferiùs: In quo etiam nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati,*

[Margin: Cyril. — Gen. 3. — Epheſ.]

 ſecun-

" *ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium volun-*
" *tatis ſuæ. Huiuſmodi propoſitionem, & hoc conſilium voluntatis diuinæ, quæ nulla poteſtate frangi, minui, aut impediri poteſt, conſilium à longinquo Iſaias appellat, vnius ex noui Teſtamenti ſanctis viris, perſonam & orationem referens. Atq; harum à ſe propoſitarum, laudum materiam, argumenta, rationesq́; ſingulas, expoſitione ſubiuncta, Vates explicat; ab illa immutatione regnorum & imperiorum, atque gentium concuſſione, ſermone repetito.*

Quia poſuiſti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum: vt non ſit ciuitas, & in ſempiternum non ædificetur.

HÆC *non ad Ieroſolymorum vrbem referenda ſunt: quæ, quamuis diruta fuit, tamen iterum ædificata eſt; & ciuitatis nomen & faciem vel magnæ, vel exiguæ hactenus retinuit: ſed ad publicam illam nationum & imperiorum mutationem, rerumq́; conuerſionem, de qua in ſuperiore capite longam expoſitionem inſtituimus ab illo initio: Ecce Dominus diſſipabit terram, & nudabit eam: & affliget faciem eius, & diſperget habitatores eius. Ciuitatem populo frequentiſſimam in tumulum lapidum præ ſolitudine redactam eſſe ait. Vrbem etiam muris & operibus munitiſſimã, in ruinam, qualis Romæ ſpectatur: & Babylone etiam qualis Pellæ quæ Macedonum Græcorumq́; imperij prima regia & populoſiſſima fuit.* Domũ alienorum, *à cognitione & cultu veri Dei, qualis Aſſyriorum Niniue fuit. vt non ſit ciuitas, & in ſempiternum non ædificetur. Hæc omnia ex ſacris & prophanis hiſtoriis, atq; ex Geographorum deſcriptionibus apertè conſtant. Sunt autem tria genera frequentium habitationum, quarum nomina Latinus ſermo non ita atque Hebraicus diſtincta habet.* SGIR, *vrbem ſignificat, quamquam opere & muris non munitam; eſtq́; commune nomen magnis & paruis muro cunctis & apertis vrbibus,* KIRIATH, *verò ſignificat vrbem, ſiue ciuitatem ſplendidam, cui additum* BETSVRAH, *adiunctum munitionis & operis firmitudinem adſcribit. Eſt etiam tertium genus caſtellum ſiue palatium magnum regium, quod* ARMON *Hebraicè dicitur, ad regum & principum magis quàm populi habitationem aptum. Vt igitur populorũ, vrbium, & munitionum, ſiue operum humanorum, atque etiam regum & principum mutationem & euerſionem ſignificaret, tria hæc locorum nomina per metonymiam Propheta vſurpauit, ſingulisq́; ſuis exitus differentes adſcripſit, vrbi populis frequenti tumulum lapidum præ ſolitudine & vaſtatione; ciuitati forti & munitæ ruinam. Domui ſiue regiæ euerſionem numquam inſtaurabilem, ea ſignificatione videlicet, vt imperium ſimul ex aliqua familia illarum quattuor gentium ſublatũ, nunquam eidem familiæ reſtituendum eſſe indicaret. Semel enim ab Aſſyriis ad Perſas translatum, ad Aſſyrios nunquam ampliùs rediit. Atq; ita deinceps cum aliis imperiis eſt actum. Ex huiuſmodi regnorum & imperiorum tranſmutatione, & vario exitu, per Vates prædicto, atq; ex Euangelij præconio, exemplo, & praxi, qua totum terrarum orbem commonendũ, eoſq́;*

qui

*qui reliqui fuerint ex illa gentium varia clade, Dei prouidentiam, efficientiam, & virtutem cognituros, admiraturos, & magna religione laudaturos eſſe ait: atque hunc fore tantarum rerum expectandum, & probandum euentum, quem in ſuperioribus etiam ſignificauerat Iſaias. Hi leuabunt vocem ſuam atq; laudabunt, cùm glorificatus fuerit Dominus. hoc idem eſt quod ſubiungitur hoc loco.*

Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robuſtarum timebit te.

OMNES *populos qui antea fortes, potentes, atq; adeò ſuperbi fuerant: namque hæc omnia verbum* GHAZ *ſignificat, laudaturos, & magna religione atq; timore Deum culturos eſſe ait; ſingulaſq; ciuitates gentium robuſtarum idem eſſe facturas. Atq; hac oratione omnes quidem populos fortes, & ciuitates robuſtas intelligimus: ſed præcipuè Romanos, gentium omnium fortiſſimos & potentiſſimos, fortiſſimorumq; omnium vltimos, quod ad imperij vſum attinet, indicare nobis voluiſſe Vates videtur. Namque horum imperium Euangelij incipiente tempore florebat: quod pòſt inclinari cœpit, & tandē Euangelio iam per orbem diſſeminato, deſiit. Verùm enimuero magno ſuo bono atq; exoptando: quippe decreſcente imperio terrarum, religio & pietas Chriſtiana Romæ & in Italia auctior indies fuit. Eſt autem Romani nominis periphraſis, populus fortis, ciuitas gentium robuſtarum: Roma enim per antonomaſiam Vrbs dicitur, & coniunctis nominibus Vrbs Roma appellatur.* ΡΩΜΗ, *verò, valentiam & fortitudinem, firmitudinemq; ſignificare, omnes Græcæ linguæ periti norūt. Ita cum Romani imperij minutione, cum gentium omnium anteà ſuperbientum extenuatione Chriſtianæ pietatis incrementum conſpiciendum, laudandum & probandum fore Iſaias indicabat. Quamobrem laude & gratulatione ob gentium extenuationem illam indicta, rurſus eidem Deo ſalutari laus etiam dicatur, ob publicam ſalutem orbi per Chriſtum afferendam, quam perinde ac ſi iam allatam videret, Propheta canit, & celebrat.*

Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua. EVNDEM *Deum qui iuſto iudicio ciuitatem in tumulum, vrbem fortium in ruinam redegerat, ſeſe benignum ſalutaremq; præbuiſſe ait pauperibus ſpiritu, quibus regnum cælorum eſt largitus. Fortitudinem hoc loco propugnaculum tutiſſimum interpretamur, qualē ſeſe præbet Deus iis, quos in filios ſuos re ipſa & virtute ſumma adoptat: huius namq; ſignificationis eſt nomen* MAGHOZ, *hoc loco à Vate vſurpatū: cuius multa exempla in ſacris lectionibus inuenimus. Vt: Eſto mihi in Deum protectorem.* Pſal. 30.
Fortitudo egeno in tribulatione ſua. *Egenus idem nobis hoc loco eſt, qui auens & inops, atq; rem ſibi commodiſſimam & neceſſariam, maximéque exoptandam percupiens. Verbum enim Hebraicum* ABAH, *hoc ſignificat: vnde Latinorum* AVERE, *deductum exiſtimamus in* EBION, *quem exoptantem auentemq; interpretamur: ad cuius verbi ſignificationem Præceptor alludebat, cùm diceret: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Huiuſmodi eſurientibus & ſitientibus iuſtitiam, Deum ſatura-*

*turatorem fuiſſe fortitudinem Propheta gratulatur. Namque diuina hæc dona & beneficia maxima & ſpiritualia promiſſa non mundi potentibus, atq; ſapientibus, non populorum frequentiæ terrena tantùm ſapientium; ſed modeſtis, cupidis, auidis, & ſeſe dimittentibus, Deoq́; commendantibus, & ad puerorum inſtar tradentibus, gubernandosq́; permittentibus donantur.*

Lucæ 12. *S. S. E. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis » regnum. Tribulationem autem, turbinem, & æſtum, quæ hoc loco commemorantur, labores illos miſerrimos peccati, quibus hominum genus affligitur, exponunt. Sunt qui hos labores non ſentiant, hoc eſt, peccatorum grauitatem, & morbum periculoſiſſimum non animaduertant; vtpote inſanientes, & mente ægrotantes, propter conſuetudinem morbi ipſius, & propter communis hoſtis malitiam, aſtum, atq; deceptionem, qui multos decipit: vt cùm maximè premat peccati pondus, & lues inficiat illa peſtifera, tamen nihil curent; ac ſi nihil oneris ſuſtineant. Sunt verò alij, quibus ſanior mens & cogitatio eſt: hi, quantis malis premantur, & ſentiunt, & dolent, & liberari ſe per Dei beneficium poſtulant: idq́; ſedulò agunt & curant, quòd ſibi ad eam rem faciendum à medico fuerit cõſultum. hos liberandos Dei Filius Christus Ieſus cùm ſuſcepiſſet, appellabat, & hortabatur: Venite ad me*

Matth. 11. *» omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Huius ſententiæ eſt id, quod exponens Vates addebat:*

Fortitudo egeno in tribulatione: ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu.

TRANSLATIS *verbis à procella tempeſtateq; magna, atq; à nimio æſtu; quæ duæ res iter facientibus moleſtiſſimæ & incommodiſſimæ eſſe ſolent; magnos labores eorũ ſignificauit, qui in vitæ decurſu peccatis obnoxij ſunt: ij verò cùm à Filio Dei liberati fuerint, verè liberi euadent: quod interpres noſter hoc loco vertit, Spes, Hebraicè eſt,* MAHHAZZEH; *quod protectionem ſignificat murorum, & tecti opportuni; qualẽ ij, qui iter faciunt, à turbine & nimbo vehementi oppreſſi, ſtudioſè petunt, ſi tamen inuenire poſſint. Talem ſe Deum protectorem puſillo gregi ſuo à liberò benignè præbuiſſe, gratulatur hoc loco Propheta. Atqui illam peccatorum omnium genitricem concupiſcentiam, tamquam tempeſtatum effectorem ventum quẽdam, elegantiſſima ſimilitudine ac tranſlatione ſignificauit. Deinde verò ipſum peccatorum, atq; vitiorum, ſcelerum & criminum ardorem, æſtus maximi, imagine deſcripſit: ab vtraq; verò huiuſmodi miſeria, diuino beneficio pios homines, & puſillum gregem liberatos, gratulatur. Atque de priore parte ita arcanè pronunciauit:*

Spiritus enim robuſtorum quaſi turbo impellens parietem.

V T *hunc locum pro dignitate exponeremus, & caperemus, & nobis, & lectoribus noſtris is ſpiritus aptandus erat, qui ſacris Apoſtolis & aliis ſanctiſſimis viris contigit: cuius virtute intellexerunt quanta eſſet concupiſcentiæ vis & procella; quæ homines vel inuitos impelleret ad faciendũ ea, quæ aliàs facere nollent: ea, quæ ipſi damnarent, & improbarent, regnante in ipſis vetere homine; ita, vt huiuſmodi alicuius hominis perſonam referens,*

rens,

*rens, Apoſtolus clamauerit, conqueſtuſq́; fuerit. Nam velle adiacet mihi,* Rom.7.
*perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc fa-* "
*cio; ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, iam non* "
*ego operor illud; ſed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem vo-* "
*lenti mihi facere bonum: quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim* "
*legi Dei ſecundùm interiorem hominem. Video autẽ aliam legem in mem-* "
*bris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege pecca-* "
*ti, quæ eſt in membris meis. Hoc impetuoſiſsimum concupiſcentiarum im-* "
*perium (quod diuus Petrus Carnales concupiſcentias aduerſus animã mi-* 1 Pet.2.
*litantes appellat) Propheta noſter Spiritum robuſtorum vocauit. Siue, vt* "
*Hebraicum verbum* GHARITSIN *ſignificat, ſpiritum impetuoſorum expo-*
*nimus.* GHARATS *enim, frangere impetum, vimq́; eſt; quod ad terribi-*
*lia ſignificanda vſurpatur. vt in illis locis: Vel liberate me de manu hoſtis,* Iob 6.
*& de manu robuſtorum erue me. & hæc eſt pars hominis impij apud Deũ,* Idem 27.
*& hæreditas violentorum, quam ab omnipotente ſuſcipient. Atq; ita ho-* "
*minum hoſtes non ſolùm viſibiles, ſed inuiſibiles illos violentiſsimos tur-*
*bini procelloſo murum impellẽti atq; diruenti aſsimilauit Propheta. Ipſam*
*verò peccatorum ex concupiſcentiis profectorum turbam & multitudinem*
*animis hominum moleſtiſsimam æſtui grauiſsimo ſimilem eſſe docuit: cui*
*ſitis maxima ſuccedẽs, inquietum omnino & rabidum penè corpus reddit.*
*iis autem, qui huiuſmodi patiuntur gratiſsimum, & commodiſsimum re-*
*medium eſt vmbra, & frigidæ aquæ potus.*

*Tale tuum carmen nobis diuine poëta.* Virg. Buc.
*Quale ſopor feſsis in gramine, quale per æſtum*
*Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo; aiebat ille. Atque in*
*hanc ſententiam S. E. Aqua frigida animæ ſitienti: & nuncius bonus de* Prou.25.
*terra longinqua. Hanc adeò concupiſcentiarum & peccatorum impetuo-* "
*ſam inſolentiam Dei beneficio per Chriſtum factam, præuidens, Vates ſi-*
*gnificabat, magnaq́; gratulatione canebat.*

Sicut æſtus in ſiti, tumultum alienorum humiliabis: & quaſi calore ſub nube torrente, propaginem fortium marceſcere facies.

SICVT *magnus æſtus interius grauiſsimæ ſiti coniunctus, imminui-*
*tur & tollitur frigidæ aquæ potu; atq; æſtus etiam exteriùs corpori exuſto*
*ſolis, nube denſa interiecta remouetur, corporaq́; reficiuntur: ſic illum ardo-*
*rem impotentem legis membrorum; ſic etiam illam ariditatem concupiſcen-*
*tiis exagitati animi temperando; ac remouebit Deus, atq; ſolet, ne ij, qui li-*
*berati fuerint huiuſmodi moleſtiſsimis incõmoditatibus obnoxij ſint. Ver-*
*ba Hebraica iuxta ſimplicitatem ſuam exponere ac depingere, maioris expli-*
*cationis gratia conſultum putauimus.* Sicut ſiccitas in ſiticuloſo, tumultum alienorum franges: ſiccitatem in vmbra nubis, exciſionem violentorum humiliabis. *Violentorum nomine concupiſcentias, alienorum*
*verò peccata & vitia ſignificari hoc loco docuimus, eodem modo quo apud*
*Pſaltem: Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei* Pſal.18.
*non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & mundabor à delicto maxi-* "

„ *mo. Et erunt, vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in*
„ *conſpectu tuo ſemper. Domine adiutor meus, & redemptor meus.* Itaque
Lucæ 1. *victoriam diuino beneficio fidelibus partam de inimicis propriis, & de ma-*
„ *nu omnium qui oderunt nos,* hoc loco celebrat Propheta; quam iam multis ex
Epheſ. 2. Chriſti virtute partam, Apoſtolus gratulabatur. *Et vos cùm eſſetis mortui*
„ *delictis, & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm ſecu-*
„ *lum mundi huius, ſecundùm principem poteſtatis aeris huius ſpiritus, qui*
„ *nunc operatur in filios diffidentiæ. In quibus & nos omnes aliquando con-*
„ *uerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis &*
„ *cogitationum.* (Voluntatem carnis & cogitationũ exponit Paulus, id quod
„ Iſaias dixit, Spiritum robuſtorum, & tumultuum alienorum.) *Et eramus*
„ *natura filij iræ, ſicut & ceteri. Deus autem, qui diues eſt in miſericordia,*
„ *propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos; & cùm eſſemus mortui*
„ *peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia ſaluati eſtis) & conſuſ-*
„ *citauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu, vt oſtenderet in ſe-*
„ *culis ſuperuenientibus abundãtes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos*
„ *in Chriſto Ieſu.* Eſt autem verbum hoc loco ab Iſaia vſurpatum multipli-
cis ſignificationis. ZANIR, quod propaginem, putationem, excisionem, atque etiam canticum ſignificat; atque ad hanc ſententiam omnibus ſuis ſignificatis facit. Virtute Dei effectum eſſe Vates ait, vt propago, exciſione alienorũ humiliata & fracta ſit: atq; illud canticũ etiam, quod hoſtes humani animi victoria potiti, canebant; fractum, humiliatũ, de medioq; ſublatum fuerit. Non enim iam de cetero alta voce atque perſonante, fortitudinem ſuam celebrabunt: quin potiùs iuſti ipſi & pij à Deo liberati; ipſi, inquam, confeſſi, concinent laudes Dei, ſumma gratulatione. Iam verò Propheta rem ipſam, quæ his laudibus argumentum ſuppeditatura erat, expoſitione explicare, atq; amplificare incipit, antiquorum auctorum more, qui à poſteriore incipientes, id eſt, à carmine gratulatorio, ad rem ipſam narrandam paulatim deducebantur. quam rationem artificioſiſſimam eſſe, doctiſſimi viri af-
Horatius art. poët. firmauere. *Ordinis hæc virtus erit, & venus, aut ego fallor:*

*Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici:*

*Pleraq; differat, & præſens in tempus omittat.* Sic Moſes,
Exodi 15. ſic Maria egere. *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum*
„ *& aſcenſorem eiecit in mare.* hæc carminis propoſitio: illa pòſt hiſtoriæ ex-
„ poſitio eſt: *Dixit inimicus, perſequar, & comprehendam, &c.* Igitur cùm Propheta noſter virtutis Dei atq; efficacitatis Chriſti exempla in piis ſpectanda concinniſſet, rem ipſam opportuno principio exponendam exorditur: quam multiplicibus, ſignificantiſſimis, omninoq; arcanis verbis pronunciauit. His autem neque nos pro dignitate & ſententiæ magnitudine enarrandis pares ſumus: neque etiam attendendus mundus, vt hæc inſipientiæ dedita nimium ætas, mentem adhibebit prognatam: verùm nonnihil attingemus reconditi in hoc ſermone myſterij: quod qui crediderit, non confundetur; & qui auidè, ſtudioſè, & ſanctè, puroq; animo attenderit, beneficio Dei tandẽ pleniùs & meliùs quàm à nobis dici explicariq; poſsit, cognoſcet.

Et

Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte iſto, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ.

HVNC *locum, vtpote myſteriis plenum, interpretes omnes diligenter & ſtudioſè examinauere, atque ex verbis, tam Hebraicè pronunciatis, quàm Græcè conuerſis, expendêre; quorum nos exemplum ſecuti, vt aliquatenus explicemus, verſiones, Græcam & Chaldæam primùm, deinde ipſam Hebraicam lectionē, quæ ſententiæ explicādæ fontes præcipuè omnium aperit, ex verbo reddemus. Igitur Græca paraphraſis, magis quā verſio, ſic habet.*

Et faciet Dominus Sabaoth omnibus gentibus ſuper montem iſtum: bibent in lætitia, bibent vinū. Vngetur vnguento ſuper monte hoc, tradent hæc omnia gentibus: nam conſilium hoc ſuper omnes gentes. *Chaldaica verſio ſic:* Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte iſto prandium, & conuiuium: & putabunt quòd ſit ipſis in gloriā, & erit eis in ignominiam, & in plagas ex quibus non liberabuntur, & in quibus deficient. *Altera paraphraſi omnia ad gloriam; altera verò omnia ad ignominiam gentium relata ſunt: atque ita aliter ab interpretibus, has paraphraſes ſecutis, oratio hæc explicata eſt. Ea autem res argumento eſſe poteſt legentibus, vtramque ſignificationem, gloriæ videlicet, & ignominiæ in his verbis latere. Iam verò Hebraica oratio ex verbo reddita, magis hoc indicabit, & oſtendet. Eſt autem orationis figura paronomatica, diſcolos, annotelos, omioptos, omioteleptos, multisque ornamentis elegantiſſima: quibus Latinè reddi non poßit. Atqui viſus eſt nobis Propheta, cùm huiuſmodi carmen caneret, magnam rerum immutationem, variamque ſortem cognouiſſe: idque non ſolùm verbis, verumetiā orationis membris, & verborum figuris aptiſſimis canere voluiſſe. Orationem ipſam Latinis literis, vtcunque imitabimur: mox ex verbo interpretaturi.* VEGASSA. ADONAI. TSEBAOTH. LECHOL. HASHAMMIM. BAHAR. HAZEH. MISTHEH. SEMANIM. MISTHEH. SEMARIM. SEMANIM. MENVIAHALM. SEMARIM. MEZVKAKIM.

*Plura adhuc ſunt in hoc verſu ornamenta quàm ea quæ paulo antè indicabamus: quibus profectò omne oratorum Latinorum & Græcorum exemplum vincitur; ſed nunc non eſt hîc ea explicandi locus: erit fortaßis vbi de ſacrorum librorum eloquentia diſſeremus, Deo id nobis annuente. Eſt autem illa verborum ſimplex interpellatio* Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium obeſorum, conuiuium fecum; obeſorum medullatorum, fecum excolatarum.

*Liberum erit vnicuique aliorum commentarios legenti, eam ſibi explicationem, quæ magis probabitur, deligere: ſinguli enim ex interpretibus ſuam cynoſuram ſecuti totos pandunt ſinus, vt hunc locum enauigent: nobis exiguo velo vſis, & ſydus illud aſpicientibus noui Teſtamenti, quod in omnibus veterum librorum lectionibus ſequi propoſitum eſt, breuiter ipſa res indicabitur, quæ aliàs diuino beneficio latiùs aliquando erit explicāda. Principio ſalutis humanæ expeditionem à cōuiuio inchoandam eſſe Vates ſignificabat,*


ficabat,

*ficabat, ſimilitudine deſumpta ex maximis cœnis, maximorum principum conſilio & ſtudio inſtructis & apparatis: cuiuſmodi illud fuit quod in ſa-*
Eſt. 1. *cris libris ab Aſſuero factum legimus cunctis principibus & pueris ſuis fortiſſimis Perſarum, Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram ſe: qui, cùm implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo vſque ad minimum, &c. Huiuſmodi publicum & commune omnibus populis conuiuium, à Deo in monte Sion faciendum, Iſaias præcinebat: cuius interpretationem ſpiritualem & arcanam omnino eſſe oportet. Agitur namq; hoc loco de ſanctificatione nominis diuini, & aduentu regni Dei, in terris inchoandi: conuiuium autē omnibus populis faciendum eſſe ait. Omnibus enim omnium nationum gentibus atq; populis, publicam ſalutem à ſe afferendam, fuerat pollicitus Deus, omnibus afferri per Ieſum Chriſtum ſuum curauit: qua, quicumq; excepti non fuerint, id culpæ ſuæ adſcribant; vel quod inuitati, vltrò conuiuium recuſarint: vel quòd alio cultu atque ornatu, quàm pro conuiuij celebritate decebat, acceſſerint. Eſt autem duplex obſeruatio nominum Dei in hoc conuiuio ſignificando, à Vate vſurpatorum. Altera miſericordiam & humanæ ſalutis rationem ſpectat, illius videlicet nominis* יהוה*; altera verò ad vltionem, punitionem, & animaduerſionem refertur cognominis* TSEBAOTH*: quorum ſignificationes iam ſæpè aliàs expoſuimus. quamobrem iuſtitiæ, ſeueritatis, & punitionis, animaduerſionis, atq; etiam benignitatis, liberalitatis, miſericordiæ, & ſalutis exempla ſpectanda in illo conuiuio erant. At verò huius conuiuij epulæ duobus generibus in vniuerſum depinguntur: quorum alterum ſuauitatis, delitiarum, & vtilitatis ſignificantiſſimis nominibus deſcribitur; alterum verò ſordium, & faſtiendarum, abiiciendarumq; rerum vocabulis explicatur. prioris generis ſunt:* Obeſa medullata: *poſterioris verò,* Feces excolatæ. *quippe hac deſcriptione* Obeſorum medullatorum, *omnis vtiliſsimarum epularum, & iucundiſsimarū, ſuauiſsimarumq; ſumma continetur. Cuiuſmodi illa ſunt quæ generaliter etiā*
Matth. 22. *in Euangelio ſignificantur: Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & al-*
» *tilia occiſa, & omnia parata. Illa verò expoſitione fæcum excolatarum, ſiue defæcatarum, quidquid tam in cibo quàm in potu reſpuendū abiiciendumq; eſt, ſignificatur. Neque enim dicit fæcum vini tantùm, ſed fæcum in genere: quo omnium ciborum & potuum ſordes ſignificantur. Et quoniam nonnihil boni etiam ſucci fæcibus admixtum manere aliquando ſolet, vt hanc conuiuij partem omnino ſordidam, auerſandamq; declararet, addidit Propheta, fæcum expreſſarum: compreſsis enim & expreſsis fæcibus, nihil vtilis ſucci, aut probandi alimenti remanet admixtum: ſed craſſa & terrea penè materia nulli vſui apta relinquitur. Quòd ſi nobis ad argumentum hoc explicandum idoneum ingenium, par eloquentia, iuſtum otium, & attendentium etiam apti & prompti, veríque cognoſcendi ſincerè cupidi animi contingerent; magna profectò à conſtitutione mundi myſteria, altiùs repetita, indicaremus: quod tandem ad locum hunc delati oſtenderemus, in illa ſacratiſſima Chriſti Domini, & Seruatoris noſtri cœna, qua ſacroſanctum*

*Eucha-*

*Euchariſtiæ ſacramẽtum eſt inſtitutum. Conuiuium duplex omnibus gentibus exhibitum fuiſſe: cuius altera pars omnium obeſorum medullatorum delitias, & ſuauitates atq; vtilitates, præſtantiſsima & inenarrabili ſumma contineret. Ieſu Chriſto corporis & ſanguinis ſui cibum & potum verum omnibus hominibus communicante & præbente: tam iis qui præſentes intererant, & ſacramentaliter ſpiritualiterq́; ſumebant, quàm iis, qui à conſtitutione mundi ad vitam pertinebant, præteritis & futuris hominibus; qui ſpirituali arcanoq; modo illius myſterij participes effecti ſunt. Corporis, inquam, & ſanguinis ſui, hoc eſt, panis illius & potus cæleſtis, omne delectamentum in ſe habentis, vtpote diuini, ſanctiſsimi, immaculati, puriſsimi, & efficaciſsimi; planeq; vitæ æternæ efficientiſsimi conuiuij. Atque hanc conuiuij partem id ſpectare demonſtraremus, quod Iſaias illis verbis indicabat:* Obeſorum medullatorum. *S.S.E. Caro mea verè eſt cibus,* Ioan. 6.
*" & ſanguis meus verè eſt potus: qui manducat meam carnẽ, & bibit meum " ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuens Pater, & ego " viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Hic " eſt panis qui de cælo deſcendit: non ſicut manducauerunt patres veſtri in " deſerto manna, & mortui ſunt: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Quidnam obeſa medullata ſignificant? illud nempe: Sicut miſit me " viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Nam qui hæc rectè intellexerit, id probè nouerit quid obeſa " medullata ſapiant. Rurſus oſtenderemus non ſatis fuiſſe ad arcanum illud conuiuium diuinum abſoluendum Chriſti carnem, in qua vita erat, hominibus ad eſum & vſum vitæ datam: & eiuſdem ſanguinem puriſsimum obeſum medullatum in potum fuiſſe exhibitam, niſi etiam Chriſtus ipſe omnium hominum peccatorum totius mundi corpus & ſanguinem corruptum fæceſq́; ipſas filiorum Adæ in cibum ipſe ſumeret, vt per omnia citrà propriam tamen ipſius culpam, iis ſimilis fieret; pro quibus corpus ſuũ in mortem, & ſanguinem in effuſionem tradebat: vt conuiuificata ſibi & ſuſcepta ipſorum debita ipſe expiaret. Atq; occiſus, vnà ſecum omnium mortem occideret: quippe qui verè culpas, corruptiones & vitia omnium, pro quibus ſacrificandus in mundum venerat, ſuſtineret; ipſe natura atq; virtute ſua innocens, inſons, & purus; eorum, quorum perſonam gerebat, omnium nomine reus, debitor, & ſupplex. S.S.E. Poſuit in eo Dominus iniquitatem* Pſal. 53.
*omnium noſtrum. & paulo inferiùs: Pro eo quòd laborauit anima eius, vi- " debit, & ſaturabitur. Atq; ita in vno Chriſto omnium hominum peccato- " rum, qui in mundo fuerant, erant, & futuri eſſent, cõmunio facta ad mortem veteris hominis & corporis peccati ipſius morte extinguendi: atq; etiam ſuæ ipſius carnis viuentis & ſanctiſsimæ: ſui ſanguinis innocentiſsimi & efficaciſsimi etiam communio membris ſuis, hoc eſt, omnibus hominibus in illud myſticum corpus concinnatis, facta eſt; vt qui in eo moriente mortui eſſent; eodem etiam reſurgente ad vitæ nouitatem, nouæ creaturæ factæ, reſurgerent, hæredeſq́; fierent regni ab ipſo parti: ſi tamen manere in ſua illa communione vellent atq; ſtuderent. Hoc myſterium ſacrum à Diuo Paulo,*

*Prophetarum interprete admirando, non rarò indicatum eſt : atq́ illo precipuè loco : Dicebat enim eum , propter quem omnia, & per quem omnia,* Heb.2.
*» qui multos filios in gloriã adduxerat , auctorem ſalutis eorũ per paßionem*
*» cõſummare. Qui enim ſanctificat,& ſanctificatur,ex vno omnes: propter*
*» quam cauſam non confunditur fratres eos vocare,dicens: Nunciabo nomen*
*» tuum fratribus meis,in medio Eccleſiæ laudabo te.& iterũ: Ego ero fidens*
*» in eum.& iterum: Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi : quia pueri com-*
*» municauerunt carni & ſanguini,& ipſe ſimiliter participauit eiſdem. (id*
*» eſt,carni & ſanguini ipſorum) vt per mortem deſtrueret eum,qui habebat*
*» mortis imperium,id eſt, Diabolum: & liberaret eos,qui timore mortis per*
*» totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Plura de hoc admirando Cõuiuio pinguium medullatorũ, & vindemiæ defæcatæ,ſiue fæcis expreſſæ afferre poſſemus arcana & ſpiritualia: ſed quia ſpiritales veri adoratores Dei, longè plurima ad hoc argumentum facientia intelligunt: ita vt à Deo edocti, hæc myſteria à nobis doceri non poſtulent : animales verò neque hæc quæ à nobis dicta, ruditerq́ expoſita ſunt, capere poſſunt : conſultò his contenti , ad maiora exoptanda, à Deoq́ poſcenda,pium lectorẽ exhortamur. Satis enim fuerit oſtendiſſe humanæ ſalutis expeditionem ab illo ſacratißimo conuiuio inchoandam fuiſſe iuxta Prophetarum oracula : cuius conuiuij exhibendi tanto ſtudio tenebatur Dei Filius,Verbumq́ æternum illud,vt , accedente*
Lucæ 22. *hora,affirmarit,dicens : Deſiderio deſideraui [à conſtitutione mundi] hoc*
*» paſcha manducare vobiſcum,antequam patiar. Qui verò mons à Propheta indicatur,dicente,In monte iſto;vnus ex montibus eſt,in quibus Solymorũ vrbs ſita erat;antonomaticè,vt plerique indicant, Sion:quo in monte illius oraculi locus adhuc oſtenditur. Illud ſaltem exploratum eſt,intra vrbem ip-*
Mar 14. *ſam fuiſſe. S.S.E. Ite in ciuitatem,& occurret vobis homo lagenam aquæ*
*» baiulans, ſequimini eum, & quocumque introierit, dicite domino domus:*
Mat.26. *Tempus meum propè eſt,apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. Namq́ illa hora quam tempus ſuum Ieſus Chriſtus eſſe dixit, ſuſcepta, in illo conuiuio omnium peccatorum totius mundi perſona , quorum culpas vnus expiaret, grandem illam & expeditißimam expeditionem inchoauit.de qua in Ieruſalem ab ipſo expedienda Moſes & Elias in monte cum illo agebant. Ex qua expeditione victor euadens , per mortem deſtruxit eum , qui habebat mortis imperium. Quo in argumẽto quid clariùs prædici,myſticè tamen , à Propheta poſſet,quàm id quod ſubiungitur:*

Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes.

VERBVM *pro quo Latinè legimus* Præcipitabit, *Hebraicum eſt,* BALAGH, *propriè diglutire,& abſorbere,atq́ per tranſlationem perdere, & præcipitare ſignificat. Itaq́ deglutiet Dominus in monte iſto faciẽ vinculi colligati,inuolutior inuoluti : nam quod inuolutũ eſt,veluti vinculũ quoddam eſt colligatum. Propriè enim* LOT *ad rem arcanam,ſecretã,abditam, occultam,inuolutamq́ ſignificandam vſurpatur:atq́ hac imagine deſcribit Propheta peccati legem in membris hominum latentem , tenacißimeq́ inhæren-*

*hærentem, atq; omnino colligatam: cui pellendæ nulla humana induſtria,*
*aut ars medicinam parare poterat: niſi Deus ipſe, vita, vitæ auctor, illud re-*
*medium conſtituiſſet, quod morte Filij ſui efficaciſſimè fuit adhibitum. cu-*
*ius mali depellendi cauſa orabat Propheta. Ab occultis meis munda me Do-* Pſal. 18.
*mine, & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint Dominati, tunc im-* "
*maculatus ero; & mundabor à delicto maximo. Hebraicum ſic verti poßit* "
*ex verbo, non detrahendo interpreti noſtro, qui, cùm verba inueniret arca-*
*na, multiplicisq; ſignificationis, eam partẽ vſurpauit, quæ ſententiã ipſam*
*certiùs indicaret, expoſitoribusq; diligẽtiam magnam indiceret. Sunt etiam* Amb. de vocat. gent. lib. 2. c. 7.
*alia verba adnotanda in hoc verſu. vt illa,* & telam quam orditus eſt ſu-
per omnes nationes. *Hebraicum verbum* NAZZACH, *fundere, expande-* Aug. epiſt. 157 ad Opt.
*re, libare, operire, regnare, & principatum exercere ſignificat. ex quo* MAZ- & hyp. noſc. lib. 5. in princ.
ZECHAH *deductum eſt, quod textoris liciatorium Latinè dicunt. vnde in-*
*terpres noſter, telam ordiri vertit. Nos omnem ſimul ſignificationem acci-* Hier. in hũc loc.
*pientes, & ad eandem ſententiam referentes, quam expoliendo, explicare* Euſ. de demonſ.
*Iſaias voluit, dicimus, hanc telam exorditam ſuper omnes gentes, legem ip-* Euag. lib. 1.
*ſam peccati eſſe in omnes homines transfuſam, in membris regnantem, &* c. vlt. & lib. 2.
*captiuantem in lege peccati & mortis. Plus quàm ducenta verba legendo* c. 32.
*obſeruauimus, quibus ſacri ſcriptores, & antiqui ſcripturarum interpretes*
*hanc legem in membris hominum regnantem, appellare conſueuere; quæ à*
*nobis de vitio illo diſſerentibus, propitio Deo, aliàs exponentur. Itaq; impe-*
*rium peccati in homines tyrannidem exercentis, in monte illo prorſus de-*
*uorandum, atq; vno quaſi momento præcipitandum, delendum, ac de medio*
*tollendum eſſe, Iſaias præcinebat. Sublata autem peccati lege, peccati iugum* Rom. 5.
*ablatum, atque mortem in terrarum orbe propter peccatum regnantem, ex-* Thod. li. 5.
*ſtinctum, iri conſequitur. Hanc verò argumentationem Iſaias ipſe abſo-*
*luturus ſubiungit:*

Præcipitabit mortem in ſempiternum: & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de vniuerſa terra: quia Dominus locutus eſt.

IDEM *verbum* BALACH, *in hoc verſu exigitur, quod deuorare, deglu-*
*tire, delere, ac præcipitare interpretamur. Ante Chriſti mortẽ & reſurre-*
*ctionem peccatum ipſum in mundo regnans, omnes homines, etiam pios,*
*vexabat; atq; eos maximè triſtes, mæſtos, & dolentes reddebat, qui optimè*
*de Deo diuinis & humanis rebus ſentirẽt. Fuerat his poſita atque lata lex,*
*qua peccati regnum indicabatur. Indicabatur quidem, non tamen aboleba-*
*tur: quamquam quotidiana peccata ex illo maximo delicto orta, quibuſdam*
*ritibus expiarẽtur in fide, ſpe, atque ſignificatione efficacitatis Chriſti: ad* Heb. 5.
*quem lex ipſa pædagogus erat. Verùm vbi ille à Deo Patre miſſus, expedi-*
*tionem ſuam in monte illo abſoluit, totum peccati regnum & mortis eſt om-*
*nino diſſolutũ efficaciſſimè; quod ad Chriſtum ipſum attinet. Quo benefi-*
*cio quamquam multi non vtantur, vſiq; multi non fuerint, propter ſuam*
*ipſorũ culpã aut negligentiã; tamen nihil excipi poteſt quo minùs promiſ-*
*ſa diuina præſtita, omninoq; exhibita eſſe aſſeramus. Fuit enim hoc à Dño*

*miſe-*

miſericordiſsimo & ſalutari vltrò promiſſum, ab eodem etiam Domino
omnipotente & efficaciſsimo præſtitum fuit. Impoſsibile enim eſt Deum
mentiri, & fallere. Vt igitur hanc ſalutem Dei miſerentis atq; benigniſsi-
mi liberaliſſimo beneficio promiſſam certiſsimam fore ex parte ipſius pro-
mittentis & efficientis oſtenderet, ait: Quia Dominus locutus eſt. Qui
vt promittendi voluntatem, ſic efficiendi etiam auctoritatem habet. Ille
itaque, morte deuorata, auferet lachrymas & ſuſpiria hominum omnium,
qui huius tantæ ſalutis participes fieri voluerint, & ſtuduerint; auferet ge-
Rom. 6. mitus dicentium: Infelix ego homo, quis mi liberabit à corpore mortis hu-
» ius? Víſne ſcire quis te liberabit? ait Apoſtolus: Gratia Dei per Ieſum
» Chriſtum; gratia Dei qui locutus eſt, & pollicitus ablaturum ſe lachrymas
ab omni facie, & opprobrium populi ſui vitio obnoxij remoturũ. Duo ver-
ba Hebraica ſunt, duobus nominibus cõiuncta. MAHHAH, lachrymæ, ZZVR
opprobrium. Illud delere, ſiue abſtergere; hoc remouere, & auferre, exponi-
mus: huius efficientiæ Dei, huius liberationis per Chriſtum factæ; ac deni-
que totius huius myſterij admirabilis, & perpetua continua ratione atque
gratulatione digniſsimi, iiſdem fere, quibus Prophetæ vtuntur verbis, à
1. Pet. 3. ſanctis Apoſtolis frequentiſsima mentio fit. Quod & vos nunc ſimilis for-
» mæ ſaluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bo-
» næ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti: qui eſt in dex-
» tera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur. & Pau-
Rom. 6. lus: Lex, inquit, ſpiritus vitæ liberauit me à lege peccati, & mortis. Nam
» quod impoſsibile erat legi, in qua infirmabatur per carnem, Deus Filium
» ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnauit pec-
» catum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis: qui non ſecundùm
Coloſſ. 2. carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum. Rurſus, Et vos, cùm mortui
» eſſetis in delictis & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo, donans
» vobis omnia delicta; delens quod aduerſum nos erat chirographum peccati,
» (id eſt, peccatum) quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, af-
» figens illud cruci, & expolians principatus & poteſtates, traduxit cõfiden-
1. Cor. 15. ter, palàm triumphans illos in ſemetipſo. & illud: Abſorpta eſt mors in vi-
» ctoria: vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus au-
» tem mortis peccatum eſt; virtus verò peccati, lex. Deo autem gratias, qui
» dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Idem hu-
ius verſus initium à D. Paulo eſt adiũctum, Abſorpta eſt mors in victo-
ria. quod noſter interpres vertit: Præcipitabit mortem in ſempiternũ.
Namq; verbum, LANETSAHH, in victoriam, & in ſempiternum, eadem
prorſus ſententia vertitur. Huius adeò hoc loco pronunciatæ ſalutis verum
& certum vſum, non cogitatione, aut perſuaſione quadam, ſed reapſe perce-
pta, ſpontanea eorum qui compotes fuerint, gratulatione celebrandum com-
memorandumq; fore Vates, quotieſcumque de hac re agebant, affirmabant.
Pſal. 117. Sic enim Pſaltes huiuſmodi gratulationẽ referebat: Hæc dies, quam fecit
» Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Conſtituite diem ſolemnem in con-
» denſis vſque ad cornu altaris. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus
meus

*meus es tu, & exaltabo te. Confitebor tibi quoniam exaudiſti me, & factus* "
*es mihi in ſalutem. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſe-* "
*culum miſericordia eius. Hanc eandem rationem ſecutus Vates noſter ſimi-* "
*lem eorum, qui ſalutis compotes erant, gratulationem attulit.*

Et dicent illa die, Ecce Deus noſter iſte, expectauimus eum, & ſaluabit nos: iſte Dominus, ſuſtinuimus eum: exultabimus, & lætabimur in ſalutari eius.

I I S *qui per Euangelium vocati, Chriſtum auctorem & pontificē, promiſſorum à Deo factorum cogituri eſſent, cùm peccata omnium in ſe ſuſcepiſſe ad expiandum intelligerent, iamiam præſentis atq; breui accipiendæ ſalutis ſpe incitatos, dicturos eſſe ait: Ecce hic eſt ille verus ſalutis noſtræ auctor Deus, quem expectabamus: hic nos dubio procul ſeruabit, atq; expectationem illam diuturnam aduentus, & promiſſorum eius ipſius allatæ ac datæ ſalutis amplitudine admiranda compenſabit, quam nos læti ipſi perpetuò gratulantes canemus. Rei autem ipſius rationem & ſeriem, quemadmodum ex diuino conſilio conſtitutam, atq; tandem exhibendam expectari obſeruariq́; par eſſet, myſtica ratione ſubiuncta, Propheta expoſuit:*

Quia requieſcet manus Domini in monte iſto: & triturabitur Moab ſub eo, ſicuti teruntur paleæ in plauſtro.

M A N V S *Domini cùm à Prophetis atq; ſacris auctoribus extenta depingitur, punitionis & animaduerſionis molimen ſignificat: contrà verò, puniendi finis intelligitur, cùm Domini manus iam requieſcit, vt in Apparatu ſacro oſtendebamus. Igitur illam Domini omnipotentis iram aduerſus hominum genus conceptam, conſumptis iam humani generis & protritis hoſtibus, hoc eſt, peccatis, deponēdam eſſe ſignificare volens Iſaias, huiuſmodi orationis figuris vtebatur; quæ rem penitus conſiderandam monerent. Illa, inquit, aduerſus homines extenta Dei irati, & antiqua atq; noua ſcelera vlciſcentis manus requieſcet tandem in monte iſto Chriſto Ieſu, pro omnibus maximorum criminum pœnas ſubeunte: atq; hæc oratio ex idiotiſmo ſuam ſecum affert interpretationem: illa verò ex verborum etymo & origine ſeſe explicandam indicat,* Triturabitur Moab ſub eo. *Facile quidem eſſet, ſatisq; breui poſſet: & Moab per Metonymiam populi Dei aduerſarios & hoſtes, eoſq; proximos interpretaremur: ſiquidem Moabitæ, qui Iſraelitis ſanguine coniuncti aliàs erant, quamquam ex inceſtu, infenſos ſeſe hoſtes inimicoſq; præbuerint: imò alios remotiores aduerſus Iſraelitarum populum commouerunt & incitarunt. S.S.E. Quoniam cogitabunt inanimiter ſimul aduerſum te teſtamentum, diſpoſuerunt tabernacu-* "
*la Idumæorum, & Iſmaëlitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon, &* "
*Amalec alienigenæ, cum habitantibus Tyrum. Etenim Aſſur venit cum* "
*illis, facti ſunt in adiutorium filiis Lot. Atq; ita hic locus explicaretur no-* "
*mine Moabitarum, vſurpato pro aduerſariis populi Dei, hoſtibuſq;, videlicet viſibilibus atq; inuiſibilibus: præcipuè quos Deus in monte illo occiſurus erat, in quo de peccatis totius mundi, atque de ſuis, generiſq; noſtri hoſtibus victoriam erat per Chriſtum reportaturus: ſed aliud maius myſterium in*

Theodoret. Athanaſ. lib. de incarn. verbi. Lib. Ierem.

Pſal. 82.

*miſericordiſſimo & ſalutari vltrò promiſſum, ab eodem etiam Domino omnipotente & efficaciſſimo præſtitum fuit. Impoſſibile enim eſt Deum mentiri, & fallere. Vt igitur hanc ſalutem Dei miſerentis atq; benigniſſimi liberaliſſimo beneficio promiſſam certiſſimam fore ex parte ipſius promittentis & efficientis oſtenderet, ait:* Quia Dominus locutus eſt. *Qui vt promittendi voluntatem, ſic efficiendi etiam auctoritatem habet. Ille itaque, morte deuorata, auferet lachrymas & ſuſpiria hominum omnium, qui huius tantæ ſalutis participes fieri voluerint, & ſtuduerint; auferet gemitus dicentium: Infelix ego homo, quis mi liberabit à corpore mortis hu-*
Rom. 6. *ius? Víſne ſcire quis te liberabit? ait Apoſtolus: Gratia Dei per Ieſum Chriſtum; gratia Dei qui locutus eſt, & pollicitus ablaturum ſe lachrymas ab omni facie, & opprobrium populi ſui vitio obnoxij remoturū. Duo verba Hebraica ſunt, duobus nominibus cōiuncta.* MAHHAH, *lachrymæ,* ZZVR *opprobrium. Illud delere, ſiue abſtergere; hoc remouere, & auferre, exponimus: huius efficientiæ Dei, huius liberationis per Chriſtum factæ; ac denique totius huius myſterij admirabilis, & perpetua continua ratione atque gratulatione digniſſimi, iiſdem fere, quibus Prophetæ vtuntur verbis, à ſanctis Apoſtolis frequentiſſima mentio fit. Quod & vos nunc ſimilis for-*
1. Pet. 3. *mæ ſaluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti: qui eſt in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur. & Paulus: Lex, inquit, ſpiritus vitæ liberauit me à lege peccati, & mortis. Nam*
Rom. 6. *quod impoſſibile erat legi, in qua infirmabatur per carnem, Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis: qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum. Rurſus, Et vos, cùm mortui*
Coloſſ. 2. *eſſetis in delictis & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta; delens quod aduerſum nos erat chirographum peccati, (id eſt, peccatum) quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & poteſtates, traduxit cōfidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo. & illud: Abſorpta eſt mors in vi-*
1. Cor. 15. *ctoria: vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt; virtus verò peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Idem huius verſus initium à D. Paulo eſt adiūctum,* Abſorpta eſt mors in victoria. *quod noſter interpres vertit:* Præcipitabit mortem in ſempiternū. *Namq; verbum,* LANETSAHH, *in victoriam, & in ſempiternum, eadem prorſus ſententia vertitur. Huius adeò hoc loco pronunciatæ ſalutis verum & certum vſum, non cogitatione, aut perſuaſione quadam, ſed reapſe perceptа, ſpontanea eorum qui compotes fuerint, gratulatione celebrandum commemorandumq; fore Vates, quotieſcumque de hac re agebant, affirmabant. Sic enim Pſaltes huiuſmodi gratulationē referebat: Hæc dies, quam fecit*
Pſal. 117. *Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Conſtituite diem ſolemnem in condenſis vſque ad cornu altaris. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus*

meus

*meus es tu, & exaltabo te. Confitebor tibi quoniam exaudiſti me, & factus* "
*es mihi in ſalutem. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſe-* "
*culum miſericordia eius. Hanc eandem rationem ſecutus Vates noſter ſimi-* "
*lem eorum, qui ſalutis compotes erant, gratulationem attulit.*

Et dicent illa die, Ecce Deus noſter iſte, expectauimus eum, & ſaluabit nos: iſte Dominus, ſuſtinuimus eum: exultabimus, & lætabimur in ſalutari eius.

IIS *qui per Euangelium vocati, Chriſtum auctorem & pontificē, promiſſorum à Deo factorum cogituri eſſent, cùm peccata omnium in ſe ſuſcepiſſe ad expiandum intelligerent, iamiam præſentis atq; breui accipiendæ ſalutis ſpe incitatos, dicturos eſſe ait: Ecce hic eſt ille verus ſalutis noſtræ auctor Deus, quem expectabamus: hic nos dubio procul ſeruabit, atq; expectationem illam diuturnam aduentus, & promiſſorum eius ipſius allatæ ac datæ ſalutis amplitudine admiranda compenſabit, quam nos læti ipſi perpetuò gratulantes canemus. Rei autem ipſius rationem & ſeriem, quemadmodum ex diuino conſilio conſtitutam, atq; tandem exhibendam expectari obſeruariq; par eſſet, myſtica ratione ſubiuncta, Propheta expoſuit:*

Quia requieſcet manus Domini in monte iſto: & triturabitur Moab ſub eo, ſicuti teruntur paleæ in plauſtro.

MANVS *Domini cùm à Prophetis atq; ſacris auctoribus extenta depingitur, punitionis & animaduerſionis molimen ſignificat: contrà verò, puniendi finis intelligitur, cùm Domini manus iam requieſcit, vt in Apparatu ſacro oſtendebamus. Igitur illam Domini omnipotentis iram aduerſus hominum genus conceptam, conſumptis iam humani generis & protritis hoſtibus, hoc eſt, peccatis, deponēdam eſſe ſignificare volens Iſaias, huiuſmodi orationis figuris vtebatur; quæ rem penitus conſiderandam monerent. Illa, inquit, aduerſus homines extenta Dei irati, & antiqua atq; noua ſcelera vlciſcentis manus requieſcet tandem in monte iſto Chriſto Ieſu, pro omnibus maximorum criminum pœnas ſubeunte: atq; hæc oratio ex idiotiſmo ſuam ſecum affert interpretationem: illa verò ex verborum etymo & origine ſeſe explicandam indicat,* Triturabitur Moab ſub eo. *Facile quidem eſſet, ſatiſq; breui poſſet: & Moab per Metonymiam populi Dei aduerſarios & hoſtes, eoſq; proximos interpretaremur: ſiquidem Moabitæ, qui Iſraelitis ſanguine coniuncti aliàs erant, quamquam ex inceſtu, infenſos ſeſe hoſtes inimicoſq; præbuerint: imò alios remotiores aduerſus Iſraelitarum populum commouerunt & incitarunt. S. S. E. Quoniam cogitabunt inanimiter ſimul aduerſum te teſtamentum, diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum, & Iſmaëlitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon, & Amalec alienigenæ, cum habitantibus Tyrum. Etenim Aſſur venit cum illis, facti ſunt in adiutorium filiis Lot. Atq; ita hic locus explicaretur nomine Moabitarum, vſurpato pro aduerſariis populi Dei, hoſtibuſq;, videlicet viſibilibus atq; inuiſibilibus: præcipuè quos Deus in monte illo occiſurus erat, in quo de peccatis totius mundi, atque de ſuis, generiſq; noſtri hoſtibus victoriam erat per Chriſtum reportaturus: ſed aliud maius myſterium in*

Theodoret. Athanaſ. lib. de incarn. verbi. Lib. Ierem.

Pſal. 82.

*nomine Moab abſconſum latet, quod nobis breuiter apertum, amplius huic loco lumen dabit. Legimus Moab ex Loti filia natum à patre ipſo Lot, non legitimo, verùm inceſtuoſo concubitu genitum nomen ex re ipſa, atque adeò*
Gen. 19. *ex facinore accepiſſe per matrem impoſitum. S.S.E. Peperitq́; maior filium,*
" *& vocauit nomen eius Moab: ipſe eſt pater Moabitarum vſque in præſen-*
" *tem diem. Moab verò idem ſignificat, quod apud nos ex patre, ſiue à patre. Iam verò ſeſe nobis arcana ratio hæc vltrò aperire videtur. Nempe peccatum illud à primo parente, non natura ex creatione ipſius, ſed ex inceſtu atque illegitimo opere Diaboli opera, Euam, primam matrem ſeducentis, quæ & virum ſuum in fraudem & crimen allexit, verè in omnem poſteritatem fuiſſe propagatum: ita vt peccatum illud originale ex illo inceſtuoſo conſilio & actu productum, pater fuerit Moabitarum omnium, hoc eſt, peccatorum à parentibus vel conceptione inſito, vt inhærente vitio, vel imitatione & exemplo vſque in hodiernum diem per vniuerſam ſobolem propagatorum. Hoc igitur peccatum cum filiis omnibus, quocunque nomine indicatis, hoc eſt, cum ſceleribus ex illo propagatis, à Domino cōterendum eſſe in monte illo per Chriſti mortem ignominioſam & acerbiſſimam, perinde atq; palea in plauſtro, hoc eſt, ſub plauſtro triturante conteritur & imminuitur: ita vt penitus extinguatur, neque palearum faciem & formam ampliùs tueatur. Illud quoque his myſteriis accedit, quòd Moab ex propria etymo idem etiam ſignificat, quod ex cōcupiſcentia ſiue cupiditate. Manifeſtū autem eſt, peccata omnia in hominibus ex cupiditate ſiue propria ipſorum, ſiue*
Gen. 3. *parentum primorum ortum habere. S.S.E. Et vidit mulier quòd bonū eſſet*
" *lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq́; delectabile: & tulit de*
" *fructu illius, & comedit; deditq́; viro ſuo, qui comedit. Hebraicum verbum* MADMENAH, *pro quo Latinus interpres plauſtrū; Græcus, currus; Chaldæus, lutum reddidere, ex etymologia explicatum ſterquilinium ſignificat. Eſtq́; etiam Moabitarum vrbis nomen: quod conſulto Propheta vſurpauit, arcana quoque ſignificatione, perinde atque ipſum Moab nomen acceperat. Atq; adeò ſtramen in ſterquilinio multo etiam magis comminuitur: ita vt in terram prorſus conuertatur, & non ampliùs ſtraminis formam ſeruet. Sic itaq; peccata hominum comminuenda atq; tollenda, auctore Deo in illa Chriſti Ieſu humiliatione Iſaias ſignificabat, atq; paleæ protritæ in ſterquilinio comminuuntur: de qua humiliatione idem ipſe aliàs locutus, aiebat:*
Pſal. 21. *Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio*
" *plebis. Quod vero legimus,* Sub eo, *exponimus, ſub Chriſto, huius expeditionis auctore, procuratore, & miniſtro, poteratq́; verti,* in ſe ipſo, *vel,* in ſemetipſum. *Hoc vocabulo vſus eſt Ioſue, dum ruinam Iericho magno mi-*
Ioſ. 6. *raculo editam deſcriberet: vbi interpres noſter vertit, Et muri funditus*
" *corruerant ciuitatis, Hebraicè legimus, ſub ſe ipſis. Quid cōmodius ſignificare potuit Chriſti mortis vim & efficaciam: qui moriens, vnà ſecum peccata mundi, hoc eſt, Moab totum occidit & comminuit. Sed illud iam apertiùs & planiùs rem omnem myſteriiq́; huius rationem explicat, & planè propiùs intuendam agnoſcendámque præbet. Quod continuò ſubiungitur,*

maxi-

*maxima & euidentiſsima ſignificatione victoriæ verbi Dei per crucem.*

Et extendet manus ſuas ſub eo, ſicut extendit natans ad natãdum:
& humiliabit gloriam eius cum alliſione manuum eius.

IESVM *Chriſtum crucifixum, quem Apoſtoli mortis atq; peccati victorem efficaciſsimum prædicabant, hoc loco nobis Iſaias oculis mentis agnoſcendum depinxit, & antiquis expectandum propoſuit. Ille enim humiliatus vſque ad mortem, mortem autem crucis, in eam gloriam exaltatus eſt à Deo, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur quòd Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris. Ex infirmitate & humiliatione Chriſti hanc diuinam victoriam orituram eſſe Vates oſtendebat noſter, cùm Chriſtum (qui & Deus & homo eſt) brachiis & manibus natantium inſtar extenſis ligatum, cruci affixum, & mortuum, peccati gloriam, ſiue potiùs ſublimitatem deuicturum atq; humiliaturum eſſe dicebat.* Gloriam eius. *Hebraicum verbum; hoc loco ſuperbiam ſignificat, & ſublimitatem arrogantiamq;, quod ſæpiſsimè in vitio poni ſolet. Inualuerat enim peccatum in mundo, & omnia iam occupabat, magnaq; inſolentia & ſuperbia regnabat, ex vnius hominis inobedientia ortum: atq; in totam poſteritatem transfuſum, quam perpetuis vitiis etiam ſubegerat. Huius ſuperbientis mali regnum vnius Chriſti obedientis ignominioſa morte crucis euerſum & ſublatum eſt, Deo victoriæ ſententiam ferente pro Chriſto: Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſemetipſum, & factus eſt obediens vſque ad mortem: brachiiſq;, natantium more extenſis, peccatorum omnium totius mundi inundantes aquas ſubiuit, vicit, & enatauit; diluuium illud magnum caſtigationis totius mundi ſubitæ; atq; ita mortem vicit, & peccati imperium diſsipauit. S.S.E. apud hunc eundem Prophetam magno huius etiam ſententiæ myſterio, Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum, qui crediderit, non feſtinet. Et ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura: & ſubuertet grando ſpem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt: & delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. Flagellum inundans cùm tranſierit, eritis in conculcationẽ. Verborum quorundam ratio breuiter explicanda eſt.* Extendet manus ſuas ſub illo: ſub ſe ipſo, *vel*, in ſe ipſo. *Id quod natantiũ proprium eſt, & cruci affixis idem accidit: ſed quoniam Chriſtus ſeſe vltrò Patri pro mundo immolandum traditurus erat, ait Propheta, ipſum manus ſuas expanſurum, & humiliaturum peccati ſuperbiam*, cũ alliſione manuum eius. *Hebraicè ſimpliciter ſignificãtur foramina manuũ eius. namque* ARVBOTH, *foramina & feneſtras ſignificat. Itaq; verborum obſeruatio ipſa myſterium paſsionis, mortis, & victoriæ Chriſti ſignificantiſsimè indicat. Et regni peccati euerſionem portarumq; inferni demolitionem inde conſecuturam declarat ſubiuncto carmine:*

Phil. 2. — Infrà 28.

Et munimenta ſublimium murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur in terram vſque ad puluerem.

PECCATI *à patribus in poſteros propagati regnum diruendum eſſe hoc verſu ſignificabat Vates. Illam adhuc quam cœperat Moab, regni tranſlationem & imaginem perſequutus.* Et munimenta ſublimium murorum. *Hebraica propriè ſonant, Munitionem altitudinis murorũ tuorum: conuertitur autem ſermo à tertia in ſecundam perſonam; quam præſentem Vates proponit ad prædictionis aſſeuerationẽ, atq; rei ipſius prædictæ commendationem & gratulationem quandam. huiuſmodi namq; exornationibus in ſimili argumento ſæpiſſimè Vates uti conſueuere.* Vſque ad puluerem. *Hoſtilis regni vim, munitionem, & firmitudinem comminuendam, atq; in puluerem redigendam ſignificat. Videtur autem exquiſitiùs illius regni firmitudinem & munitionem deſcribere docti architecti modo: depingit enim muros, & in muris altitudinem, & in altitudine munitionem ſignificat. Magna myſteria, quæ hîc nobis indicantur, qui legit, intelligat. atqui tribus huiuſmodi munitionis nominibus, tria etiam verba ad dirutionem relata,* concident, humiliabuntur, detrahentur in terram, vſq. ad puluerem. *Hebraicè ad verbũ, Oppreſſit, humiliabit, attingere faciet terram vſque ad puluerem. Hæc, & huiuſmodi alia multa quoniam capere mundus non poteſt, ſanctificatis à Deo cognoſcenda, agnoſcenda, & explicanda relinquimus.*

## CAPVT XXVI.

IN illa die cantabitur canticum iſtud in terra Iuda.

MAGNAM *rerum mutationem & conuerſionem ex Chriſti virtute & efficacitate in orbe conſpiciendam eſſe Vates omnes prædixerunt, & Iſaias ſæpiſſimè repetiuit. In proximè enim expoſito capite victoriam legebamus à Chriſto de peccati regno reportandam: ſed quoniam non tantùm inimici & hoſtes humani generis ſuperandi, & conterendi; ſed filij etiam Dei in gloriæ & ſalutis communionẽ traducendi erant, atq; ex mortis regno ad vitæ nouitatem, & cæleſtis regni vſum transferendi; id quod Chriſti Ieſu morte & reſurrectione præſtitum, expeditúmque fuit. eam quoque rem poſt commemorationem victoriæ vel ſignificari oportuit: atque ita hoc capite ſignificatur ac declaratur, carminis à iuſtis viris concinendi argumento atq; ſtylo propoſito; quæ ratio rei exemplum manifeſtum probat. Gratulatoria enim carmina confeſſionem atq; teſtimonium continent beneficij accepti: ſicut contrà Elegiæ atque Threni dolorem teſtantur certum atq; præſentem. Atq; ita poſt liberationem filiorum Iſrael à Deo factam,*
Exodi 15. *ctam, rubro mari ſuperato, hoſtibusq; demerſis, ait Scriptura: Tunc cecinit „ Moyſes & filij Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino, &c. Sic Iſaias hoc loco, accepti à Deo beneficij certiſſimum teſtimonium, carmine ſibi prædictato, reddendum eſſe ait. In illa, inquit, die, cùm Dei humaniq; generis hoſtes protriti ac diſſipati fuerint, huiuſmodi carmen in terra Iuda cantabitur. Terram autem Iuda confitentium & gratulantium populum vocat; ſiue hi ex Iudæis ſecundùm carnem, ſiue ex gentibus; ſiue, quod veriſſimum eſt, ex vtriſque fuerint: modò omnes in terra Iuda,*

*da, arcani nominis ſignificatione ſint, hoc eſt, in confitentium Eccleſia & habitatione quæcumque ea terra ſit, ſiue in Aſia, ſiue in Africa, ſiue in Europa: vbique terrarum Domini eſt terra, & plenitudo eius; & vbique terrarum Iuda terra erit: vbi Iudæi, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum, hoc eſt, confitentes, gratulantes, & laudantes fuerint. Carminis autem argumentum & exemplum cuiuſmodi futurum eſſet, ipſe Iſaias prædicebat.*

Vrbs fortitudinis noſtræ, ſaluator ponetur in ea, murus & antemurale. HOSTILIVM *murorum ſublimium munimenta conciſura & humilianda, atq; ad puluerem vſque peſſundanda eſſe nobis paulo antè Propheta oſtenderat: nunc verò contrà, Dei ciuitatem, hoc eſt, piorum hominum, iuſtorum, ſanctorumq; cõuentum (quæ alio nomine Eccleſia dicitur) fouendam, muniendam, amplificandam, atq; omnibus proſperitatis numeris cumulandam fore prædicit: idq; ex illorum qui hæc agnoſcerent confeſſione & gratulatione præcantata oſtendit. Vt, inquit, Moab vrbes, Dei conterentis vi dirutæ, & in puluerem redactæ ſunt: ſic contrà noſtræ vrbis atque communis ciuitatis firmitudo conſtabit opera Seruatoris, qui ipſi murus, antemuraleq; erit. Nomen Hebraicum* IESVGHAH, *& ſalutem, & ſalutis auctorem ipſum ſignificat; Ieſum Chriſtum videlicet, qui & ſalus & ſaluator eſt: cuius virtute Eccleſia firma conſtat; virtute inquã muri firmiſſimi, & antemuralis inſtructiſſimi: quamobrem aduerſus huiuſmodi ciuitatem, portæ inferi non præualebunt. Conſtat totum carmen hoc, vt alia ferè omnia, ſublimis orationis genere multis figuris, ſchematis, & exornationibus inſtructo, quæ à nobis breui ſignificatione exponentur. Plena ſunt Apoſtolorum omnium ſcripta huiuſmodi ſententiarum expoſitionibus, oſtendentibus Eccleſiæ Chriſtum, Chriſti Deum caput eſſe; atq; ita à Deo per Chriſtum Eccleſiam fundatam firmari, defendi, amplificari, & cuſtodiri: quamobrem ipſam tutiſſimo loco ſitam eſſe, adeò vt veras, ſimplices, cognitas, & amatas Chriſti oues nemo rapere poſſit de manu paſtoris, qui animam ſuam tradidit pro grege ſuo: ſed hæc omnia ad arcanam ſpiritualemq; referuntur. Quamquam enim externarum rerum tempeſtatibus & procellis multis; quamquam hoſtium viſibilium ab inuiſibilibus impulſorum opera ageretur ſancta Eccleſia Dei Catholica; tamen ſponſi, & ſeruatoris ſui virtute & efficientia ita cuſtoditur ac defenditur, vt numquam diruatur.* Saluator ponetur in ea murus, & antemurale. *Ex Hebraico verti poteſt: Saluator ponet in ea muros & antemurale. Eſt autem antemurale id quod aggerẽ vocamus, ſiue propugnaculum ante muros conſtructum: vnde hoſtes arceri poſſunt, & prohiberi, ne ad muros, effodiendi cauſa accedant. Omnem itaq; Eccleſiæ ſalutem, fortitudinẽ, firmitudinem, atq; defenſionem, & propugnationem in Dei virtute, & Chriſti præſidio ſitam eſſe, hoc carmen declarat. Iuxta illud: Dominus illuminatio mea, &* Pſal. 26.
*ſalus mea, quem timebo? Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant car-* «
*nes meas: Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderũt.* «
*Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat ad-* «

*uerſum me prœlium, in hoc ego ſperabo. Iam verò vbi ipſum ſanctæ huius ciuitatis auctorem, protectorem, propugnatorem, & cuſtodem Deum, carmine hoc declarandum fore Vates indicaſſet: quinam in hanc ciuitatem recipiendi eſſent ciues, qualis receptorum ciuiũ conditio futura eſſet, exponit.*

Aperite portas, & ingredietur gens iuſta, cuſtodiens veritatem.

CIVITATIS *illius, quam antiqui Patres, atq; Prophetæ omnes à Deo conſtitui & muniri cupiebant, largitionem futuram, tanquam præſentem præcinebat hoc loco Vates: affirmans iam fas eſſe, vt in illam venirent homines: verùm non omnes, in hanc puriſſimam, ſanctiſſimam, & planè diuinam admittendos eſſe, hoc eſt, puros & impuros; ſed eos tantùm, qui diuinis promiſſis fidem, præceptis etiam obedientiam, & cultum præſtiterint: Namque has duas partes ab iis agi oportere, qui Dei maximorũ beneficiorum compotes eſſe ſtudeant, videlicet, fidem, & obedientiam, in qua omnia & pietatis & pœnitentiæ opera continentur, ſæpiſſimè à nobis ex diuinorum decretorum ſententia expoſitũ eſt. Huius argumenti illa ſumma identidem etiam eſt repetita. Pœnitemini, & credite Euangelio. Hanc eandem rem Propheta noſter aliàs indicabat, oſtendens ciuitatem hanc nullis vitioſis*

Inf. 52. *ſis atq; ſceleratis frequentandam fore. Conſurge, conſurge, induere forti-*
„ *tudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem ciuitas ſancti:*
„ *quia non adyciet vltrà vt pertranſeat per te incircunciſus & immundus.*
1. Cor. 6. *& Diuus Paulus: An neſcitis, inquit, quia iniqui regnum Dei non poſ-*
„ *ſidebunt? Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque ad-*
„ *ulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque*
„ *auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebũt.*
*Sed in huius regni ciuitatem ſanctiſſimam venient, gens iuſta, cuſtodiens veritatem. Iuſtos dici eos, qui legem Dei colunt, & cuſtodiunt, atq; diuina gratia adiuti & promoti, pro virili præſtare ſtudent, iam ſæpè aliàs docui-*
Lucæ 1. *mus. Sic Zacharias & Elizabeth erant iuſti ambo ante Deum, incedentes*
„ *in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela: ſed quoniam opera ſine fide non proſunt ad ſalutem; impoſſibile enim eſt ſine fide placere Deo; ideò vtrumque coniungens Propheta, addidit:* Cuſtodiens veritatem. *Hebraicum verbum plurale,* EMVNIM, *veritates & fides propriè ſignificat, ſicut & apud Latinos fides pro dictorum conuentorúmque conſtantia & veritate vſurpatur: & nomen eſt tam ad eum qui promittit, quàm ad eum qui promiſſa expetit, & attendit relatum. Atque ita apud ſacros auctores eius qui promiſſum facit, fides dicitur; & eius etiam qui ex promiſſis pendet, fides Dei & fides hominum etiam vocatur. Itaq; gens illa quæ Dei veritatẽ, ſiue veritates (quæ eadem promiſſa certa ratione appellare ſolet) obſeruat, atq; firmiſſima fide perceptas expetit: illa, inquam gens, portas diuino decreto apetas, ingredietur.* Cuſtodiens veritatem, *obſeruans ſumma fide veritates Dei; hoc eſt, promiſſa à Deo efficienda: & veritates etiam ſuas ipſa obſeruans. Oportet enim fideles homines fidem ſeruare, & à mendacio atq; vanitate omnino alienos eſſe. Poſtquam verò hoc carmine quænam gens in hanc ciuitatem admittenda, atq; recipienda fuerat,*

eſt

*eſt declaratum. Iam deinceps quænam huius gentis conditio, Deo auctore, futura eſſet, exponitur.*

Vetus error abiit: ſeruabis pacem: pacem: quia in te ſperauimus.

M A G N A *interpretationis pars ex verborum æſtimatione hoc loco indicatur. Quod interpres noſter ſignificantiſsimè vertit,* Vetus error abiit, *Hebraicè eſt,* IETSER ZZAMVCH. *Eſt autem* IETSER *idem, quod formationem, figmentum, fictionem atq; ingenium, & inclinationem, propenſionem Latinè dicimus. Vnde frequētiſsimè pro appetitiua parte animæ vſurpatur, ſiue pro appetitu ipſo; qui Latinè philoſophantibus altera animorum noſtrorum portio eſt: altera verò quàm ijdem rationem appellāt. Nos quantum poſſumus, vt doctiores pariter & indoctiores iuuemus communis ſermonis verba, non exquiſitè philoſophica vſurpamus. Atq; hoc loco eam vim & facultatem, quæ appetitio ſiue concupiſcentia dicitur, atq; ab interprete noſtro aliàs cogitatio appellatur, eam, inquam, quæ in animalibus & carnalibus hominibus corrupta, & ad malum prona eſt, ſignificari arbitramur nomine* IETSER. *de qua ſcriptum eſt: Senſus & cogitatio cordis hominis in* Gen. 8. *malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Eandem igitur Spiritus ſancti virtute, & Chriſti efficientia in iis iuſtiſsimis & ſanctificatis hominibus, & ſanctiſsimæ ciuitatis ciuibus ita corrigendam, atq; ita ad Dei obſequium & cultum temperandam eſſe præuidebat & præcinebat Vates, vt iis, qui ſunt in Chriſto, nihil damnationis eſſe diceret; iis videlicet, qui non ſecundùm* Rom. 8. *carnem ambulant, quippe quorum appetitus iam Chriſto coniunctus atque affixus eſſet, ab eodemq; ſuſtentatus, vt ea quæ à Deo probanda eſſent, appeteret: atq; ita ſancti huius ciuitatis ciues ſumma pace parta, apud Deum, & apud ſe fruerentur, quam per Chriſtum efficiendam, componendam, & firmandam eſſe Angeli cælitus demiſsi cecinerunt, Gloria in excelſis Deo,* Lucæ 2. *& in terra pax. Iuxta hanc rationem explicandi cauſa verbis ab interprete noſtro vſurpatis, inſiſtentes, vertere poſſumus hoc loco,* Cogitatio fulta, ſiue, ſuſtentata. *Namq; aliàs, vti diximus, Latinus noſter interpres cogitationem hanc ad malum pronam eſſe expoſuerat. Illa igitur quæ ad malum prona, procliuis, & propenſa erat, & ad malum faciendum, ratione etiam diſſuadente & reuocante, veluti rapiebatur: illa, inquam Chriſto coniuncta, fulta, & ſuſtentata à Deo pacem, ab eodem Deo effectam ſeruabit; cuius ſententiæ illud eſt, quod ab Apoſtolo ſcriptum legimus: Omnes enim pecca-* Rom. 13. *uerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſsionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei [id eſt, à Deo ſuſtentati] ad oſtenſionē iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti. Itaque optimè in hanc ſententiam interpres noſter reddiderat,* Vetus error abiit. *Veterem enim errorem cogitationem illam ad malum ab adoleſcentia humani generis intellexit, & appellauit. Illo errore abeunte, pax Dei erga homines ſuccedit, & confirmatur: pax, inquam, non quomodo mundus dat, ſed* Philip. 4 *pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum. Poſſemus eadem verba in quarto caſu vertere hoc modo. Cogitationem coniunctam, ſiue ſuſtentatam ſeruabis.*

*Nihil*

*Nihil enim obſtat, quo minùs ita exponamus, maioris explicationis cauſa: Tu, inquam, Deus ſeruabis, & conſeruabis cordis tuorum cogitationem tibi coniunctam, tuo enim ſpiritu id efficietur: atq; ita tibi ſeruietur in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus noſtris. idemq; ſanctis tuis ſeruabis pacem pacem pacem tecum, & pacem inter ipſos inuicem, ſinceram & perfectam huius perfectionis & confirmationis cauſa repetitam pacem pacem, ſic à*
Ioan. 14. *Chriſto etiam datam & relictam, dicente: Pacem pacem relinquo vobis, pa-*
„ *cem meam do vobis. Verbum* Seruabis, *Hebraicè eſt,* NATSAR, *quod conſeruationem, cuſtodiam, & propugnationem, atq; defenſionem, confirmationemq; ſignificat, ad quam ſignificationem agnomen etiam Ieſu Chriſti Nazareni refertur. Quod verò nomen Latini plerumque pacem vertunt* SALOM, *ſimul etiam perfectionem & confirmationem, ſiue abſolutam & exactam expeditionem ſignificat. Omnia hæc autem iis, qui multum in ſacrorum eloquiorum lectione proficere cupiunt, diligenter obſeruanda componendaq; magnum operæpretium facturis indicamus. Atq; adeò carmen hoc non tantùm prædictionis, verùm etiā poſtulationis ac precationis formam referre videtur; vt ea prædicantur à Vate, quæ à piis optantur, & ea rurſus optentur, quæ à Vate prædicuntur. Hic enim dicendi mos eſt, qui vehemēti aliquo deſiderio magna ſpe concepto tenentur. vt illud: O qui me gelidis vallibus Hemi Siſtat, & ingenti ramorum protegat vmbra. & illud apud no-*
Pſal. 83. *ſtros: Altaria tua Domine virtutum, rex meus, & Deus meus. Huiuſmodi deſiderium maxima ſpe fultum idem Vates pientiſſimorum omniū perſonam ſuſtinens, declarat.* quia in te ſperauimus. *Hebraicè ex verbo,* quia in te fiſa, *ſiue,* ſperata. *Latinè neutro genere, ſiue imperſonali verbo verti poſſet: cuius vicem fœmininum genus apud Hebræos gerit,* quia in te confiſum. *niſi malimus participium, fiſa ad pacem referre, eadem omnino ſententia: Quia hæc pax, inquit, in te confiſa ſperataq; eſt, à te efficienda exſpectatur. Si quis etiam exponat, quia in te fiducia, neque à ſententia, neque à linguæ ratione aberrabit. Certè interpres noſter ſententiæ myſteria* magna *cognoſcens, lectoribus ex interpretationis ſuæ verbis conſideranda & obſeruanda ſæpiſſimè commendabat: neque oſcitantes mentes ad verſiones ſuas intelligendas in huiuſmodi arcanis locis admitti volebat. Hanc precationem, ſiue prædictionem hanc firmam, certam, & conſtantem, ipſo euentu fore Propheta confirmat, eandemq; certa ſpe vrgendam & frequentandam commēdat, hortatus pios, nunquam deponere fiduciam huiuſmodi, ſitam in ipſo auctore omniū bonorū Deo æterno, propoſitoq; tenaci atq; efficaciſſimo.*

Speraſtis in Domino in ſeculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.

HEBRAICVM *verbum, pro quo in verſione noſtra legimus, ſperaſtis, imperatiuo etiam reddi poteſt; vt ſit ſenſus: Vos qui ſperaſtis in Domino Deo miſericordi, ſperate adhuc ſemper in ipſo, nihil morati vel temporum longitudinem, vel ſalutis afferendæ magnitudinem. Namq; Deus is eſt, qui nullo tempore conſeneſcat, aut imminuatur, quippe qui æternus ſit, extra omnem temporum vim & mutationem; imò qui ipſe immutatus & immo-*

*bilis*

*bilis manens, tempora mutet, & ſecula pro conſilio diſponat ſuo: atq; varias rerum facies certis à ſe conſtitutis temporibus exhibeat; quamobrem ſi hactenus mœſti atq; laborantes ſub peccati iugo fuiſtis, ſperate in Domino firmiſsima fide atq; ſpe confirmati, qui tempora mutare poteſt, ipſe autem immutabilis permanet: atque id quod ſemel propoſuit, futurumq; dixit, ad humanæ ſalutis expeditionem ſuo tempore afferet. Quæ in hominibus atque humanis rebus collocata eſt fiducia & ſpes, multis partibus laborat, vel quòd homines tẽpore ſeneſcant, & humanæ res tempore detrahantur, & vtraq; pars tempore pereat; vel quod etiam non ea hominum aut alterius natura à Deo vires ſint: vt omnia præſtare poſſint quæ dixerint, ac promiſerint. Deo autẽ, vtpote æterno, tempora ſubſeruiunt, & famulãtur potiùs quàm obſtent. Vt verò potentiſsimo & efficaciſsimo nulla rerum difficultas opponi poteſt, aut obeſſe. itaque ad certam ſpem vocat pios hoc verſu Propheta, inductus in argumentum nominibus diuinis; iis quæ & ad æternitatem & ad efficacitatem referuntur. Verba Hebraica ſic habent,* Sperate in Domino vſque vſque. *Eſt enim* GHADETGHAD, *compoſitũ ex duplici* GHAD, *interiecta litera longa Iod adornatum vocis quæ perpetuitatem & æternitatem ſignificat: ita vt in Deo ſemper ſperandum eſſe affirmet, qui ex anteactis ſeculis oſtenderit, ſe nullo tempore prohiberi ab iis præſtandis, quæ vel ad ſalutem publicam & priuatam, vel ad punitionem pertineant. Nam ſi antiquorum tẽporum memoria repetatur, perpetua, multisq; exemplis conſtans reperietur prouidentiæ & efficientiæ Dei veritas; tum erga pios & probos, tum etiam aduerſus improbos, pro diuini conſilij iudicij & beneficij ratione iam ſæpè in ſacris libris explicata. In eodem igitur ſperandum eſt, vſque vſque, ſemper ac perpetuò. Huius autem exhortationis rationem ſic per appoſitionem exponebat Propheta:* In Domino Deo forti in perpetuum. *Hebraicè ad verbum,* In IAH IEHVEH, *rupe ſeculorum. Appellatur autem Deus rupes ſeculorum, tranſlatione ſumpta à firmiſsimis in mari ſcopulis, atq; à montibus lapideis: vt enim neque hos venti aut pluuiæ, vel turbines, neque illos tempeſtatis procellæ, fluctus maris commouere; ſic, imò longè præter omnem comparationem minùs, Deum temporum atq; ſeculorum viciſsitudines, mutationes, aut vices omnes turbare, aut mutare, aut mouere poſſunt: imò ipſe adducit ſecula; cælum, terram facit, obruit diluuiis, reficit & liberat: rurſus propter peccata hominum euertit: deinde propter miſericordiam ſuam recreat & ſeruat; & tamquam ſol varia voluens tempora, Autumni, Hyemis, Veris, atq; Æſtatis, conſtat tamen ipſe ſuo ſplendore, calore, & lumine nunquam deficiens; ita ſæpiſsimè à Prophetis & Pſalmographis Dei hæc ſtabilitas canitur & celebratur; atque adeò auctoritas monendi, adducendi, & producendi ſecula, ſeculorumq; rationes pro ſuo ipſius diuino atq; admirando conſilio: propter eaſdem res ab Apoſtolo Deus ſeculorum appellatur, quòd videlicet humano generi promiſſam ſalutem, certis ſeculorum rationibus diſpoſitis, tandem vbi venit plenitudo tẽporis, miſſo filio ſuo, expediuerit, atque præſtiterit. Regi autem ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculo-* 1 ad Tim. 1.

*rum, amen. Obſeruanda autem hoc loco eſt germana ratio nominum* IAH, *&* IEHVEH, *diuinorum, quæ à Propheta hoc loco appellantur ex vno verbo deductorum; cuius ſignificatio eſt ea, quam ſubſtantiuam Latini grammatici dicunt; alterum ſignificat ens æternum, alterum verò ens æternum in forma tamen futuri, quod abſoluitur à tempore, & virtutem cum efficacitate atq; actione indicat, referturq; plerumque ad humanæ ſalutis promiſſa & expeditionē. de quibus plura, & apertiora in ſacro Apparatu diſſe-*
Lib. Ioſeph. *rebamus, & in Pſalterio carmine à nobis expoſito, canebamus. Atque nobis maxima promiſſæ ſalutis conſtantia, & veritas huiuſmodi nominum appoſitione ſignificatur; eademq; videtur eſſe explicatio quam D. Iohannes in*
Apoc. 1. *Apocalypſi indicat: Gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui*
" *venturus eſt. Maximè autem huic ſententiæ conſentaneum eſt, ſignificari his nominibus Deum, & Dei verbum, hoc eſt, Patrem, & Filium, per quem omnia, & à quo omnia, & in quo omnia facta & inſtaurata, & conſtituta, confirmataq; ſunt. Eſt itaq; ſententiæ ſumma illa: Veſtram ſalutem omnino ſperate, à Deo videlicet efficiendam: ex parte enim Dei certiſsimā fore vobis prædico: Dei, inquam, quem nulla temporum aut ſeculorum longitudo, vel difficultas impedire aut retinere poteſt; vtpote Dei exiſtentis, Dei efficacis, & miſerentis; Dei Patris, atque Dei verbi qui ſeculorum fluentium & prætereuntiū firmiſsima rupes eſt: id quod antiquis omnibus exemplis obſeruandis conſtat: nempe illum eſſe immutabilem, ſeculisq; imperare. Quod verò ad efficacitatē attinet, eundem potētiſsimum & efficaciſsimum eſſe, & poſſe omnia, quamuis maxima, pro conſilio ſuo efficere, & præſtare, maximæ olim rerum maximarum ab eodem factæ mutationes teſtantur & oſtendunt.*

Quia incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit: humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem.

*Propoſitionum atque ſententiarum ſuarum argumenta ex hiſtoriis atq; exemplis, adeoq; ex re ipſa & experientia producere ſæpè ſolent Prophetæ. Dixerat Iſaias, ſperare oportere pios in Domino Deo, quem nulla ſecula turbare poſſent, imò quem ſecula omnia firmiſsimum & conſtantiſsimum impulſorem ſentirent, atq; teſtarentur; atq; adeò rupem & firmitudinem ſeculorum, ſiue, vt verſio noſtra habet, fortem in perpetuum probarent. Cuius ſententiæ confirmationem, ex ipſis rerum in terris mutatarum conuerſionibus Dei efficientia editis affert. Nouimus enim magna olim & potentiſsima regna opibus & conſiliis munitiſsima, quæ ſuperari nunquam poſſe videbantur, tamen labefactata & euerſa fuiſſe. Vidimus vrbes, vidimus oppida firmiſsima & ſuperbiſsima deiecta & vaſtata. Hæc quiſquis animo contemplatus fuerit, intelliget profectò nihil eſſe Dei virtuti atq; efficacitati abſconditum aut remotum:* Quia incuruabit, *Hebraicè eſt, opprimi fecit habitantes in excelſo, qui locorum ſitu atq; munitione non modò inexpugnabiles, verùm etiam inacceſsibiles exiſtimabantur: idq; de populis illis ante diluuium, & poſteà etiam de maximis regnis & imperiis diuino iudi-*

*cio euerſis, oſtendi poßit.* Et ciuitatem ſublimem. *quales multæ in Aſia, Africa, & Europa, quales in Iſraelitarum regione Samaria & Ieroſolyma fuere. Huiuſmodi ciuitates ſublimes humiliauit, non ſolùm in vicos & pagos, ſed in terram vſque ad puluerem redactas. Has nulla mortalis vis; nulla humana ſapientia, aut prudentia & induſtria; nulla etiam alia cælorum, aſtrorúmve influxio; nulla dæmonum efficacia, vel aſtutia, iam propter inhabitantium ſcelera dirui & euerti atque deleri commeritas, liberare aut defendere potuit, quin ad terram vſque ad puluerem deiectas, & protritas poſteritas videret: conſequitur enim diuinam efficacitatem & virtutem nullo modo poſſe ab incepto & propoſito prohiberi, vel retardari; quippe cuius virtuti nulla alia vis reſiſtere aut obſiſtere poßit. eſtq; argumentatio à minori, quæ in diuinis rationibus efficaciſſima eſt. Qui non poteſt Deum in minoribus rebus impedire, in maioribus minùs poterit. Maiora autem ſunt animorum vel ſalus, vel damnatio; & hæc magis, vt ita dicamus, cum diuinæ naturæ præſtantia conueniunt; quippe quæ ſpiritualia ſunt. Deus autem eſt Spiritus vt puriſsimus, efficaciſsimus ſpiritus; atque adeò ad ſpirituales res efficiendas, magis etiam iuxta naturæ ſuæ rationem & promptus, & affectus. Cetera verò omnia, præter Deum, vel materia conſtant; vel, ſi ſpiritus ſunt, minùs efficaces, minusq; ſimplices ſpiritus ſunt: ideoq; magis cum materialibus rebus conueniunt. Quòd ſi in rebus quæ materia conſtant mutandis tanta virtus Dei apparet, vt prorſus infinita probetur; quantam eſſe oportebit in his rebus efficiendis quæ naturam ipſam diuinam propiùs attingunt: cuiuſmodi humanorum animorum ſalus eſt; quæ deificationis cuiuſdam definitione explicatur? Huiuſmodi forma & ratio ex terrenis ad cæleſtia, ex humanis ad diuina argumentandi, frequens diuinis Vatibus eſſe ſolet. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit* Lucæ 1.
*humiles: Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Hactenus* "
*exempla à Virgine ſanctiſſima ſunt producta, & argumentationis prior pars constructa eſt: deinde in concluſione ſubiungit: Suſcepit Iſrael puerũ* "
*ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ: ſicut locutus eſt ad patres noſtros Abra-* "
*ham, & ſemini eius in ſecula. Dixerat autem Propheta noſter Moab, Re-* "
*gnum peccati euertendum, atque Dei ciuitatem piis & ſanctis hominibus celeberrimam conſtituendam, ſtabiliendam, fouendam, & conſeruandam à Deo ipſo eſſe per verbum ſuum, ad hanc rem expediendam, miſſum indicauerat per enthuſiaſmon: quo genere carminis beneficij huius maximi, gratulatio ineunda eſſet; atq; interim ad hanc legem piorum animos hortatus erat; propoſita virtute atq; auctoritate Dei, qui ſublimia & ſuperba deijcere ſoleat, atq; humilitate, modeſtia in ſublime tollere poßit, & velit. Alterum membrum in genere propoſuit: ad quod omnia ſingularia orbis exempla, atque adeò quæ Iſraelitarum regione ſpectata ſunt, referri poſſent; deinde etiam alterum ſubiicit:*

Conculcabit eam pes: pes pauperis, greſſus egenorum.

SI *in ſimilitudine & exemplo conſiſtamus, apertè in Sacris & prophanis hiſtoriis cognoſcimus, ſuperborum, & potentium regum & regnorum*

*imperia, vrbes, munimenta, & ædificia funditus deleta fuiſſe, & ab inferioribus, & humilioribus hominibus iuſto Dei iudicio protrita, & conculcata: hic Niniues, hic Babylonis, hic Perſarum, hic Macedonum & Græcorum, hic Romanarum, hic Ieroſolymitanarum rerum exitus fuit. Si verò ipſam rem, cuius cauſa exempla adducuntur, ſpectemus; exploratum eſt ex ſacris myſteriis ciuitatem atq; ditionem peccati à Chriſto fuiſſe protritam, & conculcatam: atq; ita ſolo æquatam, & in puluerem redactam, vt ipſius Chriſti virtute & efficacitate ab Apoſtolis & ſanctis aliis viris eadē peccati ſuperba antehac horrenda potentia fuerit etiam conculcata, qui ſe omnia poſſe dicebant in eo qui ipſos confortaret. Hebraicè repetitur pes, in ſingulari, ac deinde pes in plurali: vt prior numerus per ſyllepſim ad poſteriorem referatur. eſtq; magna confirmationis & aſtructionis vis in huiuſmodi repetitione per appoſitionem & expolitionem explicata. Quòd verò pauperis nomine Chriſtū intelligamus, arcani ſermonis rationibus obſeruatis, ex multis aliis Sacrorum librorum locis effectum eſt. vt in Pſalmo: Ego*

Pſal. 4. *autem mendicus ſum & pauper. & apud Zachariam: Ecce rex tuus venit*

Zach. 9. ›› *tibi iuſtus, & ſaluator: ipſe pauper, & ſedens ſuper aſinam, &c. In his verſibus temporum permixtio eſt: quædam enim præterito, quædam in futuro enunciantur, ſine vllo ſententiæ detrimento: omnia enim eò conferunt, vt perpetua atque propria Dei virtus & efficientia eſſe, oſtendatur. quam rationem ſæpè iam aliàs repetiuimus, de Hebræorum verborum tempore futuro differentes. Porrò multa alia ſunt quæ ad hanc ſententiam tum meliùs agnoſcendam, tum etiam illuſtriùs amplificandam, atque ad humanarum diuinarumq; rerum rationem expoliendam afferre poſſemus: eaq; elegantiſsima ex Hebraico nomine ſeculorum* GHOLAMIM, *quorum petra, rupes, & firmitudo, Deus eſſe dicitur: Si ſciremus patientes noſtrorum commentariorum lectores futuros. ſed quoniam prolixiores quibuſdam videmur, dum illorum feſtinationi indulgemus; multa profectò aliàs iucūda & vtilia conſultò ſubducere cogimur, quamquam aliquando malimus hoc nomine reprehendi, prolixitatis videlicet, quàm nimis affectatæ breuitatis: in iis locis præcipuè, quorum explicatio altiori rerum indiget repetitione, vel quorum ſententia minùs ſequax, ſibiq; connexa eſſe videtur: cuiuſmodi eorum quæ hîc ſubiunguntur verſuum eſt.*

Semita iuſti recta eſt, rectus callis iuſti ad ambulandum.

HEBRAICE *ad verbum ſic legimus: Semita iuſti rectitudines, rectum*

Leo Caſtrenſis. *callem iuſti librabis. ſiue, vt quidam noſtras doctus, doctè expoſuit: Ad libellam ponderabis. Eſt enim tranſlatio à geometris & architectis deſumpta, qui certis regulis & perpendiculis vias ſternendas librant, & dirigunt; rectaſq; hoc pacto, atque æquas reddunt, curruum orbitis vbiq; commenſuratas; aliis rebus ad iter agentium vtilitatem pertinētibus proſpectis & curatis. Orationis huius difficilior aliquanto erit explicatio iis, qui certum argumentum non tenuerint: quod nos breuibus exponemus. Cùm in præcedentibus carminibus Propheta pios omnes ad ſpem ſalutis hortatus eſſet, oſtenſis argumentis & exemplis virtutis Dei, minima ſummis mutare, inſi-*

*inſignia attenuare, & obſcura promere valentis; eandem etiam ſpem, inducto de diuino iudicio ac prouidentia argumento, confirmat. Manifeſtum enim eſt Deum eſſe fortem ſeculorum, qui nullis ſeculorum viribus minuatur, debiliórve fiat; imò qui ſæcula omnia, ipſe immotus manens, moueat & voluat. Quæſtio tamen eſt, num omnibus etiã ſeculis æquiſsima prouidentia vtatur; num eadem prouidentiæ ratio per ſecula omnia ſit, & expectetur; num piorum ſpes, cui nullam de diuina virtute & efficacitate dubitationem eſſe oportet, hac etiam prouidentiæ certitudine perpetuò confirmanda ſit. Hanc quæſtionem omnium ſeculorum exemplis explicatam Chriſti ſalutaris efficaciſsimo Euangelio, & ſanctiſsima virtute apertiſsimè explicandam, maximo piorum vſu comprobandam fore Propheta aſſeuerat, & confirmat: qui hanc de prouidentia diſputationem opportunè, vti diximus, inducens, ita exorditur:* Semita iuſti recta, & rectus callis iuſti ad ambulandum. *ſiue, vt Hebraicè habet:* Semita iuſti rectitudines, rectum callem iuſti librabis. *Alloquitur Propheta Deum; perſonam tum ſuam, Prophetæ, tum piorum hominum ſuſtinens: eſtq́; totius orationis, appoſitis ornamentis amplificatæ illa breuis ac dialectica ſumma. Iuſtus dicitur, qui iuſtitiam iudiciumq́; exercet: non ſolùm qui nouit quid iuſtum, quid iniuſtum ſit; ſed qui iudicium ipſum, hoc eſt, iuſti & æqui rationem, actionibus obſeruat ſuis: hoc autem adeò verum eſt, vt homines qui imperfectioris & infirmioris naturæ ſunt, tamen iuſtos nobis tu Domine dici, niſi eos qui ſemitis & viis morum à te munitis, inſtructis, & libratis incedant. Quæritur ergo an tu iudicium ſemper exerceas: quòd ſi exerces, conſequitur malis non licere malè agere, vtpote à te ſtatim deprehendendis, & puniendis. Quòd ſi malè agere, & lædere bonos licet, ſequitur, vel te non ſemper iudicium exercere: vel quia hoc de diuina iuſtitia dici non poteſt, illud ſaltẽ conſequitur iudicium tuum non ita illis eſſe manifeſtum vt horreant & timeant. quamobrem valde optant pij vt iudicium tuum quàm manifeſtum ſit. Hæc eſt prima huius orationis & carminis argumentatio, cuius propoſitio illa eſt:* ſemita iuſti *rectitudines, hoc eſt, quacumque iuſtus incedere debet, rectiſsima via eſt, qui iuſtus eſt, & dici atq; haberi iuſtus vult, rectũ eſſe decet, quidquid agit; neque diſcedere ab orbitis mandatorum tuorũ lege & perpendiculo, atq; regula libratis ac directis. Igitur cùm iuſtiſsimus tu ſis Domine, concedis nobis iuſtitiæ tuæ exempla obſeruare, hanc aſſumptionem ſic pronunciauit Iſaias.*

Et in ſemita iudiciorum tuorum Domine ſuſtinuimus te: nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ.

HVIVS *carminis, quod in argumentatione aſſumptionis locum tenet ſententia iam proximè indicata eſt; explicatio autem commodior erit verborum Hebraicorum ſimplici verſione.* Et iam ſemita iudiciorum tuorum Domine ſuſtinuimus te, nomini tuo memoriali tuo deſiderium animæ. *Quandoquidem iuſti via rectitudinibus & iudiciis conſtat, idq́; à te erga iuſtorum hominum vias & ſemitas obſeruatur, nobis etiam Domine licet atque expedit, te iuſtiſsimum appellatum & commemoratum ob-*

 *ſerua-*

*ſeruare in ſemita iudiciorum tuorum, eorumq́; ratione agnita conquieſcere, animisq́; gratis gratulari. Suſtinuimus te. obſeruare & expectare hoc verbum ſignificat, vt in Pſalmo: Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit*
Pſal. 129. „ *anima mea in Domino. Quia apud Dominũ miſericordia, & copioſa apud*
„ *Deum redemptio. Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius. Huiuſmodi conſtantem, diligentem, & ſtudioſam obſeruationem & expectationem hoc, & proximè ſubiuncto carmine deſcribit Vates.* Nomen tuum. *Homo qua homo dicitur, non propriè appellari poteſt iuſtus, ſed homo iuſtus, homo iuſtus appellatur. Huius tu viam iuſtitiæ munis, igitur iuſtitiæ ratio à te proficiſcitur, eius quæ in hominibus eſt; conſequitur itaque te tua natura & virtute iuſtum eſſe in te, & auctorem atq; moderatorem, principemq́; rectitudinum, quæ in hominibus iuſtis probantur. atqui id etiam nomen tuum dederat. Namque Deus, qua Deus dicitur iuſtus etiam appellatur: declarat etiam idem ipſa mentio Dei, quocumque nomine fiat. Simul enim atq; mentio Dei fit, animus relatione inſtructus in commemorationem iuſti & recti iudicis atq; gubernatoris mundi ducitur: id ſi nomine* ELOHIM *petatur, apertiſsimè inuenietur: inuenietur, ſi exemplis antiquis quæratur. Inuenietur etiam in Caim & Abel, in diluuij & Noe, in Abrahæ & Patriarcharum, in Sodomæ & Lot, in Moſis & Aegyptij regis hiſtoriis. Ad huiuſmodi cõmemorationes conuerſa anima piorum exoptat memoriæ ſimilis exempla etiam manifeſta, quibus ipſa delectata conquieſcat. Hæc ſuo atq; piorum nomine proferebat Iſaias, qui ſuum etiam in hac ratione officium amplificans, affirmat, huiuſmodi obſeruationem ſibi aſsiduam, perpetuam, atq; noctu diuq́; conſtantem eſſe.*

Anima mea deſiderauit in nocte, ſed in ſpiritu meo: in præcordiis meis de manè vigilabo ad te.

A FFIRMAT *Propheta perpetuam, aſsiduam, & ſtudioſam curam ſibi eſſe cogitandi, & diligenter obſeruandi iudicia Dei; eamq́; curam non intermitti, ſed tanquam vigili cuſtodi, qui ad aliorum inſtructionẽ, & monitionem conſtitutus ſit, ſedulò vrgeri; non ſolùm interdiu cogitando, ſed noctu etiam, cùm per commune ſilentium ſtudioſis etiam magis licet animi cogitationibus vacare; atq; adeò manè ſummo diluculo, cùm animus excitatus, purioribus vtitur cogitationum inſtrumentis, memoria, ingenio, & intellectu; quæ ſummo manè liberiora ſunt, propter præcedentem quietem, & exhalationem craſsiorum ſpirituum à ventriculo ſublatorum iam factam, & expeditam. Noctu, inquit, cùm alij dormiunt, ego cogito de hac re; & cupio, aueoq́; tuorum iudiciorum rationem manifeſtari: atque adeò ſummo diluculo ſpiritus mei impetu intra me ipſum excitatus, euigilo: &, vt Hebraicè habet verbum, Auroro ad te, Aurorare verbo liceat nobis vti, quod amantium eſt; qui ſummo manè cãtiunculis & ſonis ad eas, quarum amore tenentur, excitandas; & ignium ſuorum admonendas conſurgunt. Hiſpanicè, aluorear, & dar aluoradas, Italicè, far matinada, dicitur. Sic ille ingenioſus luſor canebat. Cùm prima multas venio fiatas; & matinadas facio*
Phalergius in Zaniton. *galantas. Ita Iſaias ſe Deo ſummo manè intra præcordia ſua excitato ſpiritu,*

*ritu, aſſiduè huiuſmodi ſuum deſiderium canere, eandemq́; cantilenam repetere ſummum rei ipſius ſtudium, contentamq́; curam huiuſmodi orationes ſignificant. Vt illa, quam paulo antè citauimus: A cuſtodia matutina* Pſal. 129.
*vſque ad noctem, ſperet Iſrael in Domino. & illa: Super cuſtodiam meam* "
*ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor, vt videam* "
*quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me. Oſtendit autem* "
*porrò Vates cauſam, quamobrem huiuſmodi obſeruationem, & diſputationem inſtituerit eſſe publicam & communem; atque attingere cum humani generis vtilitatem, tum etiam Dei ipſius gloriam & honorem: vtrumque verò dignum eſſe mente, cura & ſtudio piorum virorum, atque adeò miniſtrorum Dei, quales Prophetæ habentur, & ſunt.*

Cùm feceris iudicia in terra, iuſtitiam dicent habitatores orbis.

*Operæpretium fuerit meminiſſe nomine iudicij, & iudiciorũ, quod Hebraicè* MIZPATH *eſt, idem à nobis intelligi quod Latino iuris verbo ſignificatur: Italicè, la ragion, dicitur. & Hiſpanicè etiam Raçon, idemq́; Gallicè eſt: Germanicè quoque* Recht, *appellatur; cùm videlicet vnicuiq; quod ſuũ eſt, tribuitur: iuſtis præmiũ & honos; ſceleratis pœna; turpibus opprobriũ, & probrum; operis merces; fraudatoribus mulcta. Hoc verò quamquam natura ipſa hominum recta ratione ducta poſtulat, & cõmendat; tamen quia corrupta fuit natura, & prona ad malum reddita eſt ab adoleſcentia ſua, non ſemper obſeruat & ſequitur ius: imò ipſum hominum genus iam deprauatum, ſi ſuo conſilio permittatur, vero, & recto iure omnino violato, atq; contempto, tantum putabat ſibi licere, quantum ad ſuam ipſius, atque adeò ad ſuorum, quos chariſſimos habuerit, priuatã vtilitatem facere exiſtimauerit: ita vt muto atq; turpi pecori ſimiles homines effecti, ſuã illam antiquam & primam originis conditionem minimè agnoſcentes, ferino more viuant. Quidam humana ſapientia dicebat:*

*Iura inuenta metu iniuſti fateare neceſſe eſt,* Horatius Serm. 1.
*Tempora ſi faſtusq́; velis euoluere mundi.* Iuu. Sat. 3.
*Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum,*
*Diuidit vt bona diuerſis fugienda petendis.*

*Quamobrem non propriè ius naturæ definiunt ij, qui id eſſe dicunt, quod natura omnia animalia docuit: neque enim rationem iuſti & æqui animalia omnia per naturam edocta ſunt. Edocta quidem ſunt, quid fugiendum, quid petendum eſſet ad priuatam ſingulorum vtilitatem; verùm quid iuſtum, quid iniuſtum eſſet, non ſunt edocta. Quamobrem homo, quòd animal eſt, non ideò iuſti & iniuſti capax propriè eſſe dicitur; ſed quòd homo eſt, mentis atque rationis ſermoniſq́; compos. Huius enim virtutis præſtantia atq; facultate æquum ab iniquo ſecernere & obſeruare poteſt ac debet; eamq́; quam cum ceteris animalibus communem habet ſuæ vtilitatis appetitionem temperare, & in commune commodum dirigere. hanc rem omnem eleganter expreſſit Philoſophus:*

*Cùm prorepſerunt primis animalia terris*
*Mutum & turpe pecus, glandem & cubilia propter*

*Vngui-*

*Vnguibus & pugnis, dein fuſtibus atq; ita porrò*
*Pugnabant armis; quæ poſt fabricauerat vſus:*
*Donec verba, quibus voces ſenſusq; notarent,*
*Nominaq; inuenere, dehinc abſiſtere bello,*
*Oppida cœperunt munire, & condere leges:*
*Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.*

*Itaque ius quod ex recta ratione proficiſcitur, proprieq; ius appellatur, homini non qua animal, ſed qua homo eſt, conuenit: alio enim modo non propriè ius aut ius naturæ dicitur, niſi ita amplificato vocabulo vti libeat: itaq; iure vti, & iure agere, hoc eſt, iuxta iuſti & æqui rationem viuere homini proprium eſt, & ſecundùm naturam datum atque iniunctũ. Sed quia corrupta & perturbata natura homines ad animalem feritatem degenerare deprehenduntur, ſtudio, diligentia, & opera, & exactæ rationis regulis ius aſſerere opus fuit. Has rectæ rationis normas non omnes homines exactè callent, & prauis ſtudiis atq; moribus corrupti, plerumque deprauant: ita vt quod aliis iniquum cenſetur, aliis æquum & iuſtum videatur; ſicut ex gentium hiſtoriis, & moribus variis deprehendere eſt. Id quod diuini ſpiritus teſtimonio oſtenditur:* Pſal.13. *Dominus de cælo in terras aſpexit ſuper filios „ hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declina- „ uerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad „ vnum, &c. Quamobrem expeditiſſimam rationem iuris oſtendendi, & ſtatuendi illam fore ait Propheta. Vt Deus ipſe iuris à ſe exerciti exempla manifeſta orbi edat: videlicet, vt pij præmiis & commodis, impij atque improbi pœnis & incommodis afficiantur. Tunc enim boni virtutis amore, atque Dei imitatione ducti, iuſtitiam colent; improbi vero, vel pœnæ formidine à ſcelere admittendo abſtinebunt. Hoc eſt quod Iſaias ſentit hoc carmine:* Cùm feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis. *Vel imitatione, vel metu iudiciorum tuorum inducti: Ius autem, ſiue iudicium quod Iſaias edi poſtulat, eſt, Vt peſſimi & ſcelerati homines, ſpeculatorem Deum, & facinorum ac ſceleris vindicẽ ſentiant: iuſti & pij eundẽ iniuriarũ ſuarum vltorẽ, ſalutis auctorẽ, manifeſtis exemplis agnoſcant: namq; aliàs diuinã vel patientiam vel clementiã ſcelerati diſſimulationem, vel negligentiam eſſe arbitrati, in flagitia & maleficia omnia præcipites currunt. Sit ſpes fallendi (dicebat ille) miſcebis ſacra prophanis: hoc eſt quod Vates à conſequenti incommodo argumentatus ſubiungit:*

Medeamur impio, & non diſcet iuſtitiam facere: in terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Dei. *Hebraicè ad verbum ſic habet:* Fiat gratia impio, non didicit iuſtitiam; in terra rectitudinum prauè aget, & non videbit altitudinem Domini.

Fvtvra *pro perpetuis, atque adeò pro diſciplinalibus verbis accepta, temporis ratione, vt aiũt dialectici, abſolui iam ſæpiùs docuimus* Pſal. *Os habẽt, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. & illud: Non hoc iocoſæ conueniet lyræ. Declarat Propheta improbos Dei patientia abuſos, non ſolùm à iuſtitia abalienari, ſed etiam in iis regionibus, quæ optimis & ſanctiſſi-*

ctiſſimis legibus vtuntur (qualis Iſraelitarum regio fuit, qualeſq; Chriſtianorum ditiones ſunt) ipſa iura inuertere, & ad ſuam libidinem vel interpretatione peruerſa, vel etiam contemptione legum deprauata ſententia omni in quodcumque ſcelus perrumpere, ſacra prophanis miſcere: non tantùm inter gentes & populos barbaros, atque à rectæ rationis vſu alienos: ſed in terra ſanctorum: hoc eſt, in terra ſanctis legibus inſtitutis inſtructa & ornata, in illa terra prauè agere ſolet, eo quòd non videt Dei altitudinem. Altitudinis nomine & exaltationis verbis vti ſolet Scriptura, cùm de regni & gubernationis ſublimitate agit. Videntur enim Reges altiori gradu & loco conſtituti vt inde mores hominum à ſe regendorum ſpeculentur, & bonos tueantur, & foueant: malos verò puniant, & vlciſcantur: vnde factum eſt, vt ſublimitatis ſiue altitudinis titulis principes ipſi homines ſalutentur, & appellentur vulgaribus ferè omnibus linguis Altezam & Maieſtatem Reges vocamus. Cùm igitur Deus manifeſtis iudiciorum exemplis iudicem Regem & gubernatorem ſeſe orbi terrarum probat; ſuam altitudinem veluti conſpiciendam oſtendere videtur: cùm verò ſceleratorum vltionem differt, aut clementer cum impiis agit, diſsimulans peccata hominum propter pœnitentiam: tum latere impiis videtur, atque adeò iis, quibus ipſius altitudo non apparet; ij namque præſentibus exemplis commoueri ſolent: præteritorum vel immemores, vel increduli, & futurorum minimè timidi, in hanc ſententiam ſub hac eadem tranſlatione Dauid canebat, Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga populorum circumdabit te: & propter hanc in altum regredere, Dominus iudicat populos. Tollere, inquit, in altum, & eminentem te oſtende iudiciis exercendis huius ſententiæ comprobandæ cauſa: videlicet, quòd Dominus iudicat populos. Huius etiam argumenti illud eſt, quod Paulus aduerſus Iudæos in terra rectitudinum prauè agentes ſcribebat: Exiſtimas autem hoc ô homo qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea: quod tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis; ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius, &c. Itaq; improbi ex diuina clementia & patientia licentiam peccandi ſibi ipſis in omni maleficio indulgent, & non videbunt gloriam Dei Domini miſericordiſſimi & clementiſſimi, quam ipſe exaltatus oſtendere in tempore ſolet. Poteſt hæc oratio cauſam ſignificare, ſiue rationem, quamobrem impij prauè agant, quia non videbunt, hoc eſt, videre ſoleant Dei iudicis exaltationem & ſublimitatem: poteſt etiam interrogationis formam obtinere. Nonne aliquando improbus huiuſmodi gloriã Dei videbit? Vt deſiderantis Prophetæ affectus exprimatur. Cùm verò ab iis qui diuinam iuſtitiam diligentiùs contemplantur, dici non poſſet, iudicia Dei in terris deſiderari, quippe quæ variis modis perpetuò exerceantur aduerſus impios: quorum alij in medio dierum ſuorum rapiuntur; alij ſubitis & repentinis caſibus obruuntur; alij in mari, antequam pœnitentia ducantur;

Pſal. 7.

*tur; alij prælijs pereunt, nonnulli etiam legibus per iudices puniuntur; quidam ſtudiorum ſuorum fine minimè obtento fruſtrantur: quæ omnia iuſto Dei iudicio euenire in confeſſo eſt iis qui ſacras literas nouerunt, vel de Deo, deq́ humanis rebus ſapienter ſentiunt. Tamen quia hæc vulgaria frequentia, & quotidiano vſu communia ſunt: minùs animaduertuntur aut obſeruantur à rudioribus atq́ à ſtultioribus qui ad naturam vel caſum, vel ab ipſis dictam fortunam huiuſmodi exempla referentes, interim dum rara, magna, atq́ excellentia non exiſtunt, huiuſmodi quotidianis parũ commoti, ſceleratam viam ab ipſis munitã atq́ initam progrediuntur. Quamobrem magno aliquo diuini iudicij, atque excellenti ac terribili exemplo vel iſtorum inſaniam & inſipientiam curari, vel ad extremum vſque malorum contendentem viuendi licentiam libertatemq́ præcidi optat.*

Domine exaltetur manus tua, vt non videant: videant, & confundentur zelantes populi, & ignis hoſtes tuos deuoret.

CLARIOR *nobis ex Hebraica lectione ad interpretandum ſententia fore videtur, quam tamen Latinus interpres optimè expreßit Latinè, ſi à ſcribis punctorum commoda adiectione inſtructam haberemus.* Domine exaltatam manum tuam non videbunt? Videbunt, & erubeſcent zelum populi, etiam ignis anguſtiatores tuos comedet eos. *Huius loci hæc nobis ſententia eſt: Vſque adeò proceſſerunt in inſania ſua, vt iudicia à te quotidie edita & exercita non videant. Quamobrem aliquo inſigni & ſingulari exemplo hi ad agnoſcendam iudiciorum tuorum virtutẽ adigi debent, qui ſi te extantem & exaltatum non conſpiciunt, & videre ſe negant; tamen manum tuam brachio ſublato exaltatam videbunt. vt ſi quis proceræ ſtaturæ ceteris omnibus eminens, tamen ab aliquibus non videri dicatur, cùm omnes exuperet; idem ſublata manu vel illis inuitis conſpiciendum ſe præbeat: huiuſmodi ſimilitudine à Vatibus diuina iudicia, & quæ frequenter exercentur, & rara etiam atque grauißima depinguntur. Semper enim Deus extat, ſeq́ aſpicere volentibus, iudicem conſpiciendum præbet; ſed cùm ab improbis ipſius prouidentia, voluntas, & iuſtitia negatur: ſublata demùm manu, atque maximo aliquo iudicij exemplo maieſtatem aſſerit ſuam. Sic enim apud Ægyptios actum eſt, qui multis iudiciis editis, cùm Deo vel non crederent initiò, vel obtemperare nollent, atque acceptas plagas aliter quàm expediret interpretarentur, demùm deſideratis totius terræ primogenitis, ac tandem ipſi in mare ſubmerſi, & pereuntes, ſeriùs iam agnoſcentes, tamen agnoſcentes & confeßi, Fugiamus, inquiunt, Iſraelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. & ibidẽ paulò antè: Indurauitq́ Dominus cor Pharaonis regis Ægypti; & perſecutus eſt filios Iſrael. At illi egreßi erant in manu excelſa, in manu excelſa maximo illo iudicio in eam exercito primogenitorum occiſionis. qui non contenti hoc exemplo, aliud etiam in ſe ipſis experti ſunt. ait enim Dominus ad Moſem: Extende manum tuam ſuper mare, reuertantur aquæ ad Ægyptios ſuper currus & equites eorum. Cumq́ extendiſſet Moſes manũ contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum, fugientibusq́ Ægyptis,*

Exodi 14.

*Ægyptiis, occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus. Reuerſæq́; ſunt aquæ, & operuerunt currus & equites vniuerſi exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreßi fuerant mare, neque vnus quidem ſuperfuit ex eis. Filij autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro à dextris & à ſiniſtris. Liberauitq́; Dominus in die illa Iſrael de manu Ægyptiorum, & viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris; & manum validam quam exercuerat Dominus contra eos.* Cuius rei commemorandæ cauſa cecinerunt: *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine. Dextera tua Domine percußit inimicum: & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos. Miſiſti irā tuam, quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam.* Iiſdem omnino verbis ſublatæ manus, deuorandi ſiue comedendi gloriæ, ſiue exaltationis, ignis, ſiue iræ inimicorum ſiue hoſtium, iiſdem inquam verbis vſus hoc loco Propheta, poſtulat ſimile iudicij exemplum maximum & grauißimum aliquod edi: quo ſe Deus piis atque in ſe credentibus & ſperantibus ſalutis auctorem, impiis verò improbis & ſceleratis atque maleficis vltorem aſſerat. Si, inquit, ô Domine manum tuā extuleris, nonne videbunt? videbunt profectò magnitudinem, ſublimitatem altitudinis ac maieſtatis tuæ, & confundentur, atque erubeſcent irrita inuidia quam aduerſus populum cōceperant, ſimilem illi quam Ægyptij aduerſus Iſraelem in manu tam valida, & certis indiciis exeuntem conceperant, dicentes: *Perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flauit autem ſpiritus tuus, & operuit eos mare; ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui. magnificus in ſanctitate, terribilis atq; laudabilis, faciens mirabilia: extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra.* Latinus interpres noſter omne hoc carmen in forma precationis vertit, idq́; rectißimè: conſtat enim Prophetæ ſententia ex illius verſione ſatis apertè. Nec plura poſſemus addere ad plenam loci huius explicationem: ſed vno verbo expoſito, vlteriùs pergemus. Ignis hoſtes tuos deuorabit. Ignis vltionem diuinam ſignificat, vt in ſacro apparatu oſtendebamus. cuius exemplum eſt: *Ignis accenſus eſt in Iacob: & ira Dei deſcendit ſuper Iſrael.* Hebraicè eſt ISARFICHA, quod ſignificat ex verbo, preſſores tuos, ſiue arctatores tuos: quod nomen Sacra lingua ad eos ſignificādos vſurpat, qui de diuina amplitudine, & maieſtate infinita, aliquid vel opinione, vel oratione, ſermone, doctrina, aut alio modo detrahūt, cuiuſmodi ſunt, qui prouidentiā negant, vt Epicurei, & alij: qui Deum neceſſariò ad mundi conſeruationē addictū eſſe dicunt; qui mundi auctorē eſſe inficiantur, qui iudicē eſſe nolūt. Iſtis enim & ſimilibus aſſertionibus infinitā illam amplitudinē in anguſtias cogere velle, videntur. Id quod Prophetæ cùm ferre & pati æquo animo nequeāt, deteſtati omnino vltione manifeſta, vindicari cupiunt, & precantur. Huius etiam verbi exemplum in hac ſententia manifeſtum illud eſt: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos.* hoc eſt, iis laudibus, quibus infantium ore prædicaris, redarguuntur nefarij atque

Exodi 15. | Exodi 15. | Pſal. 77. | Pſal. 7.

*impij illi, qui tuam amplitudinem in anguſtias cogere ſtudet. Frequens eſt in hac ſignificatione hoc verbum apud ſacros auctores, atq; vbi de prouidentiæ & iudicij quæſtione ſermo eſt, commodiſſimè inducitur. Quod verò diximus Hebraicè legi zelum populi in hanc ſententiam: Videbunt, & magna ſua erubeſcentia agnoſcent, &, velint nolint, confitebuntur Zelum tuum erga populum tuum, cuius vindicem, vltorem, & aſſertorem te oſtendis, & probas. quòd ſi zelatores, vt noſtra verſio habet, legamus; quid illud ſignificet iam expoſuimus. Quamquam verò certa ſalus per Vates omnes prænunciata erat à Deo, afferenda piis expectantibus: eaq; tamquam certiſſima ſperabatur, quæ fidem factura erat huic quæſtioni, de prouidentia Dei erga pios & improbos, illos ſeruandos, hos puniendos: id quod Euangelij virtute faciendum erat, tamen adhuc alia ſupererat quæſtio, quam Iſaias huic ſubiunctam voluit, atque tandem aperto Dei reſponſo expediendam curauit.*

Domine dabis pacem nobis, omnia enim operatus es nobis. *Hebraicè ſic legimus:* Domine adaptabis pacem nobis, omnia enim facta operatus es nobis.

Cyril. in Ioan. c. 10. & in hunc locum. & Pros.

AFFIRMAT *Propheta Dei promiſſa præſtanda eſſe populo pio atq; fideli: Dei, inquam, qui iuxta propoſitum ſuum allaturus erat pacem, hoc eſt, perfectam illam ſalutem per Chriſtum afferendam & efficiendam iis, qui in ſe ſperant: itaq; conſtituendam eſſe pacem, & perfectionem erga pios & fideles, atq; probos homines: quam quidem rem ſibi creditam & expectatam perinde certam ſibi eſſe Iſaias ait, quamuis futuram; atque cetera omnia Dei iudicia & beneficia iam præterita & exhibita, quæ futurorum argumentum firmiſſimum eſſe poſſunt. Omnia enim facta operatus es nobis; tam ea, quæ ad beneficium & vtilitatem atq; commoditatem, quàm quæ ad pœnam, animaduerſionem, & correptionem referuntur: omnia ex conſilio auctoritateq; prouidentiæ & efficientiæ tuæ profecta contigiſſe & accidiſſe nobis fatemur: ita vt nihil caſu, nihil non ex iudicij tui ſententia nobis eueniſſe affirmare poſſimus. tu piis, atq; tui cultoribus beneficia plurima quæ pollicitus eras, hactenus contuliſti: populo etiam tuo aliquando degeneranti, & negligenti, quæ minatus fueras, attuliſti incommoda. Itaq; probatus es multis experimentis & exemplis, & prouidens, & gubernator, & iudex integerrimus: quamobrem credimus firmiſſimè ſalutem & pacẽ illam à te promiſſam nobis per vnctum illum tuum afferendam. Sed quod ad illos attinet per quos pij & ſancti viri, qui in populo tuo cenſentur vexati, & exerciti ſunt, supereſt nobis inſtituenda diſputatio.*

Domine Deus noſter, poſſederunt nos Domini abſque te: tantùm in te recordemur nominis tui.

Cyril. in Ioh. 10.

Iacobi 1.

CVM *ſignificaſſet Propheta pacem per Chriſtum afferendam in ſe credentibus & ſperantibus, eamq; per Spiritum ſanctum confirmandam in ipſorum adhuc viuentiũ animis: vt in hac vita initium oſtenderetur creaturæ eius, atq; ita credentes, fruerentur illa perfecta pace ſpiritus quam nomen* SALOM *ſignificat. Quærit vlteriùs Propheta quid ſtatuendum & ſentiendum ſit de iis, qui ante Chriſti aduentum in populo Dei commemorati*

*uati fuerint: tamen hanc pacem non obtinuerint corpore, at animo in filios Dei renouati, vtpote nondum allatam: quia eo modo quo à Chriſto ſpiritus datus eſt, nondum erat datus, dum nondum eſſet Chriſtus glorificatus: quid etiam de iis, qui poſt editum pacis Euangelium, vehementer afflicti & vexati ſunt ab hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus variis modis, ita vt populus multus, antequam hanc pacem in ſe confirmatam ſentiret, oppreſſus occubuerit: hoc eſt quod ſignificare videtur Vates poſtulatione hac ad Deum miſericordem Iudicem & gubernatorem de integro inſtituta. Domine Deus noſter. At prius nomen illud arcanum eſt, quo Deus appellatur ad humanæ ſalutis rationem ſæpiſſimè relatum, vt in Apparatu ſacro indicabamus. Poſterius verò nomen illud plurale eſt, quo Deus gubernator, Iudex, & Princeps eſſe ſignificatur, pluralis numeri, non citra myſterium trinitatis appellari plerumque ſolitum. Domine, inquit Vates, miſericors iudex, & mundi gubernator optime: ſcis nobis dominatos fuiſſe dominos duros, viſibiles & inuiſibiles, qui nobis leges imponebant ab imperio tuo alienas atq; diuerſas: nos autem animo & mente à te non alienabamur; ſed nomen tuum illud arcanum ſalutis & ſeruatoris perpetuò recolentes, commemorabamus, te vnum ſalutis & pacis auctorem appellantes.* Ioan. 7.

Tantùm in te recordemur nominis tui. *Hebraicè eſt, Solummodo in te recordabimur, hoc eſt, Meminiſſe ſolemus nominis tui. Illius inquã nominis quod ſeruatorem, gubernatorem, & principem noſtrum te eſſe ſignificat, & tamen dura dominãtium ſeruitute opprimebamur, quemadmodum ij, qui apud Ægyptios quondam oppreſſi laborabant, recordati tamen nominis tui, viri, inquam, boni & pij, qui inter illos erant; ex quibus multi in captiuitate ipſa mortui ſunt: quidam liberati etiam fuere beneficio manifeſto tuo: alij etiam poſt liberationem obierunt, antequam in terram promiſſam deducerentur: vt Moſes, Aaron, & alij quamplurimi; ſic etiam nos ante Filij tui aduentum oppreſſi ab hoſtibus vtriſque, ſed magis exercitati & vexati ab inuiſibilibus: ſic poſteà non pauci vexabuntur. Itaq; diſputationem ſuſcipit Propheta eorum cauſa piorum, qui, vt Paulus exponit, diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem. quamobrem expolitione vſus Propheta, ſubiungit:* Heb. 11.

Morientes non viuant, gigantes non reſurgant: propterea viſitaſti & contriuiſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.

CVM *ſecundùm naturam fieri non poßit, vt mortui reuiuiſcant; aut qui occiſi occubuerunt, iterum excitentur, & extent: interim autem dum viuunt, nominis tui in te recordati, expectant ſalutem illam tuam à te afferendam. S. S. E. Putas ne mortuus homo rurſum viuet? cunctis diebus quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea. Quid igitur erit iis, qui interim dum nominis tui memores, expectabant ſalutem à te, in te credentes, mortui tamen ſunt, aut occiſi & præcipitati propter nominis tui confeßionem & profeßionem? numquid non illi reſurgent, non viuent miraculo à te edito: quamquam ſecundùm naturam extare non poßint, poſſunt tamen virtute tua. Ita hanc orationem admiratione, interrogatione,* Iob 14.

*atque diſputatione conſtare ratio ipſa docet, & indicat; quærit enim Vates & orat conſilium Dei de hac re, quæ digniſſima viſa eſt inquiſitione ad conſolandum eos, qui ante Chriſti aduentum in probatione etiam fide & ſpe fulti, diſtinerentur. Ideo autem viſitaſti eos tribulationibus & exiliis duris ad mortem vſque, & perdidiſti memoriam eorum, vt non fiat inter homines, atq; adeò in populo tuo horum mentio. Fuere enim multi, quorum vita, inſania ab hominibus æſtimata eſt, & finis illorum ſine honore eſt iudicatus: neque dignus habitus iudicio hominum, qui nominum ipſorum mentione facta recoleretur, etiam poſteris ipſis ex eorum familia propter ignominiam mortis & exitus. Id quod in pluribus propter Dei nomen occiſis, vel exulantibus; atque adeò in pluribus martyribus poſt Euangelium enunciatum vario & aſſiduo quodam exemplo conſtitit. Gigantes non reſurgant. Nomen Hebraicum* REPHAIM, *eos ſignificat, qui præcipiti quodam conſilio & ſe, & res publicas in præceps dedere, quos Latini interpretes Gigantes plerumque vocant. Significat etiam eos, qui in ipſo vitæ decurſu præcipitati ſunt; atque hæc ſignificatio frequens eſt apud Iob, Pſalterium, & Salomonis Prouerbia, & apud hunc Prophetam: in qua ſignificatione illud exponimus: & ignorauit quòd ibi ſint Gigantes: & in profundis inferni conuiuæ eius. & illud: Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cætu gigantum commorabitur. Ipſum namque orationis argumentum docet, non de proceræ ſtaturæ monſtroſis hominibus, ſed de iis, qui Gigantum inſtar præcipitati ſunt, ſermonem haberi: ideo nos explicandi cauſa nomen hoc in præcipitatos vertimus ad hanc ſignificationem Etymologia relata: oſtenditur etiam idem ex adiuncto verbo antitheſi figura obſeruata. Gigantes non reſurgent, ſiue vt ex verbo Hebraico verti poteſt, non ſtabunt. opponuntur enim, præcipitari; & ſtare. Huiuſmodi piorum multorũ exitum in hoc mundo fuiſſe Iſaias cùm iudicaſſet, oſtendit rurſus impiorum & improborum hominum interim proſperè auctas fuiſſe res.*

Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti? numquid glorificatus es? elongaſti omnes terminos terræ.

GENTIS *nomine alteram partem intelligimus, homines videlicet à populo Dei vel alienos, vel degenerantes: namq; hæc obſeruatio ſacros libros legentibus, plerumque conſtat, altera parte populi, altera verò gentis nominibus vocata: vnde gentiles dicebantur, qui olim à populo Iſraelitico, ac deinde à Chriſtiano, fide & ſtudiis ſeiuncti erant. Oſtendit itaq; Vates noſter quemadmodum cum gente atq; hominibus improbis ac perſæpè impiis actum ſit, cùm oſtendiſſet multorum ex populo Dei mortem & exitus vulgò ignominioſos habitos & obſcuros.* Indulſiſti genti Domine. *Verbum Hebraicum augere, & addere ſignificat. Miratur autem Iſaias atq; admirabundus repetit verbum,* indulſiſti, *ſiue, addidiſti: non ſemel, neque ſimpliciter, ſed ſæpè & multifariam auxiſti opes ac diuitias gentis populo tuo aduerſæ & inimicæ. Tu Domine, inquam, qui piorum ſalutis auctor es, atq; appellaris; atque in hoc agendo amplificatus es. ſic Hebraicè legimus ſine particula interrogationis, numquid, quam tamen ex ſententiæ obſeruatio-*

*uatione interpres noſter adiunxiſſe videtur. poteſt enim verbum Hebraicum interrogatiuè legi.* glorificatus es? *augendo, inquit, gentem glorificatuſne es tu Domine? ab illis, qui te non nouerunt, coluerunt, vel timuerũt. quis ergo fructus ex illa gentis amplificatione perceptus eſt? quòd ſi Hebraicum verbum citra interrogationem legere libeat: ſic exponenda oratio eſt:* glorificatus es; *ſiue, amplificatus es, hoc eſt, amplitudine magna vſus es, teq́ amplum oſtendiſti gente augenda, & cumulanda, atque propaganda: adeò vt illis capiendis, collocandis, & commoditate omni afficiendis terminos terræ omnes dilataueris, hoc eſt, quod dicit:* Elongaſti omnes terminos terræ. *Placet autem nobis verbum, glorificatus es, cum interprete noſtro per interrogationem legere. Oſtendit enim homines non ſolere gloriam & honorem Deo tribuere ob auctas ipſis opes & potentias mundanas, quas plerumque ipſi ſuis viribus & virtutibus atq́ artibus tribuunt. Gloriam verò Dei potiùs innoteſcere ſolere ex confeßione piorum, qui ſalutis diuinæ compotes fiunt ex Dei beneficio, & in regnum cælorum aſciſcuntur; atq́ ex punitione eorum qui à Deo abalienati fuerint: ſicut Deus ipſe inferiùs apud hunc Vatem declarat. Nunc conſurgam, dicit Dominus, nunc* Inf. 33. *exaltabor, nunc ſubleuabor. quam rem in ſacra illa precatione petenda, præceptor noſter docebat: Sanctificetur nomen tuum, aduenïat regnum tuum. Aduentu enim regni Dei ſanctificatur ipſius nomen, & voluntas eiuſdem ſicut in cælo, & in terra fit à ſanctificatis illius regni filiis. Hanc autem piorum erga Deum veluti querelam, pulcherrima & ſapientißima interpretatione & ſimilitudine mollit, & excuſat; vel potiùs etiam commendat Propheta, aſſerens non ex pietatis faſtidio profectam eſſe. videri quidem durum, minusq́ modeſtum poßet, quòd pij tam acriter & diligenter, tamq́ vehementer cum Deo agerent; déque iudiciis ipſius diſputarent, adductis exemplis proborum, qui variis modis vexati fuerint, partim & duris laboribus exerciti, partim etiam in exercitationibus mortui, aut præcipitati impiorum atq́ improborum hominum rebus, opibus, & potentiis, atque omnibus terrenis commodis auctis: & cetera etiam argumenta, quæ iam expoſita nobis ſunt, diſſererent. Itaque huiuſmodi reprehenſio à Propheta opportunißimè eſt occupata.*

Domine in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. *Hic verſus ex Hebraicis verbis ſic Latinè ſonabit.* Domine in anguſtia viſitauerunt te, effuderunt ſuſurrum caſtigatione tua ipſis.

BONAM *veniam expoſcit Vates, & boni conſuli vult huiuſmodi audaciorem querelam profectam à dolentibus & vexatis animis, quam ideo gratam potiùs quàm improbatam Deo fore credit, & intelligit: atq́ omnino dignam habendam cui commodo & benigno reſponſo ſatisfaciat.* Domine, *inquit Propheta, quòd hac de prouidentia iudiciisq́ tuis diſpenſatione inſtituta grauiùs cõquerantur & audaciùs: te etiã compellent res ipſæ, & occaſio in cauſa eſt: quippe non eſt mirandum, ſi quis in doloribus & laboribus vexatus, atq́ anxiè anguſteq́ preſſus clamet, voceſq́ edat vehementiores.*

*tiores. & interdum verba proferat duriora, propter doloris vehementem ſenſum, qui non patitur ſemper aut vocis ſonum, aut verborum tenorem eundem ſeruari: ij enim qui vehementer dolent, iam clamant, iam ſuſurrant, nunc oportunas; ſæpè etiam importunas, & minùs moderatas orationes pronunciant: quæ omnia dolori condonari ſolent. In anguſtia viſitauerunt te, rationem tui habuerunt in anguſtia: neque à te abalienati ſunt; imò potiùs te cogitantes, & animo verſantes appellauerunt; ipſáque appellatio, quamuis durior & importunior, manifeſtè probat, te ipſis in memoria ac mente eſſe, petiq́; ſolum ſalutarem & vindicem laborum & dolorum quibus vexantur, atq; adeò medicum. Optimè expoſuit interpres noſter, requiſierunt te.* In tribulatione murmuris doctrina tua eis. *In tribulatione orationis intra pectus conceptæ, & quamuis dimiſſa voce tamen vehemẽti ſtudio fuſæ. Interim dum tua doctrina eos exercebat, doctrina tua, in ablatiuo abſoluto legimus. Hebraicè verbum* MVZZAR, *quod caſtigationem vertimus, rém apertiùs exponit, caſtigatione tua ipſis præſente videlicet.* Effuderunt ſuſurrum; *orationem ſiue deprecationem affectibus magis quàm verbis abundantem: cuiuſmodi effundere ſolent ij, qui amaro animo ſunt, & interno dolore valde anguntur, nunc apertis & claris verbis atq; vocibus, nunc verò tacito ſuſurro agentes. S. S. E. Cùm eſſet Anna amaro ani-* 1. Sam.
*„ mo orauit ad Dominum, flens largiter, & votum vouit, dicens: Domine*
*„ exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus*
*„ mei fueris, neque oblitus ancillæ tuæ, dederisq́; ſeruæ tuæ ſexum virilẽ; da-*
*„ bo eum Domino omnibus diebus vitæ eius: nec nouacula aſcendet ſuper ca-*
*„ put eius. Factum eſt autem, cùm illa multiplicaret preces coram Domino,*
*„ vt Heli obſeruaret os eius. Porrò Anna loquebatur in corde ſuo, tantumq́;*
*„ labia illius mouebantur, & vox penitùs non audiebatur. Æſtimauit ergo*
*„ Heli temulentam, dixitq́; ei, Vſquequo ebria eris? digere pauliſper vinum*
*„ quo mades. Reſpondens Anna, Nequaquam, inquit, Domine mi, Nam*
*„ mulier infelix nimium ego ſum, vinumq́;, & omne quod inebriare poteſt,*
*„ non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini. Ne reputes an-*
*„ cillam tuam, quaſi vnam de filiabus Belial, quia ex multitudine doloris &*
*„ mæroris mei locuta ſum vſque in præſens. Huiuſmodi affectu profectam, atq; adeò expreſſam hanc à ſe relatam puram orationem & querimoniam, Iſaias eſſe ait. Eamdemq́; pietati & ſtudio erga Deum potiùs quàm acerbitati & temeritati aſcribi oportere aſſerit, idq́; appoſitiſſima ſimilitudine confirmat.*

Sicut quæ concepit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus à facie tua Domine.

HANC *querelam neque ex fidei, neq; ex pietatis aut amoris erga Deum defectu proficiſci, ait Propheta. Sed à conſtanti fide amoreq́; Dei ex dolore natam eſſe ait: non ſecus atq; feminæ accidere ſoleat, quæ, inſtanti iam concepti fœtus partu, doloribus internis atq; grauiſſimis vexata, clamare, eiulare, & perturbata etiam, variisq́; vocibus atque ſonis enunciata verba effundit, maritumq́; appellat ſuum, quem modò illorum dolorum cauſam eſſe inter-*

*interdum conqueritur; neq; ideo tamen minus amat, aut veneratur, quamquam clamet in doloribus ſuis.* Sic facti ſumus à facie tua Domine. *Sic nobis cogitationum grauiſſimarum conceptus hi ex conſideratione rerum à te effectarum, vel permiſſarum, ex obſeruatione & inquiſitione iudiciorum tuorum profecti, dolorem afferunt. quem ideo ad te referimus, vt leues, aut adimas, aut minuas à facie tua, auctoritate tua. Nihil enim eorum quæ in orbe fiunt aut caſu, aut præter tuam vel ſententiam, vel permiſſionem fieri credimus: ideoq; te Dominum miſericordemq; appellamus, atq; horum dolorum medicum poſcimus. Multa in hunc locum à commentatoribus, & aliis ſcriptoribus varia & ſubtiliſſima excogitantur: à nobis, quoad id præſtari poteſt, ſimplex obſeruatur verborum atq; rerum de quibus ſermo inſtitutus eſt, ratio. Addit autem Vates aliam etiam grauiſſimi doloris & perturbati huiuſmodi clamoris cauſam, diſcrimen videlicet inter cõceptus & partus feminæ, atque hoſpitij ſibi adſcribunt, quòd varius exitus alteros alteris mitiores minusq; graues reddat.*

Concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum: ſalutes non fecimus in terra: ideo non ceciderunt habitatores terræ.

MAGNVM *inquiunt diſcrimen eſt inter noſtram & parturientis feminæ conditionem: quòd femina, inſtante partu, dolet quidem & mæret, atque angitur: ſed vbi pepererit, lætatur maximè, quia natus eſt homo in mundum. Verùm nos, inquiunt pij, concepimus cogitationes has grauiſſimas, quibus iam nimium grauidi dolores accepimus & ſuſtinuimus vehementes: & cùm partũ certiſſimum, atq; ex animi ſententia nobis iamiam futurum exiſtimaremus; ſpiritum à nobis explodi intelleximus: quod genus morbi & laboris maximè accidere aliquando quibuſdam ſolet feminis, quæ, cùm vterum geſſerint, faſtidiaq; grauiſſima, & verè etiam prægnantibus grauiora ſuſtinuerint; tandem ventum eſſe id quod vtero incluſum eſt, peractis iam pariendi menſibus, ac doloribus hauſtis agnoſcunt: cuiuſmodi quàm miſerum ſit periculum, nemo, niſi qui ſubierit, ſatis æſtimare poſſit. Cùm nos ſperaremus iam iam futurum malorum in terra finem, ſalutem nobis eſſe afferendam, impios terræ ac terrenos homines, atq; inimicos noſtros à quibus vexamur, perdendos; tamen comperimus ſalutes illas, quas ſperabamus, non eſſe factas, neque terræ habitatores cecidiſſe. Hic verſus Hebraicè hanc expoſitionem apertiùs admittit. Sic enim habet ex verbo translatus: Concepimus, doluimus, tamquam peperimus ſpiritum.* Salutes non facta eſt terra, *& non ceciderunt habitatores orbis. Videbimur, inquiunt, nobis iam parturire, & viſi etiam ſumus parere, ſed ſpiritum quaſi peperimus, qui ipſa expoſitione nos vehementer vexauit, & tamen dolentes mæſtosq; reliquit, vtpote nondum compotes vtriuſque ſalutis nobis expectatæ; neque ſpectatores facti ruinæ habitatorum huius; confuſi & perturbati ſceleribus & flagitiis, iniuriisq; contaminati mundi.* Salutes non facta eſt terra. *Si ſic vertamus, vt vertere poſſumus conſtante linguæ ſanctæ grammatica ratione; myſterium continet oratio. terra enim hoc loco* ARES *appellatur, ex tranſlatione naturæ humanæ, quæ ſe-*

*cundùm vtramque ſui partem ſalutis promiſſa acceperat, vt vetus homo moreretur, & nouus reſurgeret, qui ſecundùm Deum creatus eſt in ſanctitate & veritate: atq; adeò terrena corporis membra mortificarentur ad peccatū, viuaq; redderentur ad ſeruiendū Deo viuenti. id verò efficiendum erat per Chriſtum ex eadē terra, hoc eſt, ex humana natura oriturū ſecundùm carnem; quod myſterium toto illo admirando celebratur Pſalmo, cuius verſus hi ſunt: Veritas de terra orta eſt: & iuſtitia de cælo proſpexit. Ete-*

Pſal.84.

,, *nim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum. Si verò interpretemur, vt etiam rectè verti poteſt, atque interpres noſter vertit,* Salutes non fecimus; *ſignificat ſalutes non eſſe allatas in terram; ſed hoc non eſt ex defectu voluntatis aut virtutis Dei, ſed ipſorum hominum qui non præſtiterunt ea, quæ ab ipſis, ad hanc ſalutem conſequendam, exiguntur. Qui enim fecit te ſine te (vt ait diuus Auguſtinus) non ſaluabit te ſine te. & vt Propheta aiebat, Iniquitates veſtræ declinauerunt*

Ierem.5.

,, *hæc: & peccata veſtra prohibuerunt à vobis bonum, & non ceciderunt ha-*
,, *bitatores terræ. Hebraicè eſt* THEBEL; *quod nomen orbis vel terræ vocabulis vertere ſolemus. Ponitur autem hoc loco nomine ſingulari, ſignificatione confuſionis ac perturbationis rerū, qualis in hoc mundo eſt, apud eos qui ex mundo ſunt: nam verbum propriè confundere, perturbare, miſcereq; ſignificat. Sunt autem in mundo phas & nephas permixta, atque omnia tumultuariè ac temerè tractata & perturbata per filios Adam: hos nondum corruiſſe, oratio hæc piorum teſtatur. Hactenus Prophetæ ſtudioſiſſima illa querimonia, diſputatio, & inquiſitio apud Deum inſtituta conſtat, quam à Deo ipſo expeditam, certiſſimoq; oraculo explicatam, continuò audiemus.*

Viuent mortui tui? interfecti mei reſurgent?

ORACVLO *certiſſimo reſpondit Vati noſtro Deus, quæſtionis præcedentis potiſſimùm argumentum eſſe, inquirere quidnam de iis eſſet credendum, & ſtatuendum: qui, dum fidem pietatemq; colerent, ante allatam ſibi illam publicam ſalutem mortui fuerint, aut occiſi, & non viderint ſalutes in terra, an reſurrecturi eſſent, an denuò victuri. Quod argumētum aperta interpretatione decreti conſilij beneficiiq; ſui Deus expedit: affirmans mortuos illos, qui pietatem & fidem vſque ad vitæ finem obſeruauerint reſurrecturos, & vnà cum aliis piis ſalutis communione coniungendos eſſe; tam eos qui naturali vitæ curſu defuncti, quàm eos qui propter diuini nominis gloriam & confeſſionem fuerint occiſi, & præcipites dati. Viuent mortui tui. ad Prophetam, ſiue ad Eccleſiam piorum refertur pronomen poſſeſſiuum, tui: & reſpondet oratio illi quæſtionis parti,* Morientes non viuent? interfecti mei reſurgent. *pronomen, mei, perſonā Dei reſpondentis indicat; aſſerentis eos, qui pro ſui nominis gloria occubuerūt, & ceciderunt ſurrecturos, rurſumq; ſtaturos eſſe: atq; ita reſpondet alteri interrogationis parti, Gigantes, ſiue præcipitati non ſurgent? namque hoc loco verbum* NEBALATHI, *quod, cadentes mei, verti poſſit, eadem ſignificatione cum* REPHAIM, *de quo paulo antè diſſerebamus, vtique viuent, & ſurgent, participesq; fient ſalutis meæ: hoc idem futurum confirmat ipſe*

*ſalutis,*

*ſalutis & vitæ auctor Chriſtus: Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Oportuna autem Apoſtrophe Deus ipſos pios, ad quos reſponſum hoc pertinet, allocutus, reſurrectionis futuræ ſpe confirmat; ſeq; illis iiſdem, quos alloquitur, perpetuò præſentem eſſe oſtendit.*

Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere.

MORTVOS *ipſos, quorum corpora in puluerem redacta ſunt, alloquitur Deus, tamquam dormientes excitans: ſomnus quippe eſt mors piorum apud Deum, qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt: & quoniam Deo ipſi omnia viuunt, omnia ſentiunt, omnia loquuntur; hos, quamquã in puluere habitantes & redactos, tamen euigilantes veluti è ſomno, carmen Deo viuificanti canere iubet plenum argumentis fidei & ſpei de reſurrectione futura, quam vſque adeò certam & expectatam Deus Eccleſiæ ſuæ eſſe vult; vt non ſolùm viuentibus, ſed ipſis piorum mortuorum cineribus canendam & celebrandam commendet. Quo genere argumentandi quidnam excogitari poſſit efficacius? Argumentatur hoc loco Deus à materia, condere potuit, & condidit; mundusq; ipſe qui non erat, ex nihilo ad hanc admirabilem rerum copiam traductus eſt; & ex non eſſe, ad eſſe, vt philoſophi loquuntur, eſt editus: quid obſtat, quo minus hominum corpora, quæ non in nihilum, neque in materiam primã, ſed in cineres, hoc eſt, in ipſam propriam & proximam materiam humanæ carnis redacta ſunt, rurſus componantur, & extent? Adam enim primus homo ex limo terræ, ſiue, vt Hebraicè legimus, ex puluere terræ factus formatusq; eſt: idem in puluerem ſuum reuerſus, iterum ab eodem artifice fingi, formariq; poteſt: artifice, inquam cognoſcente ipſius pulueris naturam, & ab alia terra ſeparare valente; qualis Deus eſt, qui pulueres ipſos ideo vocat, & compellat, quia nouit; ideoq; ait: Expergiſcimini, & laudate. Hebraicè eſt, canite. Sed verbum canendi,* RANAN, *ad publicam lætitiam & gratulationem ſemper refertur. Certam igitur reſurrectionis ſalutem promittit is auctor, qui eandem cantico, & publicæ lætitiæ vocibus ab ipſis mortuis expectatam celebrari vult.*

Qui habitatis in puluere. *Hebraicè, habitatores pulueris. Sed verbum, habitatores eſt,* SCHNEM, *quod commoratores, vertere cõmodè poſſumus: nam multa verba ſunt, pro quibus Latini reddunt, habitare. Sed quantum ex linguæ, atq; rerum obſeruatione adnotauimus,* SACHAN, *commorari, aut cohabitare ſignificat; non perpetuò manere, ſed ad certũ tempus rei gerendæ, adminiſtrandæ, aut aliàs aliquid agendi, vel ferendi cauſa: cuiuſmodi exempla illa ſunt, Nec valet imo conſiſtere pedibus ſuis. Heu mihi, quia* Prou 7.
*incolatus meus prolongatus eſt, & habitaui cum habitantibus Kedar. Nam* Pſal. 120.
*Kedar, Arabes ſunt, quorum domus nullibi perpetuæ habentur, ſed in tabernaculis habitant; quæ pro locorum atq; temporum commoditate aliò atq; aliò transferuntur. vnde tabernaculum Hebraicè* MISCHAN, *dicitur. Itaq; verbum ipſum Hebraicum indicat mortuorum non eſſe perpetuam in puluere habitationem, ſed commorationem dumtaxat. Dignum præterea annotatione duximus id, quòd, cùm hunc locum legeremus, Deo ſuggerẽte,*

 *acce-*

*accepimus (neque enim ingenio noſtro, aut præceptoris alicuius humani induſtriæ, ſed Deo ipſi auctori, accepta huiuſmodi beneficia, referemus) Inter multa nomina, quibus terra, cinis, & puluis Hebraicè vocatur, vnum eſſe* GHAPHAR, *quod eam terræ naturā ſignificat, quæ non omnino arida eſt, ſed lentorem aliquē continet, ſiue mollitiē quandā ſiligineam, farinæ ſimilē; ita vt manibus compreſſa cohæreat, & tenacibus elemētis, quos atomos quidam vocarunt, conſiſtat: ſiue is lentor, ſiue humor, pinguedo quædam craſſa & oleagina ſit; ſiue alia aliqua pinguedinis, vel tenacitatis natura. ex cognato autem huic verbo* GOPHARIH, *nomen deducitur, quod foßile genus omne ſignificat, & præcipuè ſulphur, cuius natura & vis in omni*
Vitru. lib. 5. *alio foßilium genere deprehenditur immixta. Legat Vitruuium architectum, quiſquis de vario terræ ſucco plura cognoſcere voluerit. Itaq;* GHAPHAR, *pro quo Latini interpretes puluerem & cinerem reddunt, lentam terram eſſe intelligimus, & tenacem, facileq́; ductilem; non exuſtam, neq; exuctam; neque omnino ſterilem, nullisq́; vſibus aptā; neque etiam arenam: hæc enim genera omnia ſua vocabula apud Hebræos ſortita ſunt. Poſſemus itaque non incommodè hoc terræ genus, de quo nunc agitur, argillam, Latinè vocare: eſt enim argilla ea, qua præcipuè figuli ad vaſa fingenda vtūtur,*
Iuu. Sat. 4. *vt ille dicebat: Argillam atq; rotam citiùs properate, ſed ex hoc Tempore iam Cæſar figuli tua caſtra ſequantur. Huiuſmodi nos vocabula cùm obſeruantes contemplamur, inter humanam, & aliarum animantium carnes magnum & admirandum diſcrimen facilè dignoſcimus. Cetera enim animalia omnia ex ipſa terræ multiplici permixtione, ſine vllo ſingulari delectu, ſponte producta ſolo Dei iubentis verbo extitiſſe, diuina ſapientia do-*
Gen. 1. *cet. S.S.E. Dixit quoque Deus, producat terra animam viuenten in ge-*
» *nere ſuo, iumenta & reptilia, & beſtias terræ, ſecundùm ſpecies ſuas. Factumq́; eſt ita, vt omnia alia animantium genera ex* ARETS, *hoc eſt, ex terra illa, variis ſuccis & partibus permixtis, conſtante, producerentur. Hoc diſcrimen carnium optimè ſibi notum, Apoſtolus indicabat. Non omnis, inquit, caro, eadem caro; ſed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia piſcium. Igitur, cùm animalia omnia corpore, ſecundū naturam, ex illa terræ confuſa permixtione conſtent: vbi per mortem diſſoluuntur in ſuam terram, hoc eſt, in illas multiplices partes abeunt. quæ cùm ſibi non conſentiant, iuxta naturæ vim ineptiora omnino redduntur, vt rurſus coeant; neque coire poſſunt, niſi miraculo: longè maiore, quam, miraculo, ex parte materiæ, quàm opus ſit ad inſtaurandum denuò humanum corpus ex parte materiæ. Namq; humana caro non cōſtat confuſa permixtione omniū partium terræ, ſed limo dumtaxat terræ; eodem electo per fictorem ipſum, atque artificem ſummum; ex argilla, inquam, optima: quæ, quamdiu cocta nōdum fuerit, etiam ſi diſſoluatur atq; diſſiliat, argilla tamen manet, & inſtaurari ac refici poteſt à figulo. Secùs eſt, vbi iam cocta ſemel fuerit: tunc enim ignis vi omni humore & ſucco exuſto atq; exucto, ſolidata, in lapidis naturam conuertitur; ita vt iterum in nullos vſus, præterquam arenæ, ſolui poßit. Vt verò in tranſlatione à ſacris auctoribus obſeruata perſiſtentes,*

rem

*rem hanc dilucidiùs exponamus, ipſa figulinæ artis ratio, nobis obſeruata,*
*ob oculos ponenda eſt. Argillam, non multo, ſed temperato aquæ humore*
*ſubactam, figuli præparant; eamq́; pro conſilij ſui ſententia, ad varios vſus,*
*in varias vaſorum formas fingere ſolent; atque primùm ſub dio vel aprico*
*exſiccare, antequam fornaci probanda & induranda committant. S.S.E.* Sap.15.
*Sed & figulus mollem terram premens, laborioſè fingit ad vſus noſtros.* “
*Solet autem, & poteſt figulus vas aliquando ruptum, minusq́; ſibi probatũ,* “
*vel aliàs pro animi cõſilio corruptum, ex eadem omnino argilla vel inſtau-*
*rare, vel refingere, vel in aliam formam reficere, cedente omnino artificis*
*voluntati & manibus materia, vtpote molli ac tenaci, minimeq́; reluctan-*
*te. S.S.E. Et deſcendi in domum figuli, & ecce ipſe faciebat è luto mani-* Ibidem.
*busq́; ſuis: conuerſusq́; fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis eius,* “
*vt faceret. Accidit verò nonnumquam, vt vaſorum pars ad vmbram, vel* “
*ſolem exſiccata, eo quòd, antequam excoquerentur, vitium fecerunt, rurſus*
*comminuta, in puluerem ſuum redigantur: quæ rurſus, humore addito,*
*exiguo brachiis & pedibus ſubacta, ſuam argilloſam naturam & facilita-*
*tem rurſus exhibent, ſeq́; ad fingenda denuò vaſa, facilem præbent. ex pul-*
*uere enim tenui, aqua ſubacto, argilla ipſa, ſiue lutum, ſiue limus vocetur,*
*adparari ſolet: ſicut de figulo ſcriptum eſt, In brachio ſuo formabit lutum,*
*& ante pedes ſuos curuabit virtutem ſuã. Ex hac igitur argillæ conficien-*
*dorum vaſorum ratione omnis hæc à Propheta ſuſcepta de reſurrectione*
*carnis diſputatio explicanda eſt. Principiò enim conſtat humanam carnem*
*ex argilla, ſiue limo terræ à ſapientiſſimo artifice Deo fictam & formatam*
*fuiſſe (hoc, quantum ad carnem ſpectat, exponimus; de cuius reſurrectione*
*agitur: namque ſpiritus immortalis eſt, de quo nunc non eſt ſermo) mortuo*
*autem homine, caro tamquam vas luteum vitiatum & corruptum exic-*
*catur, atq́; in puluerem redit, ex quo conſtabat, hoc eſt, in argillæ ſimilẽ na-*
*turam, tenacem, & ſequacem, atq́; ad reficiendum opus, quamquam corru-*
*ptum, facilem, habilem, atq́; ductilem: id quod diuino iudicio beneficióque*
*magno, Adæ prædictum indicatumq́; fuit: Donec reuertaris in terram,*
*de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Hebraicè,* Gen. 3.
CHI GHAPHAR ATHA VEEL GHAPHAR THASVB. *& illud etiam de-*
*cretum eſt, Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam. Igitur mo-* Pſal.145.
*riente homine, & corpore ſoluto, manet ſpiritus idem, qui non moritur, ſed*
*exit: manet eadem corporis materia, non varia & multiplex, ſed puluis ille*
*argilloſus terræ fæcundæ. Namq́; hac deſcriptione terra à nobis diſtingui-*
*tur, cum Hebraico verbo* ADAMAH *hoc nomen vertitur, virtus etiam &*
*ars artificis permanet, qui vel verbo mundum totum, quamuis diſſolutum,*
*quamuis in nihilum redactum, reficere, creare, & quidquid voluerit, effi-*
*cere poteſt. Verbum ipſum in quo omnia, & per quod omnia, & à quo om-*
*nia conſtant, manet, & permanet: promiſſum etiam Dei, de eadem hac re*
*apertiſſimum eſt. Nihil igitur obſtat quo minùs corporum reſurrectio fiat:*
*quandoquidem auctor, auctorisq́; voluntas, & ſapientia ſibi perpetuò ſi-*
*milis, eademq́; in æternum conſtat. Spiritus etiam manet, neque letum om-*

*nia finit; neque argilla in arenam, aut carbonem redit: ſed tantùm efficit, vt corpus in puluerem ſuum, non in alienum redeat. Supereſt itaque ſuus vnicuique corpori puluis, quamquam vas ipſum, hoc eſt, corpus corruptum ſit; tamen in puluere ſuo commoratur, & ſedet. Longè ergo facilis etiam ex parte materiæ reſurrectio conſtare poteſt, quàm creatio: ſiquidem creatio, ſiue formatio prima ſelectum ex terra puluerẽ illum, diuina ſapientia prouidente poſtulauit, certamq́; pulueris portionem ad humani corporis magnitudinem exegit, quam pro naturæ ratione notam & æſtimatam eſſe oportuit: vtrumque iam conſtat, neque noua ſeparatione aut menſura & pondere opus eſt. Si enim figulus corruptum & in puluerem redactum vas reficere velit, neque noua menſura indiget; ſed manente adhuc vrcei vel amphoræ puluere, vrceum vel amphoram pro animi ſui ſententia inſtaurat, tantumq́; humorem addit, qui ex ſiccato & comminuto iam puluere exhalatus fuerat, atq; humore addito, argillam rurſus ſubigit, & in vas pro arbitrio ſuo fingit. Manente itaq; eadem terra, artificis, hoc eſt, Dei, cõſilium erit, cùm ipſi placuerit, corpus rurſus inſtaurare, addito humore, hoc eſt, virtute, qua puluis iterum temperatus & coniunctus coeat, atq; in argillæ ſiue limi, ſiue luti, hoc eſt carnis naturam reficiatur, huiuſmodi virtutem à ſe addendam hoc loco pollicetur Deus.*

Quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.

V E R B I *ſui virtutem terræ illi ad reſurrectionem carnis infundendam rorem lucis eſſe dicit Deus. Eſt autem verbum Hebraicum, pro quo interpres noſter luces reddidit,* OROTH, *quod luces, nitores, atq; viriditates ſignificat, vnde nomen horæ, Græcis & Latinis factum arbitramur. Appellantur autem à Græcis horæ quatuor anni partes, quibus omnium quæ in terra gignuntur, natura perficitur. itaq; vt vitalem illum ſuum rorem, hoc eſt, Chriſti reſurrectionis auctoris virtutem ſignificaret Deus, Eccleſiam allocutus hoc verbum pronunciauit. Ros, inquit, tuus, qui in te infundetur, vt & mortuos ad vitam reuocet, eſt ros efficaciſſimus, lucis ros, cuiuſmodi in aurora decidere, atque herbis vim & nitorem addere ſolet: & vitam veluti areſcentibus reficere huiuſmodi rore lucis, ſiue auroræ, ſiue horarum anni, huiuſmodi, inquam, rore nitenti, & nitidiſſimas reddenti res, mortuorum pulueres imbuti reficientur in lucidam, & nitentem, & florentem atque virentem carnem. Inuenitur hoc nomen* OROTH *ſignificare viriditates & olera, atq; ita ab interprete noſtro redditum eſt: Egreſ-*
4. Reg. 4. *» ſus eſt vnus in agro, vt colligeret herbas agreſtes. agreſtes herbas intellexit, quæ nullo humano cultu iuuarentur, ſed horarum & cæli luce atq; influxu fouerentur. Itaque* ros tuus. *Huiuſmodi & cæleſtis, inquam, virius ad creandum, recreandum, & reficiendum efficaciſſima. Conſtat itaque ſententia ex interpretis noſtri verſione, modò à figulinæ artis tranſlatione non diſcedamus: eam namque Propheta apertè tenuiſſe videtur. In plurali autem numero* OROTH, *Hebraicè eſt: quod ſi lucem interpretemur, matutinam intelligere oportet, lucem ancipitem, illam lucem ſiue auroræ, cui etiam nomen ab* OROTH, *factum putamus tempus ipſum. Eſt enim illo tempore*

gemina

*gemina & anceps lux, creſcensq́; per momenta, donec ſol ſuper terram exortus fuerit, qui plenam lucem conſtituit. Hiſpani illud tempus,* entre dos aluas, *vocant. Sed ſi noſter interpres luces vertiſſet, longè obſcuriorē quàm ſingulari Latino lucis nomine reliquiſſet ſententiam. Lucem itaque ſiue aurorā ipſam, cùm ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt, ſiue nitorem & viriditatem exponamus, nobis ſumptam à Propheta tranſlationem obſeruantibus aperta ſententia conſtat, atque ratio etiam, quamobrem virtus illa verbi Dei, quæ communicata & infuſa terræ humanæ, carnis naturam reſtaurare poteſt ros, & non pluuia: vel imber, vel aqua appelletur, nimirum quòd argilloſa terra non multa aqua indiget, vt in maſſam ductilem, & fingendis vaſis aptam coaleſcat; ſed temperato humore, qualis ros eſt. Siquidem irrorare figulus magis quàm irrigare dicitur, cùm lutū, aqua & terra commixtum temperat, & conficit: atque ita lutum vdum veriùs quàm humidum dicitur à Latinis, vt à poëta: Vdum & molle lutum es, nunc nūc properādus, & acri Fingendus ſine fine rota. Vdum autē propriè dicitur id quod irroratum, non quod multa aqua imbutum, aut intinctum, & maceratum eſt. à rore enim, ſiue roris perſimili humore, vdæ efficiuntur res. atq; ita Latini loquuntur: Sic vbi fata vocāt vdis abiectus in herbis. Ita explicata ſatis nobis videtur hæc huius carminis tertia pars,* Ros lucis, ros tuus. *quarta autem illa,* Et terram Gigantū detrahes in ruinam; *ſic etiam ex Hebraicis verbis reddi poſſet:* Et terra interfectos, *ſiue,* præcipitatos proiiciet. *Cuius aperta ſatis ſententia eſt. Prædicit enim & promittit Deus fore, vt occiſi illi, qui pro nominis ſui gloria interfecti, & diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem, ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres; lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, nonnulli ignibus iniecti, alij beſtiis proiecti: hi omnes quacumque in terræ parte fuerint, à terra proiiciantur, & ſponte ſua ſeparante, horum puluerem in illo diuinæ virtutis rore animandum reſtituat. Atq. vt multarum rerum in cribro agitatarū homogenæ & ſimiles partes ſecernuntur, ita diuino verbo iuſſa & concuſſa terra Rephaim, hoc eſt, occiſos illos ex aliis ſuis partibus ſeiunctos remittat. Noſtri etiam interpretis verba non aliam ab hac ſignificationem reddunt, Detrahes in ruinam & ſeparationem ab aliis rebus terram Gigantum, hoc eſt, occiſorum. Quòd ſi, vt ſonare magis videtur oratio,* Gigantum terram, *hoc eſt, aduerſariorum Eccleſiæ regnum ab Eccleſia, in ruinam detrahendum, quis interpretetur, non contendemus. res enim ipſa certa fide conſtat, fore Eccleſiam victricem, & propulſatricem hoſtium ſuorum; maximè autem poſt reſurrectionem carnis. atque hoc quidem inferiùs apertè explicatur: verùm Hebraicorum verborum obſeruatio, nos Latinæ interpretationis ſimplicem ſententiam docet. Iam verò vlteriùs pergamus. Cùm reſurrectionis promiſſum hoc oraculo Deus confirmaſſet, atque eiuſdem efficiendæ rationem arcana oratione indicauiſſet, eodem eoſdem mortuos, qui ipſi tamen Deo viuunt, ad expectationem huius beneficij, atque patientem obſeruationem cohortatur, affirmans non ita longam*

Perſ. Sat. 3

Ouid. lib. 1. Epiſt.

Heb. 11.

*gam fore moram huius beneficij conferendi: atq; adeò ſi longum tempus hominibus videatur, non eſſe ei longum, qui promiſſorum ſuorum numquam obliuiſcitur, & qui mille annos vnius diei ſpacio æſtimat; maximè verò ſi id tempus illa quæ populum Dei manet, æternitate conferatur. ideoq; ſecuros iubet eſſe Deus pios, & in ſilentio atque ſpe promiſſorum ſuorum quietos perſeuerare.*

Vade populus meus, intra cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcōdere modicū ad momentū, donec pertranſeat indignatio.

TEMPVS *& oportunitas reſurrectionis mortuorum, atq; conſolationis & beneficiorum à ſe piis promiſſorum, hoc eſt, perfectæ illius beatitudinis, quæ poſt carnis reſurrectionem obtinenda eſt, hoc verſu ſignificatur populo Dei, cum admonitione obſeruantiæ, & cultus legis & præceptorum, totiusq; pietatis; idq; pulcherrimis orationis ornamentis enuntiatur.* Vade populе mi, intra in cubicula tua, *te ipſum ad te recipe, atque clamoribus & querelis parce, &* claude oſtia tua ſuper te *legibus & præceptis; atq; virtutum ſtudiis operam daturus, intra tuam vocationem, & priuatos parietes te contine: ne vageris in vanas cogitationes, atque vulgares improborum & ſtultorum hominum actiones. oportet te à vulgo longè lateq; remotum agere, tuasq; res & ſtudia tibi iniuncta curare,* abſcondere: *& perferre omnem afflictionem, & calamitatem, atq; difficultatem; quarum non vſque adeò longum tempus erit.* Ad modicum, ad momentum. *Hebraicè, tamquam parum momenti. Latere iubetur populus Dei in patientia & ſpe, vt Noë latuit in arca; vt Lot in ſpelunca: idq;* donec pertranſeat indignatio. *Atq; hac reſponſi parte docemur reſurrectionem mortuorum futuram poſt vltionem à Deo faciendā & dandam aduerſus improbos omnes; quam obſeruatio Solis ac Lunæ, bellorū impetus, & totius orbis concuſsio à Christo in Euangelio indicata, & prædicata præceſſura ſunt.* ZACHAM, *pro quo indignationē, interpres vertit, ſignificatione eſt, vultu, oculis, geſtu, habitu, & vocibus expreſſa: quod ex illius Prouerbij oratione obſeruauimus:* 

Prou. 25. *Ventus Aquilo diſsipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem. Facies triſtis, Hebraicè eſt, vultus.* NIZGHAMIM, *iracundiarum, ſiue, indignationum. Eſt enim hæc optima & expeditiſsima ratio detractorum & maledicentium licentiam cohibendi, graui videlicet & toruo vultu, atq; indignabundo oſtendere, eiuſmodi ſermones ingratos audienti eſſe. Erit, inquit, tempus, quo Deus ſe vindicem & vltorem iniuriarum omnium aduerſus terræ improbos publicè oſtendat, atque coruſco toto orbe, ſignum det futuri propediem iudicij. His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. hoc autem ſubiuncto verſu apertè exponitur.*

Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & reuelabit terra ſanguinē tuum, & non operiet vltrà interfectos tuos.

MVLTA *de exitu Domini de loco ſuo explicare poſſemus myſteria, quæ conſultò omittimus, lectorum faſtidium vitantes. Significat tamen oratio*

hæc

*hæc ſimpliciter ſedulam, diligentemq́; curam Dei in ſceleratis & crimino-ſis hominibus puniendis, iniuriiſque vlciſcendis, manifeſto atque publico exemplo eſſe oſtendendam: vtpote qui publicè prodíturus ſit, hoc eſt, re ipſa & euentu oſtenſurus, ſeſe præſentem eſſe, vt viſitet, & pœnas repetat iniquitatis, atque ſcelerum contra ius & æquitatem admiſſorum ab iis, qui habitant terram, terrenáque ſapiunt, agunt, & curant. contra eum, publicè & priuatè omnes & ſingulos ſceleratos puniendos eſſe, hoc orationis genus ſignificat. Poſtquam verò hæc iniuriarum vltio edita fuerit, tunc reſurrectio erit mortuorum,* Et reuelabit terra ſanguinem ſuum, *ſiue, vt Hebraicè eſt, ſanguines ſuos, hoc eſt, omnes iniuſtè propter veritatis & pietatis cultum, quocumque genere mortis affectos.* & non operiet vltrà interfectos ſuos, *quos in ſe continet ſepultos, vel alio modo conditos. Alludit hæc oratio ad illud: Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ* Gen. 4.
*aperuit os ſuum, vt ſuſciperet ſanguinem fratris tui de manu tua. Atq; hoc* "
*orationis membro tria illa ſuperiora exponuntur: Gigantes non reſurgunt, & interfecti mei reſurgent, & terram gigantum detrahes in ruinam: idem enim omnium horum argumentum nobis videtur. Atque ex his per Iſaiam redditis à Deo reſponſis, intelligimus apertè reſurrectionem totius orbis hominum futuram, diſpari tamen euentu: namque pÿ in reſurrectionem vitæ, improbi verò in reſurrectionem iudicÿ redituri ſignificantur. Atque hæc vltimo huius libri capite apertiùs exponuntur. Inuenimúſque hanc futuræ reſurrectionis diſtinctionem in ſacris libris duobus verbis obſeruatam,* KKIM, *&* HHAIAH, *hoc eſt, ſurgendi & viuendi: quorum al-* Dan. 12.
*terum commune eſt, ad omneſq́; homines reſurrecturos ſpectat: alterum verò ad pios tantùm pertinet, in vitam æternam ſurrecturos. Huc etiam illud referendum eſt quod apud Danielem legimus, Et multi de his qui in terræ puluere dormiunt, euigilabunt; alÿ in vitam æternam, alÿ in opprobrium, vt videant ſemper. Atque hanc diſtinctionem Chriſtus Dominus apud Ioannem apertè obſeruauit. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua* "
*omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filÿ Dei: & procedent,* "
*qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in re-* "
*ſurrectionem iudicÿ. Cum huius loci expoſitione & ſententia planè illud* "
*quadrat, quod à Ioanne Euangeliſta in Apocalypſi ſcriptum eſt: Et cùm* Apoc. 6.
*aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtus altare animas interfectorum pro-* "
*pter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant: & clamabant* "
*voce magna, dicentes: Vſquequo Domine ſanctus & verus non iudicas,* "
*& non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terram. & da-* "
*tæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc* "
*tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum, & fratres eorum, qui* "
*interficiendi ſicut illi, &c.* "

## CAPVT XXVII.

IN die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & & forti, ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum qui in mari eſt.

VARIAS *multorum ingeniorum expoſitiones admittere caput hoc videtur, vtpote totum tranſlationibus, allegoriis, atq; ſchematibus conſtans. Nos verò eam adhibebimus, quæ ſimplicitatem referat, atq; cum rebus & verbis conſentiat, & pugnæ atque contentionis minimum afferat. Afferendam omni orbi per Chriſtum ſalutem, piiſq; omnibus accipiendam in præcedētibus capitibus Propheta prædixerat, interieceratq; illam illuſtrem de reſurrectione diſputationem, tamquam digreſſionem quandam, opportuniſſimam tamen. Nunc verò Iſraëlitarum, hoc eſt, domus Iſrael ouium, quæ perierant, reſtitutionem ante extremum iudicium futuram, hoc loco promittit Vates, eamq; poſt magna & illuſtria ſigna expediendam eſſe ait: videlicet, poſt ſectarum omnium hereſeon, atq; errorum irrita & conuicta mendacia, diſiectum, inquam, imperium vanitatis à diabolo, mendacij parente, in mundo conſtitutum. Diem illam, hoc loco tempus lucis Euangelicæ interpretamur: atque illius temporis partem huic rei expediendæ oportunā, quam cum ceteris temporibus & momentis pater poſuit in ſua poteſtate.* Gladio duro, grandi, & forti. *maximè verbi Dei, id eſt, Euangelij virtutem nobis deſcriptam exiſtimamus, indicante Apoſtolo, qui gladium ſpiritus, verbum Dei eſſe ait. At verò duos illos Leuiathan, quorum alterum indicans Iſaias,* ſerpentem vectem, *alterum verò,* ſerpentem tortuoſum, *bina fallaciæ, fraudis, & mendaciorum capita ſignificare arbitramur: quorum alterum directum, perpetuum, & protenſum eſt; atque eodem ductu in extremas partes traiectum; alterum verò varium, ſubdolum, & vafrum, variis errorum ſpiris contortum. Eſt enim duplex virtutis hoſtis; alter, error, ſiue, mendacium apertum, quod contentione ſumma aduerſus verū fertur; alterum verò, quod ementita veri atq; recti ſpecie, vel diſſimulatione, vel dolo, & fraude, vel alio calliditatis & obliquitatis genere à vero deuiat, & diſſidet, multoſq; his artibus in fraudem allicit. Atq; apertè nobis videtur Iſaias ſignificaſſe duas illas factiones, quibus Euangelij veritas hoc tēpore impugnatur, & vndique impetitur. Alteram Iſmaelitarum, hoc eſt, eorum qui Machometi impietatem & perſuaſionem ſecuti, apertiſſimum bellum Euangelij & Chriſtiani nominis profeſſoribus faciunt, quos Leuiathan ſerpentem vectem ideoq; appellauit: quòd præter directum illum & conſtantem errorem, quo eos contenturos fore præuiderat, cognouerat etiam totum ferè orbem inuaſuros, & ab altero in alterum extremum, à Solis, inquam, ortu, ad occaſum vſque portenturos, vti vectis oſtium totum à poſte in poſtem extentum concludit. Eſt autem vox Hebraica, pro qua Latini interpretes vectem reddunt,* BERIAHH, *quæ & celeritatem, & fugam, & concluſiōnem ſignificat; ex quo fit vt in antiquis quibuſdam codicibus Hiſpanicè ſcriptis,* encerrador, *id eſt, incluſorem legamus. Mirum*

autem

*autem dictu eſt, quantum deſcriptio hæc cum Machometanorum pertinace doctrina conueniat: quæ & aperta fronte Chriſti virtutem diuinitatemq́ impugnat, & ab occaſu in ortum per totum orbem extenſa patet. Alteram verò factionem, quam Propheta nobis Leuiathan tortuoſi nomine indicare videtur, variam illam & multiplicem errorum & ſectarum diſcordiam, atque ad Catholicæ Eccleſiæ veritatem impugnandam, coniunctum, & veluti coniuratum conſenſum interpretamur; quæ, auctore Diabolo, atq; Antichriſti ſpiritu impulſore, Euangelij Chriſtiani ſimplicitatem variis modis perturbare, expugnare, atq; euertere ſtudent. hæc quòd varia, diuerſaq́ ſunt innumeris modis obliqua, iniqua, & inconſtantia, ſolumq́; hoc nomine, ſibi ſimilia & conſentanea, quòd ſerpens vnus omnia ſint: hoc eſt, vna fallacia, vnum incantamentum, vna calliditas, vna obſeruatio, vnum augurium, vna tentatio, & vna experientia, quæ omnia verbo* NAHHAS, *ſignificantur; ideo ab Iſaia tortuoſus ſerpens dicuntur. Quis enim vnam in tanta errorum & opinionum varietate, quanta apud hæreticos eſt, tantam conſtantiam & contentionē veritatis Eccleſiæ Catholicæ impugnationem cùm cognouerit, non hoc mendacij ſummum ſtudium,* ſerpentem tortuoſum *eſſe intelligatur; qui fallaciis paralogyſmis, deceptionibus, ſimulationibus, & ambagibus peruerſis, & obliquis interpretationibus contra Chriſtianam ſimplicitatem, venenato dente fertur. Indicat autem tempus quo hoc diuina prouidentia atq; virtute efficiendum eſt. cùm iam vtraque pars ad ſummum deuenerit magnitudinis: altera quidem ſecundùm extenſionem, altera ſecundùm obliquitatem, & ſpirarum tortuoſitatem: & quoniā præter has duas factiones Iſmaelitarum, à quibus Chriſti oppugnatur doctrina; & hæreticorum atque ſophiſtarum, à quibus inuertitur; non pauca etiam gentilitatis veſtigia in inſulis atq; remotis terrarum regionibus, adhuc ſuperſunt. Hæc etiam diuini verbi virtute euerſum iri Propheta declarat.* & occidet cœtum qui in mari eſt. *Res ipſa nobis nunc indicat gentilitatis illam vaniſſimam doctrinam, nunc vel in inſulis quibuſdam, vel in remotiſſimis regionibus, ad quas petēdas, nauigatione opus eſt, manere; vt in Sinarum regione in Indiis occidentalibus appellatis Americæ, & Nouæ Hiſpaniæ tractibus vaſtiſſimis; ex quibus diuino beneficio, iam errores illi depelli cœperunt, ac tandem omnino depellentur. Appellantur autē omnes huiuſmodi factiones errorum & violentiarum veritati & pietati puræ aduerſantium, dracones, colubri, ſerpentes & ceti, ex nomine Luciferi Serpentis, antiqui illius patris omnis erroris & mendacij, cuius imperium iſtis peruerſitatibus fulcitur. Deniq; quidquid contra Chriſti doctrinam ſanctam & puram eſt; quidquid à Chriſtiana veritate alienum eſt, id ſerpens, id Diabolus, id Draco, id Antichriſtus iure vocatur, cuius partes etiam obtinet homo ille peccati, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris* 2. Theſſ. 2.
*ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui, eum, cuius aduentus eſt ſecundùm operationem Satanæ.* "
*Quamobrem neque eos qui Machometum, neque qui Turcam, neque qui Arrium, & alios cùm antiquiores, tum recentiores hæreticos, vt, Martinos, Caluinos, Melancthones, & huiuſmodi farina*

 *rina*

*rinæ homines Antichriſtum eſſe dixerunt, à vero aberraſſe exiſtimamus, imò ſingulis libenter ſubſcribimus. Quippe, vt Apoſtolus ait, Sicut audi-*
Ioan.7. ,, *uiſtis quòd Antichriſtus venit, nunc Antichriſti multi facti ſunt. &,*
Idem:27. *Multi ſeductores exierunt in mundum. Qui non confitetur Ieſum Chri-*
,, *ſtum veniſſe in carnem, hic eſt ſeductor, & Antichriſtus. Magnum enim myſterium eſt in illa confeſſione Ieſum Chriſtum veniſſe in carnem; quod tamen multi non confitentur. His itaq; omnibus erroribus, mendaciis, vanitatibus, & fraudibus, his Satanæ potentiis deturbatis, oportunitas à Deo adducta, accedet miſericordiæ magnæ erga filios Iſrael exercendæ, quos à cæcitate, qua nunc laborare conſtat, ſanatos, ad lucem reducendos; atque ad verè Iſraelitarum ſpiritualium conſortium, & nomen adducendos, & Prophetæ, & Apoſtoli prædicantes, affirmauere. Atq; hanc vineam, quam huius libri initio repudiandam & deſerendam à ſe fore Deus prænunciarat, & deſertam, repudiatam, & incultam, poſt repulſum Christi Euangelium, ad hæc vſque tempora cognouimus, cùm venerit oportunitas à Deo ſignificata, rurſus eiuſdem Dei clementia & miſericordia, in hæreditatis partem & nomen aſciſcendam, atq; in Eccleſiæ Chriſtianæ communionem adoptandam, fouendam, amplificandam, & perficiendam.*

In die illa vinea meri cantabit ei.

VINEAM *Domini exercituum domum Iſrael, & plantationem delectationum eius virum Iuda eſſe, ſecundùm libri huius initium, Propheta declarauerat, quam cùm canendo reprehenderet, atq; deſerendam prædicaret, ob id repudiandam eſſe dicebat; quòd expectata vt faceret vuas, fecit labruſcas; expectata vt faceret iudicium & iuſtitiam, clamoris & iniuriæ criminibus abundare deprehenſa eſt. At verò eueniet, vt* in die illa, *Cùm*
Rom.11. *auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ, & veniet ex Sion qui arripiat*
& Inf.59. *& auertat impietatem à Iacob: tum contra cantetur, atq; celebretur* vinea meri. *Hebraicè eſt* HHEMER, *quod ex etymo, coctum, & factum, atque probatum, viribusq; præſtans vinum ſignificat, cui nullum ſimplex Latinum vocabulum cõmodiùs reſpondet, quàm merum. Sed hoc in laude, cùm de vino mentio ſit, apertè docemur ex Moſaici cantici verſu: Et ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum. Neque huic rationi aduerſatur quod in*
Pſal.74. *Pſalmo ſcriptum legimus: Quia calix in manu Domini vini meri plenus*
,, *mixto: & inclinauit ex hoc, in hoc: verumtamen fex eius non eſt exinani-*
,, *ta: bibent omnes peccatores terræ. Cuius verſus illa ſententia eſt: In manu Domini eſſe calicem plenum vini tum probatiſſimi, quale merum eſt, tum etiam deterioris & feculenti; ſed probatiſſimum vinum ſuperiùs eſſe, quæ natura fortioris & calidioris vini eſt: fæculẽtum inferius. feces autem infimè reſidere: atq; Deum propinatorem ſapientiſſimum eſſe, qui iis modis inclinare nouerit calicem, quibus velit; ita, vt quibuſdam merum vinum bibendum concedat, quibuſdam pro iudicij & conſilij ſui ſententia id quod deterius eſt, & feces etiam ſupereſſe, ex quibus bibant omnes peccatores terræ. Atque huiuſmodi carminis illius ſignificationem eſſe declarat initium ipſum; Hunc humiliat, & hunc exaltat. Itaque Iſaias hoc loco ſignificat pro*

*cantione*

*cantione illa, qua dicta eſt vinea Domini feciſſe* BEVSIM, *hoc eſt, improbandos & faſtidioſos fructus: quòd Latinus vertit Labruſcas.* In die illa, *rurſus de eadem eſt cantandum,* Vinea meri. *Cuius fructus grati & probati erunt Deo, atq; ad merum exprimendum, maturi & apti. opera itaque Iſraelitarum, atq; cultum omnem erga Deum gratum fore ait,* Cantabit ei. *vnuſquiſque canet illius vineæ cauſa. Hebraicè eſt, cantabunt. Cantores videlicet, & qui carmina condent. Eſt enim vnum ex verbis quæ ſine ſuppoſito in orationem admittuntur, vt dicunt, aiunt, ferunt. atq; totum carmen hoc compoſitum nobis videtur ex antithetis, ad illud alterum cãticum referendis. Illic dictum erat: Et nunc oſtendam vobis quid faciam vineæ* Iſaiæ 5. *meæ, auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriem eius,* " *& erit in conculcationem. Hic contrà ait Deus:*

Ego Dominus, qui ſeruo eam. *Hebraicè,* Ego Dominus ſeruans eã. E G O, *inquit, cuſtodio deinceps eam vt pupillam oculi, & ſub vmbra alarum mearum protego. Verbum, cuſtodiendi, ad vinearum ſtudioſos curatores commodè refertur. In illo cantico prædictum fuit: Et nubibus mandabo, ne pluuant ſuper eam imbrem. hic autem contra promittitur,*

Repente propinabo ei. *Illam irrigari curandam in ſeſe recipit Deus, atque gratiarum copia cumulandam à ſe eſſe promittit. Tranſlatio quæ ſapientiſſimè ſumpta à Propheta, verbis ipſis Hebraicis aperta eſt. Propinare enim, irrigare interpretamur, eandem tranſlationem ſiue metaphoram tenentes. Hebraicum verbum* SAKAH, *propriè, ſine vlla tranſlatione, irrigare ſignificat, frequentiſſimumq; eſt in argumentis ad ruſticam rem pertinentibus. vt, Fons aſcendebat de terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem* Gen. 2. *terræ. &, Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradi-* " *ſum. Per metaphoram autem vſurpatur, ad ſignificandum potare, aut propinare, vel inebriare: hoc eſt, cùm ad pecora, vel animalia, vel homines refertur. Nunc verò cùm in proprio argumento ſit, iuxta aſſumptam vineæ allegoriam, idem eſſe propinare, quod irrigare arbitramur; ſicut &, inebriare, apud hunc eundem Prophetam: Quomodo deſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram, &c. Eſt autẽ ſimplex Hebraicæ orationis verſio. Ad momenta irrigare faciam eam. Ad momenta, hoc eſt oportunis horis. eandemq; ſententiam nobis facit Latinus interpres, repente: hoc eſt, vbi opus fuerit irrigatione, repente propinabo ei. Atq; hæc quæ per allegoriam canuntur, ad ſimplicem ſignificationem referre facile eſt. irrigationis enim verbo diuina virtus vineæ communicanda ſignificatur. Dicit autem, irrigare faciam eam; & non dicit, pluere faciam. Dulcior enim effectus, & ſuauior irrigationis eſt, quàm pluuiæ. Irrigatio ipſas radices ſubit, & ſaturat, atq; hoc modo rami creſcũt, folia conferuntur, & nitent; fructus augentur. Pluuia verò moleſtior eſt, & ſi tenuior ſit, non adeò iuuat; ſin verò vehementior, folia corrumpit, ac deiicit, nitoremq; vineæ detrahit, & arboribus, atq; etiam ſatis. Ideo feliciſſimus omnium Ægypti ager, qui pluuias non accipit, Nili aquis irrigatur: & antequam Dominus pluere faceret ſuper terram, fons aſcendebat, & irrigabat*

*vniuerſam ſuperficiem terræ: & paradiſus voluptatis magno illo flumine, atq; admirabili irrigabatur. Singulari itaq; virtutis ſuæ dono vineam hãc vſuram Deus ait; quo dono aucta & fota vberes producat fructus, nitoremq; ſuum conſeruet, & folium eius non decidat: & omnia quæcumque*

Pſal. 1. ,, *faciet, proſperentur. Nunc autem miſerabilis vinea Iſraelitarum, ſecũdùm carnem, valde aliena eſt ab huiuſmodi felicitatis vſu, dum adhuc improbata manet; ſed cùm in gratiam fuerit recepta, tũc lætiſsima huiuſmodi carmen audiet, atque ab omnibus periculis, & beſtiarum incurſionibus, atque adeò ab inimicis ſpiritualibus, diuina tutela munita erit. hoc eſt quod ſubiũgitur:*

Ne fortè viſitetur contra eam, nocte & die ſeruo eam. *Hebraica oratio poteſt ſic ex verbo verti.* Ne fortè deſideret folia ſua, nocte & die ſeruabo eam.

VISITARE *non ſemel in ſacris Scripturis pro Latino deſiderare, vel, requirere vſurpatur. vt apud Iob, Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum. & apud hunc Prophetam, Viſitabo ſuper fructum magnifici Regis Aſſur. & in illo loco apertiſsimè, vbi nos legimus: Recordatusq; eſt Rex magi-* ,, *ſtri pincernarum. Hebraicum verbum eſt* PAKAD, *pro quo viſitare vertere ſolent interpretes. Hiſpanè dicitur echar menos alguna coſa. quod Latinè, deſiderare eſt. vt, Deſiderati ſunt in illo prælio ſexcenti ex Romanis militibus. Itaque quod in noſtra verſione legimus,* ne fortè viſitetur contra eam; *ex Hebraicorum verborum ſignificatione exponimus. Ne fortè viſitetur, hoc eſt, deſideretur aduerſus eam, ſiue, erga eam. Quid autem deſiderari poſſet, res ipſa indicat, folia, & pampini vt deſiderari in vineis magno imbre aliquo percuſsis, atq; ita cohæret cum ſuperiori hemiſtychio, Repentè propinabo ei, ſiue, Ad momenta irrigare faciam eam. Si legatur hæc oratio abſque punctis* הזיהקור עליה, *quid ſignificet, facilè intelligitur. Perpetuam autem hanc fore cuſtodiam, atque tutelam Dei erga vineam ſuam, carminis verba oſtendunt,* nocte & die ſeruo eam *ſiue,* ſeruabo eam *Poſſunt folia vineæ decidere duabus de cauſis, ex humoris defectu, vel, ex pluuiarum & venti impetu. vtramque cauſam remouit irrigationis promiſsio, atque omne punctũ felicitatis & proſperitatis tulit cuſtodiæ huius perpetuæ prædictio. Quamquam verò Iſraelitas Deus in reprobũ ſenſum datos propter incredulitatem & cæcitatem cordis repudiauerit, & abiecerit; non tamen accenſa ira & indignatione eſt proſecutus, neque miſericordiæ ſuæ vſu omnino priuauit, imò clementer potiùs tractauit: quippe quos, cùm poſſet, & meritò quidem poſſet penitus perdere, & de medio tollere, tamen conſeruauit; caſtigatos interim ob peccata, & repulſam Euangelio factam: verùm in gratiam recipiendos propter ſuam ipſius miſericordiam, & promiſſa patribus facta. qua de re multa apud ſacros Vates, atq; apud Apoſtolos legimus. Namque aliàs ſi Deus illis iratus eſſet vt diluuij ſeculo, atque Sodomorum genti iratus fuit, perniciem extremam iam attuliſſet: contrà, cùm hoc genus ſeruet, quamquam reprobatũ, quamquam multis laboribus, calamitatibus, miſeriis, & exiliis damnatum atq; affectum, tamen ſeruat, & conſeruat, apertè miſericordiam & clementiam ſeſe erga eos ſeruare oſtendit. Hanc*

adeò

*adeò rem apertè Ieremias declarauit, cùm Iſraeliticarum rerum caſum lamentaretur. Et dixi, periit finis meus & ſpes mea à Domino. Recordare* Thren 3.
*paupertatis & tranſgreßionis meæ abſynthij & fellis. Memoria memor* "
*ero, & tabeſcet in me anima mea: hæc recolens in corde meo, ideo ſperabo* "
*miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt mi-* "
*ſerationes eius. Noui diluculo multa eſt fides tua, &c. & paulo inferiùs:* "
*Quia non repellet in ſempiternum Dominus. Quia abiecit, & miſerebi-* "
*tur ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum, non enim humi-* "
*liauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum. Non humiliauit Deus Iſra-* "
*eliticum populum ex corde ſuo. non enim in has miſerias coniecit vltrò atque volens, ſed irritatus ipſorum ſceleribus: non ita tamen iratus, vt miſericordiæ non recordaretur. Huius ſententiæ verſus eſt ille, quem hîc apud Iſaiam legimus:*

Indignatio non eſt mihi: quis dabit mihi ſpinam & vepré in prœlio: gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter?

QVAMQVAM, *inquit, repuli vineam meam, & dereliqui hæreditatem meam: tamen non adeò magno proſecutus odio ſum, vt indignatus fuerim, atque adeò ira accenſus: aliàs ponite me indignatum, iraque accenſum aduerſus populum hunc in die belli, atque in pugnis & prælijs, quibus victi & captiui abducti ſunt: non ſecus profectò conficiendos & perdēdos, quàm carduos & ſpinas igne correptas, quæ penitus abſumūtur.* Sic ego tranſirem, & graderer ſuper hanc vineam, & ſuccenderem eam. *Namque ea facta eſt mihi ſilua ſpinoſa, atque leo in ſilua dedit contra me vocem ſuam, dicens: Nolumus hunc regnare ſuper nos. &, Tolle, tolle, crucifige eum. &, Non* "
*habemus Regem niſi Cæſarem. Ideo audiui eam: ſed tamen ſumma ira &* "
*indignatione non ſum eam proſecutus. Hæc nobis huius loci ſententia eſt,* Ierem. 12.
*quam ex re ipſa petitam, ex verbis etiam hîc aſtruemus.* Indignatio non eſt mihi. *Hebraicum verbum* HHAMA, *caloris ſignificationem ardentiſſimi propriè habet. vnde fit vt pro Sole caloris fonte ipſo vſurpetur. Inde etiam* HHOMAH, *murus dicitur, qui vrbem ambiens, fouet, & calfacit, atque tuetur. Sed ſæpißimè transfertur ad ſignificandam iram incenſißimam & ardentißimam; atque ab interprete noſtro, furor aliquando. vt, do-* Gen. 27. 45.
*nec quieſcat furor fratris tui: aliquando in indignationem & iram ſimul,* "
*vt, Timui enim indignationem & iram illius, qua aduerſum vos concita-* Deut. 9. 20.
*tus, delere vos voluit. Nonnumquam furorem. vt, Tum fortè trahentium* Deut. 32. 24.
*ſuper terram, atque ſerpentium. quidquid ſit, ad extenuantis ardentiſque iræ* "
*ſignificationem, hoc verbum vſurpatur. Atque ita Aſſuerum Regem nimio* Eſth. 1. 12.
*furore ſuccenſum, vertit interpres noſter ex hoc eodem verbo. Itaque hoc verbo vſus eſt Deus, quod incenſam iram ſignificat, ſpinarum & cardui etiam nomine ipſas vineæ plantas ſignificauit. vt, degeneraſſe in ſpinas, vel ſaltem totam viarum ſpinis refertam indicaret: tum, vt facilitatem incendij oſtēderet, ſi ipſe eſſet iræ igne accenſus, & ingreſſus vineam, in prælio, inueniret omnia ſpinis repleta. Sicut iiſdem verbis* SAMIR, & SAIIH. *Hanc eandem vineam replendam eſſe Deus ipſe apud hunc Vatem prædixe-*

rat.

Sup. 5. *rat: Et non putabitur, & non fodietur, & aſcendent vepres & ſpinæ. &*
Sup. 7. *alio loco etiam: Et erit in die illa omnis locus vbi fuerint mille vites, mille*
» *argenteis in ſpinas & vepres erunt. Atqui ſpinarum genus aptiſſimã igni*
Pſal. 117. *materiam eſſe, ipſo vſu conſtat. atque ita ſcriptum legimus, Exarſerũt ſicut*
Eccleſ. 7. *ignis in ſpinis. & alibi, Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla. ſic riſus*
» *ſtulti: ſed & hoc vanitas. Qua oratione ſignificatur, quòd, quamquam ma-*
*gnus ſpinarum ſtrepitus reſiſtere videatur igni; tamen nihil omnino reſi-*
*ſtit: breuiſſimo namque momento temporis exuruntur ſpinæ. Hanc tranſla-*
*tionem Dei verbis ſecutus Vates, ait: Quis dabit mihi, &c. Quis, in-*
*quit, dabit me indignatum & incenſum ira, ac deinde offendiſſe in prælio*
*ſpinam & veprem: vtique graderer ſuper eam, ſuccendam eam pariter. Pa-*
*riter, hoc eſt, breui momento omnino conſumerem eos, ſi indignabundus ad-*
*ortus eſſem. Quod verò Latinè legimus, gradiar ſuper eam, Hebraicè eſt*
ש *verbum* PASAHH, *cum puncto in ſiniſtro cornu: quod breuiſſimi tempo-*
*ris aut loci ſpatium, ſiue tranſcurſum ſignificat. id quod aliàs ſignificare vo-*
1. Reg. 20. *lens interpres noſter, vertit: Viuit Dñs, & viuit anima tua: quia vno*
*tantùm (vt ita dicã) gradu ego, morsq; diuidimur. quod Latinè legimus,*
*vno tantùm (vt ita dicam) gradu, paraphraſis eſt verbi* PASAGH. *Eſt enim*
*Hebraicè ſic: quia ſicut* PASAGH, *inter me, & inter mortem. Itaq; magna*
*conficiendæ exuſtionis celeritas hoc verbo ſignificatur, oſtenditurq; Deum*
*non eſſe ita indignatum aduerſus populũ illum, vt omnino perdi velit: ſed*
*caſtigari, abiici, laborareq; valde; conſeruari tamen clementer, tamquã mi-*
Rom. 11. *ſericordiæ patribus promiſſæ exercendæ materiam. Secundùm Euangelium*
» *quidem, inimici propter vos: ſecundùm electionem autem, chariſſimi pro-*
» *pter patres. Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei. Sicut enim*
» *aliquando & vos non credidiſtis Deo; nunc autem miſericordiam conſe-*
» *cuti eſtis propter incredulitatem illorum. Ita & iſti nunc non crediderunt*
» *in veſtram miſericordiam, & vt ipſi miſericordiam conſequantur. Con-*
*uerſi tandem ad Dominum patientem, clementem: qui multus eſt ad igno-*
*ſcendum, qui in multa patientia ferre ſolet vaſa iræ, apta in interitum, ne,*
*dum feret eos: quos non ita punire decreuit, vt perdat; ſed vt tandem, ad ſe*
*redeuntes, ſeruentur. Hanc rationem eſſe etiam Deus proſequitur, eãdem*
*dicendi figuram, eandemq; imaginem vineæ adhuc exornans.*

An potiùs tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?

*Patientiam Dei ſalutem arbitramini, dicebat D. Petrus. Eſt autem Dei patientia, miſericordia, & clementia, fortitudo, & præſidium magnum ipſius erga peccatores & miſeros: quo nixi hærent animi, & in ſpem ſalutis eriguntur. Declarauerat Deus ſe non ingreſſum fuiſſe vineam, ira accenſum, vt perderet omnino in prælio, & accenderet, & exureret; ſed tãquam fortem principem, qui conculcaret ſpinas, & ſarmenta etiam ipſa, ſterileſq; vites caſtigaret, & premeret: atq; ita ſe gerere erga vineam, vineæq; vites, vt non momento temporis omnia incendat, & vaſtet; ſed vt conterat, & conculcet; veluti ſi columna aliqua lapidea, vel trabes, per vineam erecta,*

*erecta, inferretur; atque ibidem ſiſteretur: premeret quidem ſtratas vites, ſed non omnino perderet. Quòd ſi aliquæ vites ſtantem columnã aut præterlatam apprehenderent, & clauiculis atq; palmitibus complexæ retinerẽt: fieret profectò, vt quæ iacuerant, erigerentur, & ſeruarentur; rurſuſq; in priſtinum, aut etiam meliorem ſtatum referrentur. Huiuſmodi conſilium ſibi eſſe Deus ait; qui fortis & firmus vineam ingreſſus fuerit, non vt perdat, ſed vt caſtiget primùm & puniat; ac tandem vt ſeruet, & in melius reſtituat plantas eas, quæ fortitudine ipſius vti voluerint, ipſamq; amplexæ fuerint; hoc eſt, eos qui, cognito Dei caſtigantis conſilio, rectè vſi paruerint, ſeſeque ipſi tradiderint ſupplices atq; forti, ac miſericordi adhæſerint. Duo verba ſunt quæ nobis metaphoram pariter indicant, & aperiunt: alterum eſt* HHAZAR, *quod firmitudinis & fortitudinis habet ſignificationem: ſed cùm conſtruitur Hebraicè, cum ablatiuo, firmiter adhærere, & inniti alicui rei ſignificat. vt in illis exemplis, Confortatus eſt autẽ Dauid in Domino Deo ſuo. & de Sapientia ſcribit Salomon, Lignum vitæ eſt apprehendentibus eam. Manifeſtè autem Salomon hoc verſu obfirmauit imaginem vitis alicui arbori maritatæ & adhærentis, vt ille canebat: Stratus humi palmes, viduas deſiderat vlmos. hanc eandem imaginem deſcribens Deus, ait: An potiùs tenebit fortitudinem meam? Hebraicè ad verbum, vel apprehendet, ſiue tenebit firmiter in fortitudine mea. ita vt ſit oratio non tam ambigentis, quàm optantis, & expectantis. Atq; ita quidam pro, An, hoc loco vertère, Vtinam: ſed rectiſſimè vertit interpres noſter. An potiùs eadem ſententia quæ à nobis explicatur. Quòd verò Latinè legimus*, fortitudinem meam. *Hebraicè eſt in* MAGHVZI. *Eſt autem* MAGHVZ *propriè quod Latinè dicere poſſumus, præſidium, fulcimen, robur, quo aliquid innixum fulcitur: atq; in agricultura, trabes, vel pali, vel arbores ſunt, quibus teneræ aut lentæ plantæ adhærentes, & fultæ conſtant, & creſcunt. Secundùm quam ſignificationem & metaphoram Pſaltes canebat: Dominus* MAGHVZ *vitæ meæ, à quo trepidabo. &* MAGHVZ, *ſimplicis via Domini, id eſt, firmitudo & præſidium, ſiue, fortitudo, vt Latinè legimus. Italicè Appogio dicitur. & illud: Eſto mihi in Deum protectorem. Hebraicè legimus, Eſto mihi in petram* MAGHVZ. *& additur, & in domũ refugij, vt ſaluum me facias. Tunc verò cùm me amplexa firmiter tenebit,* Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi? *geminatur oratio ad confirmationem ſententiæ, atque ad declarandam pacem illam hominibus à Deo gignendam admirabilem: non quomodo mundus dat; ſed pacem perfectã, omnibus numeris abſolutam. quam, qui non habuerit, deſcribere poteſt nemo. hæc, quoniam admirabilis pax eſt, geminato verbo indicari ſolet à Spiritu ſancto: Pacem meã do vobis, pacem meã relinquo vobis. Ex qua pace, quid conſecuturũ ſit, oſtenditur: nẽpe magna, fauſta, & proſpera tranquillitas, magna propagatio gentis in pietate creſcentis, & fructus vberrimos, & valdè probandos proferentis.*

[Margin notes: 1. Reg. 3. 6. — Prou. 3. — Iuuen. Sat. 8. — Pſal. 26. — Prou. 10. 20. — Pſal. 31. — Ioan. 14.]

Qui ingrediuntur cum impetu ad Iacob, florebit, & germinabit Iſrael, & implebunt faciem orbis ſemine.

ILLI, *qui poſteà venient ex radice Iacob illius humilis & profugi, atque exulis, propugnabuntur, non Iacob nomine, ſed Iſrael potentis cū Deo. Atq; fructus reddēt vberrimos & gratiſſimos, quibus orbis facies impleatur: hoc eſt, exemplis virtutum & pietatis, atq; diuinæ legis purè ac ſanctè excultæ. Cum impetu radicitus, ſiue ex radice repente pullulantes. hoc nobis hoc nomen ſignificat ex Hebraico Iacobi poſteritatem, breui tempore ex illa humilitate & ſeruitute, in qua nunc verſari videmus, eſſe traducēdam ad vſum vitæ lætioris: hoc eſt, ad pacem illam diuinam.* & tunc florebit, & germinabit Iſrael. *Operæprecium fuerit meminiſſe diſcriminis à nobis aliàs ſæpiùs indicati inter Iacob & Iſrael, quod perpetuò à ſacris auctoribus obſeruatur.* Implebit faciem orbis ſemine, *fructu & prouentu gratiſſimo. ſic interpretamur nomen ſeminis Latinum, hoc loco ex Hebraico,* THENVBAH, *his fructibus ab Iſraelitis ex Dei miſericordia olim reddendis, conſulentem Deum ipſum, & proſpicientem clementi caſtigatione, non excidione aduerſum illam gentem fuiſſe vſum, Propheta ait:*

Numquid iuxta plagam percutientis ſe percuſſit eum? aut ſicut occîdit interfectos eius, ſic occiſus eſt?

*Clariſſima erit huius carminis ſententia, ſi pronomen* ſe, *intelligatur referri ad populum ipſum Iſraeliticum, vt Hebraica indicat oratio,* percuſſoris eius. *Exiſtimatis, inquit, hunc populum eſſe percuſſum manu valida, & affectum tanta plaga, quantam is, à quo percuſſus eſt, facere poſſet?* aut ita occiſus eſt, *vt alij populi occiſi: & excidio ſummo affecti ſunt à Deo, ſicut Sodoma & Gomorra, ſicut Babylonicorum populus, ſicut Senacheribis exercitus, & complures alij populi; quorum non ſolùm res funditus euerſæ, ſed nomina etiam penitùs deleta ſunt. Non ſic percuſſus eſt Iſraelitarum populus, vt percuti poterat à Deo: ſed clementiā diuinam, eamq; maximam, erga ſe expertus eſt. Quòd ſi reciprocè legantur pronomina* ſe, *&* eius, *vt iis qui Hebraicè neſciunt, videbitur legendum; plana etiam eſt interpretatio, Iſraelem non eſſe occiſum iuxta ſæuitiam quam ipſe exercuit in Chriſtum Dominū Deum, & in ſanctos eius, quos interfecit. ſed quòd*
Cyrill. *minùs ita exponi debeant, res ipſa declarat. Quippe hic ſermo eſt de vniuerſo Iſraele, per totum terrarum orbem diſperſo, propter peccata & ſcelera admiſſa contra Dei legem: atque adhuc in captiuitate detento ob repulſum Euangelium, initiò illis enunciatum, ac tandem ad diuinam gratiam reuocando, propter promiſſiones Patribus factas. At verò Chriſtum non omnis Iſrael cruci affixum occidit, ſed Iudæa tantùm, atq; Ieroſolymitana ciuitas præcipuè, quæ occidere ſolet Prophetas, & lapidat eos, qui ad ſe miſſi ſunt. & non tantùm ob occiſum Chriſtum; ſed ob repulſum etiam Euangelium, cum cæteris Iſraelitarum familiis, in reprobum ſenſum dati ſunt. S.S.E.*
Act. 13. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & » indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes, ſic enim » præcepit nobis Dominus. Itaq; cùm hîc de ſalute totius Iſraelis agitur, in ſuperiori verſu explicatum eſt,* Florebit, & germinabit Iſrael: implebit faciem orbis ſemine. *Res ipſa indicat illud pronomen,* ſe, *ad Iſraelem: &*

*illud poſterius*, eius, *ad Deum eſſe referendum. Non inquit* hæc plaga quam accepit, *tanta eſt, quantam accipere poſſet ex vi eius à quo percuſſus eſt qui non occidit eos: ita vt cæteros occiſos ſuos, quorum nulla poſteritas ſuperſtes eſt. At verò ea quæ in Iſraelitis facta eſt caſtigatio, iuſtiſſima, ſed clementiſſima fuit; non quæ gentem illam exitio daret, ſed exilio tātùm, & repudio afficeret, atque reprobationis incommodis damnaret; certa, & conſtituta menſura, non cumulata, vel aucta. hoc eſt quod exponendo ſubiungit Propheta:*

In menſura contra menſuram cùm abiecta fuerit, iudicabis eam: meditata eſt in ſpiritu ſuo duro per diem æſtus.

LATINA *conſtructio impeditior expediri poſſe nobis videtur ex Hebraicæ orationis ſimplici verſione, quæ ſic habet:* In ſat ſato in mittendo eam, iurgabis eam: amouit in ſpiritu ſuo duro in die ſubſolani. *Femineum genus hoc loco vſurpatur, quod ad vineam refertur; cuius tranſlationem perpetuam, ſiue allegoriam adhuc teneri videmus. Ait autem non fuiſſe illam calamitatem vineæ allatam internecionem, ſiue perniciem aliquā pleniſſimam, & extremam: ſed obiurgationem, & caſtigationem clementiſſimam, & certis modis contentam atq; definitam: hos modos vt ſignificaret Vates, induxit nomen* menſuræ *notiſſimæ; quod antonomaticos pro certa menſura vſurpari ſolet: idq; nomen geminauit. Eſt autem nomen* ZZEAH, *quod Latini, ſatum, vertere ſolent: id geminatum ſonat* ZZAZZEAH. *ita nos* בסאסאה *compoſuimus. Sat ſatum, geminatum eſt autem, vt ſignificaret certam & menſuratam menſuram, non redundantem, ſed menſuram mēſuram: nam hoc eſt, parcam potiùs, quàm liberalem, & benignam. Sic noſter interpres idem hoc ſignificare volens, vertit menſuram contra menſuram, qua vſus eſt Deus in mittendo eam, hoc eſt, abiiciendo & repudiando vineam illam: non qui omnino damnaret exitio, ſed qui iudicaret, & obiurgaret. Namq; hoc ſignificat verbum* RIB *pro quo Latinè legimus, iudicare. cuius & exemplum eſt in Pſalmo: Iudica Domine nocentes me. Hebraicè, ad verbū. Iur- "ga Domine iurgantes me. Igitur Deus iudicabit, & iurgabit: non vaſtabit omnino vineam, cùm abiecta fuerit. quod etiam expoſitione declaratur.* Meditatus eſt in ſpiritu ſuo. *Cogitauit immittere illi flatum & ventum durum, & vehementem, attenuantemq; vires vineæ & exſiccantem, qualis ſubſolanus eſt, ſiue æſtiuus ventus. non immiſit fulgura & fulmina, non grandinem & procellas, quibus vineta omnino perdi ſolent, & vites* Horat. 1. Epiſt 4. *contundi: S. S. E. Et occidit in grandine vineas eorum. ſed vento forti, ve-* Pſal 77. *rùm calido; qualis flare ſolet in die Subſolani, ſiue æſtus, vt Latinè legimus. eius vi marceſcunt, & attenuantur, mordenturq; fructus: ita vt inutiles reddantur. Hæc enim Subſolani, ſiue æſtiui venti vis eſt. S. S. E. hoc eodem verbo ter in eadē lectione vſurpato. Et ſeptem ſpicæ tenues, & vento vren-* Gen. 14 *te percuſſæ. Septem anni venturi ſunt famis. Atq; ita Latinus Poeta dixit:* " *Non quia grando Contuderit vites, oleamq; momorderit æſtus. & alio loco. Non verberatæ grandine vineæ. Non igitur tam lædit Subſolanus, quàm grando & procella: quamquam enim attenuet, & fructui ferendo inutilem*

 *reddat:*

*reddat, non tamen integra pernicie afficit: ſic Iſraelitæ, Dei obiurgãtis ſpiritu percuſſi, abiecti, repudiati, & remoti, ſteriles effecti ſunt: nec fructum ferunt Deo gratum, aut probatum. Hanc eandem ſententiam & interpretationem ſub eadem tranſlatione aduerſus Iſraelitas ſumptam, apud alios*
Ierem.18. *Prophetas legimus. Qui oblitus eſt mei populus meus, fruſtra libantes, &*
» *impingentes in viis ſuis, in ſemitis ſeculi; vt ambularent per eas in itinere*
» *non trito: vt fieret terra eorum in deſolationem, & in ſibilũ ſempiternum.*
» *Omnis qui viderit eam, obſtupeſcet, & mouebit caput ſuum. Sicut ventus*
» *vrens diſpergam eos coram inimico: dorſum, & non faciem oſtendam eis*
Ezech.19. *in die perditionis eorum. & apud Ezechielem: Mater tua quaſi vinea in*
» *ſanguine tuo ſuper aquam plantata eſt: fructus eius, & frondes eius creue-*
» *runt ex aquis multis. Et factæ ſunt ei virgæ ſolidæ in ſceptra dominãtium,*
» *& exaltata eſt ſtatura eius inter frondes, & vidit altitudinẽ ſuam in mul-*
» *titudine palmitum ſuorum: & euulſa eſt in ira, in terramq́ue proiecta, &*
» *ventus vrens ſiccauit fructum eius: marcuerunt, & arefactæ ſunt virgæ*
» *roboris eius. Eadem trium horum Prophetarum ſententia eſt: quæ nõ euulſam, non omnino vaſtatam, & funditus euerſam vineam; ſed arefactam, caſtigatam, attenuatamq́ue ſignificat, relictis tamen radicibus ex quibus reſtituendam ſperare Deus iuſſit. Atqui finem hunc caſtigationis aduerſus Iſraelitas edendæ, initiumq́ue gratiæ, poſteà afferendæ, certis modis & notis Iſaias indicat diutiùs aliquanto expectandum.*

Iccirco ſuper hoc dimittetur iniquitas domui Iacob: & iſte omnis fructus vt auferatur peccatum eius.

IAM *ſæpiſſimè docuimus quid diſcriminis ſit inter nomina Iacob, & Iſrael, quæ cùm ad eundem virum, ad eundemq́ue populum referantur, diuerſam tamen conditionem indicant: Iſraelis nomen dignitatemq́ue & amplitudinem à Deo acceptam commemorat: Iacob verò humilitatem, ac tenuitatem propriã. Atq́ue Iſraelitarũ populus poſt quã à Deo abiectus eſt, ad ſuam illam tenuitatem, & obſcuritatem rediit: quam, dum fugeret Eſau fratrem ſuum, obtinebat: imò ad inferiorem multo gradum, vtpote à Deo eiectus. Sed poſtquam rurſum in gratiam fuerit receptus, ex Iacob ad Iſraelem, multo illuſtriorem etiam quàm anteà, redibit. Dixerat autem Propheta non eſſe hanc abſolutam, & plenam internecionem & perniciem illi populo afferendam, ſed clementem caſtigationem, qua tandem correptum in gratiam recipiendum fore affirmat. Nunc verò & eam eſſe cauſam quamobrem caſtigandum prædixerit, confirmat: & quatenus illa correptio duratura ſit, exponit: iccirco ſuper* hoc, *Hebraicè,* in hoc. *hoc pacto, hoc iudicio caſtigationis ſubito, & perlato dimittetur iniquitas domui Iacob. In Latina interpretatione additum eſt* domui, *vt ſignificaretur, non agi de illo Iacob patre antiquo, ſed de populo ipſo Iacobitarum. Aliàs enim neque Hebraicè, neque Græcè, neque Chaldaicè legitur hoc nomen* domui. *Itaq́ue populo, & domui Iacob dimittetur iniquitas, expiabiturq́ue peccatum in hoc, & iſte erit omnis fructus correctionis & caſtigationis, non vt perdatur, omninoq́ue deleatur nomen eius de terra: ſed vt auferatur peccatum eius. id*

*autem quando tandem futurum eſſet, indicauit ſubiuncto hemiſtychio.*

Cùm poſuerit omnes lapides altaris ſicut lapides cineris alliſos, non ſtabunt luci & delubra.

QVANDO, *inquit, tantum temporis tranſactum fuerit, vt altaria, quibus vanorum ſimulacra deorum colebantur, aut Diis, non Deo ſacrificabatur, redacta fuerint in cineres, & fruſta, tamquam lapides calcis: nam cineris lapis, Latinè calx dicitur. Scimus autem longo æuo, & ſæculorũ curriculis & lapides in terram atq; cinerem, ſiue calcem conuerti exuſtos à ſole, & omni natiuo ſucco exucto, vel ventis exeſos, vel pluuiis, aut ſalſuginoſo, ſiue nitroſo humore vitiatos: ſcimus etiam multa, quæ mollia erant, aut minus dura, in lapidem dureſcere. Vtriuſque generis multa exempla peregrinantes vidimus, multaq; in noſtram bibliothecam comportata habemus. Tantum longa valet rerum mutare vetuſtas.* Sicut lapides cineris alliſos. *Hebraicum verbum, comminutos ſignificat, Latinus interpres bene vertit,* alliſos, *ex alliſione enim comminutio ſignificatur: cetera etiam omnia vani cultus loca & munimẽta diruenda ac delenda fore ait, antequam iſta abiectiſſima conditio, qua nunc Iſraelitæ, à Deo repudiati, laborant, exuatur, in melioremq; illam promiſſam mutetur.* Non ſtabunt luci ac delubra, *nullumq; veſtigium maneat lucorum Diis illis vaniſſimis conſecratorum. Quòd verò* delubra *Latinè legimus ex ipſo Hebraico nomine* HHAMMANIM, *exponendum eſt. Significat autem nomen ipſum aprica & calida loca, videlicet, Diis conſecrata, quæ tamquam porticus ante Deorum phana conſtruebãtur, vbi ſol tepidus exciperetur: quemadmodum enim per æſtum* luci *à colentibus petebantur, vmbræ, refrigerationis, & amœnitatis cauſa; ita etiã per frigus* Sol *in porticibus excipiatur: frequens autem vſus huiuſmodi apricorum locorum apud antiquos fuit, atque veſtibula, atq; porticus ad hunc vſum conſtruebantur, præterquam quòd etiã ornamento ipſis ædibus ac phanis erant. Quemadmodum verò hoc futurũ ſit, vt omnia illa vani cultus monumenta deleantur, exponit Propheta.*

Ciuitas enim munita deſolata erit, ſpecioſa relinquetur & dimittetur quaſi deſertum: ibi paſcetur vitulus, & ibi accubabit, & conſumet ſummitates eius.

ILLIVS *miſeriæ, in qua Iſraelitæ à Deo repudiati verſantur, finem & modum futurum, poſtquam omnia illa vani & nefarij cultus monumenta euerſa, deleta omninoq; de medio ſublata fuerint, Iſaias dixerat. Ea autem monumenta vrbibus Iſraelitarum, & Iudæorum bello vaſtatis & dirutis, longaq; vetuſtate horreſcentibus, delenda eſſe ait: tantam quippe mutationem rerum præuiderat, vt futurum diceret id quod iam hoc tempore, atque ante multos etiam annos compertum eſt: vt vrbes, quæ olim munitiſſimæ fuerant, Samaria, & aliæ in ſingulis tribubus, & Ieroſolyma, in tribu Iudæ, poſt vaſtationem à Tito primùm, deinde ab Adriano allatam, deſolatæ & incultæ iacerent. Atq; in illis ea, quæ præcipua haberentur ædificia, vt palatia, phana, ædeſq; variis dedicatæ diis, deſererentur, & relinquerentur quaſi deſertum: adeoq; ſolo æquarentur omnia, vt vitulis paſcituris, &*

*pratum & cubile præberent: namque armenta planum locum ad paſcendum amant, maximè autem vituli; qui non ita delectantur aſperis locis, neque commodè inter lapides cubant. Plana ergo, & ſolo æquata, tandem fore ... ſpecioſa illa omnia ædificia, in quibus vituli paſcantur, & cubent tamquam in pratis: adeò vt non ſolùm infimos arbuſtorum ſtolones, ſed ſummos etiam ramos à terra contingere, atq; depaſcere poßit vitulus: ita fiet, vt ſolo æquatis ſpecioſis illis ædificiis, nullum ſuperſtitionis illius veſtigium ſit*
Thren. 1. *reliquum.* Deſolata erit. *Idem verbum quo Ieremias vtitur in Lamentationibus: Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo. At qui hæc huius orationis ſimplex ſententia eſt, quæ per allegoriam illud ſignificat: fore hunc Iſraeliticæ miſeriæ finem, vbi iam tantum laboris exantlatum ſit, vt præterita ſtudia vanitatis illius omnino conſumpta & ſummota fuerint, atq; adeò compertũ illis, exploratumq; ſit vmbras illas veteris legis otioſas iamdiu eſſe, nihil neque prodeſſe ad ſalutem illam à Vatibus quondam prænunciatam, atq; à Patribus petitam, & peroptatam. Hanc arcanam ſignificationem nobis verbum illud, ſummitates eius, indicauit, quod Hebraicè eſt,* ZZEGHAPHIM; *ſignificatq; prominentiam omnem, tam arborum, quàm rupium, atq; ædificiorum etiam, vt multis exemplis obſeruauimus. atque etiam per tranſlationem, ad arduas cogitationes, & ſuperbas, ambitioſasq;*
Pſal. 118. *actiones indicandas, vſurpatur. vt apud Pſaltem: Iniquos odio habui. Hebraicum verbum hoc* ZZEGHARHIM *legimus; vanosq; homines intelligimus, qui inania captant, qualia in hoc mundo captari ſolent. Atque eandem adhuc tranſlationem perſecutus Propheta, deſcribit locum in quem Iſraeliticæ res tum terrenæ, tum verò maximè ſpirituales deuenturæ erant propter ipſorum ignorantiam & cæcitatem.*

In ſiccitate meſſes illius conterentur: mulieres venientes, & docentes eas. Non eſt enim populus ſapiens, propterea non miſerebitur eius, qui fecit eum: & qui formauit eum, non parcet ei.

*Tranſlationem, ſiue metaphoram in primis tenere ſemper oportet. qua cognita, facilè ratio illa obtinetur, quæ arcanè ſignificatur. vt verò metaphoram ſuis coloribus contemplemur, Hebraica verba ſimpliciter ſunt nobis vertenda.* In ſiccari amputatio eius frangetur: mulieres venientes flammantes, ſiue illuminantes eam: quia non populus prudentiarum ipſe: ideo non miſerebitur eum factor eius: & plaſmator, ſiue formator eius non gratia afficiet eum. *Vix poſſunt Latina verba, etiam per ambages vſurpata, Hebraicorum ſimplicitatem referre. Igitur in tranſlatione perſiſtens Vates, ait, primùm à Deo deiectam adeoq; vaſtatã fore vineam, vt altiſsimas propagines vitium in ipſa creſcentium, vituli à terra contingentes conſumant, & palmites atq; ſarmenta exciſa & amputata, mulieres venientes incendant ad furnorũ, lixiuiæ, atq; alios vſus, ad quos vinearum ſarmenta colliguntur, & incenduntur. Rationem poſt hæc ſubiungit Vates, quamobrem ita derelinquendus, & in eam abiectionem redigendus populus ille ſit, qui vineæ nomine ſignificatur: ſummam itaq; ſtultitiam, prudentiæq; defectum. Vt enim pater, quamquam filium amet, atq; à paterna diſci-*

*diſciplina degenerantem ac deſciſcentem, ſanandum reuocandumq́ curet diligentiſſimè; tamen cùm prorſus inſanire, ac fatuum reddi videt, abiici omnino & ligari, atq; domo abduci, in vinculaq́ detrudi, percuti, cædi, verberari patitur: idq́ etiam ipſe iam non miſertus fieri iubet, ſi fortaſſis hac ratione ad ſanitatem reduci contingat. Sic Deus, quamquã hunc populum ipſe ſibi præter ceteras nationes delectum creauerit in populum, & legibus inſtruxerit, moribus ornauerit, beneficiis plurimis auxerit & amplificauerit; tamen ob ſuperſtitionem, incredulitatem, & ſcelera, ac demum ob repulſam Euangelio allatam hæredemq́ è vinea eiectum, ita hoſtium voluntati, temporum locorumq́ incommoditati, denique cæcitati tradi permiſit, vt reprobatum ſibi atq; abiectum & repudiatum oſtenderet, eo quem ſæpe retulimus modo. Hæc tranſlationis explicatio ſumma eſt: quæ illud arcanè ſignificat, in eas ignorationis & ſtupiditatis tenebras Iudæorum populum caſurum, vt mulierum teſtimoniis & monitis doceri, atq; inſtrui opus ſit. Id quod poſt Chriſti Ieſu reſurrectionem eueniſſe, Euangeliſtæ ſcribunt: cùm feminarum illarum ſanctarum opera & ſedulitate factum eſt, vt illa Chriſti reſurgentis gloria primum publicaretur, atque non ad Apoſtolos tantùm, ſed ad omnem Iudæorum, Ieroſolymis agentium populum, illa fama propagaretur. hoc eſt quod dicit.* In ſiccitate meſſis illius, *areſcentibus ramis amputatis populi illius.* Mulieres venientes & docentes eam. docentes eam, *ad arcanam ſignificationem reſpexit Latinus interpres. namque Hebraicè verbum eſt* MEIROTH, *à verbo* VR, *quod luminis, flammæ, & aquis permixtam ſignificationem habet apud Nehemiam. Eduxiſti eos de igni Chaldæorũ. & apud hunc Prophetam dixit Dominus: Cuius ignis in Sion, & caminus in Ieruſalem. & apud Malachiam: Et non incendatis altare meum fruſtrà. At verò ignire, ſiue flaminare, vel incendere, ad vſtionem & illuminationem atq; doctrinam pertinet. Id quod Iudæis per* mulieres illas ſanctas *edoctis accidit: partim enim ex ipſis, videlicet qui ſurrectionem annunciantes, attentè exceperunt, &, fide præeunte, doceri voluerunt, atque rem ita eſſe agnouerunt, docti illuminatiq́ euaſere. Qui verò huic admirabili teſtimonio fidem habere noluerunt, Euangelij ipſius virtute exuſti ſunt tamquam inutiles & arentes rami. Atque ita verbi* MEIROTH, *ſignificatio omnis duplici hac expoſitione expletur. Conſtat multos ex antiquis interpretibus locum hunc ad illam ſanctarũ feminarum hiſtoriam retuliſſe: Non miſerebitur eius, qui fecit eum; & qui formauit eum, non parcet ei. Frequentibus tranſlationibus vtuntur ſacri auctores, maximè in Canticis. hæc duo verba, qui fecit eum, & qui formauit eum, à figulina arte tranſlata, in hunc locum commodè inducta ſunt: quod à nobis indicari ſat fuerit. Interim, inquit, quoad iſti ſtultitia ſua torpent, atq; inſania mentisq́ cæcitate laborant, Domino grati non erant, donec tempus illud accedat miſericordiæ, ipſis vltrò à Deo præſtandæ.*

Nehem. 9. Infrà 9. 11. Malach. Cyril. exp. loc. natural. & Origen. Theophil. Tertul. in exp. Symb. & lib. 4. adu. Marchioné.

Et erit: in die illa excutiet Dominus ab alueo fluminis vſque ad torrentẽ Ægypti, & vos congregabimini vnus & vnus filij Iſraël.

DVAS *vocationes Iſraelitarum, duobus his poſtremis cantici verſibus* *nobis*

*nobis indicauit Iſaias: alteram Euangelÿ initio factã, in qua ex raris hinc inde collectis Iudæis, multitudo credentium facta eſt, de qua in Apoſtolorum Actis & Epiſtolis agitur. alteram verò illam communem, quæ futura expectatur, in poſtremo verſu deſcripſit. Ait itaq; futurum in illa die illuſtriſsima Euangelÿ primùm promulgandi Dominum excuſſurum Iſraelitas bonos & pios, expectantesq; redemptionem Iſrael* ab alueo fluminis *Euphratis, quod Antomaticè flumen dicitur* ad torrentem Ægypti, *qui fluuius eſt exiguus. Arabiæ partis vallem decurrit fluuius Ægypti, siue fluentum Ægypti in ſacris libris dictum, quòd Iſraelitarum regiones ab Ægypti ditionibus diuideret. Itaque torrentem non tam pro fluuio, quàm pro valle ipſa accipimus; his duobus terminis omnis Iſraelitarum regio ſignificatur, quæ ab oriente Euphrate, à meridie verò Ægypti fluuio finiebatur. ſeligẽdos eſſe ait Propheta aliquos viros bonos & pios, raros quidem illos, verùm probatos, atq; excutiendos ſigillatim, hoc eſt quod ait,* vnus & vnus. *vtiturq; tranſlatione à ſpicis petita, quibus excuſsis, grana exibũt ſolidiora & ponderoſiora: ariſtæ verò, cum variis & inutilibus nulliuſq; momenti granis remanent. qui tranſlationem à vocabulo ipſo, ſibi vſurpato deſumpſit.* SIBOLET, *quod ſpicam propriè ſignificat, atq; ex analogia, pro fluminis alueo accipitur: Excutiet, inquit, ſpicas, à ſpica fluminis Euphratis, à Iudæis qui Babylone erunt, ad eos vſque qui ſecũdum Ægyptum commorabuntur: ex illisq; colliget ſingulares aliquot, quibus primùm promiſſam ſalutem impartiatur. Huic tranſlationi ſimillima vſus Ioannes Baptiſta, hanc eandem rem ſignificaſſe nobis videtur. Cuius ventilabrũ in* Ioan.Bapt. Matth.3.
» *manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in*
» *horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Atque hic verſus, vti diximus de prima illa Iſraelitarum, vel potius Iudæorum vocatione Euangelÿ initio facienda exponitur: de altera verò, quæ ad omnes Iſraelitas in varius locis diſperſos, pertinebit. Vltimus huius cantici verſus ita habet:*

Et erit: in die illa clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant de terra Aſſyriorum, & qui eiecti erant de terra Ægypti, & adorabunt Dominum in monte ſancto in Hieruſalem.

*Pulcherrima & apertiſsima diſtinctione declamauit Vates, Iſraelitas bis eſſe ad ſalutem vocandos; ſemel aelectu habito, & priuata quadam quorumdam admiſsione & receptione: cuiuſmodi illa fuit, quæ Euangelÿ promulgati initio contigit, in qua multos quidem ex Iſraelitis ſalutis compotes effectos fuiſſe legimus; qui tamen, ſi cum ipſa Iſraelitarum multitudine conferantur, vnus & vnus fuiſſe videbuntur. At verò* in die illa, *hoc eſt, illo tempore quo ſalus publicè communicanda eſt Iſraelitis omnibus, de qua huius cantici argumentum præcipuè fuit in illa celeberrima die (diem pro tempore vſurpamus, quod Vatibus ſolemne eſt, atq; etiam Latinis, meſsiſq; diem tempuſq; ſerendi)* in illa, *inquam,* die, *hoc erit: & quia erit obſeruandum, expectandum, atq; ſummis votis & precibus poſtulandum eſt à Deo miſericordi, vt maturetur illa dies.* erit, *igitur,* clangetur tuba magna. *Tubam, Euangelium interpretamur, ſed quod additur,* magna, *illud ſignificat*

*ſicat Euangelij ſonum maximum futurum, & ad omnes terrarum orbis regiones profecturum. Hoc enim intereſt inter paruam & magnã tubam: non quòd altera altera minùs aut magis tuba ſit: ſed quòd altera altera longiùs audiatur, & audientium aures vehementiori atq; maiori ſono pulſet: itaque ab effectu interpretamur magnitudinis nomen hoc loco: atque illud etiam addimus, ex miniſtrorum numero magnam fore hanc tubam, quòd multis Euangelij præconibus Deus ad hanc rem ſit vſurus. Tunc autem veniunt* qui perditi fuerant de terra Aſſyriorum. *Hebræi, perditi in terram Aſſur.* & qui eiecti erant de terra Ægypti. *Hebraicè, & impulſi in terra* MIZZRAIM. *Iſraelitæ omnes per omnem terrarum orbem diſperſi, huiuſmodi partitione comprehenduntur. Namq; natio illa omnis vno nomine Iſraelis primùm appellata, poſt inſignem illam diſceſsionem, in duas partes diuiſa eſt: altera Iſrael nomen præcipuè retinuit, altera Iuda dicta eſt. Atq; hoc nomine Iudæorum & Beniaminitarum tribus cenſebantur. Iſraelitæ, hoc eſt, decem tribus ab Aſſyriorum Regibus primùm labefactæ, & tandem abductæ omnino, atq; per varias imperij illius regiones & prouincias diſperſæ fuere ſub Salmanazaro Rege: Et quantum ex locorum nominibus & rationibus coniicere licet, illæ tribus per tertiã illam orbis partem quæ Sem Noahi filio contigit, diſiectæ ſunt, Aſiam à Græcis & Latinis dictam: quamquam aliqui ex illis in Hiſpaniam & Galliam traducti fuerint: vt apud Sophoniam obſeruauimus. Iudæi verò & Beniaminitæ, quãquam à Babyloniis, qui Aſſyriorum etiam communi nomine vocantur, victi, & in captiuitatem abducti fuerint: non tamen vel diſperſi, vel omnes in illa regione ſunt detenti. Sed redeundi facultate conceſſa, in Iudæ antiquas ſedes rediere: non tamen paucis, qui vltrò manere optauerunt, relictis. Hi, poſtquam iam aliquanto tempore conquieuiſſent, reſq; ſuas inſtauraſſent; à Græcis primùm turbati, atq; in Ægyptum partim abducti, deinde ab Ægyptiis regibus vexati & imminuti: vt in Alexandri & Græcorum, atq; Ptolomæorum regum hiſtoriis legimus. Poſteà verò à Romanis, Pompeio duce, qui ex Ægypto, atq; Ægyptiorum copiis & conſiliis adiunctus, damnum Ieroſolymitanis rebus intulit, atq; hinc via Romanis Imperatoribus aperta eſt, qua ſæpè Iudæi impeterentur & detererentur: donec tandem per Titum, & per Adrianum victi, omnino conuulſi & diſsipati ſunt. His omnibus temporibus Romani Ægyptum iam obtinentes, Ægyptiorum non ſolùm opibus, verùm etiam conſiliis, portubus, & claſsibus vſi ſunt hoc pacto, vt decem tribuum diſsipationis initium & finis Aſſyriis: ita quoque Iudaicæ abductionis, ac diſperſionis facultas, & euentus omnis Ægyptiis, tamquam primis auctoribus adſcribitur. Atq; hi ſunt præcipuè Iudæi, qui per Africam omnem, & qui per Italiam, ac demùm per Bethicam & Luſitaniam, Hiſpaniæ prouincias, diſperſi fuere. hos omnes duarũ gentium Aſſyriorum & Ægyptiorum opera primùm abductos, deinde perditos atque diſsipatos venturos eſſe, Iſaias prædicit; & in Eccleſiæ Chriſtianæ communionem recipiendos, adoraturos eſſe ait, non in monte Garizim: neque in aliis montibus in quibus quondam vel rectè, vel minùs rectè*

 *adora-*

*adoratum eſt, ſed adoraturos in ſpiritu & veritate* Deum in monte ſancto in Hieruſalem. *Illa alta & ſumma fidelium omnium matre Dei, ciuitate ſanctiſsima, montem ſanctum, arcana ratione Chriſtum interpretamur, de quo per hunc eundem Prophetam ſcriptum fuit: Et erit in nouiſ-*
Sup. 2. » *ſimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium: & ele-*
» *uabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, &c. Atq; vtramque à Vate hoc deſcriptam, & nobis explicatam, Iſraelitarum receptionem fuiſſe inter noui Teſtamenti ſanctos viros commemoratam & celebratã, D. Paulus diſertis verbis declarat. Dico ego, Num-*
Rom. 11. » *quid Deus repulit populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum ex ſe-*
» *mine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Dominus plebem ſuam,*
» *quam præſciuit. An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura? quemadmodum*
» *interpellat Deum aduerſus Iſrael? Domine, Prophetas tuos occiderunt, al-*
» *taria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animã meam.*
» *Sed quid dicit illi diuinum reſponſum? Reliqui mihi ſeptem millia virorũ,*
» *qui non curuauerunt genua ſua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reli-*
» *quiæ ſecundùm electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Hæc & alia Apoſtolus de priori illo Dei erga Iſraelitas beneficio ſcripſit. De poſteriori verò illo*
» *cõmuni & ampliſsimo, ſic paulo pòſt adiunxit: Nolo vos ignorare, fratres,*
» *myſterium hoc, vt non ſitis vobis ipſis placentes: quia cæcitas ex parte con-*
» *tigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus*
» *fieret. S.S.E. Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. &*
» *hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum. Secundùm Eu-*
» *angelium quidem, inimici propter vos; ſecundùm electionem autem, cha-*
» *riſsimi propter patres: ſine pœnitentia enim ſunt, dona & vocatio Dei.*

## ARGVMENTVM VATICINII XXII.

ISRAELITIS *omnibus, tam iis qui in decem tribuum numero cenſebantur, quàm Iudæis paratas, atque diuino iudicio decretas calamitates hoc vaticinio Propheta prædicit, criminaq; vtriuſque populi refert; quamobrem diuina illa ſententia aduerſus eos pronuncianda & exercenda eſſet: videlicet, quòd Iſraelitæ voluptatibus, deliciis, & ambitioni vacantes, legis diuinæ ſtudium abiecerint, multisq; vitiis & flagitiis ſeſe contaminauerint; dignosq; reddiderint, non ſolùm exilio, & expulſione ex regione illa ſanctimoniæ legibus & conditionibus ipſis conceſſa, ſed etiam maiori Dei aduerſùm ſe indignatione, & ira atq; animaduerſione, quam tamen clementem ſubituri eſſent. Iudæi verò, qui illo tempore, quo Iſraelitarum reſpublica opprimeretur & conuelleretur, in pace & tranquillitate à Deo conſeruandi erant; tamen, tantorum beneficiorum immemores, officium omne peruerſuros, atq; ſceleribus contaminandos, ſuperſtitioniq; obligandos eſſe præuiderat Vates. Ait etiam ſuis pœnis Dei iudicio diſcernendis non cariturос. Deinde ad electionis diuinæ rationem & conſtantiam conuerſus, oſtendit Chriſtum illum patribus quondam in homi-*

*num*

*nam ſalutem promiſſum ex Iudæorum gente futurum, à Deo certiſſimè mittendum: eumq́; futurum firmiſſimum fundamentum omnium Iſraelitarum, & cæterorum etiam hominum, qui in Dei domum & regnum adſcribi atque recipi ſtuduerint. Contra verò lapidem offenſionis, & petram ſcandali futurum iis, qui diuinis verbis credere & obtemperare noluerint. Interim verò dum hæc ſalus orbi mittenda maturatur, ac expeditur, populum illum Iudaicum & Dei conſilio, & iudicio, variis modis & rationibus exceptum, tractatum & verſatum iri ait: interdum fotum & recreatum, nonnumquam pœnis, laboribus, & animaduerſionibus affectum, pro vt ſalutis ipſius, & correctionis ratio poſtulauerit. Eam verò varietatem, immutationem, aut viciſſitudinis obumbrationem in Deo non arguere, ſed maximam prouidentiam & ſapientiam probare: id quod ſelectiſſima ſimilitudine ex agricultura petita, explicatur. hæc omnia, Deo nobis propitio, quàm breuiſſimè, & luculentiſſimè exponentur.*

## CAPVT XXVIII.

VÆ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguiſſimæ, errantes à vino.

ISRAELITAS, *hoc eſt, decem Iſraelitarum tribus, quæ omnes Ephraim nomine continebantur, propter illum primum Samariæ regem, & propter auctiſſimam illam tribum, id quod à nobis aliàs eſt explicatum, ſuperbia primùm & ambitione, propter gentis numeroſitatem, Iudæos longo interuallo ſuperantem, atque etiam propter regionis fertilitatem, rerumq́; copiam; deinde verò luxu, deliciis, & voluptatibus vltrà modum corruptos, atq; diffluentes, proximam grauem, diuino iudicio decretam calamitatem expectare contemplatus Vates, lugubri & ominoſa voce deplorat: oſtenditque huiuſmodi ſtudio corruptorum exitum, communem omnibus peccatoribus terræ, illis fore grauiorem, qui Dei legem, hæc omnia vetantem, profeſſi, non obſeruauerint.* Væ, *inquit*, coronæ ſuperbiæ. *Superbiæ coronam varia, ſed minimè pugnante ſignificatione, dixit: Ambitio atque ſuperbia illa elataq́; mens, coronam ipſa ſibi arroganter parat, & imponit, humanæ miſeriæ ſortis, conditionis, ac viciſſitudinis immemor. Huiuſmodi coronã ſibi nexuerant Ephraitæ, hoc eſt, decem illæ tribus, quæ regno domus Ephraim parebant: eamq́; coronam breui deiiciendam, atque magna miſeria commutandam eſſe: cùm Propheta præuidiſſet, minaci & lugubri voce excepit.* Væ coronæ ſuperbiæ. *Elationis, ſiue elatæ coronæ. Alluſum eſt etiam ad conuiuarum & compotantiũ, ventri atq; gulæ indulgentium morẽ, Aſiam incolentibus frequentem, qui coronati quondam bibebant:*

Comment. in hũc Prophet. Oſeæ, & Amos.

*Perſicos odi puer apparatus:*
*Diſplicent nexæ philara coronæ.*
*Mitte ſectari roſa quo locorum*
*Sera mouetur.*

*Quod verò per ſchema Vates dixerat, ſimplici oratione adiuncta exponit.*

Ebriis Ephraim. *Non diſcedimus à nominum ſimplici notatione, atq; ideo Iſraelitas vino atq; delicijs, quæ ex vini & gulæ ſtudio conſequūtur, deditos, hîc ſignificari intelligimus.* Væ illis, *&* væ iis *qui apud Chriſtianos illorum ſtudia imitantur. vt etiam* Væ *fuit Iudæis illorum hac in parte imitatoribus, quos ita notabat Propheta, cùm vtrumque populum hoc nomine quoque reprehenderet.* Amos 6. *Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in*
» *ſtratis veſtris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armēti.*
» *Qui canitis ad vocem pſalterij ſicut Dauid, putauerunt ſe habere vaſa can-*
» *tici, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti. Illum autem delitiarum, voluptatis & ſuperbiæ vſum breuiſsimum, & miſeriarum ſenſu commutandum fore Iſaias appoſitiſsima tranſlatione vſus oſtendit.* & flori decidenti gloriæ exultationis eius. *Appoſitione res ipſa explicatur.* Væ, *inquit*, gloriæ exultationis eius. *Hebraicè, nobili cupiditati decoris eius, id eſt, cupitæ vehementer lætitiæ & exultationis, quam ipſi ſe maximè decere putant. Ea verò flos, ſiue germen eſt, quod flante vento, citiſsimè deiectum cadit. atq; ita cadet quàm maturrimè Ephraitarū luxus iſte. Hanc autem ſuperbiam, arrogantiam, & luxuriem ex rerum copia natam eſſe ſignificat. His enim homines ſui ipſorum obliti, vbi valere aliquantulum cœpere, abuti ſolent, hoc eſt quod exponens, ſubiunxit.* qui erant in vertice vallis pinguiſſimæ. Qui erant. *relatiuum illud, qui, in omni genere verti poteſt: nobis ſuperiora indicare, & referre videtur. hoc eſt, coronam ſuperbiæ, & florem decidentem. Namque verbum, erant, ab interprete additur expoſitionis cauſa. Omnis ille faſtus, & luxus, inquit, copia rerum, & ſoli fertilitate nitebatur. Scimus Samariam in monte vineis cultiſsimo, & arboribus valdè ornato, fuiſſe ſitam, atq; ſubiectam vallem habuiſſe, amœnitate, & fœcunditate commendatiſsimā, vallem quoque* Iezrreghel *ad illud regnum pertinuiſſe, demùm totam illam decem tribuum regionem varia & multiplici rerum copia fuiſſe celebrem: atque in hanc ſententiam ab* Amos 6. *Amoſo dictum legimus: Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in*
» *monte Samariæ. Optimates capita populorum, ingredientes pompaticè do-*
» *mum Iſrael*, errantes vino. *qui vino ita oppreſsi atq; ſuperati ſunt, vt ab ebrietate ſectanda diduci nequeant, Latinis vinoſi dicuntur. Hos Iſaias errantes à vino, ſiue, vt Hebraicè eſt, malleatos vino vocat, pulcherrimis verbis; oſtendens impotentiam eorum, qui ſeſe voluptatibus corrumpendos dediderint: quorum neque mens neque corpus officio ſuo fungi rectè valet. hos Latinus ſermo, nequam, & horū vitium, nequitiam, vocat, quaſi iam vitio abſtinere præ conſuetudine nequeuntes, quod ſummi flagitij crimen habet.* Errantes à vino. *quorum omne corporis & animi munus ne rectum ſit, vini impotentia efficit; ſiue malleatos, & contuſos vino: quod eiuſdem* Prou. 23. *ſignificationis eſt; conuenitq; omnino cum ſententia illa: Cui væ? cuius pa-*
» *tri væ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his*
» *qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Huiuſmodi ſtudiorum & morum exitum, qualem ex diuino iudicio expectari oportuerit, exponit Iſaias.*

Ecce validus & fortis Dominus, ſicut impetus grandinis: turbo conſtringens. Sicut impetus aquarum multarum inundantium & emiſſarum ſuper terram ſpatioſam.

Ex *Hebraico ſic ſimplex oratio expoſitionis cauſa verti poteſt:* Ecce fortis & rigidus Domini, ſicut turbo grandinis, procella exciſionis, ſicut turbo aquarum multarum fortium, inundantium incumbere faciet in terram in manu. *Citiſſimam Iſraelitarum rerum, atque impotentem præcipitationem euidentiſſima perſonarum comparatione ſignificauit Iſaias; cùm in ſuperiori proximo verſu populum deſcriberet ambitione corruptum, delitiis, luxu, & voluptatibus diffluentem: quod genus hominum mulieribus effeminatius euadere ſolet, & ad res bello aut pace gerendas, ineptiſſimum redditur, vt paulo antè citato Salomonis carmine, agnouimus; atq; ab ipſis gentium ſapientibus etiam adnotatū legimus, qui ignauos, atque delitiis deditos, faciles victu, atque ſuperatu eſſe docuerunt.*

*Deſpicias tu*
*Forſitan imbelles Rhodios, victamq; Corinthum*
*Deſpicias meritò: quid enim reſinata iuuentus,*
*Cruraq; totius facient tibi læuia gentis?*

*Huiuſmodi populum, vt ſignificaret Iſaias malleatos vino dixerat; quem quàm facilè atq; efficaciter labefactandum, euertendum, atq; conuellendum eſſe præuiderat, collatione indicauit populi hoſtilis Aſſyriorum, Deo auctore & iudice, bellis inuaſuri & oppreſſuri: vſuſq; eſt tranſlationibus iuxta inceptæ orationis rationem appoſitiſſimis. Superiùs enim crimen notauerat nominibus & verbis, huiuſmodi* corona ſuperbiæ, Flos gloriæ, *ſiue* decoris; Væ ter vallis pinguiſſimæ. *quæ omnia iuxta naturæ obſeruationem conſiderata tempeſtatibus, grandine, & ventis impeti, deſtrui & obrui videmus. Huiuſmodi autem exemplis validiſſimas & opulentiſſimas Aſſyriorum vires aduerſus Ephraim inſtruendas ait Vates, oratione: facilis eſt autem orationis explicatio. Nam Latina verſio ipſum Deum, pœnæ & calamitatis populo illi afferendæ auctorem ſignificat. Ecce validus & fortis Dominus: Hebraica verò exercitum indicat validum, & fortem Domini auctoritate & conſilio inſtruendum & mittendum: ita, vt validum & fortem Domini eum interpretemur, quem Dominus ad ſumendas de improbis terræ pœnas, & ad correctionem populorum munierat, & fortiſſimum effecerat: hoc eſt, Aſſyriorum principatum. de quo ſcriptum eſt: Domine in iudicium poſuiſti eum: & fortem vt corriperes fundaſti eum.* Habac. 1. 12 *Vt autē omnem orationis huius œconomicā partitionē intelligamus, animaduertendū eſt, duabus partibus potiſſimè conſtare poſſe, expeditionis cuiuſq; facultatē & facilitatē: quod ad eos attinet, qui rem gerendā aggrediuntur, videlicet, animi & corporis fortitudine & rigiditate quæ prima in exercitu ſpectanda eſt. his enim virtutibus inſtructi pauci, ſolent multos conficere & perdere. Quòd ſi fortitudini copia acceſſerit, res omnis magna facilitate atq; breuiſſimo expeditur tempore: præcipuè verò ſi dux fortis & ſapiens adſit, cuius auctoritate expeditio inſtruatur. Vtramque autem par-*

*tem iis adſcribit Iſaias, quos Dei auctoritate, conſilio, & iudicio in Ephraitarum perniciem venturos præuiderat. Namque ad facultatem indicandam, & fortitudinem deſcribendam, illa oratione vſus eſt.* Validus & fortis Dominus (*ſiue Domini*) ſicut impetus grandinis turbo conſtringens. *ſiue, vt expoſuimus, procella exciſionis. Appellatur procella exciſionis validiſſimus ventus, cuius impetu arbores confringuntur, aut radicibus euelluntur, quales Eſtantiguas, Hiſpanorum vulgus appellat: exiſtimatq́ue non fortuito, & ventorum rabie, ſed irato Deo, in terra afferri. Huiuſmodi tempeſtates à ſacris auctoribus deſcribuntur: Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros. Et confringet Dominus cedros Libani: vox Domini incendentis flammā ignis: vox Domini concutientis deſertum: & commouebit Dominus deſertū Cades. Itaq; fortiſſimum exercitum Aſſyriorū aduerſus imbelles, ebrios, vnctos & coronatos mittendum Iſaias indicabat his verbis. Eumdem verò numeroſiſſimum, magnisq́ue copiis inſtructū, fore illa etiam oratione ſignificauit:* Sicut impetus aquarum multarum inundantium. *aquas multas impetuoſas, & inundantes terram, quis neſcit copiam magnam ſignificare? vt apud Pſaltem: Miſit de ſummo, & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis. quod idem etiam exponitur: Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis. Poſtrema huius verſus pars.* Emiſſarum ſuper terram ſpacioſam. *Si ita exponatur vt Latinè apud nos legitur, ſignificat magnum & frequentem exercitum per omnes decem tribuum regiones mittendum. atque verbum, emiſſarum, Dei auctoritatem indicat. Eadem etiam ſignificatio eſt Hebraicæ orationis, incumbere faciet in manu. Non caſu, aut fortuito, inquit, veniet illa tempeſtas: ſed Dominus ipſe auctor manu propria, auctoritate, inquam, iudicij ſui, incumbere* eam faciet *in Ephraitarum populos. iudicij exercitationem & exemplum adeundum Schema hoc ſignificat, quod vulgò iudicij exercitium dici ſolet. Collatis iam vtriuſque partis, videlicet Ephraitarum, & hoſtium in illos mittendorum, conditionibus, quis nam exitus ſpectandus ſit, exponitur.*

Pſal. 28.

Pſal. 17.

Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim.

DELITIAS, *rerum copiam, & illum faſtum quo Ephraim ſuperbiebat, ab hoſtibus contemnendum eſſe, ait Vates, atq; hac oratione ſeueram exercitus illius Aſſyrij diſciplinam ſignificauit: quæ, quamdiu inter eos durat, qui bella gerunt, fortitudinem conſeruat, & confirmat. Cùm verò milites conſuetudine hoſtium atq; copia & commoditate corrumpi cæperint, breui deſides atque ignaui, ac denique imbelles redduntur: id quod frequentibus exemplis & ſcriptum legimus, & factum conſpeximus. Magna enim militaris virtutis cuſtodia eſt delitiarum & voluptatum fuga, atque diuitiarum, & auri argentiq́ue contemptio. vt ille dicebat:*

*Tunc rudis & Graias mirari neſcius artes*
*Magnorum artificum frangebat pocula miles*
*Vt phaleris gauderet equus, cælataq́ue caſſis*
*Romuleæ ſimulachra feræ manſueſcere iuſſæ*

Impe-

*Impèrÿ fato, & Geminos ſub rege Quirinos:*
*Effigiemq́ ſacram clypeo fulgentis & haſta,*
*Pendentisq́ Dei periturо oſtenderet hoſti:*
*Argenti quod erat ſolis fulgebat in armis.*

*Huiuſmodi erga diuitias atq; delicias Ephraitarum mentem futuram Aſſyriorum ait Vates: non qui auro, non qui deliciis capiantur; ſed qui huiuſmodi rebus conculcatis, ipſam regionem occupare, hominesq́ partim trucidare, partim abducere audeant; atq; ita deſertam & incultam prouinciam reddant. Itaque non expoliandi, & diripiendi, ſed magis vincendi, & capiendi, occidendi, & vaſtandi cauſa venturos eſſe ait; idq́ quod optauerint facilè obtenturos. Namque contempta corona ſuperbiæ, & pedibus conculcata, ipſos Ephraitas è medio tollent. Hoc eſt quod elegantiſsima ſimilitudine ſignificaſſe videtur Vates:*

Et erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui eſt ſuper verticem vallis pinguium, quaſi temporaneum ante maturitatem autumni: quod cùm aſpexerit videns, ſtatim vt manu tenuerit, deuorabit illud.

ALTERAM *rem à ſuperiori hîc ſignificari oratio ipſa manifeſtè probat. ſuperiùs dictum erat, conculcandam pedibus coronam ebriorum Ephraim: hîc verò florem gloriæ exultationis eius non conculcandum eſſe ait, ſed ab Aſſyrio imperatore auidè capiendum, tenendum, ac deuorandum; non ſecus atq; ab iis fieri ſolet, qui prima æſtate præcocem ficum maturā viderint, quam ſimul ac decerpſerint, deuorāt, noui & iucundi fructus cupiditate allecti. Appellat autem terram ipſam Iſraelis laudatiſsimā (quam facilè vaſtandam ait)* florem decidentem exultationis eius. *vt iam expoſuimus: eumq́ florem, ſiue germen illud ex ſitu deſcribit,* ſuper caput vallis pinguium, quaſi temporaneum. *Præcocem ficum ſignificauit Latinus interpres.* BECOR *enim primum fructum ſignificat: ſed frequenter ſine vllo adiuncto pro ficu præceci vſurpatur.* ante maturitatem Autumni. *ineuntis æſtatis tempus hæc periphraſis indicat. Namq; hoc re ipſa & natura probatur, & verbo etiam* KAITS *oſtenditur, æſtatem ſignificante: quod interpres noſter aperte aliàs vertit, Æſtatem & ver tu plaſmaſti ea. Terra itaq; illa celebratiſsima, & vallium omnium pinguium, hoc eſt, fertiliſſimarum regionum caput exiſtimata, illa erit* flos decidens. *Idq́ quàm celerrimè fiet: non ſecus atq; ficus illa prima & præcox, quæ cùm cæteros fructus maturitate præeat, ab iis, qui fructus amant, decerpta, celerrimè deuoratur, non expectato catino aut vaſe in quo ſeponatur ad horā.* Cùm aſpexerit videns. *qui primus viderit illam, quicumque ipſe ſit. Sic tribus illas decem quàm celerrimè capiendas, & deuorandas, terramq́ deſertam relinquendam eſſe, Vates præcinebat. Atque hunc futurum Ephraiticarum rerum exitum cùm prædixiſſet Iſaias, eum quoque locum, quem Iudæ & Beniamin tribus illo tempore habituræ eſſent, ſignificauit.* Pſal. 83.

In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.

*Eodem*

EODEM *tempore quo Ephraitarum omnium gentium captiuitate abducta, corona illa ſuperbiæ deciderit, & conculcata fuerit, Deus erga reliquos, qui ex magno illo, olim electo & amplificato populo reliqui erant, hoc eſt, Iudæ & Biniamin regno, tutelarem ſeſe & vindicem præbens, erit* corona gloriæ: *vt in nullo alio glorietur, quàm in Domino exercituum, propugnatore ipſorum; qui illos ab illa cæterorum Iſraelitarum calamitate exceperit, populumq́ſibi adhuc reliquum eſſe voluerit, duobusq́ ornamentis maximis, & futurorum beneficiorum ſignificantiſsimis, ornauerit regni diademate, & ſacerdotij mitra. Itaque regnum & ſacerdotium à reſiduo populi retinendum, & conſeruandum eſſe, ait Vates cum magna dignitate: quamuis abductis conſilio, præſidio, atq; tutela Domini exercituum, à quo conſeruandi erant, & augendi ſpiritu iudicij, atq; propugnandi, ac defendendi hoſtibus.* Corona gloriæ, *quæ Hebraicè, corona pulchritudinis, atque iucunditatis, & oblectationis dicitur. Regnum ipſum domus Dauid, à Deo conſtitutum indicare videtur. Deinde verò altera periphraſis ſertum exultationis, quod ex Hebraico vertere poſſumus, redimiculum, ſiue, folliculum, ſiue, gemmam decoris (gemmas palmitum & arborum intelligimus) illud capitis ornamentum ſignificare videtur, quod ſacerdotibus, honoris, decoris, & arcanæ ſignificationis cauſa imponebatur: atq; vtramq; deſcriptionem ex metonymia à deſtinatis produxit Propheta. Eundem autem Dominum conſulturum eſſe ait: vt populus ille reliquus, à ſe defenſus & cuſtoditus, iudicio rectè inſtituendo & exercendo, ſi velit, conſeruari poſsit. Nam cùm viderint Iudæi & Beniaminitæ ſe à Domino, ex illa fratrum quondam ſuorum calamitate exceptos, manere, & conſeruari incolumes, auctos, & ornatos regno atq; ſacerdotio, curare debebunt, & poterunt, vt iudicio publicè priuatéq; faciendo, diuinam erga ſe tutelam confirment. Poterint verò id præſtare, quandoquidem Dominus ipſe tum doctrinæ, legisq́ ſuæ commendatione, tum præſentia minimè deerit.*

Et ſpiritus iudicij ſedenti ſuper iudicium, & fortitudo reuertentibus de bello ad portam.

SPIRITVS *iudicij & fortitudo. Hebraicè eſt, Spiritui iudicij & fortitudini. Si illi officio faciendo ſuas partes tueri, & rectè agere velint, non deſerentur vmquam à Domino: qui, quantum ad res publicas & ciuiles, atq; ad religionis & pietatis rationes conſeruandas (quæ omnia iudicij nomine continentur) & componendas attinet, aderit illis Dominus, ſpiritumq́; iudicij ſuggeret iis, qui certo conſilio atque ſtudio iudicium exercere voluerint. Hoc ſignificat illa conſtructio,* ſedenti ſuper iudicium. *hoc eſt, illis, qui publicis priuatisq́; rebus adminiſtrandis præerint, rectoq́; in iudicio atq; integro iure vti ſtuduerint. Quantũ verò ad bellicas res, & rerum ſuarum defenſionem & propugnationem pertinet, non opus illis erit pugna aut prælijs: quibus Dominus ipſe erit fortitudo, ſiue fortitudini reuertentibus de bello, atq; aliàs, niſi Domini tutela vti contingat imparibus futuris, & minimè auſuris cum hoſte manus conſerere. Indicat hoc vaticinium*

4. Reg 18 / 2 Paral. 32. *hiſtoriam omnem in libro Regum & Paralipomenon deſcriptam. Namque*

*multis Iudeæ vrbibus, multis in Aſſyriorum poteſtatem Senacheribo imperatore redactis, Ezechias fortiſsimorum manum Hieroſolymis coactam eduxit; vt fortes omnes hoſtium vſui ineptos redderet: atq; loca quędā muniret, vt difficilior eſſet hoſtibus tranſitus; & alia huiuſmodi præpararet, quæ impedimento eſſe poſſent exercitui Hieroſolymam petere volenti. Verùm neque ipſe, neque electa illa manus, hoſtem foris expectauit, ſed intra vrbem receptus, ſeſe continuit. Cùm verò imperator ille rerum geſtarum ſuperbia clatus inſolentiſſimè & impiiſsimè iactaret ſuam tantam eſſe potentiam; vt à Iudæorum Deo (illo, inquam, vero Deo) impediri, aut infringi poſſe minimè timeret: tunc impietatis ſuæ pœnas grauiſsimas exercitu primùm extincto, deinde ipſe domeſticis filiorum inſidiis occiſus dedit: qua de re omne illud oraculum editum fuit. Hæc dicit Dominus de Rege Aſſyriorum: Non ingredietur vrbem hanc, nec mittet in eam ſagittam: nec occupabit eam clypeus, nec cirundabit eam munitio: per viam quā venit, reuertetur; nec ciuitatem hanc ingredietur, dicit Dominus. Protegamq; vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Ita futurum eſſe dixerat Iſaias, vt redeuntibus à bello, ad portamq; ſeſe recipientibus, neque cum hoſte congreſsis Deus ſolus atq; vnicus fortitudini eſſet, illud cum Dauid cantaturis. Non enim in arcu meò ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me: ſaluaſti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti. In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in ſeculum. Hanc itaq; conditionem Iudæorum populum, poſt abductas alias tribus manſuram eſſe Vates aiebat, affirmabatq; illis retineri & officio faciendo conſeruari poſſe, edoctus & cautis primùm exemplo in fratres ſuos edito, atq; magis etiam beneficiorum erga ſe diuinorum præſenti vſu allectos. Verùm enimuerò hominum mores ſunt, qui facilè & citiſsimè à vera virtute in corruptam vitam degenerant, atq; declinant. non diu illam felicitatem Iudæis duraturam eſſe præuidens Vates, ipſorum culpam & crimen arguit, qui Dei erga ſe voluntatem & beneficium, vitiis propriis inquinati, repulſuri erant: non ſecus atq; alij Iſraelitæ, quorum & animaduerſionis & pœnarum ipſi teſtes ſpectatoresq; proximi fuerant. Hanc Iudaicarum rerum conuerſionem ſic Iſaias præuidens, indicauit.*

(Margin: 4 Reg. 19. — Pſal. 43.)

> Verùm hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate: abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem: ignorauerunt iudicium.

HI *quoque, quos commemoraui, reſiduumq; populi Dei eſſe dicebam, inquit Vates, ab illa, quā tenere, ac tueri deberent, vitæ morumq; obſeruātia, ſanctitate & grauitate; ab illa, quam excolere iubebantur, pietate, ſi Deum tutorem proſpicientem, & perpetuò ſibi fauentem retinere cuperent, ad luxum & voluptates traducti, vſque omnem officij rationem, definitionem, & vſum præuertent. Præ vino neſcierunt. Hebraicè in vino errauerunt. Namque vinum & ſenſus occupat & mentem, iudiciumq; perturbat, ſententiasq; omnes bonas præuertit: corruptis autem ſententiis, mores & ſtu-*

Prou. 23. *dia vt corrumpantur neceſſe eſt. S. S. E. Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordet vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa: & eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator omiſſo clauo. Priorem corruptionem, ſenſuum ac mentis videlicet, ſignificat oratio illa, vt Latinè legitur,* præ vino neſcierunt. *ſiue, vt Hebraicè,* errauerunt. *Poſteriorem verò, hoc eſt, morum & actionum, atq; ſtudiorum illa etiam indicat,* Præ ebrietate errauerunt. *Alterum verbum* SAGV. *alterum* THAGHV. *in Hebræo eſt: illud animo errare, hoc corpore, actione, motu & greſſu palare ſignificat: ſed Latinorum verborum inopia, non poſſumus illas alluſiones & affinitates exactè reddere. Hiſpanè diceremus erar, & traſeyar. Latinè* Horat. lib. 2. Sat. 3. *vtrumque errare, & palare: ſicut ille ſcripſit: Velut ſyluis vbi paßim Palātes error recto de tramite ducit. Ideoq; rectè vertit interpres noſter prius verbum, neſcierunt, poſterius errauerunt, vt vtramque perturbationem ſignificaret. Ait igitur Iſaias, futura præuidens, & veluti præterita eſſent certiſſima prædicens, Iudæos à veri & recti cogitatione atque ſtudio aberraturos, viamq; morum optimam deſerturos, propter voluptatum atq; deliciarum vitioſiſſimam conſuetudinem, qua non tantùm plebs ipſa, ſed plebis duces & magiſtri colliqueſcentes peſſundandi erant & obruendi.* Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate. *ſiue, ſacerdotes ipſos, qui Deo vero dicati erant, ſiue eos, qui vano deorum cultui ſeſe addixere intelligamus, ſiue vtroſque, ſententia aperta eſt. Nos vtroſque reprehendi exiſtimamus; aliàs enim non eſſet cōmunis & publica culpa populi, ſi altera pars, hoc eſt, legitimorum ſacerdotum, ſobrij continentesq; perſeuerarent. Prophetarum autem nomen ad vtroſque etiam referri poteſt: ad augures, & ſacrificulos, deorumq; vanorum miniſtros, qui peruerſam doctrinam ex vanitate gentium deductam exercebant.* Ierem. 2. *Sacerdotes non dixerūt, vbi eſt Dominus: & tenentes legem, neſcierunt me: & paſtores præuaricati ſunt in me; & Prophetæ prophetauerunt in Baal, & idola ſecuti ſunt. Poteſt etiam ad alios referri, qui, cùm Domini Prophetæ eſſent, tamen in viſionibus ſuis errauerunt, vel cedentes populi ſtudiis, vel iiſdem etiam ſeſe inuoluentes voluptatibus. Namq; ſpiritu prophetiæ præditos homines poſſe etiam vitio ſeſe polluere & cōtaminare, præter Balaam exemplum aliàs in ſacris Scripturis cognouimus.* Abſorpti ſunt à vino. *occupati, omnino demerſi, & ingurgitati vino: vt non tam ipſi abſorbuiſſe vinum, quàm à vino abſorpti fuiſſe videantur. Adeò, vt neque mens, neq; manus, neque pes officiū ſuum faciat, ſed, tanquam vino immerſi fuerint, ita nihil videant, nihil cogitent, præter ea quæ ebrietas cogitare & agitare cogit. Huiuſmodi tropo vſus Latinus poëta, vino ſomnoq; ſepultos, dixit. Quorum autem mens vino abſorpta & immerſa eſt, eorum etiam ſenſus, & totius corporis officium peruerti, & perturbari conſequitur. Ideoq; Vates addidit:* Errauerunt in ebrietate. *Vtramque autem partem vt apertiùs explicaret, ſubiūxit ſenſum primum, deinde iudicium illis fuiſſe omnino vitiorum ſtudio occupatum, &*

*pertur-*

*perturbatum.* Neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium. *Si perſiſtamus in tranſlatione explicanda, Hebraica verba, quæ ſic habent:* Errauerunt in vidente; *apertè indicat ebrietatis effectum, quæ ſuffuſis per cerebrum fumis, ſenſus perturbat, atq; oculos maximè; ita vt geminis excurſet menſa lucernis: atque deinde iudicium corrumpit, adeò vt honeſtis turpia præferantur. Sicut ille dixit:*

*Diſcite non inter lances menſasq; nitentes,*
*Cùm ſtupet inſanis acies fulgoribus, & cùm*
*Acliuis falſis animus meliora recuſat.*

*Ac paulo pòſt: Malè verò examinat omnis corruptus iudex. Huiuſmodi perturbationibus corrupto ſenſu atq; animo, tum Prophetæ neſcierunt viſionem ſiue videntem: hoc eſt, quod viderent, quidq; populo veri referrent reſponſi, neſcierant; & ſacerdotes, quorum eſt, alios recti honeſtiq; rationem, & formam docere, S.S.E. Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent* Malach. 3. *ex ore eius:* Hi ignorauerunt iudicium. *Hebraica oratio habet* PACVTE-LILAH, *impegerunt, ſiue, offenderunt.* PELILAH. *eſt autem Pelibah, deductum à verbo* PALAL, *quod orare, & arbitrari, ſiue iudicare ſignificat. Ideoq; hæc oratio ad ſacerdotes referenda nobis videtur; qui adeò vino ac delitiis proluti eſſe notantur; vt neque quid precum & orationum, neque iudicij & ſententiæ rationem rectam tenerent. Atqui non ſolùm vino, ſed epulis & conuiuiis ad nauſeam vſque vltra modum atq; pudorem deditos eſſe illos, quos hoc loco accuſat Iſaias, ſubiuncto verſu notauit:*

Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu ſordiumque, ita vt non eſſet vltrà locus.

SICVT *potationes, ſic etiam comeſſationes atque conuiuia intempeſtiua, inhoneſta, atq; immoderata, ab iſtis celebrari & frequentari ſolita, notantur. non ſolùm nimio potu, inquit, madere, ſed cibo etiam adeò implere, replere, atque infarcire ſeſe ſolent; vt cùm nullus ſit vel in aluo, vel in ventriculo iam ampliùs locus, quo ingeſtæ epulæ capi poſſint, neceſſe ſit, apud ipſas menſas ex ſuperiori ventris parte euomere, & inferiori etiam deiicere ſit neceſſe. Duo nomina vomitus, & ſordes, Hebraica, diſtinctæ ſignificationis, rem ipſam, quemadmodum explicari conueniat, docent. Vt non eſſet locus. Hebraicè, in non loco. hoc eſt, vti exponimus, propter loci defectum, in quo capi ac retineri poſſit cibus nimius. Atque quid hac oratione ſignificetur, vtinam non cognoſceretur præſentibus exemplis. Verùm hac fœdiſſimi luxus imagine à Vate deſcripta, omnium vitiorum atque flagitiorum ſummam, qua populus contaminatus, Deo inuiſus redderetur, indicatam nobis cenſemus. Namque hæc externa corporum impuritas & corruptio, animorum fœditatem & vitioſitatem arcanè refert. Igitur cùm Ephraitæ primùm, deinde etiam Iudæi his vitiis, & luxuriæ publicæ priuatæq; ſtudiis corrupti, penitusq; occupati ſint; vt neque Sacerdos, neque Propheta, officium ſuum faciat: quis docebit doctrinam veram populo? Sed cùm populus etiam ipſe his voluptatibus omnino oppreſſus ac detentus, obrutusq; ſit; vt nihil aliud magis quàm vitia atque delicias amet;*

Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.

SIVE, *his verbis docebit, & intelligere faciet, ſubaudiendum ſit nomen Deus; ſiue, quod ſententia indicare ipſa videtur, Sacerdos & Propheta, quæ nomina ſuperiùs expreſſa ſunt; eadem ſemper ſententia cōſtabit. Nam cùm paulò antè Sacerdos & Propheta expreſſè ebrietatis atq; conuiuiorum luxu diffluentes notarentur: manifeſtum erat illos non poſſe munus exercere ſuum; ſed neſcire videntem, & ignorare iudicium. Atq; ita illos corruptos eſſe arguit Vates, vt non minùs corruptum populum ipſum inſimulet; omneſq; tam populum, quàm populi miniſtros eodem pænè crimine inuoluat. Exiſtent enim aliquando tempora, cùm neque qui ſanum atque purum miniſterium populo præſtent, reperiantur; neq; populus ipſe miniſterium ſanctum & purum admittere velit, vtpote iam à timore Dei abalienatus, & vitioſa opinione atq; conſuetudine corruptus. Hiſce moribus Iudaicū populum præuidebat, & notabat Iſaias: aſſerens omnes cōmuniter deſipuiſſe, atq; vitiis diffluentes ſtupuiſſe, infantibuſq; perſimiles euaſiſſe; non malitia, ſed ſenſu ac mente: ita vt neque Vates, ſi incorruptus contingeret, qui reſponſum à Deo relatum exponeret; neque ſacerdos, quamuis ſapiens adeſſet, haberet quē legis atq; ſcientiæ veræ ſolidas rationes docere poſſet: cùm populus omnis ventri & gulæ, atque iis quærendis & parandis rebus, quæ ventri atq; voluptati inſeruire poſſent, intentus eſſet. Quamquam ſacerdotes & Prophetas huius à me indicati temporis ac ſæculi, tanto vitio corruptos notem, ait Vates, nec tamen ipſi ignoſcam populo: populi cor ſtultius huius; Qui ſtupet inſcitia ac vitiis; renuitq; doceri. Eſto enim vt ſapiens quiſquam extet; quemnam docebit ſcientiam legis & morum atq; virtutum, religioniſq; diſciplinam? Scientia enim maturum ſenſum, iudiciū integrum & ſtudium poſtulat. aut ſi Propheta aliquis certum à Deo reſponſum referat; quem intelligere faciet auditum quod à Domino audierit, ab iis, quibus exponitur, magna primùm exiſtimatione examinandum, atque deinde maxima religione & cura excipiendam & obſeruandum: non ſatis eſt, diligentiam atq; operam à magiſtro poni, niſi cura etiam à diſcipulis adhibeatur. &, vt ille aiebat,* culpa docentis

Iuuen. Sat. 7. *Scilicet arguitur, quod læua in parte mamillæ*
*Nil ſalit Arcadico iuueni, cuius mihi ſexta*
*Quaque die miſerum dirus caput Annibal implet.*

*Tales diſcipulos, hoc eſt, talem populum Iudæorum ſignificat Iſaias, cùm iam primùm in præceptoribus officium deſideraſſet, ait: Quales autem paratos eſſe diſcipulos exiſtimas? infantes rudiſſimos & ineptiſſimos, ablactatos à lacte, depulſos ab vberibus. non dixit, ſimiles ablactatis, depulſis; vt ineptiam non ſimilitudine ſignificaret, ſed re ipſa exprimeret. verè enim redditos eſſe ſenſu atque cura infantes, neque verò infantes lactentes, ſed ablactatos à lacte, atque ab vberibus depulſos: quoniam illa ætas nihil perpetuò agit, aut curat, aut quærit, aut petit aliud quàm cibum & potum.*
Hippoc. aph. *Qui creſcunt (ait Hippocrates) plurimum caloris innati habent, atque ideo fre-*

*ſrequenti indigent cibo. Eſt autem ſchema grauibus auctoribus notum, vt nomen ipſum per affirmationẽ potiùs quàm per ſimilitudinem vſurpetur, ad eam ſignificandam rem vel perſonam quæ vitio, virtutéve eiuſmodi prædita eſt. Sic Vates hîc in primo capite: Audite verbum Domini principes Sodomorum: auribus percipite legem Dei noſtri, populus Gomorræ. Et ille:* Sup.2. "

*Vos ô patritius ſanguis, quos viuere fas eſt:* Perſ. Sat.1.
*Occipiti cæco poſticæ occurrite ſannæ.*

*Et paulo antè:*

*Hîc neque more probo videas, neque voce ſerena*
*Ingentes trepidare Titos. Adeò ineptum, adeò negligentem, adeò ſtupidum vitio illum populum cum ſuis miniſtris euaſiſſe ait Vates, vt alij cæci, alij cæcorum duces, ſicut à Chriſto appellabantur, omnino fuerint; intenti epulis & conuiuiis atq; voluptatibus, omnis virtutis, prudentiæ, pietatis, atq; ſapientiæ expertes; atque adeò negligentes, vt præter ea, quibus delitiæ aluntur, & fouentur, nihil curent. Atque populum illum huiuſmodi infantum cõditionem traductum eſſe, Propheta dolens indicat: quem cùm abundare oportet præceptis inſtitutisq́; religionis atq; pietatis, propter antiquam poſſeßionem veritatis, atq; diſciplinæ ſacræ illis traditæ, atq; conſuetudinem diuturnam, & exercitationem priſcam, moremq́; ſibi à patribus relictum: ſicut vt omnino curarent & obſeruarent, moniti fuerant. S. S. E. Scitis, quòd docuerimus præcepta atq; iuſtitias: ſicut mandauit mihi Dominus Deus meus, ſic facietis in terra quam poſſeſſuri eſtis: & obſeruabitis, & implebitis opere. Hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna: nec eſt alia natio tam grandis, quæ habet Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat ceremonias, iuſtaq́; iudicia, & vniuerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros? Ex huiuſmodi inclyta cõditione quam tenere, ac tueri illi potuerunt, ac debuerunt, in illum inſcitiæ, ignauiæ, negligentiæ, ac ſtupiditatis locũ redactum eſſe populum illum, Iſaias ait: vt non omnino deſtitutum eſſe præceptis ac inſtitutis ſacris quiſpiã defendat: illud tamen negare non poßit, ad elementa prima redactum, tanquam elementarium infantem doceri eum, quẽ propter ea quæ ſuperiùs diximus, doctißimum & inſtructißimum eſſe oporteret, populum Deo addictum atq; delectum, Deiq́; ſingularibus beneficiis auctum, doctrinæ facultate inſtructum, ſapientiæ diuinæ plenis libris cumulatum; nihil magis cupere, nihil magis amare, nihil maiori ſtudio quærere, petere, atque agere oportuerat; quàm, vt inquit Spiritus ſanctus, magis ac magis abundaret in ſcientia, & in omni ſenſu; tamen ad illum infantiæ reuerti gradum, vt raris atque minutis, iiſdemq́; parum cognitis, & minùs intellectis rudimentis imbui, atque exerceri opus ſit, magnæ prorſus notæ fuerit. Id quod Diuus Paulus Galatis exprobrat. Nunc autem cùm cognoueritis Deũ, imò cogniti ſitis à Deo, quomodo conuertimini ad infima elementa, quibus denuo ſeruire vultis?*

Marginal notes: Deut.4. (beside "S. S. E. Scitis…"); Phil 1. (beside "re, petere…"); Gal.4. (beside "fuerit. Id quod…").

Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.

SIVE *verba illa Hebraica*, TSAV LATSAV, TSAV LATSAV, KAV LAKAV, KAV LAKAV. *Ex etymo Latinè vertantur*, manda remanda, expecta reexpecta; *ſiue materialiter, vt Dialectici loquuntur, accipiamus; ſiue etiam, manda remanda, mandatum ad mandatum exponamus, vt lineam ad lineam (namq; hoc modo verti poteſt*, KAV LAKAV) *eandem nos ſententiam nihil ſibi repugnantem excipimus. Si quidem ex ſuperioribus intelleximus, quales magiſtros, qualeſq; diſcipulos haberet illis ſeculis populus quem in lege Dei doctiſſimum & verſatiſſimum eſſe oporteret; redactus autem fuerit in eam infantilem ſtupiditatem, & inertiam, vt tamquam infantes prima elementa doceretur. non carebat ille verbo, in ceremoniis nudis, atq; ceremoniarum ſermonibus; ſine myſterij ceremoniis contenti, cognitione detinebatur. Si quid præterea ſolidioris diſciplinæ audiret, id rarum atq; tenue erat, & quod memoriter tantùm atque verbotenus haberetur. Solent enim pueri cùm elementa docentur, atque initiò inſtituuntur, paulatim doceri, vt vaſa anguſti oris. ait Quintilianus, Hodie mandatum ſiue præceptum vnum docentur, & verſum vnū ediſcunt: cras vnum item, nudiuſtertius vnum aut alterum, breueq; dictatum accipiunt, certis ſignis contentum, quod & cognoſcere, & reddere iubentur. Hoc eſt quod dicit*, manda remanda. *Latinus enim interpres, & materialē ſimul, & formalem ſuppoſitionem vocum indicauit. vt ſi diceret: Nunc manda, pòſt remanda: deinde iterum manda, poſtea remanda: expecta ibi nunc modicum, poſteà expecta modicum ibi. Atque mimeſis hæc ſatis nobis ſeſe recognoſcendam, obſeruandamq; præbet; quæ explicationis maioris cauſa ex verbo Hebraico, vt à nobis in codicibus ipſis legitur, ſic verti Latinè poteſt*, manda admanda, mãda admanda: *linea ad lineam, linea ad lineam: modicum ibi, modicum ibi. Quæ oratio vt clariùs exponatur, obſeruationem poſtulat conſuetudinis Iudæorum; qui breues artes ſiue catechiſmos conſcribere conſueuere, quibus tota legis ſumma in ſexcentum & ſex præcepta breuiter diuiſa continebantur: quorum libellorum exempla adhuc extant: ea autem carminibus deſcripta conſpeximus, quæ pueris ediſcenda dictarentur. Erat (vt videre etiam, & experiri licebit) in libellis illis verbū frequens* TSAV, *imperatiuum à Themate* TSAVA, *quod non raro apud Moſem inuenitur. vt, Præcipe filiis Iſrael, præcipe filiis Aharon: atque ferè in omnibus locis, in quibus huius ac temporis ac modi verbū vſurpatur* TSAV, *de ceremoniis & ritibus agitur: vt diligenter obſeruanti, facilè cognitu fiet. Exiſtimamus autē verbum* KAV, *pro quo interpres noſter expecta, reddidit hoc loco ad carminis certos modos à compoſitore expectatos, & obſeruatos eſſe referendum. Namque* KAV, *hac forma ſcriptum, lineam, ſiue, filum, ſiue menſuram ſignificat, qua aliquid menſuratur: atque ita redditum eſt ab interprete noſtro: Et exibit vltrà norma menſuræ in conſpectu eius. Et apud hunc Prophetam: Et ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura. & alio in loco, Et manus eius diuiſit eam illis in menſura. & in*

Leuit. 24. bis Num. 5. & 28; 32 35. Num. 7.

Ierem. 31, 36 Infrà 12. Inf. 34.

*Thre-*

*Threnis, Tetendit funiculum ſuum. In his omnibus locis* KAV, *eſt Hebraicè. Ex qua ſignificatione etiam ab interprete noſtro indicata intelligimus Iſaiam notaſſe, populum illum in nudis & breuibus, atq; ieiunis rudimentis & elementis hærentem: atq; in iiſdem, neque magno, neque perpetuo, neque continuato profectu promotum; ſed puerorum inſtar, nunc reddere præceptum vnum, nunc alterum, nunc verſum vnum, interciſa adhuc ſententia ediſcentium, atq; breuibus & exiguis dictatis exerceri; ita vt pueri, qui legunt quidem & recitant, atque reddunt dictata magiſtri: verùm vel nihil, vel parum intelligunt ex his quæ ediſcunt; quòd ſi intelligant verba, tamen ſenſum minùs percipiunt, vt Pſittaci; adeò vt aliud ſermonis genus eſſe illis exiſtimetur, quàm quo ipſi vtantur. Huiuſmodi exempla quotidie in pueris vid mus, qui preces ſua etiam materna lingua quas ediſcunt, tamen, ſi cogentur, ex ſententia ipſa explicare neſciunt. Nouimus aliter ab aliis acutiſſimè explicari hunc locum: nos verò hanc rationem obtinebamus; qui totum hoc caput ad reprehenſionem & ad correptionem populi Iſraelitici atq; Iudaici, atq; ad noſtram doctrinam, & admonitionem referimus. Itaq; non deficere, neque defuturum verbum Dei populo Iſraelitico Propheta ait. attamen propter ipſorum negligentiam, ſocordiam, atq; ſtultitiam; propter morum ac vitæ corruptelam; denique propter magnam culpam, eiuſmodi verbi vſum fore ait, ac ſi non ad ſe pertineret, vel aliis linguis traderetur ignotis, ipſi atq; barbaris: atq; ita pœnæ pars non exigua erit iis, qui verbum Dei faſtidiunt, & cetera omnia, quæ ad vitæ voluptatem & ambitionem faciunt, diligenter curant: vt verbum non abundanter neque clarè ſuggeratur, ſed in parabolis & ænigmatis, vt videntes non videant, & audientes non audiant. Huiuſmodi autem punitione afficiendos eſſe Iudæos, imò eos omnes qui Iudæorum mores imitabuntur, Vates noſter denunciat.* Threh. 2.

In loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populum iſtum.

*Hebraicè ſic habet carmen hoc: Nam in balbutionibus, ſiue, balbutientibus labij, &c. Eſt enim verbum* LAGHAGG, *quod ſubſannare, balbutire, & bleſorum more pronunciare ſignificat: Hiſpani, tartamudear dicunt, & eos, qui hoc vitio labiorum laborant, tartamudos vocant. Ait itaq; Propheta Dei iuſto iudicio futurũ, vt tales habeat populus præceptores & magiſtros, qualis ipſe eſt. vt cùm populus ipſe ad ſtupidam infantiam fuerit redactus, audiat doctrinam tenuem, raris præceptis & inſtitutis; atq; id ieiuna oratione, & quæ labiis tantùm pronuncietur, non intima ex docentis mente atque ſtudio proficiſcatur: ſed tamquam declamationem quandam puerilem, frigidè prolatam; atque etiam ſi quid præterea maioris & grauioris argumenti doceatur, id lingua & verbis à communi ſermone multum diſſimilibus excipiat: ita, vt quæ dicantur, non magis intelligat, quàm vel ſi à balbutiente, & ſubſannante, vel ab alienæ linguæ homine audierit. Namque (vt Cicero ait) in iis linguis quas non intelligimus, ſurdi ſumus. Ideoq; Chriſtus, cùm in parabolis loqueretur, monere ſolebat: Qui habet aures audiendi, audiat. & rogatus à diſcipulis, quare in parabolis loqueris eis? reſpõdit:* Cic. in Tuſc. Matth. 3.

*Quia* cc

» *Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, id quod habet auferetur ab eo: ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt: & adimpletur Prophetia Iſaiæ, &c. Optimè autem ſententiam expreſsit interpres noſter:* In loquela labij. *Significat enim quoſdam hominum ſermones de pietate, potiùs verba eſſe concepta, & ſine ſenſu ac mente, vel dicentis, vel audientis prolata, quàm vſus alicuius orationẽ, atq; aliquid ſimile illi expreſsit, quod poeta dicebat, Verſus inopes rerum, nugasq; canere. Miſerrima profectò tempora ſunt, cùm populus, qui aliquando maxima & abundanti doctrina inſtructus fuerat, in eam infantiam deuenerit, vt præceptores habeat, qui vel verba tantùm fundant, vel myſteria parabolis & orationibus obſcuris inuoluant. Oportet, cùm hoc euenit, multos canes, & complures porcos in populo eſſe. Heu, heu, quàm tremendum, quamq; formidandum iudicium hoc Dei eſt, de quo ſic Prophetæ pronũciauere: Ecce dies venient, dicit Dominus, & mittam famem in terram: non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei: & commouebuntur à mari vſque ad mare, & ab Aquilone vſque ad Orientem circuibunt, quærentes verbum Domini, & non inuenient. Hunc verſum in hanc eandem ſententiam Diuus Paulus à ſimilitudine & exemplo argumentatus, citatus nobis videtur, qui Corinthios monebat, ne nimium affectarent in Eccleſia preces & verba fundere linguis variis, quæ à circunſtante corona, & populo non intelligerentur; ſed potiùs qui intellexerint, etiam ipſi linguarum compotes, populo ad ædificationem cum fructu & vſu communicarent: tædioſam eſſe inter fideles illam linguarum alienarum affectationem, & iactationem importunam. Si quidẽ linguæ non tam ſunt ad vſum fideliũ eiuſdem populi atq; ſermonis, quàm ad vtilitatem infidelium, & exterarũ gentium, quos donum linguarum, miniſtris Euangelij conceſſum, vehementer commouere, & ad audienda ſalutis myſteria iuuare poteſt: aliàs enim ſi inter fideles alienarũ linguarum ignaros, varij in Eccleſia variis linguis loquantur, inquit Apoſtolus: vt in eos quadret illa prophetica nunciatio, qua Deus ſe allocuturum comminabatur ad populum aliis linguis, & aliis labiis: tamquam pueris, ſiue infantibus communis ſenſus, nondum planè compotibus. Hortari autem ſe illos, vt nolint eſſe infantes ſenſu (quos tamen malitia paruulos eſſe cupiat) at verò ſenſu perfectos, & non contenti verborum ſonis, & dictatis linguarum conceptis pronunciandis, magis res ipſas atque ſententias, Prophetarumq; rationes noſcere ac tenere ſtudeant hæc nobis illius ab Apoſtolo inſtitutæ admonitionis ſumma expoſitio eſt. Iam verò ad Prophetæ orationem explicandam reuertamur. Exemplum proponit Iſaias ſermonis apud populum faciendi obſcurè, & ſub verborum inuolucris concluſi, breuiſsimiq; qui tamen populo ipſi non excipiendus eſſet, vtpote neque maioribus & plenioribus audiendis idoneo, neque breuioribus & obſcurioribus percipiendis apto. Atque ita gentem illam cum ſuis etiam ſtudiis prorſus à Deo improbatum, atq; peſſundatum iri docet.*

Amos 8. 1. Cor. 14.

Cui

Cui dixit : Hæc eſt requies mea, reficite laſſum, & hoc eſt meum refrigerium : & noluerunt audire.

SVMMAM *aliquam breuem doctrinæ à Deo illi populo traditæ, ſignificat Vates hoc exemplo breui ſermone, & verbis figuratis relato. Si quis huic populo ex Dei ſententia dixerit felicitatem ſummam eſſe quærendam; in quam, qui deuenerint adeò adducti omni tranquillitate animorum fruerentur: oportere autem hanc felicitatem & tranquillitatem expeti, & quæri, & patere iis, qui ſe laſſos eſſe cognoſcerent: qua obtenta, magnum refrigerium inueniretur. Huiuſmodi ſententia illa oratio à Ieſu Chriſto pronunciata fuit : Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego* Math. 22.
*reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem anima-* "
*bus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Atq; has ora-* "
*tionum figuras ex hominum iſtorum ſtudiis captandas & vſurpandas eſſe ſignificabat Iſaïas: quandoquidem homines illarum voluptatũ ſtudio, quietem, lætitiam, & tranquillitatem ſe percepturos putantes, quærebãt, quam tamen in illis rebus non inueniri manifeſtum eſt. Nam ſunt talia quoque tædia vitæ magna. Qui verò dixerit illis requiem in vno Deo, Deiq; conſilio ac beneficio conſiſtere, hanc eſſe optandam, hanc expectandam, hãc omni fide officioq; quærendam, & ſummis votis poſtulandam; is ænigmaticè, & per parabolam, & quaſi lingua aliena alloqueretur populum; vtpote ad myſteria regni Dei cognoſcẽda, & ſimpliciter excipienda propter ſenſuum hebetudinem, & prauam conſuetudinem non idoneum, neque aptum. Hoc modo Deus ſeſe allocuturum populum illum ait, & tamen non eſſe ab illo audiendum. Hanc expoſitionem ex Diuo Paulo accepimus, qui totius huius orationis partem primam, atque adeò ſententiam ſummam illo hemiſtichio concluſit. &, Nec ſic exaudiet me, dicit Dominus. Igitur hoc animo atque* 1.Cor.14.
*hac mente, hoc modo affectum populum, non quidem deſtituendum omnino verbi Dei annunciatione, ſed tanta parcitate, obſcuritate, & breuitate verbi docendum, vt videntes non videant: & audientes non audiant: neque tandem ſinentur. quamobrem? nimirum, quia noluerunt audire. Ex illo itaq; voluptatum, & aliarum rerum à pietate alienarum ſtudio, ex illo veritatis, & diſciplinæ puræ atq; abundantis faſtidio illud ſibi cõmerebuntur.*

Et erit eis verbum Domini, Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: vt vadant, & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur. LONGE *à peccatoribus ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt, inquit Pſaltes. Atque hac repetita de-* Pſal.119.
*nunciatione apertè nobis Iſaias viſus eſt indicare locum in quem Iudæi & Iſraelitæ deuenturi erant, propter Euangelium repulſum: qui traditionibus ſuis onuſti & inſtructi, eam viam conſuetudinum, quam ipſi* HALACHAH *appellabant, ſibi ipſis munitam tenerent, & inſtanter vrgerent: quæ via non in compendium atq; profectum, ſed in diſpendium & exitium tandem tenderet, atq; à vero fine auerſos, abduceret, in præcepsq; caſuros deduceret: tandemq; in Dei iram & reprobum ſenſum detruderet. Vt vadant.*

*dant. Hebraicè, LEMAGHAM, IELEHV, quod verbum cum illa conſuetudine HALACHAH, dicta conuenit, & cadant retrorſum, ſemper addiſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Nam quamquam in illis traditionibus verba & præcepta continentur ex ſacra lege & Prophetis; tamen ita rara, & obſcurè plerũque expoſita ſunt, vt iis, qui eam viam inſtiterint, alienatio potiùs à vera Dei ſcientia, & cæcitas accidat, quàm vera aliqua, & certa ſanæ doctrinæ methodus; id quod Iudæis eueniſſe manifeſtum eſt, atq; experimento ipſo compertum. Quoniam verò Deus, neq; propoſito, neque conſilio ſuo vmquam defuit, neque quicquam prætermiſit, quod ad electionis ſuæ expeditionem oportunum eſſet, cauſam quamobrem à ſe populus ille Iudaicus electus fuerit, denuò repetens ac referens, exponit; prædicens populo ſe ſuum promiſſum illis, atque adeò omni orbi præſtiturum, quod qui receperint, & fide atq; obedientia fuerint proſecuti, veritatem ſuam, accepto ſummo illo beneficio, agnoſcent: ſin minùs, in peccato ſuo morientur, atq; in reprobum ſenſum dati, qui beneficium & ſalutem experiri noluere, iudicem ac deſertæ ac repulſæ veritatis vltorem ſentient. Huiuſmodi itaque prædictione ipſi ſacerdotes, principes, magiſtratus, ac ſeniores ſcribæ & Phariſæi in primis admonentur, vt ſibi atq; reliquo populo conſulant, neque ſibi non prædictum, ſæpeq; repetitum, frequenter enũciatum cauſari aliquando poßint.*

Propter hoc audite verbum Domini illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui eſt in Hieruſalem.

VIROS *in populi miniſterium conſtitutos,* illuſores *Deus appellat, vtpote diuinæ doctrinæ & reipublicæ miniſterio abutentes, atq; rationem rectam legis, & totius religionis ac iuris ad ſuam ipſorum ambitionẽ & cupiditatem inuertentes: illudunt enim huiuſcemodi homines Dei, aut veritati, aut conſilio. In primis illudunt populo ipſi; cui cùm miniſtros ſeſe præbere deberent, dominos præbent, ac dominantur alieno populo: populo, inquã Dei, nec Deum populo dominari ſinunt; hoc eſt, aliam rationem ineunt gubernandi populi, atq; à Deo præſcriptam acceperunt, alio conſilio atque ſtudio; nimirum, ſui ipſorum amplitudinis, atq. rei priuatæ cumulandæ: grauißimam Dei querelam, crimenq; magnum continet hæc populi miniſtris* Deut. 17. *& principibus inuſta nota. Nam quæ regi ipſi illa dicta fuerat lex.* *Neque „ eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem „ dextram, vel ſiniſtram; eandem ceteris inferioribus rege miniſtris dictam fuiſſe, obſeruariq; oportere, manifeſta ratio conuincit. Quid verò his miniſtris, atque per hos reliquo populo denuntiatum, Deus velit, audiamus: magnum enim myſterium ſignificantibus verbis inuoluitur.*

Dixiſtis enim, Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm tranſierit, non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.

PVLCHRA *& frequens prædictio à Prophetis omnibus identidem conculcata apud populum audita eſt mortis æternæ, & inferni peccatores poſt*

*hanc*

*hanc vitam manentis: quam tamen ſæpè auditam, illuſores illi principes ita irridebant, vt dicerent, vel nullum eſſe poſt mortem ſupplicium, vel id eſſe commune, & vitari non poſſe hominibus vllis, vtpote ex Adæ ſemine procreatis; qui ſuam damnationē ad poſteros omnes, quaſi hæreditariā, tranſmiſiſſet: atque ea ſecum conſtituebant. Vel verum eſt, vel falſum quod dicitur. Si verum eſt, omnes in eadem damnationis lege ſumus; quam pati atque tolerare expedit potiùs, quàm ſolicitis animis timere, ac tremere. Mors ipſa nobis familiaris & coniuncta eſt: infernus etiam eſt ſubeundus: quid attinet plura nobis de hoc argumento inculcari? Sin falſum eſt, idem nobis accidet quod aliis. Oportet igitur arte & dolo, atque ingenio agere, vt nos reliquis ſuperiores ſimus, cùm diuitiis & dignitate, tum potentia & opibus: vt, ſi quando aliqua calamitas incidat publica, vel famis, vel peſtis, vel belli, quod* flagellum inundans, *per tranſlationem figuram dicitur, ea à nobis declinare, vitareq́ poſſumus, ingenio arteq́ inponamus: itaque religionis iugum populo graue admodum, idq́ ferè agamus. Hoc enim pacto dominabimur, & omnibus commodis fruemur: parabimusq́ nobis ex huiuſmodi ſimulatione & fictione ſubſidium in aduerſa & perturbata tempora. Huiuſmodi corruptorum hominum, & qui ex fraude atque ſcelere viuunt, conſiliū oratioq́ eſſe ſolet; ſi non manifeſta, at certa, intraq́ pectus pronunciata. id quod Satyricus ille apertiſſimè ac diſtinctiſſimè expreſſit:* Iuu. Sat. 13.

*Sunt qui in fortunæ iam caſibus omnia ponunt,*
*Et nullo credunt mundum rectore moueri,*
*Natura voluente vices, & lucis, & anni:*
*Atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt.*
*Eſt alius metuens ne crimen pœna ſequatur.*
*Hic putat eſſe Deos, & peierat, atque ita ſecum:*
*Decernat quodcumque volet de corpore noſtro*
*Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro,*
*Dum modò vel cæcus teneam, quos abnego, nummos*
*Et phthyſis, & vomicæ putres, & dimidium crus*
*Sunt tanti? pauper locupletem optare podagram*
*Ne dubitet Ladas, ſi non eget Anticyra, nec*
*Archigene.*

*Itaque mortis æternæ damnationem, iam ſibi familiarem eſſe & rectam, amicamq́ factam iſti dicebant: ſiue per irriſionē, vt qui non crederent; ſiue per conceſſionem, vt qui non curarent.* Percuſſimus fœdus cum morte. *Nos ad mortem æternam hæc referimus, quam Prophetæ horrendam denūciabant peccatoribus conuerti nolentibus: atque hæreditariam à parentibus primis indicabant. augeri autem damnationem aiebant priuatis ſingulorum culpis. Deum verè eſſe propitium, & miſericordem erga eos, qui fide & obedientia ad ſalutis accipiendum beneficium, ſeſe compararent. Ceteros autem, mortem & infernum expectare horrendum. Illi verò ad hæc vel taciti intra ſe, vel publicè Prophetarum ſermonem irridentes, aiebant ſe iam percuſiſſe* fœdus cum morte; *neq́ habere tam grauem mortem, cui ſe iam addictos eſſe, intelligerent: ſed patienter tole-*

*tolerare illam ſententiam omnibus communem. Quod verò ad alias pœnas, quas flagella Dei appellabant Prophetæ, bella, fames, & peſtem, ſibi ſimilibus mendaciis eſſe prouiſum & conſultum; vt ea declinare, atq; vitare facile eſſet, ſiue fœdere ſanciendo cum hoſtibus, ſiue potentia, opibus, diuitiis, & aliis artibus, ac rebus ſibi per ingenium, atq; mendacium, ſimulationem, diſſimulationem, & fictionem comparatis: quippe his modis atque rebus conſtare potentia & amplitudo, atque hæc in homines dominatio ab iis exiſtimatur, qui res publicas non ex Dei timore, & ſacrarum legum obſeruatione, ſed ex commodorum ſuorum vſu atq; ratione adminiſtrandas ſuſcipiunt. Hinc illa ſumma inter homines exiſtimata atq; commendata ſapientia orta eſt, quæ fraudibus tota ferè conſtat, ſeq; adeò magni facit, & iactat, vt veræ pietatis præcepta & inſtituta ſimpliciſſima, atque rationis rectè monita, non modò contemnat, ſed derideat, ineptoſq; dicat omnes bonos & probos viros, ab iniuria facienda abhorrentes, virtutiſq; veræ cuſtodes, ac ſatellites rigidos.* Flagellum inundans cùm tranſierit, non veniet ſuper nos. *Publica calamitas, vt belli incommoda, peſtis, & fames, flagelli inundantis nomine ſignificari nobis videtur, à quibus ditiſſimi ac potentes, iidemq; improbiſſimi, excipi plerumque ſolent, aut minùs etiã opprimi. vt ſcriptum eſt: Quia zelaui ſuper inimicos, pacem peccatorum vi-*

Pſal. 72.

» *dens. Non eſt reſpectus mortuorum: neque firmamentum in plaga eorum.*
» *In labore hominum non ſunt: & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo*
» *tenuit eos ſuperbia: operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Prodiit quaſi*
» *ex adipe iniquitas eorum: tranſierũt in affectum cordis. Cogitauerunt, &*
» *locuti ſunt nequitiam: iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Poſuerunt in cæ-*
» *lum os ſuum: & lingua eorum tranſiuit in terra. Namq; hîc tria indicantur genera, mors, infernus, flagellum inundans: ita vt non ſit Eteroſis poetica, ſed vera rerum varietate diſtincta. Mendacium autem hoc loco non à Propheta, ſed ab ipſis principibus & magiſtratibus, quorum ſermo inducitur, dictum accipimus; idq; vel ipſorum artem & ſimulationem, vel ipſorum opinionem de Prophetarum verorum ſermonibus & prædicationibus: quas vanas iſti putabant, nihilq; faciebant quantum ad ſe pertineret. ſed vt ille dicebat: Viuamus mea Lesbia, atq; amemus, Rumoreſq; ſenum ſeueriorũ Omnes vnius æſtimemus aſſis: vel vtrumque ſimul. Namq; duo verba Hebraica ſunt, CHARAB, & SEKER, quorum alterum ad illorum opinionem de Prophetarum oraculis; alterum verò ad eorumdem artem & fallaciam referimus. Iam verò his principibus hoc modo appellatis, & notatis, tamquam diuino Prophetarum ſermoni non credentibus, Deus rectiſſimam prædictionem proponit; & legitimam quandam obteſtationem iniit, qua ſe ſuum Filium miſſurum tandem declarat, atq; exhibiturum illis: ita, vt nihil ampliùs expectandum ſit poſt tot Prophetas, ac veros miniſtros: niſi vt Filius ipſe Dei mittatur; magno bono eorum à quibus exceptus, magno malo eorum, quibus fuerit reiectus.*

Catull.

Iccirco hæc dicit Dominus, Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum,

in

in fundamento fundatum. qui crediderit, non feſtinet.

CHRISTVM ſuum voluntatis ſuæ declaratorem ſapientiſsimum,
& miniſtrum efficaciſsimum à ſe mittendū pollicetur Deus, qui omnium
Prophetarum & prophetiarum, atq; legis finis ſit; & ſcopus ad quem præ-
terita omnia & antiqua ſpectauerint. Qui veræ doctrinæ rationes omnes
è ſapientiæ ipſius theſauris profectas, orbi exponat; qui regni cælorum, atq;
adeò Eccleſiæ Sionis nomine ſignificatæ caput ſit, & fundamentum: de cu-
ius plenitudine omnes accipiunt, & gratiam pro gratia ſumma, hoc eſt, di-
uina planè auctoritate præditum, virtute maxima conſpiciendum, omnibus
nominibus Deo ipſi probatum. De quo huiuſmodi teſtimonium ferendum
erat: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audi- Lucæ 9.
te. Hanc obteſtationem & prædictionem Deus, tranſlatis verbis atque ar-
chitectura arte petitis, fecit vt figura ipſa dicendi magis excitarentur, ac
permouerentur auditorum animi: atq; etiam, vt oratio cum ſuſcepta regni
inſtituendi, & ciuitatis ædificandæ allegoria conquadraret. Atq; hanc hu-
ius loci germanam expoſitionem ipſe Spiritus ſanctus, interpretibus Apo-
ſtolis, nos docuit. Ideoq; omnibus Chriſtianis doctoribus receptam, cultam, Rom. 9.
& repetitam videmus. Verba autem vt exactè obſeruata nobis ſunt, breui- 1. Pet. 2.
ter explicabuntur. Ecce ego. auctorem ſe declarat Deus illius beneficij ſalu- Euſeb. de-
berrimi; ita vt ille, qui mittendus ſit in nomine Dei Patris ſui, veniat. moſ. 101.
Mittam in fundamentis Sion. Bene expreſsit interpres noſter vim ver- Theod. Cyrill.
bi IAZZAD, quod fundare ſignificat. Ait autem Deus, in Sion illam ar- Ciprian. adu. ind. lib. 2. c. 15.
canam, ſe poſiturum primum lapidem fundamentalem. Lapidem, lapidē. Aug. Pſ. 94.
Repetitio hæc Emphaſim habet in commendationem lapidis, cuius dignitas
à repetitionis initio exponitur. Hebraicum verbum arcanum eſt ex Ety-
mo, ſignificatq; lapidem; non quemuis, ſed tantùm eum, qui ad ædificia ap-
tus comparatusq; ſit. Significat etiam ex eodem Etymo per diæreſim &
craſim, nunc ſoluto, nunc coniuncto, patris filium. Namque AB, patrem,
BEN, filium lingua ſancta nominat, vtrumque ita componamus, ABEN,
patris filium interpretari debemus. Mittendum itaq; eſſe ait, lapidem, qui
filius patris ſit, eumq; lapidem ad ædificium conſtruendum idoneum, omni-
que ex parte probatiſsimum, tam ex natura probatum firmiſsimum. Namq;
hæc ſignificatio eſt verbi BOHHEN, integri: quod ſi diuidatur BO·HHEN,
ſignificat in eo gratiā eſſe. Erit ille lapis præterea probatiſsimus, quòd gra-
tiæ plenitudinem in ſe habebit (non vacat hæc omnia myſteria explicare; ſa-
tis autem fuerit doctis & piis conſideranda indicare) angularem, pretio-
ſum. Hebraicè, angulum pretioſum. Significat Chriſtum eſſe angulum,
quo duo parietes ſimul coniunguntur; atque eundem eſſe lapidem illum pro-
batiſsimum, ita optatum, vt magna virtute complecti, connectereq; poſsit.
Vtrumque populum Iudæorum & gentilium; ex quibus templum ſanctum
conſtruatur in habitaculum Dei. Hoc autem ſignificabat aſſer ille quadra-
tus, qui in tabernaculi angulis conſtituebatur, armilla aurea ex ſuperiori
parte inſtructus: cuius fabricam in Apparatu ſacro oſtendebamus. Quod
enim pretioſum, Latinus vertit interpres, Hebraicè, IIKRATH, quod

*maximi & ineſtimabilis pretij ſignificationem cum ſummæ quantitatis connotatione habet: diciturq́; de iis rebus, quæ non facilè contingunt, atque ita Chriſtum vnicum lapidem pretioſiſsimum, cui parem inuenire non ſit, hæc oratio nobis ſignificat. Cùm verò anguli nomen Hebraicum, extremum etiam, & ſummum in vnoquoque genere ſignificat, atq; ab Iſaia ita in oratione collocatum ſit, vt conuerti poſsit vtrumque nomen, alterumq́; alterum declaret angulum ſummitatis, ſummitatem anguli. maximam & extremam, atq; incomparabilem pretioſitatem ſignificat Chriſti, huiuſmodi verborum conſtructio.* In fundamento fundatum. *Hebraicè, fundamētum fundamentum: quod nos ita interpretamur, vt Chriſtum vtriuſque populi fundamentum eſſe intelligamus: non quòd alter populus in Chriſto, & alter in altero populo, ſed vterque ad Eccleſiæ communionem inductus, Chriſti virtute & efficacitate æquè innitatur: atque vtriuſque etiam Eccleſiæ militantis, ac triumphantis, quæ in terris atque in cælis ſunt, ſtructura, hoc vnico lapide pretioſiſsimo ſita ſit. Multa de hac re, quæ dicere poſſemus, conſultò prætermittimus: vt de fundamento regni atq; Sacerdotij, quæ omnia Spiritus ſanctus verbis ſignificantiſsimis & ampliſsimis indicat. Quoniā verò hoc promiſſum, quod promiſſorum omnium ſummam repetitam continet, non ita citò expediendum erat, ſed temporibus diuino conſilio conſtitutis: atque ideo ab iis, qui fidem promiſsis Dei haberent, expectari oportebat, tamquam certiſsimam rem, & illis nihilominus vtilem futuram. quamquam ad id vſque ſeculum non victuris in terra. Ideo adiunxit Deus:* qui crediderit, non feſtinet. *Hac oratione ſignificantur promiſſa Dei certiſſima eſſe iis, quibus per fidem excepta fuerint, & mandatorum exercitationem ſeſe, ad ea obtinenda comparantibus; quamuis neſcientibus quanta illa ſint; aut quo tempore ſint expedienda. Namque fides, ſperandarum ſubſtantia rerū, & argumentum non apparentium, definitur: neminem autem ſanctè & legitimè credentium huius & patientia, obedientia, atq; ſpe viua huius maximi promiſsi, vſu fraudādum eſſe ait. idq́; hoc tropo ſignificatur,* non feſtinet. *ipſe, quamquam cupiat euentum promiſsi huius; imò curam, & conſilium relinquat promittenti, qui nec mentiri, neque obliuiſci poteſt. Quod cùm ita ſit, credat ſe non pudefiendū ſpei ſuæ fruſtratione. Huc enim ſpectat oratio hæc, vt ſpem faciat, eamq́; certiſsimam: id quod optimè intelligens Diuus Paulus, ex conſequenti interpretatus eſt: Omnis qui crediderit in eum, non confundetur. Itaq; hæc denunciatio per Vatem facta, prædictionis, quam proteſtationem vulgò dicimus, vim habet à Deo factæ, cōfirmantis ſuam de populo Iudaico electionem: in eum videlicet vſum, vt ſanctiſsimus ille Meſsias, qui omni orbi ſalutem allaturus erat, ex illo populo naſceretur, atque apud illos expediret munus ſuum: cuius cauſa mittendus in mundum erat, quod prædictum atq; expoſitum illis voluit Deus, vt manifeſtum fieret illos ante quoſcumque alios, à quibus lapis ille reprobatus fuerat, perituros, ſua ipſorum culpa; non defectu promiſſorum, ac beneficiorum Dei, qui verbum abbreuiatum facturus erat in terra. quò oſtenderet apertiſsimè, ſe totius orbis non ſolùm creatorem, ſed redemptorem, ſeruatorem,*

*Domi-*

*Dominum, ac Iudicem eſſe, redditurumq́ vnicuique ſecundùm opera ſua:* Rom. 2.
*iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis gloriam & honorem, &* "
*incorruptionem, quærunt vitam æternam; iis autem qui ſunt ex contentio-* "
*ne, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indi-* "
*gnatio. Namq; ſic duplex effectus Euangelij fuit: cuius miniſtri alis odor mortis in mortem, aliis verò odor vitæ in vitam; atq; hoc ita futurum, miſſo demum in terras Chriſto illo, toties per Prophetas enunciato, ſubiuncta oratione exponi Deus voluit.*

Et ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura.

*Hebraicè ad verbum eſt,* Et ponam iudicium ad lineam, & iuſtitiam ad pondus. *Iudicium eſt ius Euangelij virtute exercendum. vt qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus ſit: & qui non crediderit, cōdemnetur. Erit linea rectiſsima, & certus finis Euangelij diuino conſilio conſtitutus, quem vltrà citraq́ quicumque conſtiterit, ſeipſum, ſuamq́ culpam accuſet oportet. Magnam autem & conſtantem certitudinem ſignificat, & nō fore æqualem omnium vel præmiorum, vel pœnarum rationem, ſed vnicuique tribuendum iuxta opera ſua: id quod figura illa docet.* & iuſtitiam ad pondus, *ſiue, vt Latinè legimus, ad menſuram. Huius autem virtute, ſapientia, & efficacitate Euangelij atq; doctrinæ Chriſti, vana omnia argumenta & falſa, quibus homines aduerſum diuinam prouidentiam vtuntur. deinde monſtroſa illa & mendacia opinionum commenta, quæ contra ſalutis rationem & veritatem afferuntur: tam ab illis principibus, quos hoc loco indicabat Propheta, quàm ab eorum ſimillimis, quales hæretici, & indocti, inſtabileſq́ ſunt. quos omnes profectò ſignificatos intelligimus. Omnia, inquit, tum ſapientiæ veræ demonſtratione, tum ipſo diuinorum promiſſorum vſu diluenda, & diſcutienda, labefactandaq́ fore Deus pollicetur. adeò, vt nemo habeat quid opponere poſsit de veritate & virtute, niſi propriam incredulitatem & inobedientiā. hoc eſt quod ſignificat Propheta:*

Et ſubuertet grando ſpem mendacij: & protectionem aquæ inundabunt. EVANGELII *doctrina efficaciſsima, virtuteq́ illa cælitus demiſſa, omnia vana hominum figmenta, atq; aduerſus veritatem Dei excogitata commenta labefactanda, perdenda, & extinguenda eſſe, ſignificat hoc loco Vates; maximumq́ myſterium, quamquam non apertè reuelat, indicat tamen ſignificantiſsimè; arcanum inquam illud, diluuij mortis Chriſti: quo peccati damnantis delendum erat, & mortis imperium, atque inferni regnum abolendum. Venit enim Ieſus Chriſtus Filius Dei in mun-* Coloſſ. 2.
*dum, vt diſſolueret opera diaboli, atq; chirographum decreti quod erat con-* "
*trarium nobis, deleret, & affigeret cruci, principatus & poteſtates expolia-* "
*ret. Itaq; virtus illa admiranda Euangelij Chriſti, qua impietatis doctrina omnis redarguitur, ſignificata nobis eſt illa allegoria,* & ſubuertet grando ſpem mendacij. *grando, Hebraicè,* BARAD, *cuius diuiſæ ſyllabæ totius nominis myſterium produnt. ſignificat enim idem quod Latinè dicere poſſemus, in dominatu, poteſtate, comprehenſione, atque diuiſione, ſiue ſeparatione. Quas omnes virtutes nemo inficias ire poteſt, Euangelij Chriſti*

*pro-*

*propriaſ eſſe; quod non ſicut Scribarum & Phariſæorum doctrina, ſed in poteſtate, & auctoritate admiranda enunciatum eſt: Et comprehēdit aſtutos in aſtutia ſua, atque viuida acu penetrat, omni gladio ancipiti penetrat; vanaq́; omnia, leuia, & in ſpeciem tantùm comparata, prærumpit ac diſſipat. Vſus eſt autem Propheta his tranſlationibus, grandinis & aquarū, ſignificantiſſimis & oportuniſſimis: vt vſurpatæ etiam ab iis, quos colloquebatur, figuræ reſponderet. ſiquidem illi à tempeſtatibus grauioribus tranſlatione ſumpta, verba illa pronunciarant.* ſpem noſtram, *Hebraicè,* MAHHAZZEH: *quod propriè protectionem ſignificat, ſiue, receptaculū, atque latibulum, qualia per æſtum quærere homines ſolent: atque ſub eadem metaphora inquiunt, protecti ſimus. quod ab iis vſurpatum eſt verbum, qui ſeſe à tempeſtatibus impendentibus, aliquo latibulo defendere ſolent. Duplex autem fuit hominum mundanorum ratio, qua ſuas partes defendere moliti ſunt. Altera oratio compoſita verbis & argumentis ab humana ſapientia, ſiue potiùs inſolentia atque ſtultitia petitis: quibus bonum malum, & malum bonum dicere ſe, atque oſtendere poſſe putant. Altera verò ipſa communis hominum natura, quæ cùm vitioſa agnoſceretur, leuiorem culpam, aut nullam conſtituere illis videbatur. Hæc enim vulgaris iſtorum, atque iſtiuſmodi hominum oratio tutiſſimaq́; fuit. Sumus omnes peccatores, vitiis nemo ſine naſcitur: Nullus ſine crimine viuit. Atq; ita multi vitioſam & ſceleratam vitæ conſuetudinem excuſare quidem tendebant. Hæc omnia Euangelij ſapientia, & Chriſti virtute atq; efficientia dirutum obrutumq́; iri Propheta aiebat. Quippe illa vmbracula foliorum atque frondium, hæc illa verborum & orationum, quæ foliis ſimillima ſunt, receptacula, non ſecus atq; frondes & folia, grandine diuinæ ſapientiæ, in Euangelio oſtendendæ, vt diſſipanda eſſe affirmabat. Alteram verò excuſationem tollendam euertendamq́; eſſe aſſerebat illius mortis, Chriſti virtute, cuius ſanguis emundaturus eſſet omnes eos, qui ſeſe illi per fidem atq; obedientiam adiungerent; quorum peccata extinguenda, atque delenda erant illa inundatione diluuij magni, ſanguinis & aquæ; ſicut totus olim terrarū orbis per diluuium inundans, omnibus ſceleribus, atq; ſceleratis hominibus fuit expurgatus. Nihil itaq; habituri erant improbi homines quo ſe defenderent: non orationem fictam atq; compoſitam, vtpote Euangelij ſapientia diluendam: non illam excuſationem communis vitioſatis naturæ humanæ, quippe quam efficientia mortis illius atque ſanguinis euertendam eſſe, Vates præuideret; atque ita euertendam, vt quicumque Noë exemplo, in illa à Deo conſtituta Chriſti corporis arca ſeruarentur, quamuis grauiſſimo illo diluuio iræ Dei aduerſus peccata immiſſo, tamen ipſi non perirent, ſed liberi tandem euaderent. Quòd ſi in peccatis aliqui manere ſuis vellent, ipſorum culpa eſſet, non autem eam naturæ vitioſitati aſcribere poſſent, quam virtute Ieſu Chriſti, qui pro omnibus moriturus, & reſurrecturus erat, vincere poſſent; ſi tamen officium ſibi conſtitutum & præſcriptum ſeruare vellent. hoc eſt quod Vates arcanè dixit,* & protectionem aquæ inundabunt. *Vos æſtimabatis latibulum vobis paraturos ad vitanda flagella inundan-*

Heb. 4.

*undantia, atque effugituros iudicium Dei illis rationibus & modis per vos excogitatis. Atqui ſic habetote fore vbi Deus poſuerit in Sion lapidem illũ, & iuſtitiam, & iudicium certiſsimis normis conſtituerit: vt tanta ſit diluuij vis & magnitudo, vt nihil habeant ſceleſti homines, quo delicta ſua poſſunt defendere. Quippe cùm totum mortis & inferni regnum euertendum ſit, iudicandus princeps huius mundi, eiiciendus foras; ita vt qui perierit, manifeſtè arguatur, ſua ipſius culpa periiſſe: nihilq́; exteriùs habeat, quo petito defendere, aut excuſare ſeſe poſsit. niſi illud excuſationem quis dicat, quòd ipſi vltrò in peccato ſuo manere, ac perire, quàm ſeruari maluerit. Namq́; quod ad vim illius diluuij atq; ad efficacitatem attinet:*

Et delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit.

EFFVNDAM *ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus* Ezech. 36.
*inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri; & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini: & habitabitis in terra quam dedi patribus veſtris, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. Et ſaluabo vos ex vniuerſis inquinamentis veſtris: & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponã vobis famem. Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri: vt non portetis vltrà opprobrium famis in Gentibus. Et recordabimini viarum veſtrarum peſsimarum, ſtudiorumq́; nõ bonorum: & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ, & ſcelera veſtra. Non propter vos ego faciam, ait Dominus, notum ſit vobis: confundimini, & erubeſcite ſuper viis veſtris, domus Iſrael, &c. Hæc omnia, & plurima alia per figuras & imagines à Vatibus prædicta, magnam illam, atque diuinam virtutẽ mortis ac reſurrectionis Chriſti ſignificabant; efficaciamq́; admirabilem indicabant ad imperium inferni, mortis atq; peccati dominatum euertendum, conſtituendumq́; cælorum regnum. Chriſtus enim deleturus erat fœdus cum morte factum, & pactum cum inferno initum: ita vt ſtare atque permanere ſuo illo antiquo fundamento non ampliùs poſſet. Omniaq́; eò tendebant, vt Chriſtus hominibus deſideraretur, & optaretur: & cùm contingeret, ſtudioſè ac ſanctè exciperetur: eos enim à quibus per fidem & obedientiam exceptus eſſet, à morte, mortisq́; tyrannide liberatos, in filios Dei euaſuros ſacra reſponſa, quæcumque de hac relata fuerant re, ſignificabant. Eos verò, à quibus ille repulſus eſſet, Iudæos, in peccato ſuo* Dan. 9.
*morituros: atque etiam grauiſsima in hac vita pœna mulctandos, reproba-* Mat. 24. Mar. 13.
*tionis, & excæcationis, atque etiam bellorum, abductionis, captiuitatis, &* Lucæ 21.
*ſeruitutis miſerrimæ, aliiſque incommodis afficiendi erant: quibus illi, qui Chriſtum ſeruatorem ſibi promiſſum, ac ſæpiſsimè prædictum, non exceperunt. huiuſmodi pœnas luituros, atque denunciationem veram aperturos, & probaturos eſſe, illos dominatores Ieruſalem confirmabat Propheta.*

Flagellum inundans cùm tranſierit, eritis ei in conculcationem.

Optime *nobis expoſuiſſe videtur Chaldaicus Paraphraſtes, qui hemiſtychium hoc ad temporales, quas vocamus, pœnas retulerit.* Plaga inimici cùm venerit ſuper vos, erit quaſi torrens inundans: & eritis ei in conculcationem. *Namque ad captiuitatem illam, & publicas calamitates quibus excæcati iam Iudæi, ob repulſam Chriſti Euangelio factam, obruti ſunt, quoſq́; ſimilibus criminibus imitati fuerint, ſimili etiam pœna inuoluentur. Mirabili autem antitheto vſus eſt Propheta, orationi illorum oppoſito qui dixerant:* Flagellum inundans cùm tranſierit, non veniet ſuper nos. *Illi ſe flagello publico non tangendos exiſtimabant: Propheta verò, non tantùm tangendos, ſed conculcandos, & peſſundandos fore affirmat. Quemadmodum Iudæi victi à Romanis victoribus, accepti habiti, ac tractati fuerint, omnes cognouimus, qui hiſtorias antiquas legimus. Tuetur enim illis dies tribulationis: tales non fuerunt ab initio creaturæ, quàm condidit Deus vſque nunc, nec fient. Atque eos maximè flagellum illud oppreßit, qui potentiſsimi opulentißimiq́; erant. atque huiuſmodi calamitates, illis non credentibus, neque obtemperantibus, certißimas fore confirmat; nullisq́; eas exceptionibus eſſe declinandas, declarat, vtpote magnas, communes, & continentes futuras.*

Quandocunque pertranſierit, tollet vos: quoniam manè diluculo pertranſibit in die & in nocte.

*Chaldæus Paraphraſtes ita locum hunc expoſuit: In tempore tranſitus ſui, tranſmigrare faciet vos. Nihil planius dici potuit ad Iudaicam calamitatem, & abductionem Romanorum opera factam, ſignificandum. Contingere autem ſolet, cùm tempeſtas aliqua repentina & procelloſa commouetur, quæ breui duret, vt y qui latibulum fortè inuenerint, periculo excipiantur. At verò ſi tempeſtas diutiùs duret, & imbres, nymbi, ac procellæ continenter perdurent, diu atq́; noctu perſeuerantes; tunc omnia obruuntur, latibula etiam ipſa aquis implentur, repagula deiiciuntur, nihil deniq́; eſt quod perferre poßit tãtam vim: Sed neque tempus euadendi oportunum latentibus conceditur, qui noctu non poſſunt, neſciunt enim qua tutiſsimè effugiant: interdiu autem inſtante tempeſtate, non audent prodire: atq́; ita demũ oppreßi & obruti, peſſundantur. Hoc ſignificauit Vates illa oratione,* manè diluculo pertranſibit. *Continuis diebus: namque, manè diluculo, diſiunctim legendum eſſe, ex Hebraico docemur. ſolent autem tempeſtates ſummo manè aliquantulum ſedare. Hæc verò integra plenaq́; tranſibit, manè, manè, ſingulis diebus manè, atq́; eadem erit manè* & die, & in nocte. *Contentiſsima illa Romanorum Ieroſolymam obſidentium, & oppugnantium mora, nobis hoc loco depingitur: quæ totis tribus ferè annis durauit ab eo tempore quo incepta fuit res: illud verò quod Vates adiunxit,*

& tantummodò ſola vexatio intellectum dabit auditui;

Sic *Hebraicè ſimpliciter habet,* & erit certè tremor intelligere auditionem. *Quæ oratio iuxta metaphoræ rationem ſignificat, quàm grauiſsimum fore ſenſum illorum malorum: quod ex eo conüicere licebit, quòd tem-*

*tempeſtatis nondum ingruentis, ſed commotæ, iamq; aduentantis fragor auditus & opinio, atq; expectatio ſola tremorem atq; terrorem incutiet maximum. Qua oratione indicare Vates voluit, auditarum Prophetiarũ conſtantiam & veritatem improbis & incredulis magno ipſorum terrore & metu probandam fore, vbi iam Euangelij tuba ſonaret, atq; hominum ſenſus pulſaret. Huiuſmodi admonitionibus & comminationibus omnes ad habendam diuinis oraculis fidem Prophetæ inducere ſtudebant. Atq; illam omnem ſapientiam, humanam illam excuſationem, qua improbi ſeſe tueri ſolerent, Chriſti euangelij & virtute, & efficacitate inanem & irritã efficiendam eſſe. Demùm concludit Propheta Prouerbiali quadam oratione, quæ cum ſuſcepta metaphora apprimè conuenit.*

Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita vt alter decidat: & pallium breue vtrumque operire non poteſt.

VERVM *& falſum mendacij, ſpem & veritatem ipſam conſiſtere ſimul non poſſe, oratio hæc (vt Latinè legitur) ſignificat. cuius etiam expoſitionem valdè adiuuat Hebraica lectio, ex verbo reddita in hanc formam:* Quia eò anguſtatum eſt ſtratum à ſuperando, & operimentum quando ingreſſum eſt. *Alludit omnino Propheta ad orationem illorum, qui dixerãt:* Quia poſuimus mendacium ſpem noſtram; & mendacio protecti ſumus. *Ait autem Propheta, ſpem atque protectionem illam, quam iam ſuperiùs exponebamus* vanam atque irritam, *nulliusq; vſus illis eſſe futuram, neque recepturam, vel protecturam eos, qui illam petierint: ſimilemq; comperiendam ſtrato, quod cùm quietis capiendæ cauſa petatur, arctiùs inuenitur, quàm vt continendo corpori aptum eſſe poſſit: atq; etiam protectio, ſiue operimentum aliquod, quod ad incommoditatẽ vel à frigore, vel à pluuia, vel ab æſtu fugandam ſubitur, anguſtius eſt, quàm tegere totum hominem poſſit: ita ſpem & protectionem illam inutilem deprehendendã, cùm illa diuina Euangelij virtus extiterit, quæ vanitatem omnem arguat & confundat.* Coaguſtatum eſt ſtratum, *à ſuperando. Oportet ſtratum maius & amplius eſſe quàm corpus ipſum cubiturum, aliàs neque commodè cubari poteſt, neque ſecurè dormire, neque tutò quieſcere. Periculum enim certiſſimum eſt decidendi, quàm primùm corpus moueatur, aut voluatur. Operimentum etiam, niſi ſuperet, inutile eſt, operireq; nequit. Confirmat demum Iſaias orationem ſuam noua atque repetita denunciatione virtutis Dei, Euangelij efficientia publicè oſtendendæ, ad ſalutem eorum qui crediderint, & obtemperauerint. Contrà verò in perniciem eorum qui non crediderint, & iuſtitiam Dei, impietate atq; improbitate detinuerint: id quod cum ſumma Iudæorum admiratione ſpectandum erat, videntium ſeſe reprobatos & reiectos à Deo: contrà verò gentes ad regni cælorum communionem admiſſas, & receptas.*

Sicut enim in monte diuiſionum ſtabit Dominus: ſicut in valle quæ eſt in Gabaon iraſcetur: vt faciat opus ſuum, alienum opus eius; vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo.

DAVIDEM *in Iſraelitarum regem vnctum cùm audiſſent Phili-*

2. Reg 5. *ſthiim: aſcenderunt vniuerſi, vt illum oppugnaturi quærerent: quod cùm
» audiſſet Dauid, deſcendit in præſidium: Philiſtim autem venientes, diffuſi
» ſunt in valle Rephaim. Et conſuluit Dominum Dauid, dicens: Si aſcen-
» dam ad Philiſthiim? & ſi dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad
» Dauid, Aſcende, quia tradens dabo Philiſthiim in manu tua. Venit ergo
» Dauid in Baal Pharaſim, & percuſsit eos ibi, & dixit, Diuiſit Dominus
» inimicos meos coram me, ſicut diuiduntur aquæ. Propterea vocatum eſt no-
» men loci illius Baal Pharaſin, hoc eſt, diuiſionum compotem, ſiue diuiſorum.
Ad huius figuræ inſtar verum, ait Propheta diem aſtiturum Chriſto in regem regni cælorum conſtituto: aduerſus quem omnes qui inſurgerent reges & Principes terræ, & omnes populi, maximè verò Iudæi, fundendos ac diuidendos eſſe ait, ſicut aquæ fundũtur atq; diuiduntur: eiuſdemq; rei aliud exemplũ adducit, quod figuram etiam eſſe declarat. Cuius rei hiſtoria narrat Ieroſolymorum regem Adonibe* SEDEC, *aſcitis vicinis regibus atq; copiis coactis maximis, bellum Gabaonitis intuliſſe, ob initum cum Ioſue fœdus. Habitatores autem Gabaon vrbis obſeſſæ miſiſſe ad Ioſue, qui tũc morabatur in Caſtris apud Galgalam, huiuſmodi oratione nuncium: Ne re-*
Ioſue 10.
» *trahas manus tuas ab auxilio ſeruorum tuorum: aſcẽde citò, & libera nos,
» ferq; præſidium: conuenerunt enim aduerſus nos omnes reges Amorrhæo-
» rum, qui habitant in montanis. Aſcendit igitur Ioſue de Galgalis, & om-
» nis exercitus bellatorum cum eo, viri fortiſsimi. Dixitq; Dominus ad Io-
» ſue, Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi reſi-
» ſtere poterit. Irruit itaque Ioſue ſuper eos repentè, tota nocte aſcendens de
» Galgalis. Et conturbauit eos Dominus à facie Iſrael: contriuitq; plaga ma-
» gna in Gabaon. Miſit enim Deus in illos lapides magnos è cælo. Stetit etiam
» illa die Sol in medio cæli, & multa alia ſigna ſpectata ſunt, quibus bellum
» illud à Deo factum, & victoria diuinitus parta, probaretur. Vt autem rem
ipſam cum antiqua illa figura componentes Prophetæ noſtri, ſententiam explicemus, animaduertendum eſt, Iudæos duplici morbo atq; inſania laboraſſe: & quod Ieſum Chriſtum, quem in Regem ſuſcipere deberent, odio grauiſsimo ad mortem vſque proſecuti ſunt, & regnum apud ipſos promiſſum, conſtituere volentem, admittere & accipere noluerunt. & inuidia etiam maxima aduerſus gentes ad Euangelij lucem, atq; ad regni cælorum communionem vocatas. Atque ita coactis copiis, ſtudiisq; coniunctis, Ieſu Chriſti Euangelium, illiusq; miniſtros oppugnare conati ſunt: verùm Dei virtute victi, repulſi, atq; diſiecti, & in reprobum ſenſum dati, omniq; religionis dignitate, omniq; reipublicæ ornamento & commoditate expoliati ſunt: atq; ita opus ſuum operatus eſt Deus, Euangelio vincẽte, Chriſti regno cõſtituto, gentibus admiſsis, vt propoſitum ipſius maneret: & quoniam hoc fieri poterat ſumma cũ pace & tranquillitate, atq; proſperitate vtriuſq; populi, Iudæorũ & Gentium: ſi Iudæi ſapere, quàm deſipere maluiſſent: tamen quia voluntati Dei obſiſtere conati ſunt Iudæi, ira & acerbitate opus fuit, quibus Dñs aduerſus oppugnantes vſus, faceret* opus ſuũ. *Appellat verò opus eius, alienũ opus eius, tum quod ira, indignatio, acerbitas, punitio*

opus

*opus Dei ſunt: verùm alienum opus ab illa prima ipſius voluntate, quam Antecedentem Theologi dicũt; qui omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire vult: tum etiam, quòd conuerſa vice edendum eſſet exemplum hoc: quondam enim, Ioſue duce, pro Iſraele aduerſus gentes pugnauit Deus, Chriſto verò Rege oppugnatores Iſraelitas puniuit. Ad poſteriorem referimus primum membrum huius orationis.* Alienum eſt opus eius. *Ad priorem verò illud alterum membrum.* Peregrinum eſt opus eius ab eo. *quippe qui neminem perire velit: ſed omnes ad pœnitentiam redire: atq; adeò ad ſalutem ſuam perduci optet. Propoſito itaque atque prædicto Dei conſilio & iudicio in eos qui veritatem ipſam, & ſummã rationem ſalutis per Chriſtum explicandam cognoſcere, atq; accipere noluerint; redit Propheta ad eos qui monita mandataq; ipſius irridebãt. quos monet, vt inſanire deſinant, & ſapere incipiant, ſibiq; conſulant; veritatem Dei ſibi propoſitam, non irridentes: imò potiùs quamprimùm ſummo ſtudio amplexi venerentur, & ament. Ita enim fieri vt clementiam Dei experiantur, atq; leuiorem præteritorum errorum animaduerſionem ſentiãt: alioquin verò protinus & labefactandi ac perdendi ſint.*

Et nunc nolite illudere, ne fortè conſtringantur vincula veſtra: conſummationem enim & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum ſuper vniuerſam terram.

QVI *veritatem propoſitam non reciperent, eos caſtigandos, atque graui animaduerſione puniendos eſſe diuini iudicij conſilio decretum erat. Eos verò qui non modò non reciperent veritatẽ, ſed & ipſam, & monitores illuderent, grauiori ſupplicio dignos eſſe, ius atq; ratio confirmat. Alloquitur itaq; Vates, & monet illos, quos illuſores antea appellauerat, ne illudãt Dei clementiſſimi per Vates edita monita, ne fortè conſtringantur vincula veſtra, ne roboretur, & duriores parentur pœnæ vobis infligendæ, atque adeò inuoluamini communi illo iudicio, per diem Euangelij tempore edendo: cuius conſilium eſt, vt quicumque propoſitam veritatem non receperint, excæcentur, & indurentur: vt pœnas dent in interitu æternas, à facie iræ Domini, & à gloria maieſtatis eius, cùm venerit glorificari in ſanctis eius, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Conſummationem enim & abbreuiationem audiui. Monet Propheta populum, populiq; principes, & illuſores omnes veræ doctrinæ, vt tempeſtiuè atq; maturè ſapiant, & ſibi proſpiciant, declinentq; venturam iram; rationemq; reddit, quamobrem ſic moneat: Quia conſtitutum eſt, inquit, atq; decretum Dei iudicio vt rectus modus demùm ſtatuatur, rectumq; tempus præfigatur omnibus hominibus, rectaq; ratio ineatur exponendi, atq; oſtendendi veritatem, idque per Euangelium fiat, cuius lucem quicumque aſpicere & admittere, atque in ſuam ſalutem accipere noluerint, in tenebris maneant, & in peccato ſuo moriantur. Atq; hæc eſt ſumma illa rerum omnium quas Deus vel in ſalutem eorum, qui ſeruari optauerint, vel in condemnationem eorum, qui veritatem non receperint, conſtituit. Hæc, inquam, eſt ſumma, quam ego audiui à Domino Deo exercituum. Ita exponimus duo illa verba,* conſummatio-

Theod. in hanc locum

2. Theſſ. 1.

mationẽ & abbreuiationẽ. *Hebraicè*, CHALAH, *&* NEHHERATSAH. *Prius verbum ſummam concluſionem, conſumptionem, integritatem, vniuerſitatem, & quæ ad hanc ſignificationem fieri poſſunt, ſignificat: atque idem conſummationem rectè vertit interpres noſter. Poſterius verò ſignificat præciſionem, modumq́; rectum & definitum: atq; adeò definitionem, &, quod vulgò dici ſolet, ſummam ſummarum determinationem & reſo-*

Rom.9. *lutionem. id eſt, vt Diuus Paulus hunc locum declarans, exponit, Verbum*
» *conſummans & abbreuians in æquitate, quia verbum breuiatũ faciet Do-*
» *minus ſuper terram. hoc eſt, Euangelium, in quo conſilij atque iudicij Dei in eos qui ſalui fiunt; & in eos qui pereunt, ſumma pleniſſima continetur. Appellantur autem hoc loco duo nomina diuina Dominus, quod ad miſericordiæ & ſalutis rationem plerumque, vti iam ſæpius docuimus, refertur. Eſt enim tetragrammaton illud nomen, & Deus* ELOHIM, *quod ad iudicium & gubernationem refertur. Atq; huic additur adiunctum illud* exercituum, *in vltionis & caſtigationis argumentis vſurpatum: eſt itaq; illa verborum horum ſignificatio: Certam vobis denuncio vel ſalutem, vel damnationem conſtitutam atque decretam à miſericordiſſimo Domino, eodémque rectiſſimo iudice, & gubernatore, potentiſſimoq́; vindice, decretam, inquam, & præciſam, atque breuibus Euangelij paginis contentam, ſalutis, vel exitij ſummam: cuius rationibus nemo mortalium in vniuerſa terra excipietur: ſed ſi quis, annunciato Euangelio, crediderit, & baptizatus fuerit baptiſmo pœnitẽtiæ, vero baptiſmo aquæ & Spiritus ſancti, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Atq; huius propheticæ prædictionis explanationem re ipſa, præſentiq́; ſermone, atque certiſſima oratione*

Ioan.3. *Euangeliſta ſummus Dei ipſe Filius apertè fecit. Sic Deus dilexit mun-*
» *dum, vt Filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non*
» *pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in*
» *mundum, vt iudicet mundum: ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui cre-*
» *dit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non*
» *credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc eſt autem iudicium: quia lux ve-*
» *nit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant*
» *enim eorum mala opera. Cùm verò illuſorum iſtorum, quos Iſaias notans, admonuit, occaſione effectum erat, vt in diſputationem de humana prudentia & ſapientia, atque etiam de conſiliis diuinis incideretur; commodiſſimè Deus per Prophetam ſapientiæ ſuæ rationem, ad impiam hominum ſtultitiam redarguendam indicauit; documentumq́; dedit pulcherrimum, diſputatione ad rerum naturam & veritatem reuocata: quam nemo rationis, & communis ſenſus compos, vbi rectè tenuerit, redarguere, aut labefactare poſſit. Ideoq́; tamquam rem omnibus hominibus commodam & oportunã, imò & expedientiſſimam, attentionis poſtulatione commendat.*

Auribus percipite, & audite vocem meam: attendite, & audite eloquium meum.

DVPLEX *eſſe diſputationis genus Deus nobis perſæpè indicauit, & quotidiana experientia demonſtrauit. Alterum quòd inquirẽdi veri cauſa*

*&,*

*& ſtudio inſtituitur: Alterum verò quòd ingenij oſtentandi, aut priuati conſilij ac iudicij proferendi pertinaci propoſito fit. Illud verè humanum atque philoſophicum, hoc verò ſophiſticum, contentioſum, ambitioſum, & non ſolùm inutile, ſed moleſtum, atq; adeò importunũ incommodiſſimumq; eſt. Quædam enim hominum ingenia ſunt ambitionis & contentionis vitio corrupta, atq; ideo etiam audacia, & linguæ volubilitate luxuriantia, vt quæ nullo ſibi propoſito fine, niſi vt nulli cedant, ſuaq; ſtudia atq; etiam delicta defendant: neque diſputandi, neque nugandi modum adhibent, niſi vel cauſa obtenta, vel iis, cum quibus contendunt, magno iam tædio affectis, & contentionem remittentibus. Hos ita exactè pingebat ille.*

*Alter rixatus de lana ſæpe caprina* Horat. epiſt. lib. 1.
*Propugnat nugis armatus, ſcilicet vt non*
*Sit mihi prima fides, & vero quòd placet, vt non*
*Acriter elatum, pretium ætas altera ſordet.*

*Vt verò huiuſmodi contentioſas, verboſas, atque adeò pernicioſas contentiones vitare & fugere nos Spiritus ſanctus docet, & monet: ita rurſus aliud genus inquiſitionum atque diſputationum, ad verum inueniendum inſtitutum coli, atque diligenter tractari præcipit: cuius rationem omnem rectis definitionibus atque terminis præſcribit, intra quos veritas continetur, neque vltrà hos petita aut quæſita inuenietur. Sunt autem in vniuerſum duo vniuſcuiuſque vel rei, vel actionis termini: alterum initium, alterum verò finis dicitur. Quæ ſi quis rectè norit, media omnia, & quæ inter vtrumque terminum confecta, atque deſtinata, probè etiam cognoſcet. Quoniam verò de actionibus Dei ex initiorum & finium cognitione diſputaturus erat Propheta, attentionem poſtulauit geminam: alteram, qua rerum initia; alteram verò qua earundem fines diſtinctè recognoſci poſſunt. Auribus, inquit, percipite, & audite vocem meam, qua ego rectum actionum omnium & operum initium. Attendite, & audite eloquium meum, quo rerum & actionum finem certis rationibus ac terminis claudi vos docebo: idq; re vera humano ingenio mutari non poſſe commonſtrabo. Quippe veritas ipſa rerum non ex humano conſilio, ingenio, aut ſermone, ſed ex natura definitione à Deo conſtituta proficiſcitur. id quod ſimilitudine, optimo & manifeſto opere deſumpta, oſtendam.*

Numquid tota die arabit arans vt ſerat, proſcindet, & ſarriet humum ſuam?

*Agriculturæ ars vt omnium antiquiſſima, ita etiam & cæterarum omnium ſimpliciſſima, & omnibus omnium gentiũ mortalibus notiſſima eſt: iiſdemq; præceptis, inſtitutis, atq; exercitationibus apud omnes conſtat. Illa Deum auctorem agnoſcit, à quo Adam primum omnium parentem edoctum fuiſſe, ſacra teſtatur hiſtoria. S. S. E. Emiſit eum Dominus Deus de* Gen. 3.
*paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt. Cui anteà di-* ‹‹
*xerat: In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tri-* ‹‹
*bulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In ſudore vultus tui veſce-* ‹‹
*ris pane tuo. Neque ſolùm his teſtimoniis, ſed rerum ipſarum natura ma-* ‹‹
*nife-*

*nifeſtum ſit, agriculturam non eſſe humani ingenij inuentum, verùm diuinæ prouidentiæ documentum. Siquidem duabus partibus opus illud omne conſtat, ſemente, & meſſe: hoc eſt, ſerendo ſemine, & metẽdo fructu. vtraque cura ab Agricola, nõ ex arbitrio ſuo, ſed ex naturæ obſeruatione & cognitione adhibetur. Quippe & ſolum cælum conſiderari oportet, in quo feratur, & tempus etiam atque oportunitas tum ſerendi, tum metendi expectanda eſt. Hæc cùm natura & non hominũ ingenio aut opinione conſtent, ei, qui rectè hanc artem tenere atque exercere voluerit, cumprimis obſeruanda ſunt. Atq; hæc ars aliarum omnium artium exemplar quoddam. Atque vtique huius artis parti, ſementi videlicet ac meßi faciendæ ſua opera, eademq; varia deſtinata ſunt, pro rerũ, temporum, locorumq; ratione: non ex hominis tantùm ingenio nata, ſed ex Dei naturæ auctoris, & hominum doctoris conſilio profecta. Primam itaq; artis & muneris partem non vna tantùm cura abſolui Propheta ait, ſed pluribus: neque enim ſatis eſt arare, aruum proſcindere, terramq; ſarculorum pendere & cõminuere, & æquare; hoc eſt quod ait:* Numquid tota die arabit arans. *Verbum Hebraicum* HHARAS, *ad omnem artem, ad quam exercendam cogitatione & iudicio opus eſt, ſignificandã vſurpatur, in quo genere primas agricultura obtinet. Quamobrem idem ſæpißimè ſignificat, quod, terram aperire, ſiue id aratris, ſiue raſtris, ſiue ligonibus fiat. Nunquid, inquit, ille qui humũ proſcindendam ſuſcipit, in re vna ſuam curam cõſumet? hoc eſt, in aratione dumtaxat, ita vt, poſtquam proſciderit, & ſarrierit humum ſuam, nihil præterea agat. Optimè vertit interpres noſter* ADAMAH, *in humum Latinorum quippe: namq; Adama terram colendam & fœcundam ſignificat. Non, inquit, vna illa re perficitur prima huius artis pars, hoc eſt, aratione & ſarritione, niſi etiam ſatio accedat pro ſeminum natura & ratione: hoc continuò expoſuit Vates:*

Nonne cùm adæquauerit faciem eius, ſeret gith, & cyminũ ſparget, & ponet triticum per ordinem, & ordeum, & milium, & vitiam in finibus ſuis?

NON *ſolùm, inquit, arabit humum, eamq; aruabit, vt Hebraicè eſt, id eſt, arando, atq; inſtercorando parabit; ſed aratam æquabit. Deinde ſeminibus vario modo iactis, diſeret: alio enim modo ſeret gith, alio cuminum. Namq; gith latè & rarum diſpergi, cuminum verò denſiùs aſpergi poſtulat. Vtrumque opus propriis verbis atq; ſignificantißimis indicatum eſt, iiſdemq; ſimplicißimis: nulla enim lingua hac laude cum Hebraica comparatur.* HEPPITS, *diſpergere ſignificat, idq; latè & rarenter: quod ex illo exẽplo conſtat. Delebit vos Dominus, atque diſperget in omnes gentes; & re-* Deut.4.
30 *manebitis pauci in nationibus ad quas vos deducturus eſt Dominus. Eſt itaque* HAPPITS, *magna vt ſpargere manu à dextro latere in ſiniſtrum ſemicirculum deſcribente. Poſtulat autem gith huiuſmodi ſationem, vtpote quod multiplex germen ex vno grano producens, latius occupet ſpacium. Eſt autem gith hoc loco, id quòd aliàs melanthion odoratum dicitur, gratè & efficacißimi odoris, pecudi ſalubre faſtidio laboranti: quod pani conficiendo,* Columel. Plin. Miſnaioth lib. de decimis.

ciendo ab Iſraelitis admiſcebatur atræ bilis áuertendæ cauſa, Arabibus & Hiſpanis, Agenunt dictum. At verò cuminum, quod CHAMON, Hebraicè appellatur, vnde Græcum & Latinum nomen acceptum eſt, cùm altioribus caulibus, & ſimplicioribus exurgat; aſpergi potiùs quàm diſpergi ſeminando poſtulat. id quod verbo Hebraico IIZROK, indicatũ eſt. Significat enim ZARAK, mota à capite ſurſum vel deorſum: nã aliquid ſpargere in rectum, qui habitus ſacerdotis eſt, ſanguinem altari inſpergentis, atque ita obſeruatur hoc verbum plurimis in locis. vt, Tolle plenas manus cineris de camino, & ſpargat illud Moſes in cælum coram Pharaone. & Moſem dimidiam ſanguinis partem ſuper altare fudiſſe, ſiue inſperſiſſe legimus. Itaq; non eodem modo aut habitu, neque æquali ſpatio hoc atque illud ſemen ſeritur: neque etiam eodem ſoli ſitu cuncta ſeminantur. Triticum enim ſulcatam humum; ordeum verò, certis areis diſtinctam & complanatam: ſpelta autem, ne alia corrumpat aut inficiat ſemina, ſuas etiam regiones certo termino præfinitas ſibi vendicat. Nam triticum aqua recens incoquit, & vitiat: ideóq; ſulcis ſeminandum eſt: hordeum humidiorem terram amat, & planiorem, æquabiliq; ſolo gaudet. Oportet autem agricolam huiuſmodi ſeminandi rationes & probè noſſe, & diligenter obſeruare. Namq; ab hac facultate & peritia ſingula ſuis modis oportunè ſerendi, diſerere, verbũ Latinis factum eſt: vnde qui rerum rationes diſtinctionesq; callent, diſerti appellantur. Atq; ita non ſatis eſt arare ad primam huius curæ partem expediendam: oportet arare, deinde aruare, atque occare terram, addito fimo, vbi opus fuerit: deinde æquare, & complanare; tum verò ſeminare ſingula ſuis modis atque locis; & ſulcos tritico iam ſato aperire. Et ponet triticum per ordinem. *Hebraicè, & triticum menſuratum, vel ſulcatum, & ordeum deſignatum: & viciam, ſiue ſpeltam in termino ſuo. Omnia hæc naturæ obſeruata ratione & lege agi curariq; affirmat Vates. non quòd ita libeat agricolæ, ſed quòd ita fieri ſit opus, natura poſtulante, Deóque docente.* Et erudiet illum in iudicio, Deus ſuus docebit illum.

Exodi 9. "

Ex *obſeruatione & cognitione rerum naturæ huiuſmodi certas agri colendi rationes conſtare ait. Namque ratio, quæ lumen in homine eſt à Deo datum, ipſa, inquam, ratio hæc omnia cogitare, & obſeruare poſtulat. Exercetur autem ratio tum inueſtigatione & comparatione rerum, tum effectorum, & euentorum notatione: atque hæc mentis cogitatio & ſolertia verè Dei donum eſt. vnde animi originem cæleſtem antiqui credebant.* In iudicio. *Hebraicè,* MISPAT, *quo nomine ius & rationem, atque ratiocinationem vocari ſæpiùs admonuimus. Atq; hactenus quæ ad primã agricolarum curam rectè conſideranda & exercenda ſpectant, indicauit Iſaias. Deinde verò ſubiunxit non minòrem rationem habendam eorum operum, quæ ad alteram partem attinent, meſſis videlicet faciendæ: quam Itali, recolta; Hiſpani, coſega, vocant.*

Quint. lib. 1. c. 1.

Non enim in ſerris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminũ circuibit: ſed in virga excutietur gith, & cyminũ in baculo.

*Inſtrumentorum etiam ruſticorum habendam eſſe rationem docemur,*

 ſcien-

*ſciendumq́; quis cuiuſque vſus ſit, aut quæq́; parentur ſingula ad operas. Quòd hoc loco Latinè legimus* in ſerris, *nomen eſt inſtrumenti, quod Latini auctores, tribulam dicunt: à terendo deductum. Paratur autem ex lato ligno, altera parte crebris foraminibus aperto: in quibus ſinguli ſilices infixi hærent acutiores amygdalæ magnitudine aut nucis. hoc inſtrumentum ſuper compoſitas in area fruges bigis vel quadrigis boum, aut equorum tractum culmos & ſpicas frangit, granumq́; ab ariſtis deiicit. Adhibetur autem frugibus durioribus, vt tritico, ordeo, & auenæ terendis & excutiendis. iis verò quæ molliora ſunt & graciliora, ſeminibus excutiendis, vel pertica, vel virga aptatur: quæ ſi tribula tererentur, comminuerentur omnino ac perirent. Itaq; gith virgula, & cyminum baculo excutitur, non teritur: atque vt rerum, ita etiam verborum obſeruanda ratio eſt. Huiuſmodi enim legumina non teruntur, ſed excuti dicenda ſunt.*

Panis autem comminuetur.

*Quatuor in vniuerſum herbarum genera ſunt quibus homines vtuntur, vſibus ipſis diſtincta. Quædam enim virides vel ad cibos vel ad medicinam comparantur: quæ cibis apta ſunt, olera vocamus; quæ verò ad medicinam, & herba & ſemine proſunt, herbæ generico vocabulo dicuntur. Quædam verò neque folia, neque caules eſui apta ſunt, ſemina autem ad eſum ſeruantur. quæ rurſus in duas formas abeunt, alia enim pani conficiendo adaptantur, alia aliis modis condiuntur, & decoquuntur, hæc omnia legumina dicũtur. Illa verò ex quibus panis conficitur, frumenta Latinis, Hebræis,* LEHHEM *vocantur. Neque plura ab ipſis recenſentur, quàm triticum, ordeum, ſpelta, ſecala, & auena: ex iis enim tantũ generibus benedictionis libum confici poterat, ex ceteris verò maſſa ſi conficiatur, panis nomen minimè obtinet apud antiquos. His generibus omnibus à ſpica ſeparandis, comminutione opus eſſe Vates ait. quæ triturationibus fit per tribulam, aut rotam, & currum humilem, vel immiſſum numero boum, aut equorum ſufficienti, qui circumductus, ſubiectas fruges vngulis cõminuat; vt in Hiſpaniæ, Beticæ, & Luſitaniæ prouinciis fit: in Tarraconiẽſi enim ferè omni tribularum vſus frequens eſt. Sunt enim huius generis & culmi, & grana dulciora: ideoq́; nõ tantùm excuſſionem, ſed comminutionem poſtulant, maximè vbi culmus ipſe ad iumentorum pabulum conſeruari ſolet. Verùm in huiuſmodi conterendis & comminuendis generibus, certam rationem atq; modum adhibere oportet. Vates ait:*

Verùm non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plauſtri, nec vngulis ſuis comminuet eum.

MODVS, *inquit, in his etiam tenendus atq; ſeruandus eſt, non enim* rota plauſtri in perpetuum triturabit, *neque tribula comminuet; neque vngulis perpetuò conculcabit: aliàs, ſi modus excedatur, cõminuetur panis, & in puluerem redactus corrumpetur. Suppoſitum huius orationis eſt agricola, quod ex re ipſa cognoſcitur, vel rota & tribulus: & quod hîc* vngulis *legimus, ipſa iumenta vel armenta per metonymiam ſignificat, quæ Hebraicè, cùm in hunc vſum coniuncta ſunt,* PARASSIM *vocantur. Atque*

vt

*vt rectam rationem & artem à Deo profectam in priori cultura cura obtineri, ſic etiam in hoc poſteriore obſeruari confirmat Vates.*

Et hoc à Domino Deo exercituum exiuit, vt mirabile faceret conſilium, & magnificaret iuſtitiam.

*Hebraicè poſterior verſus ita habet. Mirabile facere conſilium, magnificare efficientiam, ſiue, ſubtilitatem. Habet, inquit, magnam vtraque agriculturæ pars artem & obſeruationem in conſilio iuxta temporum atque rerum rationem, conſtituendo ordinis rationem, atque in operis ipſis admouendis dexteritatem, iuſtitiam, hoc eſt, oportunitatem & commoditatem inſtrumentis ad eam comparatis, quibus vnumquodque opus & commodè & vtiliter perficiatur. At verò argumentum & rationem quamobrem ſimilitudo hæc à Propheta producta ſit, cùm adiuncta oratione expreſſam non legamus, eandẽ omnino eſſe exiſtimamus, quæ toto hoc capite explicata eſt. Quippe varias atque diuerſas Deo auctore Iſraelitarum populo ferendas conditiones prædictas cognouimus. Principio decem tribuum abductionem & diſperſionem, Iudæ & Beniamim exceptionem, huius etiam populi deprauationem, atq; adeò conſecuturam animaduerſionem: tãdem maximum illud promiſſum doctrinæ veræ, atque ſalutis per Chriſtum afferendæ, & ob repulſam huic beneficio diuino factam abdicationem illius populi, & reprobationem. Hæc omnia cùm ex Dei auctoritate profectura eſſe Propheta prædiceret, Antipophoræ improborum hominum & inſipientium reſpondendum duxit: qui facilè illud obiicere poterant, vt ſæpe in ſacris libris ab iſtiuſmodi obiectum legimus: vel hæc omnia temporum tam varia exempla caſum arguere, quo mundus moueatur, vel Deum rerum motorem & gubernatorem conſilia ſua inconſtanter mutare, atque incerto iudicio non autem perpetuò vti, quod à diuinæ naturæ veritate quàm alieniſſimum eſſe, & res ipſa declarat: & Propheta ipſe hac ſimilitudine populo confirmat. Docet enim, maximæ atq; conſtantiſſimæ ſapientiæ eſſe, vt conſilia mutentur: non pro ingenio, aut vitio, aut inconſtantia Dei, ſed pro earum rerum quæ diuinæ prouidentiæ ſubſunt ratione & vſu. ita vt variatio ad excipientis, non ad agentis naturam & conditionem referenda ſit. Namque vt ſapiens agricola curas eas quæ ad ſementes & meſſes pertinent, variis modis & operis exercet pro ratione temporum, ſoli & rerum ipſarum quæ colendæ ſunt: atq; hoc ſapientiæ ſummæ in illa arte tribuitur, propter variam (vti diximus) conditionem earum rerum quibus cura culturaq; impenditur: ita Deus, qui ſuum primum miſericordiæ, deinde iuſtitiæ erga homines exercendæ propoſitum perpetuò obtinet, & promouet: pro diſpoſitione, & conditione hominum ipſorum humanas res variis modis exercet, vt Euangelij doctrinæ ſementem faciat, ac deinde fructus etiam opportuno tempore redditos excipiat, & conſeruet. Vt enim agricola gith ſapienter diſpergit, cyminum ſpargit, triticum ſulcatum per ordinem ponit, ordeum ſignat, & vitiam in finibus ſuis collocat: ſic Deus optimus & prouidentiſſimus humanæ naturæ gubernator, Iſraelitas, hoc eſt, decem tribus à Samariæ regno abductos, variis regionibus diſpergendos, & alios aliàs ſpargendos tradet.*

*Iudæos verò quos eatenus conſeruari volebat integros, quoad Chriſtus ille promiſſus mitteretur, nunc in ſuis ſulcis, hoc eſt, in regione ſua continebit: nunc verò ob culpam ipſorum iratus, eoſdem iam Babylonem abducet, ibique continebit ſignatos intra Babylonis & Mediæ regnum, vti ordeum. Deinde vti ſpeltam ad ſuos ipſorum fines, hoc eſt, ad Iudæ regionem vſque ad Galilæas reducet: hoc eſt, quod ad ſemen vtriuſque populi vel continendum & conſeruandum, vel diſpergendum pertinet. Quod verò caſtigationem & correctionem ſpectat, grauiores multo pœnas demum daturos Iudæos quàm Iſraelitas: vtpote quorum facinus Chriſto repudiando & occidendo, ac probro ignominiiſq́; afficiendo, Euangelio etiam repellendo, grauius multo fuerit. Atq; Iſraelitarum peccata, quibus & ipſi communicauerant, ingenti cumulo ſuperauerit. Itaq; quemadmodum collectas meſſes, & in aream coniectas, ſingulorum generum conditione agricola tundit; vt paleis ſeiunctis, grana ſegreget, & reponat: atque ideo in virga excutitur gith & cyminum in baculo; panis autem quia duriori materia conſtat, tribula, rota, & iumentorum vngulis cōminuitur. Ita fiet vt Iſraelitæ, quamquam abducantur & diſpergantur; tamen leuiùs affligantur, minoribusq́; calamitatibus afficiantur, quàm Iudæi. Illi enim non longam obſidionem ab Aſſyriis tulerunt, neque grauiſſimo bello oppreſſi ſunt: hi verò à Romanis diu obſeſſi, maximis miſeriis, fame, peſte, atq; ciuilibus & internis odiis vexati, tandem maxima ab hoſtibus clade, & ſtrage affecti, ignominioſè in triumphum ducti, grauiſſimè etiam poſteà mulctis exerciti fuerunt. Atque vtrumque exemplum tam ſationis, quàm triturationis nō caſu, non immutatione voluntatis Dei primæ, ſed maxima Dei prouidentis ſapientia conſtare ait Vates. Et hoc à Domino miſericorde Deo exercituū flagitiorum vindice exiuit: videlicet, vt mirabile faceret conſilium, & magnificaret iuſtitiam & efficientiā. Trituratus eſt Iuda, diruta vrbs illa celeberrima Ieruſalem, templum incenſum, cōculcata vrbs, & locus ſanctus, & populus vngula plauſtri, id eſt, Romanorum militum calceis ferratis, vt leges apud Ioſephum. Itaq; hac ſapientis agricolæ ſimilitudine Domini conſilij conſtantiam, æquitatem, iudicij prouidentiæ magnitudinem probauit Vates, atq; ſimilitudinem in primis propoſuit, quam deinde plenè atq; dilucidè explicuit, vt in ſubiunctis capitis expoſitione oſtendemus.*

Lib. 6.

## CAPVT XXIX.

VÆ Ariel, Ariel ciuitas quam expugnauit Dauid.

HVIVS *capitis argumentum breuiter in ſuperioris proximo fine indicauimus: expoſitionem videlicet eſſe eius ſimilitudinis, qua ſuperior claudebatur lectio. Hac expoſitione extrema illa calamitas prædicitur, quæ Ieroſolymis per Romanos allata eſt. Ieroſolymam vrbem cum templo ſuo illo totius orbis terrarum celeberrimo, arcano verbo cōpoſito apud hunc Prophetam, & apud Ezechielem,* ARIEL *appellatam legimus, cuius nominis complures rationes variis doctis efferūtur. Latinè ſonat, Leo fortiſſimus, ſiue, leo Dei fortiſſimi: quòd eo tempore præcipuè impoſitum in illam vr-*

bem

*bem arbitramur quadraſſe, quo expugnatam, habitatam, & munitam à Dauid rege legimus; atque ita vocitatam propter loci inexpugnabilem firmitudinem, quæ optimi principis cura, virtute, pietateq́; nitebatur, atq́; Dei fauentis tutela defendebatur. quamquam autem templum ipſum antiquum propter ædificij tum ſitum, tum formam* ARIEL *appellatum feratur; vt in ſacro Apparatu oſtendebamus: tamen hoc loco pro tota illa vrbe nomen vſurpari Propheta ipſe docet, qui appoſitione vſus ait,* Ciuitas quam expugnauit Dauid. *Verbũ, expugnare, hoc loco in vſum capere, & ſibi in habitationem vendicare nobis ſignificat. Namque Dauid bello captam vrbem illam & expugnatam ſibi regiam futuram optauit, & excoluit. Namque verbum* HHANAH. *Propriè ac ſimpliciter, tentoria figere, ac manere in aliquo loco ſignificat: quod interpres noſter aliquando habitare, ſæpè verò, caſtrametari, non diſſimili ſignificatione reddit. Itaq; nomen* ARIEL, *coniunctum cum appoſitione addita, accipi arbitramur.* Væ, *inquit Vates,* ciuitas *illa quæ* ARIEL *iure appellabatur, quo tempore expugnata, occupata, atque habitata fuit à Dauide rege optimo atq; piiſſimo Dei cultore: cuius propterea certam & præſentem tutelam experiebatur. Hanc à Deo ex tanta gloria & magnitudine aliquot poſt annos ad ſummam vaſtitatem dedendum iri Vates præuidens comminabatur.*

Additus eſt annus ad annum, ſolemnitates euolutæ ſunt. *Hebraicè,* Additi annum ſuper annum, ſolemnitates decidentur.

*Permiſſione oratoria vſus Propheta, oſtendit Ieroſolymorum vrbis gloriam non futuram perpetuam, cuius exciſionem poſt aliquot annos futuram ipſe prænoſceret: quamquam enim, poſtquam Dauid ille maximus, hoc eſt, Chriſtus, illic fuiſſet commoratus, & rex oſtenſus atque datus, tamen reiectus eſt, aliquot annos adhuc manſiſſet vrbs & ciuitas illa; tamen exciſa tandem & vaſtata fuit. Illa, inquam, ciuitas tam felix, cùm à Chriſto filio Dauid æterni ſolij rege, quem ſi retinuiſſet, beatiſſima eſſet illa poſt regis illius Deo gratiſſimi filij diſceſſum, addere quidem potuit* annum poſt annos; *id eſt, annos aliquot numerare, feſtiuitates aliquot agere ac celebrare: ſed tamen non diu duraturam Vates pronunciabat. Huiuſmodi permiſſiones ab auctoribus vſurpantur, quibus deinde exitum opinioni ac ſententiæ contrarium denunciant, vt illud.*

*Pone domi lauros, duc in capitolia magnum,*
*Cretatumq́; bouem, Seianus ducitur vnco* Iuu. Sat. 10.
*Spectandus, &c.* *& illud:*
*Longa per anguſtos figantur pulpita vicos.* Idem Sat. 6.
*Ornentur poſtes, & grandi ianua lauro, &c.*

*Sic etiam Iſaias ait.* Eſto annum ſuper annum, *numerate, decerpite, & frondes metite, coronas, ramos feſtiuos identidem plectite. Namq; ad hanc tranſlationem Hebraica oratio alludit. Eſt, inquit, vt hæc agatis, & numeretis annos, & feſta veſtra, ac ſolemnia celebretis, atq; hoc modo exiſtimetis veſtram vobis rempublicam, & vrbem, iſtamq́; religionis faciem duraturam. Tamen,* Et circumuallabo Ariel, & erit triſtis, & mœrens, &

erit mihi quaſi Ariel. CIVITATEM *illam quæ ob fortitudinem, munitionem, diuinumq́ præſidium* Ariel, *hoc eſt, leo fortis, appellabatur, ad anguſtias, & calamitates, in eamq́ triſtitiam traducendam eſſe ait, vt ex leone fortiſſimo in deteſtationem maximam apud Deum habeatur.* Ariel, *nomen (vti diximus) leonem fortiſſimum ſignificat, compoſitũ ex* ARIEH, *ſiue,* ARI, *&* EL. *Idem nomen paronomaſiæ ratione, ex* ARAR, *&* EL *compoſitum, poteſt ſignificare maledictionem fortem, ſiue, maledictionem Dei fortis. Magnam igitur mæſtitiam & triſtitiam ingentem vrbi ipſi Romanorum exercitu obſeſſæ & circumuallatæ, futuram eſſe Deus auctor prædicit: eamq́ ex illo fauſto ac præclaro nomine & ſtatu fortis leonis, ipſi Deo fortiter maledictam, futuram ait. Hoc huius paronomaſiæ antitheton eſſe nobis videtur, cùm nihil tamen diſpliceat Chaldaici interpretis paraphraſis, quam commentatores ferè omnes ſecuti ſunt. Ita autem paraphraſtes ſcripſit: Et tribulabo ciuitatem in qua eſt altare, & erit deſerta & vacua, & erit coram me circundata ſanguine occiſorum: ſicut circundatur altare ſanguine victimarum ſanctificatarum in die ſolemnitatis per circuitum. Namq́* ARIEL, *&* HAREL, *pro altari quoque vſurpari ex Ezechielis le-*
Ezech. 43. *ctione obſeruauimus. S. S. E. Ipſe autem* ARIEL *quatuor cubitorum, & ab*
» *Ariel vſque ad ſurſum cornua quatuor. Neque militibus & copiis tantùm, ſed vallo etiam, & turribus circundandam & coaguſtandam vrbem illam dicit.*

Et circundabo quaſi ſphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obſidionem tuam. *Hebraicè eſt.* Et conſtituam quaſi ſphæram ſuper te: turres illas ligneas rotundas ſignificat, quæ circũ vrbes expugnandas collocabatur.

ET *circundabo contra te* MVTSAB, *ſtationem, ſiue conſtitutionem ſignificat vox à* IATSAB *verbo: vnde* MATSEBAH *deducitur, quam à ſtando ſtatuam Latini verterũt: nobis machinarum genera bellicarum moles omnes hoc loco ſignificantur. Hiſpani, baſtidas, huiuſmodi vocant. Hoc interpres noſter aggeris nomine indicabat. Illud verò,* Et munimenta ponam in obſidionem tuam, *ad arietes, baliſtas, & ceteras expugnationis machinas referendum arbitramur, ex Hebraicæ orationis obſeruatione, quæ ſic habet: Et erigi faciam contra te* METSVROTH. *Atque ita expugnationem illam grauiſſimam contentiſſimamq́ fore his tot partibus deſcriptis ſignificabat; ideoq́ exitialem futuram eſſe indicabat, quæ non innumerabilibus hominum copiis tantùm, ſed vallis, aggeribus, turribus, machinis, tormentis, bellicisq́ motibus omnium generum eſſe apparandam & inſtruendam, atq́ adeò abſoluendã. Id quod Chriſtus Dominus breui ſumma com-*
Lucæ 19. *plexus indicauit. Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo:*
» *Et circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique. Porrò quàm multis, & quantis operibus obſidionem illam Romani inſtruxerint, qui cognoſcere vo-*
Ioſeph. lib. 5 *luerit, Ioſephi hiſtoriam legat. Hanc verò obſidionem irritam minimè fore,*
c. 34. 35, &c. *ſed magna Ieroſolymorum vaſtatione eſſe abſoluendam, ex euentu ſignificat Iſaias. Namq́ ciuitas illa, quæ tanquam fortiſſimus leo rugire, & ter-*

*ribilem*

*vibilem ſeſe hoſtibus anteà præbere poterat, in eam miſeriam deducenda erat, vt moribundi ciues ſolo proſtrati, nihil aliud quàm gemitus ederent miſerrimos. hoc eſt quod ait Vates:*

Humiliaberis, de terra loquêris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quaſi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit.

HABITVM *& vocem deſcribit Propheta eorum qui in illa Ieroſolymitana clade victi, proſtrati, necati, trucidati, atq; lacerati, tum in terra iacentes, tum in cryptis abſconditi ac deprehenſi; partim ſeſe ſupplices victoribus dedebant; partim ibidem vulnerati gemebant, & moriebantur. Hoc ſignificabat Ieſus illa prædictione, Et ad terram proſternēt te, & filios tuos qui in te ſunt. & erit quaſi Pythonis de terra vox tua. Huiuſmodi gemitus audiri ſolent animarum à veneficis per incantamenta euocatarum: ſicut ille narrabat: Singula quid memorem: quo pacto alterna loquentes*
*Vmbræ cum Sagana reſonarent triſte & acutum.*
*Huius verò tantæ cladis efficientem cauſam minarum ingentem eſſe, fore ait militum atq; ducum illius exercitus, quo opprimendi erant: atque quos in orbem iam expugnatos, ſubitò ſimul omnes irrumpentes, ſtragem edituros ait maximam.*

Ioſeph. lib. 5. & 6.

Lucæ 19.

Horat. lib. 1. Sat.

Et erit ſicut puluis tenuis multitudo ventilantium te: & ſicut fauilla pertranſiens multitudo eorum qui contra te præualuerūt: eritq; repentè confeſtim.

MILITVM *turmas & copias innumeras tenuis pulueris; ducum verò, centurionum, tribunorum, & aliorum qui publicis miniſteriis in bello funguntur, multitudinē, fauillæ pertranſeuntis, ſiue ſtipulæ, vel paleæ ſimilitudinibus ſignificauit.* Puluis tenuis. *Hebraicè,* ABEK, *fauillam ſignificat minutiſsimam, quæ Hiſpanis, paueſa, vocatur.* Fauilla pertranſiens. MORS GHOBER. *Sunt in hac metaphora maiores ariſtæ, ſiue, ſcintillæ ardentes, quæ maiori impetu ignis impulſæ, incendia ex vno loco in alium aſportant. Aliàs nomen hoc minutiſsimas paleæ partes ſignificat, quas Hiſpani tamo, dicūt. Quippe tranſlatio hæc ab incendiis eſt deſumpta. Hoc verò, quod Deo auctore & vindice edendum erat exemplum, tanquam fulminis cuiuſpiam cælo dimiſsi, ait: repētè confeſtim fore. Ita calamitas illa breuiſſimo temporis momento Ieroſolymitanos ciues, atq; maximam Iudæorum, qui eo Paſchatis cauſa conuenerant, oppreſsit. Quod & Ioſephus factum narrat, & Chriſtus futurum prædixerat: Et non relinquent in te lapidem. tanta celeritate illa maxima totius orientis vrbs vaſtata eſt. Atque hanc cladem & perniciem illi vrbi afferendam, non caſu, non temporum omnia mutantium vi, ſed Dei vltoris conſilio & iudicio profectam certis indiciis atque ſignis oſtendendam eſſe ait Propheta.*

Lucæ 9.

Ioſeph. de bel. Iud. lib. 6

A Domino exercituum viſitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempeſtatis, & flamma ignis deuorantis.

*Viſitationis & viſitandi vocabula latam & multiplicem ſignificationem habere*

Lib. de idioſiſ. *habere in ſacro Apparatu docuimus. Dicebamus autem multiplicem illam ſignificationem ad vnum genus referri commodè poſſe, quod Latinè, rationem, ſiue curam habere, ſiue, curare dicimus. Curamus enim ea, quæ ad nos pertinent; atq; hoc pacto aliena non exiſtimamus. Sic Iudex ſuum curare munus dicitur, ſacerdos item ſuum, & pater, & dux, & rex. Ita etiam hoc verbum, viſitare, in ſacris obſeruamus vſurpari, cùm vel Deus ſalutē populo, iam antea afflicto, affert: atq; etiam cùm pœnas alicui meritas tandem perſequitur. ad vtram verò rationem referenda ſignificatio ſit, ipſa argumenti inſtituti expoſitio indicat; maximè cùm verba adduntur, quæ auctoritatem atq; munus adeò adnotant viſitantis, vt apud Moſem ad ſalutem relatum hoc verbum & res ipſa docet, & nomen illud Dei miſerētis adiunctum, declarat.* Exodi 2. *Vade, & congrega filios Iſrael, & dices ad eos: Do-*
„ *minus patrum veſtrorum apparuit mihi: Deus Abraham, Deus Iſaac, &*
„ *Deus Iacob, dicens: Viſitans viſitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt*
„ *vobis in Ægypto, & dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti, &c. In* Num. 14. *pœnam verò & animaduerſionem huius verbi exemplum eſt, Qui viſitas*
„ *peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Atque hoc loco ad vtramq; ſignificationem verbum referri poſſe, indicăt, primùm nomen illud ineffabile ad miſericordiæ rationes, vt perſæpe annotauimus referendum. Deinde cognomentum poſſeſſiuum, exercituum, quod ad vindictæ & vltionis ſignificationem vſurpari oſtendimus. Primùm enim Deus per vnigenitum ſuum Ieſum Chriſtum Ieroſolymam, & Iudæorum populum ad ſalutem viſitauit. Sed quia (vt idem Dominus teſtatus eſt) ciuitas illa non cognouit tempus viſitationis ſuæ, & ea quæ ad pacem ipſi erant, neglexit: vt pœnis repetendis viſitaretur, cōmerita eſt, vt veniret ſuper eam omnis ſanguis iuſtorum, qui effuſus fuerat in illa. Atque hanc poſteriorem viſitationem à Deo initam certis ſignis turbinum, fulminum, terræ tremorum indicandam fore Iſaias prædixit: quòd tum ad effecta & euenta ipſa; hoc eſt, ad ciuitatis illius excidium, & hominum perniciem, tum ad manifeſtam etiam ſpeciem eſt referendum. Siquidem ante Ieroſolymitanam exciſionem multa huiuſmodi prodigia & ſigna, atq; oſtenta conſpicienda fore,* Ioſeph. lib. 6 *Chriſtus ipſe prædixit: & conſpecta etiam fuiſſe Ioſephus narrauit. At verò hanc Ieroſolymis ex diuino iudicio allatam cladem, ipſis Romanis vel decori, vel vtilitati minimè futuram eſſe, Vates ex Dei reſponſo continuò expoſuit.*

Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omniū Gentium, quæ dimicauerunt contra Ariel, & omnes qui militauerunt, & obſederunt, & præualuerūt aduerſus eam. Et ſicut ſomniat eſuriens & comedit: cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius; & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt: ſic erit multitudo omnium Gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.

V T I T V R *interdum Deus hominibus aliis ad pœnas ex aliis repetendas,*

*das, ipſorum autem ſatellitum, vt ita appellemus, prauum ſtudium, & immodicam licentiam, nimiam crudelitatem, auaritiam, & cupiditatem, immenſam arrogantiam, & ſuperbiam importuniſſimam dignis etiam afficit mulctis. S.S.E. Væ Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt: in manu* Sup. 10.
*eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum* "
*furoris mei mandabo illi: vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponat* "
*illum in conculcationem quaſi lutum platearum. Ipſe autem non ſic arbitra-* "
*bitur, & cor eius non ita exiſtimabit: ſed ad conterendum erit cor eius, &* "
*ad internecionem gentium non paucarum, &c. & paulo pòſt. Et erit, cùm* "
*impleuerit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion, & in Ieruſalem: vi-* "
*ſitabo ſuper fructum magnifici cordis Aſſur: & ſuper gloriam altitudinis* "
*oculorum eius. Huiuſmodi viſitationem etiam in Romanos, atque adeò in* "
*populos illos, qui religionis odio, magis quàm bono alio ſtudio ad expeditionẽ illam aduerſus Ieroſolymos ituri erant. Horum enim gloriam, cõmoda, atque ex bello parta ſpolia breuiſſimo temporis interuallo peritura eſſe ait: atque ſomniorum inſtar habitura. Solent enim ij, qui vehementi aliqua cupiditate affecti ſunt, votorum ſuorum vſum per ſomnium viſere, & veluti ſentire; quod tamen euigilantes irritum, & vanum deprehenſum grauiùs etiam dolent. Sicut S.E. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt* Pſal. 75.
*omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Sic poſt Ieroſolymarum excidium* "
*omnium eorum, qui in illam cladem conſpirauiſſent, exitum votis contrarium futurum Iſaias præuidebat. Legimus autem Flauiorum gentem Domitiano extincto, finitam fuiſſe: atq; illo tempore omnem orbem terrarum laboraſſe, & imperium labefactari cepiſſe. Fuit verò Domitianus alter Veſpaſiani filius, qui Tito in imperium ſucceſſit, Cùm iam ſemianimũ laceraret Flauius orbem Vltimus, & Caluo ſeruiret Roma Neroni. Ita omnium totius orbis nationum imperia, ætates, & exitus, Vatibus illis ſanctiſſimis nota fuérunt, & ad prouidentiæ diuinæ probandam veritatem, tam longe antè fuere prædicta. Atq; nobis vna eademq; oratione Vates indicare videtur: cùm ruinam & exitum eorum, qui Ieroſolymam illam terrenam obſederunt: tum maximè irritos votorum exitus eorum, qui Chriſtianam religionem, quam arcanæ Sionis nomen ſignificat, oppugnare, & expugnare conati ſunt. Iam verò maximum aliud arcanum Propheta indicat: Iudæorum obcæcationis & reprobationis ex Dei iudicio futuræ, ante illam Ieroſolymorum cladem, & pòſt etiam diutiùs duraturæ. quod iudicium iuſtiſſimum atq; certiſſimum eſſe ipſis deinde, commemoratis illorum criminibus, oſtendit.*

Obſtupeſcite, & admiramini: fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non à vino: mouemini, & non ab ebrietate.

MAGNI *iudicij Dei conſiderandam rationem Iudæis, eorundem correptionem & vtilitatem conſiderat Iſaias: ne videlicet præcipites ſint in ferenda de ſuis ipſorum rebus ſententia: exiſtimantes ex maxima aliena ira Dei, & præter iudiciorum exemplum illam mentis obcæcationem, & ceteras pœnas, quibus afficiendi erant, proficiſci: quæ tamen non niſi ex cer-*

tiſsimo Dei iudicio profectura eſſe, crimine expoſito, ipſe oſtendat. Monet itaque hoc verſu, vt attentè conſulerent iudicium Dei: Obſtupeſcite. hoc loco verbũ, obſtupeſcite, idem nobis ſignificat, quod immorari in cogitatione attentè & maturè, atq; quietè agere cogitandum & iudicandum: ne temere cogitetur de iudicio diuino. Verbum enim Hebraicum, MAHAMAH, quadratum, Latinum, tardari, hærere, atq; immorari, rectè reſpondet: in-
Gen. 19. terpres noſter in Loth hiſtoria, deſsimulare vertit. hoc eſt, moram facere, vt
Gen. 43. locus ipſe oſtendit. in hiſtoria verò filiorum Iuda, dilationem intendere,
Exodi 12. Habac. 2. expoſuit. In Exodo pro eodem verbo, facere moram reddidit. Et apud Abacuc: Si moram fecerit, expecta illum. Deniq; verbum ipſum opponitur ver-
Pſal. 119. bo HHVS, quod feſtinare ſignificat. Ad hanc itaque rationem exponimus verbum, retardamini, maturè cogitate: namq; ſi hoc faciatis, admirabimini profectò iudicium Dei: tantum abeſt vt vel veſtram infelicitatem excuſare, vel aliquid aliud cauſari iure poſsitis, ſed veſtram propriam culpam agnoſcere, ac damnare debeatis. Atq; ita iudicium diuinum admiremini. hoc eſt quod ait: Obſtupeſcite, & admiramini. ad eandem expoſitionem pertinent verba illa: fluctuate, & vacillate, hoc eſt, verſate varias cogitationes, donec rem ipſam intelligatis. HISTHAGHASEV, quod meditari, me-
Pſal. 118. ditando delectari, interpres noſter vertit. vt, Niſi quòd lex tua meditatio
Prou. 8. 23 mea eſt. & rurſum, Mandata tua meditatio mea eſt. & illud, Cùm eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies. Vacillate, meditando deliberate; namq; vna ex præcipuis ſignificationibus verbi SAGA, eſt deliberare, & acquieſcere alicui ſententiæ. ſic interpres noſter vertebat: Et non acquieſcant verbis mendacibus. Eſt itaque huius hemiſtichij ſententia illa: maturè atq; quietè cogitate. & admirabimini, meditamini ac deliberantes acquieſcite in vera ſententia. Cur verò ſic illos moneat, cauſam exponit, dicens: Inebriamini, & non à vino: mouemini, & non ab ebrietate. Video, inquit, vos turbari, & moueri magna cogitationum & opinionum inconſtantia, perinde atq; ebrij ſolent: verùm ſcio iſtam ebrietatem non à vino, ſed à ſtultitia, aliisq; animi perturbationibus profectam eſſe. Ideo monui vos, vt quietiùs ac maturiùs cogitetis, & iudicetis. admirabimini enim, ſi hoc agitis. Hebraica verba in tertia perſona pronunciata nobis videntur. Inebriati ſunt, & non à vino: mouentur, & non ab ebrietate. Admirationis autem illis rectè cogitantibus denunciatæ rationem exponit eam fore, quòd diuinum illud horrendum iudicium excæcationis & aggrauationis intelligere poſſent: hoc eſt quod ait:

Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis: claudet oculos veſtros: prophetas & principes veſtros qui vident viſiones, operiet.

Lege Ieron. & Cyril. in hunc locum. Grauiſsimum, & vehementer horrendum iudicium in eos qui agnitam veritatem, atq; Dei voluntatem reiecerint, multis locis inculcatum, hic etiam oportunè Vates commemorat. Eſt autem iudicium, vt in eos qui charitatem veritatis non acceperint, vt ſalui fiant, mittatur operatio errorum
2. Theſſ. 2. vt credant mendacio. vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati,
ſed

*ſed conſenſerunt iniquitati. Hunc ſpiritum in Iudæos dimittendum, ex iudicio Dei auxilium & gratiam ab illis ſubducentis,* Spiritus ſoporis, *rectiſsimè interpretatus eſt Diuus Paulus, operationem erroris. namq; vna ex ſignificationibus huius nominis* Spiritus, *apud Latinos eſt, vis, & efficacitas. ſic elementorum ſpiritus mechanici vocant vim mineralium, & foſſalium ſpiritus chimici & cognoſcunt, & diſtinguunt: eodem modo Græcis πνεῦμα vis ea dicitur, quam euentus ipſe, atque effectus arguit, & oſtendit. Cuiuſmodi autem ſpiritus hic futurus eſſet, Iudæis expoſuit Vates, quòd & populus & populi magiſtri obtuſis ſenſibus & mente atque iudicio turbatiſsimo vſuri eſſent. Appellantur autem ſcribæ & doctores populi oculi prophetæ & videntes: quippe magiſtri illi Prophetarum & videntium munus exercebant. ſucceſſerunt enim loco illorum antiquorũ vatum, atq; ducum maximorum. S.S.E. Super cathedram Moſis ſederunt* Mat. 23. *Scribæ & Phariſæi. Hos itaque ob repulſum Ieſu Chriſti Euangelium ex-* 15 *cæcandos, hoc eſt, excæcationis ſpiritui tradendos fore Iſaias prænũtiabat. Appellantur autem huiuſmodi miniſtri, oculi ceterorũ, propter munus: tales enim eſſe deberent & perſpicaciſsimi, & ſinceriſsimi. Eſt autem verbum commune, excæcare, & cæcitas, atq; cæcus: quod & ad ipſos refertur, qui non vident, & ad eos qui non videntur: atque ita cæca nox, cæcus locus, à Latinis dicitur. quo verbo conſultò vſus Iſaias; ſignificabat magnã ignorationem futuram illi populo: cuius duces ac magiſtri tanquam cæci, nihil bonæ & ſolidæ doctrinæ perſpicerent, aut caperent: adeò vt ipſi cæci, obſcuraq; mente in Prophetarum & legis lectione cæcutirent; atq; ita Prophetæ atq; lex cæca obſcuraq; illis redderentur: quemadmodum cæcis omnia obſcura fiunt, & iis qui vident, nihil in obſcuro & caliginoſo loco perſpici datur. Eſtq; hæc deſcriptio ſententiæ, atq; illa, oculos habentes, non videbitis; & illa, vt videntes, non videant; & audientes, non intelligant. Huiuſmodi mentis obſcuritatem atq; cæcitatem Iudæis accidiſſe, nobis Euangelia ſacra, & Apoſtolorum acta teſtantur; atque ipſi Iudæorum doctrinales libri, quos illi Thalmud vocant, abundè oſtendunt: in quibus tanta ſuperſtitionum, opinionum, traditionum, ceremoniarum inutilium denſitas & caligo eſt, fieri vt non poßit, vt illa ſtudioſè excolentibus, illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti fulgeat. Nam qui in antiquorum promiſſorum atq; inſtitutorum, quæ lege atque Prophetarum libris continentur, interpretatione cæcutiunt, in illarum antiquarũ lectionum ſcopum, qui Chriſti Euangelium eſt, proſpicere nequeant. hoc eſt quod Propheta ſubiungit:*

Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati: quem cùm dederint ſcienti litteras, dicent: Lege iſtum, & reſpondebit: Non poſſum; ſignatum eſt enim.

QVAM interpres noſter hoc loco viſionem omnium vertit, *nos Euangelium eſſe intelligimus. Namq; verbum* HACHOL, *& ſingularis, & pluralis numeri eſt, & certam indicatiuam literam præfixam habet. quod Paraphraſticòs exponi ita poßit:* Et erit vobis viſio *totalis, ſiue viſio ſumma. Summam viſionem, Euangelium interpretamur, quo omnis omnium vaticiniorum*

„ *ciniorum & legis continetur ſumma. Quippe omnes Prophetæ, à Samuel,*
„ *& deinceps, annunciauerunt dies iſtos. & multifariam, multisq́ modis*
„ *olim Deus Patribus per Prophetas locutus eſt: Nouiſsimè autem diebus iſtis*
„ *locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem*
„ *fecit & ſecula: qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portansq́*
„ *omnia verbo virtutis ſuæ, omniumq́ ſacrarum olim viſionum ſummā ſen-*
„ *tentiam verbo, & efficientia continet. Erāt autem in Iudæorum gente duo*
Orig.in Exo. 24.hom.12. &in Nū 22. hom.17.&in Matth.c 15. Ciprian.lib. 1.adu.Iud. Aug.de alt. Eccleſ. & Sinag. Hilar.in præ fat.in Pſ. & in Pſ.118.
*in vniuerſum hominum conditiones, altera doctorum & magiſtrorū, quorum intererat Dei oracula in primis audire & cognoſcere, atque cognita ceteris exponere, & commendare. Altera verò plebis ipſius, & indoctorum hominum, qui ab illius prioris conditionis hominibus, docendi, ac ducendi erant. Sed res in eum locum deuenerat, vt neque illi recta docere, neque hi ſimplicem veritatem doceri vellent; ex qua animorum peruerſitate euenit, vt Chriſtus Euangelij & regni cælorū myſteria in parabolis atq́ ænigmatibus ederet: quæ ſapientiæ profeſſoribus illis non magis cognoſcuntur, quā ſi epiſtola obſignata legenda traderetur: quæ ideo legi non poterat, quia obſignata erat, & non aperta. Hanc ſimilitudinem ad iſtiuſmodi magiſtros, doctores, atque ductores populi retulit Iſaias.* Sicut verba libri ſignati. *Hebraicū nomen* ZZEPHER, *librū, & epiſtolā ſignificat, eandemq́ ſentētiam reddit, ſi vel librū, vel epiſtolā intelligamus. Solet autem plerumq́ epiſtola obſignari: quæ nulli reſignari, & aperiri licet, præterquam ei, ad quem deſtinatam eſſe conſtat. atqui Euangelium Chriſti, ſummi Patris epiſtola fuit per Filium in mundum miſſa, quæ nullis hominibus aperta, & patefacta fuit, niſi puſillo gregi. S.S.E. Hæc dicens Ieſus, clamabat: Qui habet aures*
Lucæ 8. *audiendi, audiat. Et accedentes diſcipuli, dixerunt ei: Quare in parabolis*
Mat 13. *loqueris eis? Qui reſpondens, ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria*
„ *regni cælorum, illis autem non eſt datum. Qui enim habet, dabitur ei, &*
„ *abundabit: qui autem non habet: & quod habet, auferetur ab eo. Ideo in pa-*
„ *rabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, ne-*
„ *que intelligunt. Et adimplebitur in eis Prophetia Iſaiæ, dicens: Auditu au-*
„ *dietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſ-*
„ *ſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos*
„ *ſuos clauſerunt; nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde in-*
„ *telligant, & conuertātur, & ſanem eos. Veſtri autem beati ſunt oculi, quia*
„ *vident: & aures veſtræ, quia audiūt. Amen dico vobis, quia multi Prophe-*
„ *tæ & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ*
„ *auditis, & non audierunt. Atque hic profectò nobis liber ille eſt, de quo*
„ *ſcriptum legimus: Et vidi in dextera ſedentis ſupra thronum, librum ſcri-*
Apoc.5. *ptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Et vidi angelum fortem præ-*
„ *dicantem voce magna, Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacu-*
„ *la eius? Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram*
„ *aperire librum: neque videre eum. Hunc librum Iudæorū Scribæ & Pha-*
„ *riſæi ſuis illis doctrinæ præceptis, inſtitutis, ac traditionibus maiorum in-*
*hærentes, quamuis ſibi traditum, tamen aperire non potuerunt: ſcandalum*

fuit

*fuit illis. Stultitia ſapientibus mundi, hic liber eſt, quem multis adhuc ex iis, qui ſapientiam profitentur, & ſe ceterorum magiſtros iactant, obſignatum eſſe ſuſpicamur* יהוהיסחח: *nihil itaque plus huiuſmodi ſcribas atq; duces ex libro cognituros aiebat Vates, quàm ſi quis alicui legendi perito obſignatam epiſtolam legendam porrigeret, quam ille ſibi interim dum obſignatam haberet, legi non poſſe reſponderet. At verò reliquus populus, qui totus à Scribarum & Phariſæorum iudicio atque conſilio, ſententia & arbitrio penderet; neque plura ſciri poſſe exiſtimaret, quàm quæ ab illis magiſtris cognoſcenda traderentur: nihilo magis quid in hac epiſtola contineretur, cognoſcendum eſſe ait. imò multo minùs intelligendum, vtpote ignariſſimo, atq; literarum rudiſſimo: cui perinde eſſet ſcriptam epiſtolam apertam, vel obſignatam, atq; aliam & inanem chartam porrigere.*

Et dabitur liber neſcienti literas, diceturque ei, Lege: & reſpondebit, Neſcio literas.

*Hebraicè eſt ad verbum: Et dabitur liber, ſeu epiſtola ſuper neſcientem librum, ſiue epiſtolam, dicendo: Lege nunc, & dicet: neſcio librum, ſiue epiſtolam. Rudis & indoctus populus non ſolùm legere ſe neſcire, ſed an liber, an epiſtola, an oratio, an declamatio, an inuectiua, an Apologia ſit, planè ignorare ſeſe fatebitur. Vt qui nullas omnino literas nouit, chartæ, ſiue voluminis formam videre poteſt: quod verò ſcripti genus illud ſit, prorſus neſcit. Huius conditionis populus Iudaicus Euangelio audiendo fuit: qui, dum Phariſæorum & Scribarum ſuorum doctrinam & auctoritatē mordicus tenendam exiſtimaret; illius epiſtolæ à Deo miſſæ virtutem & ſententiam non cognouit. Cognouit autem puſillus ille grex; qui veritatis ipſius magis quàm humanæ auctoritatis rationem habendam duxit. S. S. E. In il-* Mat. 11. *lo tempore reſpondēs Ieſus dixit, Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita pater: quia ſic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius: & cui voluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, &c. Atq; his ſimilitudinibus Propheta iudicium illud à Deo aduerſus Iudæos exercendum, ſignificabat. de quo Paulus ſcriptum reliquit: Quòd ſi etiam opertum eſt Euangelium no-* 2. Cor. 4. *ſtrum in his qui pereunt, eſt opertum in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis Euangelium gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Non quidem Euangelij defectu, quod oriens ex alto illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; ſed hominum ipſorum culpa, qui illuminari noluerunt: aliiq; in infidelitate, alij verò in peccatis ſuis manere voluerunt. Atque hæc eſt culpa omnium hominum qui charitatem veritatis non receperunt: hoc eſt, qui dilexerūt magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum opera mala. Iudæorum verò, & eorum qui veram Dei cognitionem, & probatam religionē profiterentur, culpa illa fuit, quòd ſua, hoc eſt, humana ſapientia omnia miſcentes, & confundentes,*

*veras atque vtiliſsimas religionis rationes perturbauerunt, atque à vero & gratiſsimo Dei cultu, ad nugas & fabulas, atque ieiunas ceremonias, & ſuperſtitioſas adinuentiones degenerauerunt. quod non rarò ab aliis Vatibus exprobratum Propheta noſter, Dei iudicis orationem referens, criminatur. Hoc itaq; iudicium, quod per ſimilitudines ſignificatum fuerat, apertis verbis mox exponitur.*

Et dixit Dominus, Eo quòd appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me: & timuerunt me mandato hominum & doctrinis.

HVMANÆ *mentis ſuperbiam & arrogantiam, temeritatem & audaciam frenare & compeſcere Deus volens, ſacra Lege & Prophetarum oraculis perſæpe Iſraelitas admonuit, ne ipſi proprio iudicio aut conſilio, præceptis ſuis quicquam vel adderent, vel detraherent. conſuluit autem, & hortatus eſt, vt ſe ex ſuis ipſius præceptis & inſtitutis recolerent: in iisq; cognoſcendis & exercendis, omnem operam curamq; ponerent, fidemq; promiſsis, & obedientiam iuſsis adhiberent. vetuitq; ex ipſorum adinuentionibus gratiam aut præmium ſperare: ſiquidem vbi promiſsio mercedis non eſt, ibidem non oportet expectari mercedem. Plenæ ſunt diuinæ paginæ huiuſmodi admonitionibus, & prædictionibus.* Deut. 4. *Non addetis ad verbum quod*
" *vobis loquor: nec auferetis ex eo. Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri,*
" *quæ ego præcipio vobis. Plenæ ſunt reprehenſionibus eorum, qui, quamuis bono zelo, tamen contra diuini mandati præſcriptum aliquid egerint, vel agi decreuerint: aut cùm impedire poſſent ne ageretur, admiſerunt, vel diſ-*
1. Reg. 15. *ſimularunt. Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non po-*
" *tiùs vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quàm ſacrifi-*
" *cium, & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum. Quoniam quaſi*
" *peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Hoc diuinum conſilium Iudæi à paruis initiis ad infinitum traditionum campum progreſsi abiecere, & ad ſua deſideria atq; commenta coaceruatis magiſtris, in eam temeritatem progreſsi ſunt, vt à vera promiſſorum diuinorum cognitione, à fide promiſsis habenda, à vera pietatis cultu atque obedientia ſacris præceptis exhibenda, quàm longiſsimè abeſſent, & tamen ſe populum Dei profiterentur, Abraham filios appellarent, & regni cælorum iſtis artibus & conditionibus tamen participes fieri & peterent, & ſperarent. Quorum peruerſam rationem in crimen vocat Deus, & cauſam eſſe ait, quamobrem ſubiecta de illis pronuncietur ſententia, à Vate multo antè prædicta: atque ita horrendum quidem, ſed iuſtiſsimum iudiciũ ſuum probat Deus, oſtenditq; neminem à ſe iudicari, vel damnari, cuius vt damnetur digniſsimum crimen non præceſſerit. Conceptis, inquit, & ex more dictatis verbis, laudibus, & gratulationibus, quas benedictiones vocant, populus hic me ſequitur: at verò pietate ex corde præſtanda, puraq; religionis officio exhibendo, à me, qui in ſpiritu & veritate in primis adorari & coli poſtulo, longè eſt alienus. nam quamquam legem meam quotidie millies laudent, & commendent: eam tamen non ex voluntatis vitæ ratione ac norma,*

*norma, ſed ex traditionum & opinionum ſuarum more atque conſuetudine interpretati obſeruant: ex quo fit, vt à me abalienati fuerint. quamobrem ego me magis etiam ab ipſis abalienabo. Adeò vt cùm Euangelij lux puriſſima, ſimpliciſſima, ſplendidiſſimaq́; ſit: his tamen non fulgeat, qui tumentis ſcientiæ ac ſapientiæ iſtius morbo laborauerint: morbus enim & cacoëthes potiùs, quàm vis, virtus, vel facultas aliqua, ad ſalutem opportuna. Huiuſmodi humani habitus diuino cenſentur iudicio.*

Ideo, ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo: peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur.

*Admirabile prodigium eſt, vt qui ſummam ſapientiam & prudẽtiam profitentur, ea omnino ignorent, quæ manifeſtiſſimæ & ſimpliciſſimæ ſapientiæ ſunt: atque in iis, quæ veram prudentiam ſapiunt, illi imprudentiſſimi ſint. Eſt autem Ieſus Chriſtus crucifixus Dei ſapientia, Deiq́; virtus: quam ſibi propoſitam & oblatam, Iudæorum ſapientes non cognouiſſe, neq́; accepiſſe, prodigium atque miraculum magnum & ſtupendum eſt. Vti Iſrael qui ſectabatur iuſtitiam, in legem iuſtitiæ non peruenerit: imò ſcandalum ſibi eſſe duxerit, eum in quo veræ ſapientiæ argumenta omnia continebantur. Hanc huius loci expoſitionem, Chriſtus ipſe præceptor apud Euangeliſtas ſuos, & Diuus Paulus, aliiq́; Apoſtoli nos docuerunt. Ideo, ecce ego addam, cùm illi nec ſcire, nec ſapere rectè velint: & id quod habent, amittent ſua ipſorum culpa. Addam, inquam, illorum inſipientiæ ampliorem inſipientiam; & imprudentiæ maiorem imprudentiam apponi ſinam. Significantiſſimè verò vſus eſt Dominus verbis, peribit, & abſcondetur: vt indicaret merè priuatiuè, vti Phyſici loquuntur, ſeſe habiturum. Vt ſi cui Solem auerſanti, & fugienti, atque adeò frigeſcenti, atque minùs clarè videnti, ſol ipſe occidat, & omnino lateat, maiores atq́; denſiores tenebræ offunduntur, & frigus grauiùs multo augetur; non quòd Sol id efficiat, ſed quòd ex ſolis abſentia id neceſſariò eueniat. Sic etiam vbi quis contento ſtudio ſeſe à Dei conſilio atque voluntate abienat, dignus fit vt Deum à ſe abſentem, atque abalienatum habeat. Atq́; adeò in maximam inſipientiam & denſiſſimas errorum tenebras incidat: ideoq́; ſapientiam perituram, atque prudentiam vltrò abſcondendam illis eſſe Deus ait. Eſt autem ſapientia humanarum ac diuinarum rerum cognitio, prudentia verò, quam interpres noſter intellectum vertit, huius cognitionis vſus exercitatioq́; eſt: id quod à nobis aliàs pleniùs vt oſtendatur, Deus ipſe (vti ſpero) dabit. Appellatur autem huiuſmodi punitio diuina,* miraculum grande & ſtupendum: *tum propter pugnantium rerum antitheton, vt à ſapientibus pereat ſapientia, &c. tum propter grauitatem & magnitudinẽ punitionis ipſius: homine enim ſapientia priuato nihil miſerius. longè autem grauius eſt hominem ſapientiæ parte aliqua imbutum, prorſus reddi inſipientem; vt miſer eſt cæcus qui nunquam viderit: longè verò eſt inferior cæcus, qui aliquando aliquid viderit. Atq́; miſerum illum Iudæorum populum ad hanc conditionem eſſe adductum, præterquam quòd Spiritus ſanctus per Apo-*

Mat 15. Mat. 7.

Ambroſ. de pœnit. lib. 1. c. 4.

*ſtolos*

Deut. 28. *ſtolos identidem teſtatur: ipſorum etiam magiſtri declararunt, Durior, inquiunt, eſt nobis ſapientũ priuatio, quàm domus ſanctuarij euerſio: atq; ex duo de centum maledictionibus, quas lex prænunciat, grauiſſima illa eſt, Augebit Dominus plagas tuas. quo in loco vbi interpres noſter ait, augebit, Hebraicum verbum eſt,* PALEH, *quod mirificare, & admirabilem facere ſignificat. idem videlicet verbum, quod hoc loco à Vate vſurpatum eſt. Quòd ſi grauiſſima, inquiunt, illa omnium maledictio eſt, quanto grauiorem hanc exiſtimari oportet: quæ ipſa augmentum, & amplificationem ſui indicat. iccirco ego* addam, *vt admirationem faciam. Vltrà illud, quod dictũ erat augebit, ſiue, admirabiles faciet, dicit nunc Deus ſe additurum etiam maiorem admirationem: eóq; interpretatus, ait: Peribit ſapientia ſapientum, &c. Ex quo fit vt omnium plagarum maximam hanc eſſe intelligamus, quæ nobis ſapientibus ſemotis allata eſt. Hanc nos Iudæorum confeſſionem ex ſcriptis accepimus ipſorum. Atq; hoc diuinum iudicium aduerſus Iudæorum ſapientes, commune etiam fore aduerſus omnes eos, qui iſtorum ſapientiam imitabuntur, apertè nobis Apoſtolica ſcripta oſtendunt. quamobrem hic locus ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus rectiſſimè in hanc ſententiam vſurpatur.*

Euſeb. de præparat. lib. 14. c. de ſap. huma. Clemens Alexan. ſtromat. lib. 1. & 5. Tertull. adu. Marcio. lib. 4

Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera: & dicunt, Quis videt nos, & quis nouit nos?

IN *ſuperioribus Vates Dei oratione vſus, Iudæorum populum, atq; illius populi ſapientes & magiſtros, officij deſerti accuſauit, & iudicij in ipſos futuri, euentum præmonuit: oſtendens illos grauiſſimè in ſuam perniciem errare atq; deſipere, qui Dei doctrinam vel non rectè intelligunt, vel ſuis cogitationibus priuatis ſententiis & inuentionibus permiſcent. Atq; illud commune argumentũ aduerſus omnes iſtiuſmodi homines ſuſceptum eſt. Nunc verò aliud magis priuatum ſuſcipitur aduerſus quoſdam, qui in illo populo erant; ex eorum opinione, qui ſingulorum hominum res à Deo non curari, imò non cognoſci exiſtimabant: cuius farinæ nonnullos apud antiquos fuiſſe, tum ex hiſtoriis, tum ex aliis philoſophorum atq; poëtarum ſcriptis conſtat. Neque verò hic ſunt, qui Deum eſſe negant* ἄθεοι, *à Græcis dicti: ſed qui eſſe quidem fatentur, tamen humana ſaltem ſingularia cognoſcere, & curare diffitentur: idq; ex quibuſdam philoſophiæ rationibus adſtruere moliuntur: quas hoc loco Propheta noſter ſignificanter indicat, & ſapientiſſimè refellit. Quos antea Deus redarguerat, eos eſſe diximus, qui non negabant quidem Deum omnia recognoſcere & publica, & priuata, vniuerſalia, & ſingularia: verùm illius colendi rationem peruertebãt. Hîc verò grauiori oratione & minis, atque mali denunciatione reprehenduntur ij, qui ſingularum rerum & perſonarum cognitionem Deo ſubducunt. Namq; huiuſmodi opinionibus quicumque imbuti fuerint, neque legem, legiſve præcepta, neque vaticinia credunt, aut curant; ideóque à Deo longiſſimè ſeſe abalienant, & quàm profundiſſimè ab ipſo remouentur.*
Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium.

*Hebraicè*

ciendo ab Iſraelitis admiſcebatur atræ bilis auertendæ cauſa, Arabibus & Hiſpanis, Azenunt dictum. At verò cuminum, quod CHAMON, Hebraicè appellatur, vnde Græcum & Latinum nomen acceptum eſt, cùm altioribus caulibus, & ſimplicioribus exurgat; aſpergi potius quàm diſpergi ſeminando poſtulat. id quod verbo Hebraico IIZROK, indicatū eſt. Significat enim ZARAK, mota à capite ſurſum vel deorſum: nā aliquid ſpargere in rectum, qui habitus ſacerdotis eſt, ſanguinem altari inſpergentis, atque ita obſeruatur hoc verbum plurimis in locis. vt, Tolle plenas manus cineris de camino, Exodi 9. & ſpargat illud Moſes in cælum coram Pharaone. & Moſem dimidiam " ſanguinis partem ſuper altare fudiſſe, ſiue inſperſiſſe legimus. Itaq; non eodem modo aut habitu, neque æquali ſpatio hoc atque illud ſemen ſeritur: neque etiam eodem ſoli ſitu cuncta ſeminantur. Triticum enim ſulcatam humum; ordeum verò, certis areis diſtinctam & complanatam; ſpelta autem, ne alia corrumpat aut inficiat ſemina, ſuas etiam regiones certo termino præfinitas ſibi vendicat. Nam triticum aqua recens incoquit, & vitiat: ideoq; ſulcis ſeminandum eſt: hordeum humidiorem terram amat, & planiorem, æquabiliq; ſolo gaudet. Oportet autem agricolam huiuſmodi ſeminandi rationes & probè noſse, & diligenter obſeruare. Namq; ab hac facultate & peritia ſingula ſuis modis oportunè ſerendi, diſcrere, verbū Latinis factum eſt: vnde qui rerum rationes diſtinctionesq; callent, diſerti appellantur. Atq; ita non ſatis eſt arare ad primam huius curæ partem expediendam: oportet arare, deinde aruare, atque occare terram, addito fimo, vbi opus fuerit: deinde æquare, & complanare, tum verò ſeminare ſingula ſuis modis atque locis; & ſulcos tritico iam ſato aperire. Et ponet triticum per ordinem. *Hebraicè, & triticum menſuratum, vel ſulcatum, & ordeum deſignatum: & viciam, ſiue ſpeltam in termino ſuo. Omnia hæc naturæ obſeruata ratione & lege agi curariq; affirmat Vates. non quòd ita libeat agricolæ, ſed quòd ita fieri ſit opus, natura poſtulante, Deóque docente.* Et erudiet illum in iudicio, Deus ſuus docebit illum.

Ex *obſeruatione & cognitione rerum naturæ huiuſmodi certas agri colendi rationes conſtare ait. Namque ratio, quæ lumen in homine eſt à Deo datum, ipſa, inquam, ratio hæc omnia cogitare, & obſeruare poſtulat. Exercetur autem ratio tum inueſtigatione & comparatione rerum, tum effectorum, & euentorum notatione: atque hæc mentis cogitatio & ſolertia verè Dei donum eſt. vnde animi originem cæleſtem antiqui credebant.* In iudicio. Quint. lib. 3, c. 1. *Hebraicè*, MISPAT, *quo nomine ius & rationem, atque ratiocinationem vocari ſæpius admonuimus. Atq; hactenus quæ ad primā agricolarum curam rectè conſideranda & exercenda ſpectant, indicauit Iſaias. Deinde verò ſubiunxit non minorem rationem habendam eorum operum, quæ ad alteram partem attinent, meſſis videlicet faciendæ: quam Itali, recolta; Hiſpani, coſega, vocant.*

Non enim in ſerris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminū circuibit: ſed in virga excutietur gith, & cyminū in baculo.

*Inſtrumentorum etiam ruſticorum habendam eſſe rationem docemur, ſcien-*

*ſciendumq́; quis cuiuſque vſus ſit, aut quæq́; parentur ſingula ad operas. Quòd hoc loco Latinè legimus* in ferris, *nomen eſt inſtrumenti, quod Latini auctores, tribulam dicunt: à terendo deductum. Paratur autem ex lato ligno, altera parte crebris foraminibus aperto: in quibus ſinguli ſilices infixi hærent acutiores amygdalæ magnitudine aut nucis. hoc inſtrumentum ſuper compoſitas in area fruges bigis vel quadrigis boum, aut equorum tractum culmos & ſpicas frangit, granumq́; ab ariſtis deiicit. Adhibetur autem frugibus durioribus, vt tritico, ordeo, & auenæ terendis & excutiendis. iis verò quæ molliora ſunt & graciliora, ſeminibus excutiendis, vel pertica, vel virga aptatur: quæ ſi tribula tererentur, comminuerentur omnino ac perirent. Itaq; gith virgula, & cyminum baculo excutitur, non teritur: atque vt rerum, ita etiam verborum obſeruanda ratio eſt. Huiuſmodi enim legumina non teruntur, ſed excuti dicenda ſunt.*

Panis autem comminuetur.

*Quatuor in vniuerſum herbarum genera ſunt quibus homines vtuntur, vſibus ipſis diſtincta. Quædam enim virides vel ad cibos vel ad medicinam comparantur: quæ cibis apta ſunt, olera vocamus; quæ verò ad medicinam, & herba & ſemine proſunt, herbæ generico vocabulo dicuntur. Quædam verò neque folia, neque caules eſui apta ſunt, ſemina autem ad eſum ſeruantur. quæ rurſus in duas formas abeunt, alia enim pani conficiendo adaptantur, alia aliis modis condiuntur, & decoquuntur, hæc omnia legumina dicũtur. Illa verò ex quibus panis conficitur, frumenta Latinis, Hebræis,* LEHHEM *vocantur. Neque plura ab ipſis recenſentur, quàm triticum, ordeum, ſpelta, ſecala, & auena: ex iis enim tantũ generibus benedictionis libum confici poterat, ex ceteris verò maſſa ſi conficiatur, panis nomen minimè obtinet apud antiquos. His generibus omnibus à ſpica ſeparandis, comminutione opus eſſe Vates ait. quæ triturationibus fit per tribulam, aut rotam, & currum humilem, vel immiſſum numero boum, aut equorum ſufficienti, qui circumductus, ſubiectas fruges vngulis cõminuat; vt in Hiſpaniæ, Beticæ, & Luſitaniæ prouinciis fit: in Tarraconiẽſi enim ferè omni tribularum vſus frequens eſt. Sunt enim huius generis & culmi, & grana dulciora: ideoq́; nõ tantùm excuſsionem, ſed comminutionem poſtulant, maximè vbi culmus ipſe ad iumentorum pabulum conſeruari ſolet. Verùm in huiuſmodi conterendis & comminuendis generibus, certam rationem atq; modum adhibere oportet. Vates ait:*

Verùm non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plauſtri, nec vngulis ſuis comminuet eum.

MODVS, *inquit, in his etiam tenendus atq; ſeruandus eſt, non enim* rota plauſtri in perpetuum triturabit, *neque tribula comminuet; neque vngulis perpetuò conculcabit: aliàs, ſi modus excedatur, cõminuetur panis, & in puluerem redactus corrumpetur. Suppoſitum huius orationis eſt agricola, quod ex re ipſa cognoſcitur, vel rota & tribulus: & quod hîc* vngulis *legimus, ipſa iumenta vel armenta per metonymiam ſignificat, quæ Hebraicè, cùm in hunc vſum coniuncta ſunt,* PARASSIM *vocantur. Atque*

vt

*vt rectam rationem & artem à Deo profectam in priori culturæ cura obtineri, ſic etiam in hoc poſteriore obſeruari confirmat Vates.*

Et hoc à Domino Deo exercituum exiuit, vt mirabile faceret conſilium, & magnificaret iuſtitiam.

*Hebraicè poſterior verſus ita habet. Mirabile facere conſilium, magnificare efficientiam, ſiue, ſubtilitatem. Habet, inquit, magnam vtraque agriculturæ pars artem & obſeruationem in conſilio iuxta temporum atque rerum rationem, conſtituendo ordinis rationem, atque in operis ipſis admouendis dexteritatem, iuſtitiam, hoc eſt, oportunitatem & commoditatem inſtrumentis ad eam comparatis, quibus vnumquodque opus & commodè & vtiliter perficiatur. At verò argumentum & rationem quamobrem ſimilitudo hæc à Propheta producta ſit, cùm adiuncta oratione expreſſam non legamus, eandē omnino eſſe exiſtimamus, quæ toto hoc capite explicata eſt. Quippe varias atque diuerſas Deo auctore Iſraelitarum populo ferendas conditiones prædictas cognouimus. Principio decem tribuum abductionem & diſperſionem, Iuda & Beniamim exceptionem, huius etiam populi deprauationem, atq; adeò conſecuturam animaduerſionem: tādem maximum illud promiſſum doctrinæ veræ, atque ſalutis per Chriſtum afferendæ, & ob repulſam huic beneficio diuino factam abdicationem illius populi, & reprobationem. Hæc omnia cùm ex Dei auctoritate profectura eſſe Propheta prædiceret, Antipophoræ improborum hominum & inſipientium reſpondendum duxit: qui facilè illud obiicere poterant, vt ſæpe in ſacris libris ab iſtiuſmodi obiectum legimus: vel hæc omnia temporum tam varia exempla caſum arguere, quo mundus moueatur, vel Deum rerum motorem & gubernatorem conſilia ſua inconſtanter mutare, atque incerto iudicio non autem perpetuò vti, quod à diuinæ naturæ veritate quàm alieniſſimum eſſe, & res ipſa declarat: & Propheta ipſe hac ſimilitudine populo confirmat. Docet enim, maximæ atq; conſtantiſſimæ ſapientiæ eſſe, vt conſilia mutentur: non pro ingenio, aut vitio, aut inconſtantia Dei, ſed pro earum rerum quæ diuinæ prouidentiæ ſubſunt ratione & vſu. ita vt variatio ad excipientis, non ad agentis naturam & conditionem referenda ſit. Namque vt ſapiens agricola curas eas quæ ad ſementes & meſſes pertinent, variis modis & operis exercet pro ratione temporum, ſoli & rerum ipſarum quæ colendæ ſunt: atq; hoc ſapientiæ ſummæ in illa arte tribuitur, propter variam (vti diximus) conditionem earum rerum quibus cura culturaq; impenditur: ita Deus, qui ſuum primum miſericordiæ, deinde iuſtitiæ erga homines exercendæ propoſitum perpetuò obtinet, & promouet: pro diſpoſitione, & conditione hominum ipſorum humanas res variis modis exercet, vt Euangelij doctrinæ ſementem faciat, ac deinde fructus etiam opportuno tempore redditos excipiat, & conſeruet. Vt enim agricola gith ſapienter diſpergit, cyminum ſpargit, triticum ſulcatum per ordinem ponit, ordeum ſignat, & vitiam in finibus ſuis collocat: ſic Deus optimus & prouidentiſſimus humanæ naturæ gubernator, Iſraelitas, hoc eſt, decem tribus à Samariæ regno abductos, variis regionibus diſpergendos, & alios aliàs ſpargendos tradet.*

*Iudæos verò quos eatenus conſeruari volebat integros, quoad Chriſtus ille promiſſus mitteretur, nunc in ſuis ſulcis, hoc eſt, in regione ſua continebit: nunc verò ob culpam ipſorum iratus, eoſdem iam Babylonem abducet, ibíque continebit ſignatos intra Babylonis & Mediæ regnum, vti ordeum. Deinde vti ſpeltam ad ſuos ipſorum fines, hoc eſt, ad Iudæ regionem vſque ad Galilæas reducet: hoc eſt, quod ad ſemen vtriuſque populi vel continendum & conſeruandum, vel diſpergendum pertinet. Quod verò caſtigationem & correctionem ſpectat, grauiores multo pœnas demum daturos Iudæos quàm Iſraelitas: vtpote quorum facinus Chriſto repudiando & occidendo, ac probro ignominiiſq; afficiendo, Euangelio etiam repellendo, grauius multo fuerit. Atq; Iſraelitarum peccata, quibus & ipſi communicauerant, ingenti cumulo ſuperauerit. Itaq; quemadmodum collectas meſſes, & in aream coniectas, ſingulorum generum conditione agricola tundit; vt paleis ſeiunctis, grana ſegreget, & reponat: atque ideo in virga excutitur gith & cyminum in baculo; panis autem quia duriori materia conſtat, tribula, rota, & iumentorum vngulis cõminuitur. Ita fiet vt Iſraelitæ, quamquam abducantur & diſpergantur; tamen leuiùs affligantur, minoribusq; calamitatibus afficiantur, quàm Iudæi. Illi enim non longam obſidionem ab Aſſyriis tulerunt, neque grauiſſimo bello oppreſſi ſunt: hi verò à Romanis diu obſeſſi, maximis miſeriis, fame, peſte, atq; ciuilibus & internis odiis vexati, tandem maxima ab hoſtibus clade, & ſtrage affecti, ignominioſè in triumphum ducti, grauiſſimè etiam poſteà mulctis exerciti fuerunt. Atque vtrumque exemplum tam ſationis, quàm triturationis nõ caſu, non immutatione voluntatis Dei primæ, ſed maxima Dei prouidentis ſapientia conſtare ait Vates. Et hoc à Domino miſericorde Deo exercituũ flagitiorum vindice exiuit: videlicet, vt mirabile faceret conſilium, & magnificaret iuſtitiam & efficientiã. Trituratus eſt Iuda, diruta vrbs illa celeberrima Ieruſalem, templum incenſum, cõculcata vrbs, & locus ſanctus, & populus vngula plauſtri, id eſt, Romanorum militum calceis ferratis, vt*
Lib. 6. *leges apud Ioſephum. Itaq; hac ſapientis agricolæ ſimilitudine Domini conſilij conſtantiam, æquitatem, iudicij prouidentiæ magnitudinem probauit Vates, atq; ſimilitudinem in primis propoſuit, quam deinde plenè atq; dilucidè explicuit, vt in ſubiuncti capitis expoſitione oſtendemus.*

## Capvt XXIX.

VÆ Ariel, Ariel ciuitas quam expugnauit Dauid.

Hvivs *capitis argumentum breuiter in ſuperioris proximo fine indicauimus: expoſitionem videlicet eſſe eius ſimilitudinis, qua ſuperior claudebatur lectio. Hac expoſitione extrema illa calamitas prædicitur, quæ Ieroſolymis per Romanos allata eſt. Ieroſolymam vrbem cum templo ſuo illo totius orbis terrarum celeberrimo, arcano verbo cõpoſito apud hunc Prophetam, & apud Ezechielem,* ARIEL *appellatam legimus, cuius nominis complures rationes variis doctis efferũtur. Latinè ſonat, Leo fortiſſimus, ſiue, leo Dei fortiſſimi: quòd eo tempore præcipuè impoſitum in illam vr-*

*bem*

*bem arbitramur quadraſſe, quo expugnatam, habitatam, & munitam à Dauid rege legimus; atque ita vocitatam propter loci inexpugnabilem firmitudinem, quæ optimi principis cura, virtute, pietateq́. nitebatur, atq. Dei fauentis tutela defendebatur. quamquam autem templum ipſum antiquum propter ædificij tum ſitum, tum formam* ARIEL *appellatum feratur; vt in ſacro Apparatu oſtendebamus: tamen hoc loco pro tota illa vrbe nomen vſurpari Propheta ipſe docet, qui appoſitione vſus ait,* Ciuitas quam expugnauit Dauid. *Verbũ, expugnare, hoc loco in vſum capere, & ſibi in habitationem vendicare nobis ſignificat. Namque Dauid bello captam vrbem illam & expugnatam ſibi regiam futuram optauit, & excoluit. Namque verbum* HHANAH. *Propriè ac ſimpliciter, tentoria figere, ac manere in aliquo loco ſignificat: quod interpres noſter aliquando habitare, ſæpè verò, caſtrametari, non diſſimili ſignificatione reddit. Itaq. nomen* ARIEL, *coniunctum cum appoſitione addita, accipi arbitramur.* Væ, *inquit Vates,* ciuitas *illa quæ* ARIEL *iure appellabatur, quo tempore expugnata, occupata, atque habitata fuit à Dauide rege optimo atq. piiſſimo Dei cultore: cuius propterea certam & præſentem tutelam experiebatur. Hanc à Deo ex tanta gloria & magnitudine aliquot poſt annos ad ſummam vaſtitatem dedendum iri Vates præuidens comminabatur.*

Additus eſt annus ad annum, ſolemnitates euolutæ ſunt. *Hebraicè,*
Additi annum ſuper annum, ſolemnitates decidentur.

*Permiſſione oratoria vſus Propheta, oſtendit Ieroſolymorum vrbis gloriam non futuram perpetuam, cuius exciſionem poſt aliquot annos futuram ipſe prænoſceret: quamquam enim, poſtquam Dauid ille maximus, hoc eſt, Chriſtus, illic fuiſſet commoratus, & rex oſtenſus atque datus, tamen reiectus eſt, aliquot annos adhuc manſiſſet vrbs & ciuitas illa; tamen exciſa tandem & vaſtata fuit. Illa, inquam, ciuitas tam felix, cùm à Christo filio Dauid æterni ſolij rege, quem ſi retinuiſſet, beatiſſima eſſet illa poſt regis illius Deo gratiſſimi filij diſceſſum, addere quidem potuit* annum poſt annos; *id eſt, annos aliquot numerare, feſtiuitates aliquot agere ac celebrare: ſed tamen non diu duraturam Vates pronunciabat. Huiuſmodi permiſſiones ab auctoribus vſurpantur, quibus deinde exitum opinioni ac ſententiæ contrarium denunciant, vt illud.*

*Pone domi lauros, duc in capitolia magnum,*
*Cretatumq́. bouem, Seianus ducitur vnco* Iuu. Sat. 10.
*Spectandus, &c.* *& illud:*
*Longa per anguſtos figantur pulpita vicos.* Idem Sat. 6.
*Ornentur poſtes, & grandi ianua lauro, &c.*

*Sic etiam Iſaias ait:* Eſto annum ſuper annum, *numerate, decerpite, & frondes metite, coronas, ramos feſtiuos identidem plectite. Namq. ad hanc tranſlationem Hebraica oratio alludit. Eſt, inquit, vt hæc agatis, & numeretis annos, & feſta veſtra, ac ſolemnia celebretis, atq. hoc modo exiſtimetis veſtram vobis rempublicam, & vrbem, iſtamq́. religionis faciem duraturam. Tamen,* Et circumuallabo Ariel, & erit triſtis, & mœrens, &

erit mihi quaſi Ariel. CIVITATEM *illam quæ ob fortitudinem, munitionem, diuinumq́; præſidium* Ariel, *hoc eſt, leo fortis, appellabatur, ad anguſtias, & calamitates, in eamq́; triſtitiam traducendam eſſe ait, vt ex leone fortiſſimo in deteſtationem maximam apud Deum habeatur.* Ariel, *nomen (vti diximus) leonem fortiſſimum ſignificat, compoſitũ ex* ARIEH, *ſiue,* ARI, *&* EL. *Idem nomen paronomaſiæ ratione, ex* ARAR, *&* EL *compoſitum, poteſt ſignificare maledictionem fortem, ſiue, maledictionem Dei fortis. Magnam igitur mœſtitiam & triſtitiam in gentem vrbi ipſi Romanorum exercitu obſeſſæ & circumuallatæ, futuram eſſe Deus auctor prædicit: eamq́; ex illo fauſto ac præclaro nomine & ſtatu fortis leonis, ipſi Deo fortiter maledictam, futuram ait. Hoc huius paronomaſiæ antithebon eſſe nobis videtur, cùm nihil tamen diſpliceat Chaldaici interpretis paraphraſis, quam commentatores ferè omnes ſecuti ſunt. Ita autem paraphraſtes ſcripſit: Et tribulabo ciuitatem in qua eſt altare, & erit deſerta & vacua, & erit coram me circundata ſanguine occiſorum: ſicut circundatur altare ſanguine victimarum ſanctificatarum in die ſolemnitatis per circuitum. Namq́;* ARIEL, *&* HAREL, *pro altari quoque vſurpari ex Ezechielis le-*
Ezech. 43. *ctione obſeruauimus. S. S. E: Ipſe autem* ARIEL *quatuor cubitorum, & ab*
*„ Ariel vſque ad ſurſum cornua quatuor. Neque militibus & copiis tantùm, ſed vallo etiam, & turribus circundandam & coaguſtandam vrbem illam dicit.*

Et circundabo quaſi ſphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obſidionem tuam. *Hebraicè eſt.* Et conſtituam quaſi ſphæram ſuper te: turres illas ligneas rotundas ſignificat, quæ circũ vrbes expugnandas collocabátur.

ET *circundabo contra te* MVTSAB, *ſtationem, ſiue conſtitutionem ſignificat vox à* IATSAB *verbo: vnde* MATSEBAH *deducitur, quam à ſtando ſtatuam Latini verterũt: nobis machinarum genera bellicarum moles omnes hoc loco ſignificantur. Hiſpani, baſtidas, huiuſmodi vocant. Hoc interpres noſter aggeris nomine indicabat. Illud verò,* Et munimenta ponam in obſidionem tuam, *ad arietes, baliſtas, & ceteras expugnationis machinas referendum arbitramur, ex Hebraicæ orationis obſeruatione, quæ ſic habet: Et erigi faciam contra te* METSVROTH. *Atque ita expugnationem illam grauiſſimam contentiſſimamq́; fore his tot partibus deſcriptis ſignificabat; ideoq́; exitialem futuram eſſe indicabat, quæ non innumerabilibus hominum copiis tantùm, ſed vallis, aggeribus, turribus, machinis, tormentis, bellicisq́; motibus omnium generum eſſe apparandam & inſtruendam, atq́; adeò abſoluendã. Id quod Chriſtus Dominus breui ſumma com-*
Lucæ 19. *plexus indicauit. Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo:*
*„ Et circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique. Porrò quàm multis, & quantis operibus obſidionem illam Romani inſtruxerint, qui cognoſcere vo-*
Ioſeph. lib. 5 *luerit, Ioſephi hiſtoriam legat. Hanc verò obſidionem irritam minimè fore,*
c. 34. 35, &c. *ſed magna Ieroſolymorum vaſtatione eſſe abſoluendam, ex euentu ſignificat Iſaias. Namq́; ciuitas illa, quæ tanquam fortiſſimus leo rugire, & terribilem*

*vibilem ſeſe hoſtibus anteà præbere poterat, in eam miſeriam deducenda erat, vt moribundi ciues ſolo proſtrati, nihil aliud quàm gemitus ederent miſerrimos. hoc eſt quod ait Vates:*

Humiliaberis, de terra loquêris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quaſi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit.

HABITVM *& vocem deſcribit Propheta eorum qui in illa Ieroſolymitana clade victi, proſtrati, necati, trucidati, atq; lacerati, tum in terra iacentes, tum in cryptis abſconditi ac deprehenſi; partim ſeſe ſupplices victoribus dedebant; partim ibidem vulnerati gemebant, & moriebantur. Hoc ſignificabat Ieſus illa prædictione, Et ad terram proſternēt te, & filios tuos qui in te ſunt. & erit quaſi Pythonis de terra vox tua. Huiuſmodi gemitus audiri ſolent animarum à veneficis per incantamenta euocatarum: ſicut ille narrabat: Singula quid memorem: quo pacto alterna loquentes*
*Vmbræ cum Sagana reſonarent triſte & acutum.*

Ioſeph. lib. 5. & 6. — Lucæ 19. — Horat. lib. 1. Sat.

*Huius verò tantæ cladis efficientem cauſam minarum ingentem eſſe, fore ait militum atq; ducum illius exercitus, quo opprimendi erant: atque quos in orbem iam expugnatos, ſubitò ſimul omnes irrumpentes, ſtragem edituros ait maximam.*

Et erit ſicut puluis tenuis multitudo ventilantium te: & ſicut fauilla pertranſiens multitudo eorum qui contra te præualuerūt: eritq; repentè confeſtim.

MILITVM *turmas & copias innumeras tenuis pulueris; ducum verò, centurionum, tribunorum, & aliorum qui publicis miniſteriis in bello funguntur, multitudinē, fauillæ pertranſeuntis, ſiue ſtipulæ, vel paleæ ſimilitudinibus ſignificauit.* Puluis tenuis. *Hebraicè,* ABEK, *fauillam ſignificat minutiſſimam, quæ Hiſpanis, paueſa, vocatur.* Fauilla pertranſiens. MORS GHOBER. *Sunt in hac metaphora maiores ariſtæ, ſiue, ſcintillæ ardentes, quæ maiori impetu ignis impulſæ, incendia ex vno loco in alium aſportant. Aliàs nomen hoc minutiſſimas paleæ partes ſignificat, quas Hiſpani tamo, dicūt. Quippe tranſlatio hæc ab incendiis eſt deſumpta. Hoc verò, quod Deo auctore & vindice edendum erat exemplum, tanquam fulminis cuiuſpiam cælo dimiſſi, ait: repētè confeſtim fore. Ita calamitas illa breuiſſimo temporis momento Ieroſolymitanos ciuès, atq; maximam Iudæorum, qui eo Paſchatis cauſa conuenerant, oppreſſit. Quod & Ioſephus factum narrat, & Chriſtus futurum prædixerat: Et non relinquent in te lapidem. tanta celeritate illa maxima totius orientis vrbs vaſtata eſt. Atque hanc cladem & perniciem illi vrbi afferendam, non caſu, non temporum omnia mutantium vi, ſed Dei vltoris conſilio & iudicio profectam certis indiciis atque ſignis oſtendendam eſſe ait Propheta.*

Lucæ 9. — Ioſeph. de bel. Iud. lib. 6

A Domino exercituum viſitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempeſtatis, & flamma ignis deuorantis.

*Viſitationis & viſitandi vocabula latam & multiplicem ſignificationem habere*

Lib. de idiotiſ. *habere in ſacro Apparatu docuimus. Dicebamus autem multiplicem illam ſignificationem ad vnum genus referri commodè poſſe, quod Latinè, rationem, ſiue curam habere, ſiue, curare dicimus. Curamus enim ea, quæ ad nos pertinent; atq; hoc pacto aliena non exiſtimamus. Sic Iudex ſuum curare munus dicitur, ſacerdos item ſuum, & pater, & dux, & rex. Ita etiam hoc verbum, viſitare, in ſacris obſeruamus vſurpari, cùm vel Deus ſalutē populo, iam antea afflicto, affert: atq; etiam cùm pœnas alicui meritas tandem perſequitur. ad vtram verò rationem referenda ſignificatio ſit, ipſa argumenti inſtituti expoſitio indicat; maximè cùm verba adduntur, quæ auctoritatem atq; munus adeò adnotant viſitantis, vt apud Moſem ad ſalutem relatum hoc verbum & res ipſa docet, & nomen illud Dei miſerētis adiunctum, declarat.* Exodi 3. *Vade, & congrega filios Iſrael, & dices ad eos: Dominus patrum veſtrorum apparuit mihi: Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, dicens: Viſitans viſitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto, & dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti, &c. In pœnam verò & animaduerſionem huius verbi exemplum eſt,* Num. 14. *Qui viſitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Atque hoc loco ad vtramq; ſignificationem verbum referri poſſe, indicāt, primùm nomen illud ineffabile ad miſericordiæ rationes, vt perſæpe annotauimus referendum. Deinde cognomentum poſſeſſiuum, exercituum, quod ad vindictæ & vltionis ſignificationem vſurpari oſtendimus. Primùm enim Deus per vnigenitum ſuum Ieſum Chriſtum Ieroſolymam, & Iudæorum populum ad ſalutem viſitauit. Sed quia (vt idem Dominus teſtatus eſt) ciuitas illa non cognouit tempus viſitationis ſuæ, & ea quæ ad pacem ipſi erant, neglexit: vt pœnis repetendis viſitaretur, cōmerita eſt, vt veniret ſuper eam omnis ſanguis iuſtorum, qui effuſus fuerat in illa. Atque hanc poſteriorem viſitationem à Deo initam certis ſignis turbinum, fulminum, terræ tremorum indicandam fore Iſaias prædixit: quòd tum ad effecta & euenta ipſa, hoc eſt, ad ciuitatis illius excidium, & hominum perniciem, tum ad manifeſtam etiam ſpeciem eſt referendum. Siquidem ante Ieroſolymitanam excìſionem multa huiuſmodi prodigia & ſigna, atq; oſtenta conſpicienda fore, Chriſtus ipſe prædixit: & conſpecta etiam fuiſſe Ioſephus narrauit.* Ioſeph. lib. 6 *At verò hanc Ieroſolymis ex diuino iudicio allatam cladem, ipſis Romanis vel decori, vel vtilitati minimè futuram eſſe, Vates ex Dei reſponſo continuò expoſuit.*

Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omniū Gentium, quæ dimicauerunt contra Ariel & omnes qui militauerunt, & obſederunt, & præualuerūt aduerſus eam. Et ſicut ſomniat eſuriens & comedit: cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt: ſic erit multitudo omnium Gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.

V T I T V R *interdum Deus hominibus aliis ad pœnas ex aliis repetendas,*

*poſſet. S.S.E. Non erubeſco Euangelium, virtus enim Dei eſt in ſalutem* Rom. 1.
*omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur* "
*ex fide in fidem. S.S.E. Iuſtus autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei* "
*de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, eorum qui ve-* "
*ritatem Dei in iniuſtitia detinent. Cùm Apoſtolus omnem impietatem* "
*& iniuſtitiam dixit, nullum horum generum quæ Propheta commemora-uerat, excluſit. Itaque Euangelium piis, vtpote ſeruatis, lætitiam allaturam; impiis verò & iniuſtis, exitiales pœnas conſtiturùm Iſaias hoc loco vaticinatur. Addit præterea veritatem promiſſorum Dei manifeſtis exemplis, apud Iſraelitas fore comprobandam.*

Propter hoc, hæc dicit Dominus ad domum Iacob, qui redemit Abraham, Non modò confundetur Iacob, nec modò vultus eius erubeſcet.

DIVINI *nominis auctoritate, nominis, inquam, illius admirabilis; quod miſericordiæ præſtantiam præcipuè ſpectat, atque etiam exemplo manifeſto propter certiſſimam ſalutis ſpem filiis Iſrael credentibus & obedientibus, confirmat: ita vt per Proſopopeiam Iacob ipſum, tamquam præſentem inducat, & ſpectatorem ſalutis & felicitatis ſuæ conſtituat. Eſt autem nobis perpetuò obſeruanda illa Iacob nominis ratio, quo vir ille ſignificatur, qui, cùm priuata conditione viueret, nomenque ſuum tantùm tueretur; afflictus, humilis, exul, atque variis tum à fratre Eſau, tum à Laban ſocero, atque Labani filiis multiplicibus fraudibus, dolis, calũniisque tentatus, & vexatus fuit: tamen omnia pertulit, & ſuperauit, Dei, in cuius tutelam & fidem ſe tradiderat, virtute & præſidio: quem demùm magnæ ſuæ felicitatis auctorem ſummum & certiſſimũ cognouit, cùm Iſrael vocari iuberetur ſublimi iam gradu atque titulo auctus. de quo myſterio ſæpè aliàs plura diximus. Et quoniam Vatibus omnibus, atque Iſaiæ in primis ſolemne eſt, noui Teſtamenti præuiſas rationes ad antiquarum hiſtoriarum figuras referre; atque primis illis exemplis poſteriora ſignificare ac deſcribere tanto illuſtriora demũ futura, quanto ſpiritualia, & æterna temporalibus ac terrenis præſtant: operæpretium fuerit, cùm in huiuſmodi loca commentator deductus fuerit, illa etiam animo ac mente recolere, quæ à Vatibus ex antiqua lectione ſignificantur: ita enim fiet, vt ſententia omnis faciliùs intelligatur. Igitur vt hunc explicemus locum, obſeruandum principiò eſt, nomen Iacob hic appellari, quod plerumque in argumento humiliori atque ignobiliori, vti diximus, appellari ſolet: vt in dolore, afflictione, perturbatione, pudore, & huius generis aliis. Accidit autem aliquando vt Iacob facinoris à filiis ſuis admiſſi, vehementer puderet, tamquam indigni nomine illuſtri illo Iſrael. Quamobrem in tota illa narratione nulla nominis Iſrael mentio facta eſt, ſed omnia ſub nomine Iacob & filiorum, & filiarum Iacob expoſita ſunt. Huius rei exemplum vnum integrum ex antiquis libris petitum adſcribere, vt meliùs intelligatur, expediet. Idque eſt vltionis illius à filiis Iacob in viro Sichem magna calliditate paratæ, magnaque ſæuitia editæ; quæ ſic narratur: Et* Gen. 34.
*ecce die tertio, quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt, arreptis duo filij* "

„ *Iacob, Simeon & Leui, fratres Dinæ gladiis ingreſſi ſunt vrbem confiden-*
„ *ter: interfectisq́; omnibus maſculis Hamor & Sichem pariter necauerũt,*
„ *tollentes Dinam de domo Sichem ſororem ſuam. Quibus egreſſis irrue-*
„ *runt ſuper occiſos ceteri filij Iacob, & depopulati ſunt vrbem in vltionem*
„ *ſtupri. Oues eorum & armenta, & aſinos, cunctaq́; vaſtantes quæ in domi-*
„ *bus & in agris erant, paruulos quoque eorum, & vxores duxerunt capti-*
„ *uas. Quibus perpetratis audacter, Iacob dixit ad Simeon & Leui: Turba-*
„ *ſtis me, & odioſum me feciſtis Cananæis, & Phereſæis habitatoribus terræ*
„ *huius. Nos pauci ſumus: illi congregati percutient me, & delebor ego, & do-*
„ *mus mea. hoc facinus à filiis Iacob perpetratũ eſt; cùm iam anteà ipſorum pater Iſraelis nomen à Deo obtinuiſſet. Quod tantum in tota hac hiſtoria non appellatur, donec diuino oraculo monitus Iacob & locum mutauit, & totius familiæ ſuæ mores emendauit: atque inſtituta diſciplina apud Bethel religionis, & totius vitæ rationes compoſuit. Tunc deinceps Iſraelis nomen repetitum legimus. Eſt autem hic pulcherrimus locus, & obſeruatu digniſſimus. Quantum autem hoc facinore Iacob turbatus fuerit, idem ipſe iam moribundus declarauit, vtpote qui ad eam vſque horam ereptum ab illo temerario exemplo dolorem fouerat.* Gen. 49. *Simeon, inquit, & Leui fratres: vaſa*
„ *iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœ-*
„ *tu illorum non ſit gloria mea (videlicet qua Iſrael vocor) quia in furore ſuo*
„ *occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus*
„ *furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos*
„ *in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael. Huiuſmodi complura exempla ab eo tempore vſque ad ſalutis mundo allatæ dies, Iacob filios prodidiſſe, quibus pater, ſi viueret, non poſſet non perturbari & erubeſcere, ſacros libros legentibus manifeſtius eſt, quàm vt repetitis narrationibus doceri poſtulet. Nihil enim, vt Paulus inquit, ad perfectum adduxit lex. Verumtamen illam Iacob, illius antea humilis, & variis timoribus, curis, ac perturbationibus obnoxij, conditionem fore ait hoc loco Vates, vt Chriſti Euangelio atq́; beneficio accepto à filiis ipſius, qui Ieſum Seruatorem receperint, nulla culpa, nullaq́; facinoris temeritas quicquam deinceps fiat, cuius patrem ipſorum pudeat. Siquidem quotquot Iacob in Deum credentis, & ſeſe Deo ducendum tradentis, filios veros ſe præbuerint; atq́; verbum Dei, ipſis miſſi, ſuſceperint; accepta diuinitus poteſtate, filij Dei fient: qui non ex ſanguini-* Ioan. 1.
„ *bus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Atque hi, vt Dei filij, ſpiritu Dei acti, nihil facient, nihil admittent quod indignum iudicetur filiorum Dei nobilitate & virtute. Sed omnes hi, qui huius tanti beneficij principes compoteſq́; fuerint (quales Apoſtolos & diſcipulos alios, multoſq́; præterea qui Euangelio credidere & obedîere, fuiſſe legimus) omnes hi, inquam, tamquam luminaria in mundo lucentes, in medio nationis prauæ & peruerſæ nomen Domini ſanctificabũt, omni virtutis & pietatis exemplo probantes Deum in ipſis habitare, & manere. Iam ex his locus hic ſatis nobis explicatus videtur. Deficientibus iis qui præualebant, & illuſoribus, & ſupplantatoribus, & ceteris quos*

*ſignificauit, ait Propheta, pollicetur Deus, qui Abrahamum ex* VR *Chaldæorum redemit, ex periculis apud Reges paratis, liberauit, cùm pertranſiret de gente in gentem, & de regno ad populum alium, dicens: Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Ille qui ſuſceptum in ſuam tutelam, atq; ſibi delectum Abrahamum redemit, incolumemq; ad vitæ vſque finem ſeruauit, & plenum dierum, & in ſenectute bona, promiſsiſq; magnis auctum, ex hac vita vocauit: idem qui hæc omnia promittere & præſtare poteſt: ſic ait ad domum Iacob, adhuc in illa humili conditione ſub lege ſcripta degentem modò cum ſalute orbi allata, hæc quæ prædixi, expedietur:* Non confundetur Iacob, nec modò vultus eius erubeſcet, *propter filiorum temeritatem. Appoſitè autem vſus eſt hac imagine Iacob erubeſcentis, & confuſi: vt oſtenderet culpam, quæ erubeſcentiæ cauſa eſſe ſolet, non debere adſcribi ipſi Iacob, quippe vt à Philoſophis obſeruatum eſt, verecundia & erubeſcentia ſenibus non conuenit: vtpote qui propter ætatem & prudentiam nihil faciant, aut dicant, quamobrem pudore affici debeant. Pudet igitur ſenes non tam ſui, quàm minorum exempli alicuius temerarij, aut ſcelerati: atq; ad hanc cauſam pudoris, hoc eſt, propter filiorum culpam, hanc orationem eſſe referendam ipſe nobis indicauit Propheta, expoſitione adpoſita huiuſmodi:* Pſal. 104.

Sed cùm viderit filios ſuos, opera manuum mearum in medio ſui, ſanctificantes nomen meum, & ſanctificabunt ſanctum Iacob, & Deum Iſrael prædicabunt.

ILLE *qui Abraham redemi, & ex idololatrarum conſortio excitum ad me vocaui, atque ex vnico atq; liberis carente, multarum gentium patrẽ, præter naturæ commune exemplum conſtitui: idem ipſe filios Iacob, Euangelio credentes, ita renouabo, vt opera manuum mearũ non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate viri, neq; ex volũtate carnis nati, ſed ex me nati, atq; à me effecti vocari iure liceat: à quibus ita voluntas mea fiet, & præſtabitur, vt ſanctificetur nomen meũ, & ipſi oſtendant ſanctum eſſe illũ qui Iacob ornando, atq; ad Iſraelis dignitatem & amplitudinem euehendo, ſanctum ſeſe oſtendit.* Et Deum Iſrael prædicabunt. *Prædicabunt fortiſsimum, & potentiſsimum nomen Dei, qui Iacob adeò fortem effecit, vt contra Deum fortis euaderet; atq; ex eo beneficio nomen Iſraelis obtinuerit. Hebraicum verbum* IAGHARITSV, *fortem oſtendere, probare, ſiue prædicare fortem ſignificat.* Prædicabunt, *inquit, probabunt Dei fortitudinem & virtutem à quo Iacob ad tantam fortitudinem promotus fuerit. Subit hoc loco adiudicari magnam Euangelij Chriſti præſtantiam, quod omnium antiquarum hiſtoriarum, omniumq; figurarum, omnium rituum & ceremoniarum arcanam ſignificationem virtute ſpiritus in eo promiſsi & manifeſtati, continet: qua qui præditus fuerit, ſancte Deus, quàm ſapiens euadet! Quid verò ſanctificet Deum, ſanctificari in aliquo, aut ab aliquo, aut hominem, vel rem, vel locum ſanctificari, quoniam ſæpiùs iam aliàs docuimus, repeti modò non opus eſſe cenſemus. Magnum autem diſcrimen inter filios Iacob, ante illam ſalutem, & eundem poſt acceptum à Deo huiuſmodi beneficium*

*fore ait Propheta. Ideoq́ Iacob non pudore, ſed maximo gaudio eſſe perfundendum comprobat. Quippe ex illa ignoratione, impotentia, & temeritate, ex illa infirmitate qua laborabant, illi, interim dum infirmarentur per carnem ad magnam ſapientiam, prudentiam, & legis diuinæ obſeruantiam erant traducendi. hoc eſt quod ſubiungit:*

Et ſcient errantes ſpiritu intellectum, & muſſitatores diſcent legẽ.

ERRANS *ſpiritu is dicitur, qui viam veritatis ignorat; vel cognitam, non inſiſtit: Vel, quia non ſentit, quod clamat rectius eſſe; Vel, quia non firmus, rectum defendit, & hæret, Ne quicquam cæco cupiens euellere plantam: muſſitator verò eſt, qui defendere delictum, quàm vertere mauult, vt ſunt multi inter homines vel huius, vel alterius notæ. Euangelij autẽ Chriſti ſapientia & virtute efficiendum eſſe ait Vates, vt alteri ex his veram prudentiam, agendarumq́ rerum rationem teneant, obtineant, & ſequantur. Alteri verò relictis vitiis, & omni callida interpretatione, aut etiam iniqui & iniuſti defenſione verboſa damnata & relicta, legem Dei ſuſcipiant, & ſumma obſeruatione colant. Loquebatur autem hoc loco Vates de iis omnibus, qui Euangelio credituri, & obedituri erant: quos ſuos verè filios Iacob agnoſcit, & probat.*

## ARGVMENTVM VATICINII XXII.

CVM *hominum ſalus omnis ſolo Dei conſilio & præſidio conſtet, manifeſtum eſt eos peruersè ſibi conſulere, qui aliundè quàm ex Deo ſalutem petunt, & quærunt; maximeq́ in hoc peccare, quoſcumque vera Dei notitia inſtruxerit. Experti fuerant Iſraelitæ diuinum auxilium ſæpiſſimè ſibi omnino præſens & vtiliſſimum, & tamen ipſum Deum, quem ſibi pietatis cultu & ſtudio propitium, tutorem, & proſpicientem conſeruari oportuit, non ſolùm vitiis & flagitiis, diſſenſionibus, & aliis nefariis ſceleribus abalienarunt, ſed ſtultiſſima etiam contentione & æmulatione grauiùs prouocarunt: dum aduerſis rebus ob ipſorum flagitia preſſi, præſidium & auxiliũ non ab ipſo Deo, qui percutere & ſanare poteſt, poſtularint; ſed ab hominibus Ægyptiis Deo, atq́ adeò ipſi Iſraelitarũ populo infenſis & hoſtibus: quorũ auxiliũ non ſolùm inutile, ſed pernicioſum prorſus ipſis fore Vates ait: vtpote qui ab Aſſyriis omnino exſcindendi, abducendiq́ erant; magna etiam clade Ægyptiorum, quorum opibus & auxiliis nitebantur. Contrà verò euenturum Ieroſolymitanis, quorum exemplo Iſraelitarum conſilium huiuſmodi ab Iſaia improbatur. Quippe Ieroſolymitani, ab Aſſyriis oppreſſi, Deum vnicum ſibi ad opem ferendam inuocarunt: cuius virtute effectum eſt, vt Senacherib exercitus vna nocte periret, & Ieruſalem illo periculo liberata, Deo gratularetur, ſalutémque omnem acceptam referret, tamquam auctori vero, vitæ & ſalutis auxiliari & propitio: qui propter promiſſum Chriſtum gentem illam Iudæorum foueret, & iuuaret.*

## CAPVT XXX.

VÆ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper apeccetum.

*QVONIAM ſimplex vaticinij huius explicatio ad decem Iſraelis tribus pertinet, qui ab offenſo Deo atq; irato caſtigati auxilium ab Ægyptiis fruſtrà, immo ſuam ſummam perniciem petierunt; quo exemplo hi omnes mouentur, qui veri Dei cognitione inſtructi ſunt, ne in rebus aduerſis ad vana hominum à Deo abalienatorum præſidia ſeſe conferăt: operæpretium fuerit hiſtoriam ipſam, quam hoc loco Propheta ſignificare nobis viſus eſt, deſcribere, faciliores & breuiores, vt exiſtimamus, huius lectionis explicatus paraturam. Anno duodecimo Achaz regis Iuda, regnauit Oſeæ filius* 4 Reg. 17.
*Ela in Samaria ſuper Iſrael nouem annis: fecitq; malum coram Domino, ſed non ſicut Reges Iſrael qui ante eum fuerant. Contra hunc aſcendit Salmanaſar Rex Aſſyriorũ, & factus eſt ei Oſee ſeruus, reddebatq; illi tributa. Cumq; deprehendiſſet Rex Aßyriorum Oſee, quòd rebellare nitens, miſit nuncios ad Sua regem Ægypti ne præſtaret tributa regi Aſſyriorum ſicut ſingulis annis ſolitus erat, obſedit eum, & vinctum miſit in carcerem; peruagatusq; eſt omnem terram: & aſcendens Samariam, obſedit eam tribus annis. Anno autem nono Oſee, cepit rex Aſſyriorum Samariam, & tranſtulit Iſrael in Aſſyrios: poſuitq; eos in Hala, & in Habor, iuxta fluuium Gozam, in ciuitatibus Medorum, &c. Hæc ſumma hiſtoriæ repetitio eſt, in qua intelligimus, Oſeam illum, qui Ezechiæ regis Iuda tempore apud decem tribus regno potitus eſt, ab Aſſyriis, quibus tributa ex victoriæ lege debebat, deficere cogitantem auxilium ex Ægypto poſtulaſſe, cùm oporteret ipſum ſeruitutis illius conditionem, non tam Aſſyriorum potentiæ, quàm Dei iuſtitiæ adſcribere; atq; ſi graue videretur iugum illud, Dei potiùs iram deprecari, quàm Ægyptiorum poſtulare auxilium. Appellat autem Propheta Iſraelitas filios deſertores, vt crimen in eos conflatum magis ponderet. Quippe ſcelus eſt ſeruum à Domino deciſcere: ſed filium à patris conſilio, iudicio, & obedientia diſcedere grauiſſimum flagitium eſt. Iſraelitas tamquam filios fouerat Deus. S.S.E. Filios enutriui, & exaltaui,* Sup c. 1.
*& ipſi ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael non cognouit, populus meus non intellexit. & illud: Filius honorat patrem, & ſeruus dominum. &, Si Pater ego, vbi eſt honor* Malach. 1.
*meus? Filios itaq; deſertores eos vocat, atq; deſerti officij accuſat; qui cùm à patre corripiuntur, deciſcunt, & ſibi ſuum viuendi modum, præter patris conſilium & voluntatem ſibi quærant; & conſtituunt: hoc eſt officium prodere, patremq; contemnere. Quòd ſi huiuſmodi facinus aduerſus terrenum patrem admiſſum grauiſſimum eſt, quanto ſceleratius atque maius peccatum eſt, ſi idem aduerſus cæleſtem Patrem Deum admittatur. Oportuerat enim plagas à patre caſtigante & corripiente cognoſcere, ipſumque placare, & ſibi conciliare, propitiúmque reddere: non autem magis*

offendere, atque irritare excogitatis & initis conſiliis ab ipſius mente, voluntate, & iuſſu alienis, velleq́; petito auxilio ab inimicis Dei, cōtra Deum Deiq́; conſilium, & iudicium contendere. Primum illud peccatum fuit, & ſcelus maximū, quod à cōmuni cum reliquis tribubus ſocietate & charitate, atq; ab eiuſdem religionis cultu ſeſe ſeparauerint, fanaq́; ſibi atq; aras conſtruxerint, ſacra inſtituerint præter patris præceptum & iuſſum. Deinde quòd vanū cultū admiſerint, alienosq́; Deos coluerint. Deinde verò quod correpti & caſtigati non reſipuerint, neq; ad Deum ſeſe cōuerterint, vt decuerat, & oportuerat, qui & auxilium verum atq; præſens afferre poſſet,
Ierem. 3. & vellet. S.S.E. Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras. At verò iſti cùm contrà fecerint, non ſolùm ſalutem non inuenerūt, ſed pernitiem etiam ſibi ipſis quæſierunt. ideoq́; à Deo ipſo accuſantur: & in quas calamitates vltro inciderint, docentur illa voce Væ Væ illis, qui cùm filij eſſent, patremq́; haberent, quem petere & ſupplicare deberent, tamen deſeruerunt. Exponitur autē crimen: primò ex animi motu, impulſu, ac voluntate: deinde, ex conatu, & ſtudio, atq; facto, idq́; duobus illis verbis conſulto per Prophetam vſurpatis. Vt faceretis conſilium, & non ex me. Non ait, vt iniretis, vel caperetis conſilium, vel vt deliberaretis & conſultaretis; ſed vt faceretis. Duplex enim cōſiliorum exemplum inter homines obſeruatur. Alterum quo quis eam partem, quæ ſibi commodior aut vtilior videtur, faciliorq́; obtentu exiſtimatur. alterum verò in deliberatione poſitum eſt, atq́; æſtimatione earum rerum, non quæ commodiores & vtiliores, ſed quæ meliores honeſtioresq́; iudicantur. atq; hoc ſapiens conſilium dicitur: quod vbi rectè initum captumq́; fuerit, opere atq; oratione expleri ſolet. Hæc poſterior ratio bonis viris digniſſima eſt. Prior illa temeritati, vel tyrannidi, vel arrogantiæ iuxta perſonarum ordinem adſcribitur. Huiuſmodi crimine Propheta Iſraelitas accuſat, quos ait non conſuluiſſe ac deliberaſſe quid honeſtius factu eſſet, Deum ne deprecari, & de rebus ſuis, iuxta præſcriptum adire, Prophetas petere, eorum oracula quærere, voluntatem diuinam cognoſcere, an hominum auxilium petere, humanasq́; vias inire ad malum depellendum, ſed omnino inconſultis vatibus, relicto Deo, conſilium vnicum accepiſſe, probaſſe, atque confirmaſſe auxilij ab Ægyptiis petendi: idq́; opere fuiſſe executos. Ideo dixit, Faceretis conſilium, & non ex me. Quòd neque Deum conſuluiſſent, neque ex diuinorum inſtitutorum ratione deliberaſſent: ſed prima cogitatione in eam ſententiam deſcendiſſent omnes, vt ab Ægyptiis opem implorarent: & poſtquā ſic ſtatuiſſent, non interrogato etiam Deo iter in Ægyptum feciſſent, conſiliumq́; opere expleſſent. Itaque conſilium ipſi ſibi conſtituerunt, & fecerunt, quod facere inſtituerant, atq; hoc non ſolùm inconſultis, ſed etiam inſciis Prophetis facere cogitarunt: ideo ſubiungit, Vt ordiremini telam, ſed non ex ſpiritu meo. Ordiri telam, ex tranſlatione interpres noſter vertit. Significare voluit conſilium multorum, communibus ſententiis in idem tendentibus. Initium vel telæ ſtamina omnia in eandem partem verti ſolent ab iis qui ordiuntur. Hebraica verba hoc exponunt appoſitiſſimè, vt occultaretis occul-

*tationem, & non ſpiritus mei, vt non conſulto ſpiritu meo qui per Prophetas loquitur, vos occultum conſilium caperetis, & exequeremini clam Vatibus meis. Habet verò negatio illa, & non ſpiritus mei, ſignificantiſſimam ambiguitatem in Hebraica lingua. namque & accuſatiui, & genitiui, & ablatiui vim habere poteſt, & ſimul ſignificat illos voluiſſe latere Spiritum Dei, & tamen latuiſſe, verùm non latuiſſe Spiritum Dei. Quippe videmus apertè conſilium illud indicatum fuiſſe Iſaiæ, qui eodem tempore hæc accuſabat, idq́ per ſpiritum Dei. Non poteſt hæc ſignificatio Latinè exponi, niſi longa oratione, à qua conſultò abſtinemus; cùm exiſtimemus viris doctioribus, aut cultioris ingenij ſatis eſſe, indicare. Quòd verò hoc conſilium clàm initum expletumq́ fuerit, apertè ſignificat oratio illa: Cumq́ deprehendiſſet rex Aſſyriorum Oſee, quòd rebellare nitens, miſiſſet nuncios ad Sua regem Ægypti: deprehendendi enim verbum, optimè ab interprete redditum, rem occulto conſilio factam arguit. Adeò autem occulto, vt neque ſpiritus Dei ad conſultationem, vel ad expeditionem fuerit petitus: vnde effectum eſt, vt filij hi deſertores peccatum peccato adderēt. Peccatum enim fuit primùm à Deo recedere, peccatum correptos ad eundem non reuerti, peccatum, non petito Dei reſponſo conſultare; peccatum id conſilium quod ceptum erat non poſtulato à Deo vel iudicio, vel auxilio, exequi. Summa itaq́ omnis peccatorum cumulum grauiſſimorum conficit: atque adeò illud ſceleratiſſimum eſt, quòd ad effugiendum, vel depellendum id quod malum exiſtimabatur, contempto atq́ neglecto Dei ſpiritu, ad quē in omni re confugere oporteret, hominum impiorum & ipſi populo inimiciſſimorum auxilium fuerit imploratum, & exiſtimatum, hæc clam Deo fieri poſſe. Conſtat autem accuſatio ex crimine & facti narratione: crimen præpoſitum eſt illis verbis:* Vt faceretis conſilium, & non ex me; vt ordiremini telam, & non per ſpiritum meum. *Factum verò in crimen hoc adſcribitur, illud eſt, quod expoſitione vſus Vates ſubiungit:*

Qui ambulatis vt deſcendatis in Ægyptum: & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti.

ID *quod crimen in genere fuiſſe diximus, facto indicato docetur nunc. Quòd conſilium feceritis, & non ex me; quòd occultam orditi fueritis telam, & arcanum negotium ſuſceperitis, non ex ſpiritu meo id facto ipſo & impulſu docetur. Namq́ me inconſulto ambulatis, vt deſcendatis in Ægyptum. Iam enim illud ipſum peccatum eſt, legationem à vobis inſtitui in Ægyptum, regionem nominis mei inimicis habitatam; & me non eſſe de ea re conſultum. Deinde verò rem eſſe clam inceptam & initam, atq́ actu, aſtuq́ factam, quod diſſimulato negotio iter inſtitueritis varium, ac ſi alio ire velletis: & tamen ambagibus & circuitionibus in Ægyptum deſcendiſtis. Hoc eſt quod duo verba ſignificant:* Ambulatis vt deſcendatis in Ægyptum. *neque magni refert in ſecunda perſona, vt Latinè legimus, an in tertia, vt Hebraicè ſonat, pronunciatur: conſtat enim, apertaq́ ſententia eſt vtroque modo. Igitur factum ipſum primùm accuſatur, atque peccati*

grauiſſi-

*grauiſsimi crimini datur: deinde facti conſilium grauius etiam oſtẽditur, quòd relicto auxilio diuino, cui fidere, quod implorare oportuit, Pharaonis auxilium petitum ſit, vtpote fortiſsimum habitum & præſtantiſsimũ; cùm maledictus ſit homo qui ponit carnem & ſanguinem brachium ſuum: maximè autem carnem & ſanguinem, populum Deo inimicum, qui ſolos credunt habendos eſſe Deos, quos ipſe colit. Atq; conſilij, profectionis, & totius negotij cauſa indicatur.* Sperantes auxilium Pharaonis. *Hebraicè, ad fortificandum [ſe] in fortitudine Pharaonis.* Et habentes fiduciam in vmbra Ægypti. *Hebraicè, & ad protegendum [ſe] in vmbra Ægypti. Virtutem & præſidium Pharaonis illos adeò maximi feciſſe ait: quãobrem hunc regem tanquam fortiſsimum, maximæ virtutis & felicitatis compotem principem, atque populum ipſum Aegyptium, tanquam copioſiſsimum, maximeq; numeroſum petendum ſibi eſſe dixerunt. Duabus enim potiſsimùm partibus gerendarum rerum bellicarum præcipuè ſummam conſtare homines putant: virtute, fortitudine, atq; auctoritate ducis; exercitus frequentia atq; copiis. vtraque autem ſibi apud Aegyptios inueniri poſſe perſuaſerant Iſraelitæ: fortitudinem in Pharaone, & præſidium atq; tutelam in ipſa Aegyptiorum gente, quam vt frequentem & numeroſiſsimam ſignificaret Propheta, tranſlatione ex ramoſis & denſis arboribus ſumpta, dixit:* In vmbra Ægypti. *Ramis enim diuerſis, magnis, multaq; frõde contextis, oportet eſſe arbores in quas populus aliquis æſtus grauis vitandi cauſa ſe recipiat. At verò crimine iam propoſito & confirmato, ſententia ſubiungitur à Propheta, qua illud* Væ *exponitur, quod initio fuerat pronunciatum: fuerat enim duobus verbis ſimul accuſatio & iudicium ſignificatũ.* Væ filij deſertores. *vt in eoſdem pronunciat* Væ. *Nimirum damnans eorum conſilium & factum, & illas pœnas adſcribens, imprimis, vt fruſtra petatur auxilium illis nihil profuturum: atq; etiam ab hoſtibus multo crudeliùs vexentur, quàm vexati fuiſſent, ſi defeciſſent, & ſuis tantùm opibus non alieno auxilio, aut præſidio fuiſſent confiſi. Hoc eſt quod Iſaias ex Dei oraculo exponens, ſubiungit:*

Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia in vmbra Ægypti in ignominiam.

IN *confuſionem. Pudebit vos ſpei & fiduciæ in fortitudine Pharaonis collocatæ: nempe neque ab illo, neque ab Aegyptiorũ gente adiutos. Quamobrem & cõſilium, & inceptum veſtrum vobis pudori & ignominiæ, atq; probro erit. Quippe qui nihilo minus vincemini ab Aſſyriis, grauiſsimis modis excepti, abducemini, & tamen nullum neque Pharaonis, neque populi illius auxilium experiemini. Quippe priuſquam duces illi auxiliares ex Aegypto vobis mittantur, vos ab hoſte vincemini & rapiemini: atq; ita eueniſſe, hiſtoria ipſa narrat.* 4 Reg. 17. *Cumq; deprehendiſſet Aſſyriorum rex Oſee, „ quod rebellare nitens, miſiſſet nuncios ad Sua Regem Aegypti, ne præſtaret „ tributa Regi Aſſyriorum, ſicut ſingulis annis ſolitus erat: obſedit eum, & „ vinctum miſit in carcerem. Peruagatusq; eſt omnem terram, & aſcendens „ Samariam, obſedit eam tribus annis. Anno autẽ nono Oſee, cepit rex Aſſyriorum*

*riorum Samariam, & tranſtulit Iſrael in Aſſyrios. Hoc verò auxilium fruſtrà petitum, atq; ideo ignominiæ magis quàm ſubſidio Iſraelitis futurum, ex eo ſignificauit Vates, quod nullum fore ait: in terra enim dum pararetur, & expediretur, venit hoſtis, & obſedit regem, & vrbes cepit: neque verò interim duces illi Aegyptij cum copiis auxiliaribus venerunt. hoc eſt quod exponit Vates.*

Ierant enim in Tani principes tui, & nuntij tui vſque ad Hanes peruenerunt.

*Hebraicè ad verbũ ſic habet: Nam fuerunt in Tſogam principes eius, & multi eius vſq. ad* Hhauezz *deuenere. Eadem autẽ ſententia conſtabit ex vtraq. verſione. nam ſiue, tui, legamus, vt noſtra verſio habet; ſiue, eius, ad Aegyptum, vel Pharaonẽ referimus. Numquã, inquit, exceſſere Ægyptũ Principes Aegyptij, qui copiis coactis, auxilium Iſraelitis allaturi erãt. Illi enim in Tſoghan, quæ Tanis ab aliis dicitur, erant eo tẽpore quo exercitus comparabatur, neque ex Tani exiere: non enim tanti fecere Iſraelitas Pharao & Principes eius, vt illorum cauſa ſuam regiam relinquendam ducerent. Atque ita vana fuit Iſraelitis ſpes in auctoritate fortitudineq; Pharaonis, qui ne tamen omnino nihil opis implorantibus ferre videretur, & vel neglectione Iſraelitarum, vel metu Aſſyriorum id omittere iudicaretur; miſit legatos ſuos cum aliquo auxilio, vel auxilij promiſſione: ſed nihil tandem effectum eſt. Namque legati vſque ad Thanes (quæ vrbs in Aegypti regno eſt) peruenerunt: neque tamen vlteriùs progreſſi fuere, vel quòd auxilium ferre cunctarẽtur, vel quòd ab Aſſyriis, iam Iſraelitas inuadentibus, præuenti eſſent:* Tſoghan & Hhanes, *duarum vrbium Aegyptiarum nomina ſunt: prius regiæ in multis Scripturarum locis celeberrimæ, quam Chaldæus interpres Taanis vocat: poſterius verò vrbis Iſraeliticæ regioni propinquioris; id quod verbum, deuenere, ſiue, attigere, ſiue peruenere indicat. hanc idem Paraphraſtes Thahhaphinezz appellat. Ex qua re manifeſtum eſt, non ſolùm Iſraelitas, ſed omnes eos qui in hominum præſidio, auxilio, auctoritate, & opibus ſalutis ſuæ ſummam collocant, Deiq; ſpiritum relinquunt, pudore tandem afficiendos eſſe, votis videlicet irritis, & periculis quæ metuebantur, cauerique credebantur, ſubitis, & damnis, malis, calamitatibusq; grauiùs etiam perlatis, hoc eſt quod complexus Vates argumentando exponit:*

Omnes confuſi ſunt: ſuper populo qui eis prodeſſe non potuit: non fuerunt in auxilium, & in aliquam vtilitatem, ſed in confuſionem, & in opprobrium.

EXEMPLO *hoc manifeſtiſſimo docentur pij homines rerum ſuarũ ſalutem à Deo petere, atque hominum præcipuè mundanorum auxilia vana exiſtimare: qui vel opem ferre non poſſunt, vel eam quam ferant, ſuis quibuſdam conſiliis exhibeant; vt nullam tandem fuiſſe, exitus ipſe indicet. Quicumque intellexit aut nouit, quemadmodum apud principes & reſp. huiuſmodi negotia agantur, & quibus rationibus, ſimulationibus ac diſſimulationibus, figmentis & mendaciis omnia gerantur; quantumque*

NN *alij*

*alij ab aliis eludantur, dum propria commoda à ſingulis quæruntur; facilè cognoſcet quid hoc in loco ab Iſaia ſignificetur. atq; illud ſecum meditabi-*
Pſal. 59. 107. *tur à diuino Pſalte non ſemel decantatum: Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominum. In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros. Potiùs enim pudorem, opprobrium & calamitatem augent, quàm auxilium afferant huiuſmodi iniqui & callidi homines, dum opem ſe laturos pollicentur, idq; agere videntur; & tamen nihil boni, aut præſtantis officij faciunt. Hoc apertè ſignificant verba Hebræa, certis coniugationibus prenunciata, quarum ſignificationem Latini interpretes ſimplici oratione exprimere non poſſunt. circuitionibus autem explicare vtrumque poſſunt in hunc modum.* Omnis pudore afficiens erga populum non profuerunt eis, & non ad auxiliandum, neque ad opem ferendum, ſed ad pudorem, atque etiam ad opprobrium. *Omnis, tam princeps, quàm nuncius; denique omnis Aegyptius auctores fuerunt pudefactionis erga populum, cui nihil profuerunt: nihil, inquã, quod ad auxilium opemve ferendum faceret, verùm ad pudorem & opprobrium populo afferendum ſatis ſuperq; fecerunt. Quippe Iſraelitæ ex illo petito auxilio pudorẽ reportauerunt vnà cum ignominia & exprobratione, quam ſæpè tum ab aliis gentibus, tum ab hoſtibus tulere, exprobrationemq; auxilij ad defectionem & rebellionem petiti. Hæc nobis huius totius ſententiæ iuxta verborum & orationis rationem ſimplex expoſitio exiſtimatur: quemadmodum id quoque ſimpliciter exponemus, quod ſubiungit Vates, apertè exprobrans Iſraelitis magno ſumptu ignominiam huiuſmodi comparatam.*

Onus iumentorum Auſtri. In terra tribulationis & anguſtiæ, leæna & leo ex eis, vipera & regulus volans portantes ſuper humeros iumentorum diuitias ſuas, & ſuper gibbum camelorũ theſauros ſuos ad populum qui eis prodeſſe non poterit.

NON *agi hoc loco de Iudæis, ſiue Ieroſolymitanis, ſed de Iſraelitis qui auxilium ab Aegyptiorum rege petierunt, iam ſuperiùs docebamus. Horum autem ſtultitiam nephariam reprehendit Vates: quippe quibus vanitate illa pudefactio, atq; adeò opprobrium auxilij fruſtrà implorati, multo ſumptu, magnaq; pecunia conſtiterit, miſsis multis aſinis & camelis, auro, argento, varioq; munerum genere onuſtis, ad populum qui eis prodeſſe non poterit. Atq; hanc expoſitionem ipſa ſimplex orationis obſeruatio nos apertè docet, quam ſingulis verbis expenſis percurremus.* Onus iumentorum Auſtri. *Nomen Onus, non ex tranſlatione pro vaticinio, ſiue prophetia, ſed ex ſimplici ſignificatione interpretamur. Eſt enim ironia apud Vatem ſiue inſultatio, quem Sarcaſmon rethores dicunt. Significans onere illo quo iumenta in Auſtrum mittenda, onerata fuere, detrimentum & ſumptum magnũ, nihil verò vtilitatis Iſraelitis comparatum delatumve fuiſſe. Vocantur autem iumenta Auſtri ex deſtinato itinere: ac ſi Latinè diceretur, Iumenta in Auſtrum onuſta deducenda; videlicet in Aegyptum, quæ Iſraelitis Auſtralis eſt. Iam enim vſus obtinuit in omnibus ferè linguis, vt communibus quibuſdam verbis regiones & prouinciæ ſingulares indicentur, quæ facilè*

cogno-

*cognoſcuntur ex ratione plagarum cæli. Sic Aquilonis nomine Aſſyria ſignificabatur; ſic Orientis Perſia, Parthia, Elami, & Indiæ regiones; occidentis verò, ſiue maris appellatio Palæſtina primùm, deinde inſulæ, atque aliæ occiduæ regiones dicuntur. Hodie etiam nauigantes in Ortum Occaſúmve nauigare, & itinera ad Boream inſtitui, frequenti ſermone audimus. vt verò ampliùs etiam Iſraelitarum ſtultitiam argueret Vates conſilij inſtituti, & facti difficultatem circumſtantiarum omnium ſignificatione indicauit; oſtendens magnam copiam auri, & argẽti, aliorumq́ munerum, quæ ex Iſraelitarum regione aſportata, aliis in locis commendantur: cuius generis ſunt balſamum, ſtacte, reſina, xilobalſamum, nuces illæ quæ piſtacea vocantur, & alia illis ſimilia, quæ Iacob per filios Aegypti Principi deferenda curauit, fuiſſe aſinis & camelis impoſita, vt aſportarentur in regionem, neque proximam, neque periculis carentem tribulationis & anguſtiæ terram. huiuſmodi enim experti illam fuerant Iſraelitæ. Neque verò ad hoc ſolùm referuntur nomina tribulationis & anguſtiæ, ſed ad ſignificandam quoque itineris difficultatem. namq́ ab Iſraelis regione in Ægyptum deſcenſuris, multa loca prætereunda ſunt difficillima, anguſta, montoſa, profunda, & ſaxoſa, in quibus neceſſe eſt iumenta premi, & laſſari. Sunt etiam adeunda loca maleficis animantium & ſerpentium generibus referta, ex quibus generibus* lezna & leo *ſunt,* vipera, & regulus volans. *Quippe cùm illa Meridionalis regio leones alit; viperas verò innumeras, & maximam ſerpentium vim in Aegypto eſſe, atq́ volucres angueis ex vaſtitate Lybiæ vento Africo inuehi, quæ plurimum in illa regione noceant, antiqui ſcriptores tradidere, & ipſa etiam experientia docet, nota omnibus iis, qui in Aegypto fuerunt. Quamobrem Ibes, quòd eam peſtem auerterent, ab Aegyptiis conſecratæ, & pro Diis cultæ ſunt. Leo & Leæna. Hebraicè duo nomina ſunt, duas leonum ſpecies ſignificantia, quibus Latinis vnum tantùm nomen eſt. Namque Romanus quibus rebus Italia carebat diſtincta nomina minimè curauit imponenda: ideoque omnium huiuſmodi ferarum generi in vniuerſum vnũ nomen Græcum leonis adſcripſit, ſpecies verò per ambages ſignificauit, vt leopardus, archoleones, iubatos leones. Ariſtoteles duo genera indicat; quorum alterum breuius, criſpioréque pilo; quod ignauius eſt: alterum longius, piloq́ probiore; quod generoſius dicit: ſed certis nominibus ſimplicibus alterum ab altero non diſtinguit. Porrò leones & tygrides ad Orientem & Auſtrũ creſcere, quòd maiorem caloris copiam hæc animalia deſiderent, auctores ſunt Oppianus, & Cælius, & Strabo. Circa Meroem, inquit Aſtaboras, & Aſtapas fluunt. Hæc loca leones alunt, qui ſub canis exortum à maximis culicibus hinc expelluntur. Et Diodorus: In parte Syriæ contermina leones & Pardales plures maioresq́ reperiuntur quàm in Lybia. Hoc vtrumq́ genus & pardalium in parte Syriæ proxima ſignificaſſe nobis videtur Iſaias, qui huiuſmodi periculis plena itinera confici ait ab Iſraelitis portantibus ſuper humeros iumentorum diuitias ſuas, & ſuper gibbum camelorum theſauros ſuos ad populũ, qui eis prodeſſe non poterit: id quod ſubiuncto verſu apertiùs exponit.*

Gen. 43.

Cic. de nat. deor.

Ariſt. de anima.

Opianus. Cælius. Strabo lib. 16 Diodorus.

Ægyptus enim fruſtrà & vanè auxiliabitur.

*Manifeſtum, inquit Vates, eſt, hoc ſuas diuitias, ſuáque munera ad Aegyptios cum labore, difficultate, & periculo miſſa, abſque vlla vtilitate perdere & profundere. Quippe illud compertiſsimum eſt, Aegyptios nihil laturos auxilij, quamuis promiſſi, quamuis oſtentati. Hebraicè ad verbum ſic habet oratio hæc: Et Aegyptij nihil, & vanè auxiliabuntur; nihil quod ad rem, vanè verò quod ad verba attinet. dabunt verba, opem verò nullam ferent: quippe quorum mos ſit, iactare magnitudinem amplitudinemq́; ſuam, & magnificis verbis atq; oſtentationibus potentiam ſuam iactare; verum ſtudium ipſorum eſt, domi hærere; periculum vitare & effugere, potiùs quàm adire. Id quod Iſaias ipſe & ſibi notum & prædictum à ſe teſtatur hoc hemiſtichio:*

Ideo clamaui ſuper hoc. Superbia tantùm eſt, quieſce.

EGO, *inquit Vates, clamo & obteſtor de hac re, de hac, inquam, Aegyptiorum ratione omni nihil aliud eſſe quàm iactationem quãdam & oſtentationem ſuperbiæ; quæ ſi citra periculum atque diſcrimen aliquid adquirere, rapere, aut vſurpare poteſt, non omittit, quin vſurpet; atque in ea re ſeſe ſtrenuam diligentemq́; præbet; ſin verò periculum adeundum ſibi intelligat, ſi difficultatem cognoſcat; quieſcit, domiq́; ſe continet, atq; pericula aliena otioſè ſpectat. Non abſimili conſilio leonis illius, cuius emblemate illud paſſim iactatur,* AVT QVIESCO, AVT RAPIO. *Poterat hæc oratio ab ipſos Iſraelitas referri, quos Propheta Aegyptiorum vanitatis admoneret, dicens, vanè illos fecere in præſidio, eorum qui vana tantùm iactatione vterẽtur, nihil præterea vtile ipſis afferre poſſent: ideoq́; conſultius eſſe, vt illi huiuſmodi conſilium repudiarent, petendi videlicet Aegyptios in auxilium; potiusq́; quieſcerent. Namq; hæc expoſitio non aliena eſſe videtur ab orationis ſententia. verùm, vt potiùs interpretemur, expoſitionem eſſe Vatis ſcientiam ſuam de Aegyptiorum ingenio & more aperientis, atq; adeò proteſtantis facit oratio Hebraica, quæ ita ſimpliciter verſa ſonat:* Ideo clamaui circa hanc, amplitudo ipſi quieſcere. *Tota oratio Hebraiſmis conſtat. Ego, inquit, clamore magno expoſui, & expono, atque declaro hanc orationem Aegyptiorum totam conſiſtere in magnificentia, magnificis verbis, promiſsis, & iactationibus: totam demùm eſſe magnificam. Quod verò ad homines ipſos pertinet, illos quieturos, vtpote periculũ manifeſtum aut dubium minimè adire volentes. Græcis etiam & Latinis, maximè verò hiſtoricis, nõ eſt inaudita in hiſtoria illa oratio, ipſi quieſcere; vt, exanimes trepidare, currere per totum pauidi conclaue. &, Aſt illæ currere in vrbem Canidiæ dentes altum Saganæ Caliendrum, Excidere, &c. Verbum etiam clamo, idem aliquando in Romano ſermone ſignificare, quod aio, & obteſtor, obſeruatum eſt. vt ait ille, Qui me cõmorit (melius nõ tangere clamo) Flebit, &c. Atqui ex hoc & aliis exemplis demonſtrat Deus Iſraelitis, iam vetus antiquumq́; eſſe diſcedere à Domini Dei ſui doctrina, lege, atq; præceptis, & eiuſdẽ conſiliis deeſſe, vt ita non nouum ſit illis Chriſtum ſeruatorem, cùm iuxta Scripturarum & vaticiniorum veritatem præſentem,*

Horat. lib. 1. Sat. 10.
Lib. 2. Sat. h.
Horat. lib. 2. Sat. 1.

*ſortiti*

*ſortiti fuerint, repudiare, abnegare, & reprobare: quam rem ad ipſorum commonitionem prædictam, deſcriptam, librorum monumentis mandatam eſſe Deus ipſe iubet.*

Nunc ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud. Eterit in die nouiſſimo in teſtimoniũ vſque in æternum.

ISRAELITAS *non ſemel diuinis conſiliis in ſuam ipſorum vtilitatem inſtitutis defuiſſe, ſacræ litteræ nobis teſtantur: ex qua peruerſa illorum conſuetudine euenturum Deus eſſe ait; vt quemadmodum detrectatum atq; reiectum ab illis fuit obedientiæ iugum, idq; frequenter: ita etiam verbum ſalutis ipſorum, hoc eſt, Chriſtus reiiceretur: vnde ipſos qui toties ad ſanam mentem atque ad pœnitentiam vocati fuerant per Prophetas; poſtremùm, filio ipſo Dei, vocanti credere & obedire nolentes, improbandos, & reiiciendos, atq; populi Dei nomine & dignitate abdicandos tandẽ eſſe. Quam rem ipſis non ſolùm prædictam, ſed obteſtatione etiam confirmatã, & ſcripto atq; inciſo oraculo expoſitam, & conſtantem eſſe voluit Deus, in ſalutem eorum qui ex illo populo ſibi cauere ac proſpicere vellent: & probationem iuſti iudicij Dei edendi demũ aduerſus eos, qui toties præmoniti & inuitati, tamen incredulitate & infidelitate ſua, ſalutis ianuam ſibi ipſis clauſerint. Commodiſſimè verò & oportuniſſimè iuſſus eſt Vates à Deo huiuſmodi obteſtationem deſcribere, & proponere, de tempore quo Iſraelitæ exemplum infidelitatis ſuæ prodiderant, Deo inuiſum, & ſibi ipſis maximè noxium: videlicet, cum magno ſumptu & labore, contra Aſſyrios ab Aegyptiis auxilium fruſtra poſtulauerant, relicto & contẽpto ſpiritu Dei: cuius conſilio vnico ſibi proſpicere, & auxilio ſeruari potuerant, ac debuerant. Nunc, inquit Deus, adito populum iſtum Iſraeliticum, & obteſtare factum hoc, tamquam crimen magnum, cuius pœnas luerit. Huiuſq; facti obteſtatione exemplum prædic improbiſſimum ab illis edendum in reprobatione verbi maximi mei in ſalutem ipſorum, atq; omnium hominum proponendi: quod quicumque excipere noluerint, ſua ipſorum culpa peribunt, nihilq; excuſare poterunt, nihil iure accuſare, præter ſuam incredulitatem & contemptum. Nunc igitur oblata occaſione neglectionis mei conſilij, ab iſto populo neglecti, prædic illis, non tantùm præſenti ſermone, ſed inſcripta tabula, quæ iis, qui nunc viuunt, legi poſſit: atq; deinde ad poſteritatis memoriam in libro incidito, profundis & diutiſſimè duraturis characteribus, quantum iſtis ſibi ipſis ſit iſta peſſima conſuetudo diſcedendi à conſilio, præceptis, inſtitutisq; meis.* Scribe ei ſuper buxum. *Hebraicè ad verbum, quod minùs Latinè verti poteſt,* Super tabulam ad eos. *Apertiſſimam, certiſſimam, & planiſſimam obteſtationem eſſe Deus voluit: quam fieri iubet aduerſus Iſraelitas, qui illo ſeculo erant. Nam quæ ſcripta ſunt, neque mutari, neque inuerti poſſunt, neque facilè rumpi: maximè ſi in tabula ſcribantur, ſiue buxo, vt noſter interpres ex Græca interpretatione vertit. Atqui tabulæ ſcribi ſolẽt, vt publicè proponãtur præſentibus omnibus legendæ: libri verò ad abſentes variis in locis manentes, atq; ad poſteros deſcribuntur. Cõmodiùs enim & volui, explicari, atq; melius diutiusq;*

 *aſſer-*

*aſſeruari libri quàm tabulæ ſolent: omnibus ita populi illius & præſentibus & futuris hominibus rem hanc obteſtatam Deus eſſe voluit. Idcóque iubet Vati:* Et in libro diligenter exara illud, & erit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in æternum. *Summa verò criminis ex præteritis præſentibuſq; factis conflati, atque ad futura etiam exempla pertinentis, quod inſcribi, proponi, & obiici Deus iubet, illa eſt.*

Populus enim ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei.

DICTIO, *enim, hoc loco affirmationis vim habet, atq; ad obteſtationem refertur: quod facilè cognoſcet quiſquis Hebraicè nouerit. Scribe, inquit Deus, & firmiſſimo ſcripto, quodq; fidem præſentibus atque futuris faciat obteſtare; quòd populus iſte rebellis, contumax, offenſionis ſtudioſus, filij infideles, mendaces, & proditores fidei Patri Domino, atq; Deo ſuo debitæ, atq; etiam obedientiæ iam olim iuratæ, & ſuſceptæ deſertores, atq; ideo filij nolentes audire legem Domini Dei miſericordis & ſalutaris. Duo enim præcipua & ſumma capita ſunt, quibus populi erga Deum officium & pietas conſtare debet: alterum fidei obedientia, alterum fides, vtrumq; eò præſtantius eſſe oportet, quo maioribus nominibus debetur. Debetur autem à populo Iſraelitarum officium filiorum, quippe quos hoc nomine dignatus fuerat Deus: debetur officium populi erga regem, principem, Dominum, & legiſlatorem ſuum beneficentiſſimum & ſalutarem. His omnibus nominibus debita officia prodenti populo defectionis & rebellionis crimen iure adſcribitur. Hæc ſumma criminis eſt, quod Iſaias obteſtari iubebatur. cuius verba nos expoſitione vſi, explicuimus.* Ad iracundiam prouocans, MARI, *deficiens, rebellis, cõtumax, & ferè propriè exacerbans.* Filij mendaces. *Hebraicè,* CHEHHASIM, *negantes actiuè & paſſiuè negantes, negantes Deo fidem ſuam, & negantes atque negligentes Dei erga ipſos promiſſa & conſilia. Sententia hæc Hebraicè ſine coniunctionibus pronunciatur; cuiuſmodi figura aſyntheton dicta, ad vehementem exaggerationem refertur hoc modo: Quia populus rebellis filij mendaces, ſiue negantes, filij nolentes audire legem Domini. vt apud exteros auctores:*

Aſyntheton.

Iuuen. Sat. 3.

*Monſtrum nulla virtute redemptum*
*A vitiis, æger, ſolaq; libidine fortis.*
*Diuitias viduæ tantùm aſpernatur adulter.*

*Itaq; accuſantur hoc loco Iſraelitæ proditi officij, ac pietatis omnino defectæ: & amplificatur accuſatio ex animi impulſu atq; ſtudio hoc modo.*

Qui dicunt videntibus, Nolite videre: & aſpicientibus, Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.

CRIMEN *magnum eſt virtutem abiicere, & pietatem deſerere, ac vitia diligenter colere. Sed quoniam Dei miſericordis conſilio decretum eſt, vt peccatores errorum atq; ſcelerum ſuorum admoneantur, & ad pœnitentiam reuocentur; ſaluti vicinum eſt, admonentem admittere diligenter, atque ſtudioſè audire. monetur enim animus ad reſipiſcendum oratione, ma-*

ximè

ximè verò diuina, vel ex ore Dei relata, vel ex ipſius ſcriptis petita. Namq; veri atq; recti cognitio valdè iuuat ad mentis ſanitatem. Verùm enimuerò cùm eò impotentiæ atq; inſaniæ homines deuenerũt, vt verum atq; rectam moneri doceriq; nolint, auerſenturq; conſilia & monita, atque adeò curari prorſus nolint; extrema illos malitia & nequitia laborare manifeſtũ eſt. Maximè autem cùm deliberata cogitatione & oratione non aptiſſima, atque ad ſalutem oportuniſſima verba, ſed iucunda, etiam ſi deterrima, ſibi afferri, dici, adhiberiq; poſtulant; corruptiſſimi quippe ingenij, & perditiſſimi conſilij manifeſtum ſignum hoc eſt. Accuſati ſunt itaq; Iſraelitæ, non ſolùm rebellionis, verùm mendacij & inficiationis: vt qui ſuas culpas neq; confiterentur, neque agnoſcerent. Nunc verò amplificatur accuſatio aduerſus eoſdem: vtpote qui Prophetarum monita recta & iuſta auerſarentur, & neque de præſentibus culpis, neque de futuro rerum ſuarum exitu moneri ſe paterentur; ſed magis poſtularent ipſorũ conſilia & ſtudia peruerſa probare, excogitatis rationibus & verbis, vt ab humano ingenio fieri ſolet: quod cùm à recta & ſimplici via, quam diuinum conſilium muniuit, diſcedere cœpit, mirum eſt quanto verborum & ſententiarum apparatu errores ſuos fouet, & producit; etiam adhibitis diuinis oraculis, verùm detortis, & ad ſuam prauitatem violentiſſimè accommodatis. neque verò deſunt hominibus hæc optantibus magiſtri mendaces, vel deliberato conſilio, vel etiam ambitioſo errore imbuti, qui magnificis modis huiuſmodi errores probent, ac defendant; qui præcipuè publicum plauſum mærentur. ô mores, ô vita! Huiuſmodi prauitatem à Chriſtiano populo Deus auertat. Huius orationis verba ita exponimus, vt videntes interpretemur Prophetas, qui de rebus ſui temporis agerent, & abſentes indicarent, perinde ac ſi ante oculos eas haberent. Atq; huiuſmodi Vates vel in Iudæa, vel in Iſraeliticis aliis tribubus vaticinantes prohibebant Iſraelitæ; non ferentes illorum conſilia, quæ vel in occulto capiebantur, vel magna diſſimulatione iniebantur, Vatum miniſterio indicari, argui, & reprehendi. Aſpicientes verò dicimus hoc loco eos eſſe, qui futurarum progreſſus atq; exitus rerum præuidentes, ſignificarent, monerentq; populum ætati ſuæ, ac poſteris etiam cauere, & conſulere. Verbum HHAZZAH, in hac ſignificatione vſurpari huius operis initiò oſtendimus. Itaq; aſpicere, idem hoc loco quod proſpicere ſignificat, quæ recta ſunt. Hebraicum NECHOHHOTH, rectitudines & caſtigationes ſignificat. Appoſitiſſimè autem hoc nomen, proſpicientibus, adiunctum eſt. Ideo enim Prophetæ futura præuidentes, enunciant, vt tanto tempore antè proſpecta & prædicta, poſſint ab iis qui ſibi conſultum volunt, ſapienter iniri, ad ſuam ipſorum ſalutem obtinendam: ſi quid minùs rectum fuerit, corrigi poſſit. Atque hoc inter maxima Dei beneficia à piis connumeratur; vtpote quibus quid agendum, quid ſperandum, quid ſpectandum ſit, ex huiuſmodi prædictionibus cognoſcere contingat. Sed impij & improbi, qui præſentia tantùm commoda ſuis conſiliis definita quærunt, neque præſentium errorum reprehenſores, neque futurorum bonorũ vel malorum præmonitores ferunt: omnia vel perturbata eſſe cupiunt vel ad ſuorũ votorum

&

*& conſiliorum peruerſas rationes accommodata.* Loquimini nobis placentia. *Hebraicè,* HHAZAKOTH, *planities, ſiue leuitates, ſignificat; eſtq́ translatum verbum: quod ſecundùm ſententiam rectiſſimè vertit interpres noſter. Petunt autem hi non exaſperari viam quâ ipſi incedant, quamuis peſſimam & vitioſam; ſed verbis decoris vitia obuolui, atque interpretationibus, & cognatis nominibus res etiam turpiſſimas honeſtari. id quod ſi minùs ex ſimplici ratione & norma diuinorum eloquiorum fieri poſſit; tamen ex ingenio atq́ ſtudio humano vt fiat perſæpè accidit.* Videte nobis errores. *Hebraicè,* MAHATHAZOTH, *fallacias ſignificat eas quæ promiſſis ac pollicitationibus falſis, & vanis fiunt: vt ſi qui prænuncient incepti operis bonum exitum, aditi periculi magnum præmium, quæ poſteà tamen vana eſſe exitus demonſtrat. Huiuſmodi falſis promiſſis allectum ſe Labano ſocero fruſtrà inſeruiiſſe querebatur Iacob. An verò hoc apertè poſtularent à Vate Iſraelitæ; an quia ita demùm ſeſe res haberet, ab Iſaia non illorum oratio, ſed ipſa ſignificatio orationis relata ſit; dubitari poſſit: cùm tamen in idem ſententia recidat. Verùm ij, qui res & ingenia hominum cognouere, facilè ſibi perſuadebunt ab iſtis apertè poſtulatas eſſe fallacias & leuitates verbis expreſſis: non vt Prophetæ, cùm aliquid dicerent, fallere velle ſe indicarent, ſed vt veri ac recti nomine & ſpecie populũ fallerent; iucunda & grata, atque, vt iſti dicere ſolent, tempori accommodata pronuntiarent. Eſt enim genus hoc prudentiæ maximè commendatum filiis huius ſeculi; nimirum, vt pro principum & maiorum voto, conſilio, & iudicio doctrina temperetur: neque tam aptiſſima quàm opportuniſſima dicantur, ac doceantur. Aliàs enim, vt illi opponunt, mundum omnem mutari opus eſſe, quod fieri non poteſt, negant: ideoq́ mutandam cenſent antiquam rationem prophetandi & conclamandi, & tenendam aliam viam magis ciuilem, vt aiunt, & moribus illius temporis magis oportunam.*

Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael.

VIAM *illam certam & præſcriptam veris Vatibus, atque diuinorum verborum interpretibus, illiusq́ viæ orbitam certam, & iudicio conſilioq́ Dei conſtitutam, quoniam nimis certam, ideoq́ anguſtam atq́ difficilem exiſtimant, declinandam à Vatibus cenſent: idq́ vt fiat, inſtant. Demùm, quoniam Deus aliter agere ſolet cum ceteris gentibus, quas ſuis viis ambulare permittit, neque omnes illarum errores & prauitates continuò vlciſcitur; ſed multos illis diſſimulat, nec tam exactè atq́ acriter reprehendit: neque ita citò caſtigat, vt apud Iſraelitas facit: quos, cùm ſuis legibus erudierit ac docuerit, ſanctiores eſſe vult, atque exquiſito magis iudicio proſequitur, & graui ſupplicio mulctat: tantoq́ acriùs vrget, quanto pluribus monitis & prædictionibus atq́ obteſtationibus admonet. S. S. E. Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, & in conſpectu populi glorificabor. &,* Leuit. 10. & 11. 44. *Ego ſum Dominus Deus veſter, ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Hanc exactam religionem, & religionis diſciplinam grauiorem eſſe iam ducebãt homines iſti, quàm vt ſeculi moribus, ſuisq́ conſiliis ferri poſſe putarent:*

ideo

*ideo auctores erant Prophetis vaticinandi, non pro illius ſanctitudinis ratione, ſed pro æquabili quadam & facili, omnibusq́ gentibus ferè cõmuni norma, quæ diuini verbi cum humana ſapientia permixtis inſtitutis ineatur, ciuilesq́ admittat opiniones hominum, iam illam perfectionem exoleuiſſe, aut deſerendum eſſe hunc mundum, & ad ſolitudines diſcedendum, vel in aliquam religioſorum hominum familiam concedendum eſſe aiunt; vel mundum, ita vt acceperint, relinquendum. Accepiſſe autem corruptum, corruptum itaq; relinquendum, vel aliquo modo corrigendum: non tamen omnino mutandum eſſe magiſtros, qui hoc modo doceant; qui ſuis opinionibus atque ſententiis vtramq; rationem temperent. Igitur non neceſſe eſſe illam accuratam & exquiſitam ſanctitatem illius ſancti Iſrael poſtulare.* Ceſſet à facie noſtra, *à moribus & temporibus præſentibus*, ſanctus Iſrael. *Non enim hæc tẽpora ſunt illis antiquis ſimilia, in quibus huius ſanctitudinis fuere manifeſta exempla.* Auferte à me viam, declinate à me ſemitam. *Hebraica etiã ſic verti poſſunt, clariſſimè: Diſcedite, ſiue, declinate à via; obliquate à ſemita. Via & ſemitæ nomina, pro vitæ ratione & inſtituto vſurpari vulgatiſſimum eſt. vt, Vias tuas Domine demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me. Atqui ex hac conſuetudine reiiciendi verbi Dei, & abalienandi ſancti Iſraelis, Iſraelitas tandem in extremam miſeriam inciſuros eſſe, iam tum Vates adeò inſtructus præuidebat; & corrigendi erroris, atq; auertendi mali cauſa præmonebat, magnisq́ ſignificationibus extremum horrendumq́ periculum denunciabat.* Pſal. 25

Propterea hæc dicit Dominus noſter ſanctus Iſrael, Pro eo quòd reprobaſtis verbum hoc, & ſperaſtis in calumnia, & in tumultu, & innixi eſtis ſuper eo: propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo, quoniam ſubitò, dum non ſperatur, veniet contritio eius.

NEMO *repentè fit turpiſſimus: quippe eiuſmodi vitij natura eſt, vt paulatim fallat, irrepat, ac tandem omnia occupet, ſuaq́ malitia euertat, & diruat. Iſraelitæ legibus, inſtitutis, ac præceptis à Deo propoſitis ad ſanctitudinis rationem cognoſcendam, atq; exoptandam, & quærendam inſtructi fuerant atq; edocti: vt lege, tamquam pædagogo vſi, interim exercerentur, & pararentur: quoad Chriſtus ille promiſſus mitteretur, à quo ſolidè ſanctitudinis virtutem & vſum acciperent. Hæc enim legis ſumma eſt, hæc electionis Iſraelitarum ratio, qui in medio terrarum orbis, tamquã ſignum conſtiterant cæteris nationibus veritatis magiſtri, ſacra quam acceperant diſciplina, & ipſius diſciplinæ exercitatione, ac tandem ſalutis à Chriſto accipiendæ vſu & exemplo futuri. S. S. E. Poſui te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. At verò illi ſemper Spiritui ſancto reſiſtentes, atque ab accepta diuinitus doctrina & diſciplina declinantes, ac degenerantes, tantum malitiæ & prauitati aſſueuere, vt miſſum ſibi poſtea tandem ſalutis auctorem, ſanctiſſimũ illum Chriſtum, iuſtitiæ & ſanctitatis Pontificem, neque cognoſcere, neque excipere voluerint; ſed ſtudioſè ignoratum eiecerint, & cruci affigendum curauerint. Demùm verò eun-*

*dem ſeſe illis per Spiritum ſanctum probare, & tradere ſtudentem, atque Euangelij enunciatione & expoſitione per Apoſtolos facta, vltrò etiam atque etiam afferentem ita repudiarunt, vt in reprobum ſenſum omnino incidentes, à Deo reiecti fuerint, atq. populi, regniq. cæleſtis promiſſa cõmunione priuati & repulſi: ex qua repulſa & abdicatione illa celeberrima oportunitas nata eſt, gentilis populi quàm primũ in Euangelij vſum, atq. in regni communionẽ vocandi, & admittendi: id quod Apoſtoli apertè Iudæis ipſis, cùm reiicerentur, & Euangeliũ exponere prohiberẽtur, obteſtati*
Act.13. *ſunt: Vobis primùm oportebat loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis il-*
» *lud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce nos conuertimur ad gentes.*
» *Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſa-*
» *lutem vſque ad extremum terræ. In hanc quam indicauimus ſententiam, hæc Iſaiæ oratio apertè explicatur, prædicentis videlicet magnum malũ Iſraelitis ex illa reprobandi verbi Dei conſuetudine. Iam verò his expoſitis, verborum ſignificatio aperta eſt. Ideo, inquit Vates, quoniam adeò ſtudioſè repellitis verbum Dei, præcipuè illud quod ad ſanctitudinem illius, atque adeò ad ſanctitudinem in vobis requiſitam, & ab ipſo, niſi vos ipſi repelleretis, faciendam ipſe ſanctus Iſrael, qui ſanctitatem ſuam numquam amittet; qui veſtram effecturus, promoturus, & firmaturus erat, dicit, iſtam veſtram reprobationem vobis fraudi fore: non quòd ille ſuis promiſsis non ſteterit; ſed quòd vos vobiſmetipſis per ſuperbiam, peccandi conſuetudinẽ, & ſanctitatis repudiationem defueritis. Quia igitur reprobaſtis verbum hoc, id eſt, hanc rem, hanc ſanctitatem, atque hunc ſanctum Iſrael; neque ab illo ſanctificari, neque ad illam ſanctificationem voſmet parare voluiſtis: ſed terrenarum rerum cupiditate, & ingenij veſtri dexteritate ducti, ſperaſtis in calumnia & tumultu, in ſpoliatione, inquam, populorum, in violentia & falſo crimine aduerſus Chriſtum iacto, atque in commune conſiliorum & conatuum veſtrorum, ſententiarumq. communicatione, & conſenſu aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Iccirco erit vobis iniquitas & prauitas hæc: non quòd Deus ipſe vltrò vos reiicere velit, ſed quòd vos veſtra prauitate reiicere illum volueritis. Erit, inquam, vobis veſtra iniquitas hæc fraudi, ſicut interruptio cadens. Amoto enim fulcimine Dei, quo res veſtræ omnes niti & fulciri deberent admotis tibicinibus; violentiæ & prauitatis atq. ſapientiæ veſtræ humanæ, murus vineæ veſtræ corruet, admittetq. alias gentes, qui veſtrum locum occupẽt, vobis reiectis. Neque verò de illa vrbe Ieroſolymorum tantùm, ſed de tota vinea populi Iudaici & Iſraelitici hanc prædictionem interpretamur: interruptionémque magis præſidij atq. tutelæ ſpiritualis, quàm murorum & mœnium materialium intelligimus.* Reprobaſtis verbum hoc. *Hebraicè ad verbum:* Reprobaſtis in verbo hoc: *eſtq. Hebraiſmus, quem Latinus interpres clariùs vertit. Exponimus autem illud verbum,* Sancti Iſrael, *hoc eſt, rationem illam omnem ſanctificationis à Deo in illis poſtulatæ, ac demùm efficiendæ; quam illi reprobarunt. Hancq. expoſitionem nobis ipſa verbi repetitio confirmat. Illorum oratio erat, Ceſſare facite à facie noſtra ſanctum Iſrael.*

*Iſrael. Subiunxit verò Propheta: Propterea hæc dicit ſanctus Iſrael*, quia reprobaſtis, *in hoc verbo, Quia noluiſtis veſtram ſanctificationem ad eum modum quem Deus conſtituerat: voluiſtis quidem Iſrael appellari, ſed eam ſanctitatem improbaſtis & auerſati eſtis, quam Deus in Iſrael eſſe voluit, & perficere intendebat. An verò ſententia hæc diuina ad aliquos etiam Chriſtianos pertineat, vtinam dubitare poſſemus: neque manifeſtè agnoſceremus eſſe nonnullos qui, dum ſe Chriſtianos profiteantur, & eſſe affirment, regniq́ Chriſti obtinendi ſpe duci dicant; tamen eam ſanctitatem, quam Chriſtus in iis qui regni filij, & hæredes conſtituendi ſunt, requirit; & efficere poteſt, atq; parat, non modò non teneant, ſed neque cognoſcant, nec teneri poſſe putent: quaſi non idem Chriſtus, idemq́ ſanctus Iſrael, nūc etiam qui fuit, quondam permaneat. Eheu quàm temere nosmet maximis nobis apparatis, bonis indignos facimus! Sed ad Iudaicum & Iſraeliticum populum redeamus, cui hæc (in noſtram verò prudentiam, & ad noſtram vtilitatem) prædicta fuere illius populi, atq; adeò reipub. omnis, ob reprobatum verbum ſanctitudinis. Iſrael talem, tantamq́ calamitatem futurā eſſe Iſaias Dei oraculo prædixit; qualem, quantamq́ poſteà eueniſſe multa ſecula, ad noſtram vſque ætatem conteſtata ſunt: nimirum omni religionis, legum, regni, ac denique piæ & honeſtæ reipub. decore & ornamento ſublato: vt ij, qui ne nouam Chriſti legem, & veritatem ipſam tot ſæculis, & modis, tot cæremoniis, rationibus, & ſermonibus olim ſignificatam, reciperent, retinere, vel mordicus tenere illam ſuam veterem legem, huius veritatis vmbram, atque adeò corporis ipſius figurā, potiùs quam corpus ipſum veritatis & ſanctitatis maluerunt, adeò diſiecti, diſſipatiq́ prorſus fuerint, vt nuſquam numquam, vt ampliùs aliquam illius antiquæ ſuæ religionis ſpeciem, præter nuda verba tenere, aut tueri potuerint; neque ſacrificiis vllo in loco operam dare; neque purificationibus, ac cæteris cæremoniis, quæ futurorum vmbratum fuerant, cùm lux nondum veniſſet in mūdum. Atq; ita ſubitò totam illam Iſraeliticæ Reip. veterē faciem exuêre, vt præter nomen nec noui Iſraelis, id eſt, ſpiritualis, quem induere noluere, neque veteris quicquam tueantur: id verò ſubitò factum eſt. nempe Ieroſolymis excisis, vno veluti temporis momento, omnis illa Iſraelitarum Reſp. & in regione ipſorum, & per totum terrarum orbem repentè corruit: quæ tamen meliùs & perfectiùs retineri confirmariq́ potuiſſet, hoc eſt, ſpiritualiter, & verè, ſi id iudicij atque mentis inſediſſet, vt ſanctus ille ac ſanctificator Iſraelis ſuſciperetur. Hanc rerum Iſraeliticarū abolitionem appoſitiſſima ſimilitudine ſignificauit Iſaias; fictilis videlicet vaſis in exiguas partes ingenti ac ſubita alliſione comminuti.* requiſita in muro excelſo. *Verbo, requiſita, in Hebraica lectione poſſumus addere, inflatio: namq; vtrumque ſignificat Hebraicum* NIBGHAH, *inflationem, videlicet, requiſitam, ſiue exquiſitam. Muris duplex vitium in cauſa eſſe ſolet ruinæ: alterum rimæ ſunt, ex vetuſtate hiantes: alterum verò tumor, ex concepto vitioſo humore, & non rectè efflato, aut remiſſo: prius illud vitium paulatim, poſterius verò repentè, ac prorſus ædificia deruit. Hoc modo Iſraelitas ambitionis, pro-*

*teruiæ, & contumaciæ vitio inflatos, prorſus diruptum iri, & corruituros Vates ſignificabat: idq; repentè, atq; inopinato acciſurum aiebat. Quo verò altior murus eſt, eò grauiùs premitur, cùm tumet; eoq́ etiam magis, vbi corruit, contunditur. Ideoq; dicit Vates, quoniam ſubitò, dum non ſperatur, venit contritio eius. Contritionis autem grauitatem & comminutionem ipſam, ex ſimilitudime ſignificauit.*

Et comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritíone prævalida: & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.

S I *de vrbis Ieroſolymorum vaſtatione hæc exponantur, facile eſt intelligere, lapidem ſuper lapidem in illa vrbe non eſſe relinquendum. Sed quoniam ampliorem ſententiam oratio ipſa, vt nobis expenſa à principio eſt, indicat; totiusq; illius populi cum publicis ornamentis & omni religionis apparatu, caſum & ruinam oſtendit: exponimus hoc loco, nullam prorſus commoditatem aut oportunitatem illis relictum iri, ad conſeruandas & exercendas partes eas religionis, quibus hi ſanctitatem ſibi parare atq; conſeruare poſſe exiſtimabant. Harum autẽ duplex in vniuerſum forma erat: videlicet, ſacrificia quæ igni peragebantur, & purificationes ac ſanctificationes, quæ aquis hyſſopisq; expediebantur. Atqui populo illo per Deum reprobato ac reiecto, Ieroſolyma vrbs euerſa, templumq́; illud celeberrimũ, in quo tantùm ſacrificare licuit, funditus dirutum eſt. Nuſquam verò aliàs illis vel ſacra facere, vel expiationibus illis, quæ per ſacerdotes expediebantur, operam dare licuit. adeò comminuta, immo potiùs omnino ſublata eſt auctoritas, & forma, & facies populi illius; vt, quamuis multi in variis terrarum locis fuerint, numquam tamen vel ſacrificandi, vel ſeſe ſuis lotionibus illis ſolemnibus purificandi commoditatem nanciſci potuerint. Oportebat autem quondam, dum illa ſacra vigerent, ignem ad ſacrificia ex ſacro illo igne, qui in candelabro perpetuò ardebat, tolli: aquam verò ex certis ciſternis puriſsimis, certo ritu ſacratis, haurire. ad vtramque autẽ rem ſimilitudinem hanc retulit Iſaias:* Igniculus de incendio. *Hebraicè* IAKVD, *quod vertere poſſumus, planè focum. Habebat enim perpetuò lucentem focum Deus in Ieruſalem, habebat ciſternas in templo, quales in ſacro* (Lib. de ſacris fabricis.) *Apparatu deſcribebamus: atq; hoc ſignificat vox Hebræa* GEBE, *ciſternã, ſiue foueam, quam Arabes & Hiſpani, Algibe dicunt. ita euenturũ eſſe prædicebat Vates, vt Iſraelitæ, qui Chriſti ſanctitatem reiecißent, ſuam illam futuræ ſanctitatis vmbram magis quàm ſanctitatem dicendam, conſeruare non poſſent; atq; ita velint nolint, omni ex parte impuri & prophani eſſe arguerentur; ideoq; Deo infenſi & inuiſi conuincerentur: quippe qui ſanctus cùm ſit, non niſi ſancta ac pura amet, & foueat. Illi verò neque interiùs ſancti eſſe, neque exteriùs ſanctitatis vllam iam ſpeciem vel otioſam & vmbratilem habere deprehenderentur. id quod futurum eſſe Iſaias hoc loco ſignificabat: vt mirer, Iſraelitas hac ipſa abiectiſsima conditione, qua nunc vti conſtat, à Prophetis adeò apertè prædicta, non confundi, atq; ſuum maximum errorem non agnoſcere; eorumq; conſilio, ſtudio, atque*

conatu

*conatu omni petendum non curare; atque adeò omnibus votis poſtulare. Itaq; hæc nobis huius ſimilitudinis ſententia eſt, illum populum redditum iri inutilem omnino atq; ineptum ad omnem ſanctitatē; non modò veram, qualis à Chriſto præſtatur; verùm etiam figuratam, qualem antiquæ ceremoniæ & ritus præſtabāt. Ita Iſraelitæ iuſtitiam verā repellentes, & ſuā quærentes ſtatuere, in iuſtitiam Dei non peruenerunt: quia non ex fide Chriſti, ſed ex lege tantùm ceremoniali iuſtificari voluerunt.* contritione præualida, *Hebraicè, cōtritione cui non parcetur. Interpres noſter rectiſsimè ſententiam expreßit. Animaduertendum etiam eſt hoc loco ſignificari, decem tribuum diſperſionem illam celebrem; quæ figura fuit reprobationis populi illius, & Iudæorum poſt Chriſti glorificationem conſecutæ: quam præcipuè à Vate indicari docuimus. Huius verò diuinæ aduerſus Iſraelitas latæ ſententiæ culpā & crimen ipſis met adſcribit Vates: affirmans Deum illis ſalutem afferre voluiſſe, & velle; ſæpiſſimeq; incitaſſe rationem, & viam qua ſalus hæc peteretur, & obtineretur: videlicet, fidem & pœnitentiam puram: eam tamen viam illis fuiſſe neglectam; quamuis ſæpiſſimè anteà monitis, & crebrò etiam, ipſa ſalute præſente monendis: atq; hoc ſolenne illis eſſe tum in ſpiritualis, tum in temporalis ſalutis diſcrimine ab eo, in quo vtraque ſalus verè eſt, ad eas res in quibus ſalus non eſt, voto, conſilio, & ſtudio traduci.*

Quia hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Si reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis: in ſilētio & in ſpe erit fortitudo veſtra & noluiſtis.

PROPHETA *conſtans, & certiſsima Iſraelitico populo à Deo propoſita & repetita doctrina; atque adeò ad omnes totius mundi homines pertinens ſemper fuit: quæ ſalutis præſidium in ipſo ſalutis auctore Deo collocaret, ab hominibúſque ad illam obtinendam fidem & pœnitentiam, hoc eſt, obedientiæ exercitationem exigeret, atq; ſpem firmam poſtularet, ſalutis à Deo promiſſæ hac ratione inueniendæ. hoc ſæpiſsimè à Deo Iſraelitis dictum, prædictum, & inculcatum, hac etiam præſenti tempeſtate, de qua agitur, repetitum fuiſſe Iſaias affirmat: & tamen illis neglectum & reiectum eſſe criminatur.* Quia hęc dicit Dominus. *Coniunctio quia, hoc loco manifeſtationem molitur criminis huic populo adſcribendi, ex aſſeueratione Dei dicentis, ſe illis, tum aliàs frequenter, tum in hoc diſcrimine & metu, in quo verſabantur, poſtquam Aſſyriis tributa negare deliberarunt. Dixit, inquam, illis* Deus Iſrael, *qui in laborioſiſsimis temporibus ſe tutelarem, & ſalutarem Iſraeli ſolet oſtendere, & probare: ſicut multis exemplis conſtat, quæ ab iis ex Iſraelis antiqui ætate peti poſſunt, toties ſeruati & liberati ex inopia, ex cognatorum inuidia, ex ſoceri ira, ex fratris inſidiis, ex gentium itinerumq; periculis: atque etiam ipſius populi Iſraelitici, in cuius exitu de Ægypto facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius. Hic* Pſal. 72.
*inquam, ſanctus Iſrael, de quo dictum, atque euentu ipſo firmatum fuerat,* "
"*Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis; hic idem huic populo per* "
*Prophetas ſuos, etiam qui illa tempeſtate vaticinabantur, dici mandauerat Deus, illorum ſalutem non conſiſtere in nouandis rebus, ſed in ferendo patienter*

 *tienter*

*tienter iugo ſeruitutis illius, vtpote ad ipſorum correptionem impoſito ex Dei iudicio: quem æquo ac patienti animo mouere, pœnitentiaq́ placare expediret ad ſalutis inſtaurationem; quæ præſtari non poterat aliis conſiliis humanis, ab hoc alienis, omnium ſaniſſimo, atq; vnicè vtiliſſimo: quarum quidem denunciationum atq; monitionum exempla ab illius ſæculi Vatibus*
Oſee 12. *repetita, huiuſmodi fuere: Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum: to-*
" *ta die mendacium & vaſtitatem multiplicat: & fœdus cum Aſſyriis in-*
" *iit, & oleum in Ægyptum ferebat. Iudicium ergo Domini cum Iuda, &*
" *viſitatio ſuper Iacob: iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones eius reddet*
" *ei. In vtero ſupplantauit fratrem ſuum: & in fortitudine ſua directus eſt*
" *cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit, & roga-*
" *uit eum. In Bethel inuenit eum, & ibi locutus eſt nobiſcum. Et Dominus*
" *Deus exercituum, Dominus memoriale eius. Et tu ad Deum tuum cõuer-*
" *teris: miſericordiam & iudicium cuſtodi, & ſpera in Deo tuo ſemper. &*
Oſee 14. *illud ab eodem prædictum. Conuertere Iſrael ad Dominum Deum tuum:*
" *quoniam corruiſti in iniquitate tua. Illud etiam ab alio Vate proclamatũ:*
Amos 5. *Quærite me, & viuetis: & nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite*
" *intrare, & Berſabee non tranſibitis. Huiuſmodi prædictionum ſententiam hoc loco ſignificat Iſaias ex verbis Domini aſſerentis, non opus eſſe Iſraeli iſtis negotiis & conſiliis ad ſalutem, ſed illo ſingulariter per Deum exacto, & commendato, pœnitentiæ videlicet ſerie, & ſpei in ipſum ſalutarem Deum, & de auxiliis aut tutelis præſidiisq́ Ægyptiorum, aut humanarum artium nihil ſolicitudinis aut curæ admittere. Nam qui omni orbi ſalutem ſpiritualem per fidem & pœnitentiam præſtare ſeſe pollicitus fuerat, idq́ apertè Iſraelitis declarauit: id quod minus etiam eſt, hoc eſt, hanc liberationem ab hoſtibus, aut oppreſſoribus Babylonis per fidem & orationem, atq; adeò per pœnitentiam placatus, minimè negaturus erat, hoc eſt quod exponendo Vates addidit:* In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra. *Simile illi promiſſo Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Feretis, inquit, hoc onus vobis ad correptionem impoſitum ferentes. Conuertimini ad Dominum, ſpe magna concepta ſalutis veſtræ: quæ numquam vos rectè ſperantes, fruſtrabit: atq; ita quieſcentes inimicos veſtros ſuperatos, voſq́ liberatos videbitis; itaq; fortes vos eſſe vel patientia & ſpe, non tumultuatione & inſolentia, aut petulantia, nouarumq́ rerum ex veſtro cõſilio, non ex meo ſpiritu profecta molitione, & tamen noluiſtis. imò*

Et dixiſtis: Nequaquam, ſed ad equos fugiemus. ideo fugietis. Et ſuper veloces aſcendemus: ideo velociores erunt, qui perſequentur vos.

HVMANÆ *orationis ex mundano conſilio profectam arrogantiam & ſtultitiam deridere Prophetæ ſolent ſapienti imitatione ac deriuatione, appoſitaq́ interpretatione inuenta, vt inſipiens hominum ſapientia, propriis ipſorum verbis redarguatur. Nihil ſtultius aut ineptius videtur ſæculi huius ſapienti, quàm in rebus gerendis ad religionis & pietatis ſimplicitatẽ, conſilia & actiones dirigere, nihil contrà magnificentius, commodius, il-*

*luſtrius,*

*ſtrius, nihil etiam vtilius, quàm ad artes & opes humanas animum, conſilium, atque ſtudium intendere. Illud enim abiectum, ac penè ridiculum, imbellisq; pectoris, & ſtulti animi conſilium exiſtimatur, ſi quis dicat iugum eſſe ferendum, quod peccatorum noſtrorum merito eſt impoſitum. In omni quæ ad ſalutem, aut publicam rem ſpectet, conſultatione videndum imprimis, quid Deus velit, quid iubeat: idq; omnino ſuſcipiendum & obeundum. Non deſunt qui huiuſmodi orationibus hæc excipiant: Sperauit in Domino, eripiat eum, ſi vult. aut quod ille aiebat: Vare reguſtatum digito terebrare ſalinum, Contentus perages, ſi viuere cum Ioue tendis. Alij verò, qui pientiores videri volunt; tamen illam humanam prudentiam, quam diſcretionem vulgò dicunt, præferendam ducunt, & mundum cum Deo coniungendum arbitrantur: ita tamen vt mundo maior relinquatur locus, vt conſiliū, auxilium, præſidiū humanū præcipuè quæratur, & petatur. hi verò ſententias, ſiue parœmias crebrò vſurpāt, quæ in bonam partem aliàs pronunciatæ valerent, latiſſimè autem patere, & diffundi citrà deitatis & pietatis detrimentum & coarctationem non poſſunt. vt quod Deus dixerit: Adiuua te, & adiuuaberis à me. & quod Diuus Auguſtinus aliquando pronunciauit: Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. & illud quod vulgari Hiſpanorum prouerbio celebratur: A Dios rogando, y con el maço dando. & huiuſmodi plura, quæ tametſi ad eam rationem relata, quamobrem primùm ab auctoribus dicta fuere, & vera & pia ſint, tamen ampliſſimè, aut præter rem producta, ſuſpicionem pariunt impietatis. Iam verò quæ Iſaias ex Iſraelitarum refert oratione, referuntur, hoc eſt, ad humanam potentiam, & magnificentiam, ſapientiam, artem, atq; fortitudinem exiſtimatam apprimè neceſſariam, atq; prælatam omnibus iis conſiliis, quæ per Prophetas & Sanctos viros indicabātur, omninoq; iis diuerſam. Nam cùm Prophetæ ex verbis Domini in hanc ſententiam populum monerent:* Si reuertamini, & quieſcatis, ſalui eritis: & in ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra. *Illi reſpondebant: Non quieſcendum, non ſilendum eſſe: nihil enim ſilentio & quiete fieri, ſed diligentia, induſtria, agilitate, & opera: ideoq; non quiete, aut pœnitentia, & conuerſione, ſed potiùs celeritate, optimorumq; equorum cogitatione opus eſſe. Quod tamen illi ſua lingua verbis pronunciarunt quibuſdam: quæ cum duplicem ſignificationem habeant, à Vate noſtro in alteram partem, atq; ab ipſis expoſita ſunt: hoc eſt, in certiorem, & exitu ipſo magis confirmandam. Hæc verba eadem forma, ſignificatione, & efficacitate Latinè verti non poſſunt ... ò vix longis circuitionibus exponi. Latina interpretatio ſic habet: Nequ... uā, ſed ad equos fugimus, ideo fugietis: & ſuper veloces aſcendemus, id... velociores erunt qui perſequentur vos. Hebraica ſic ad verbū habent: Non, ...iam ſuper equos* NANVZZ *ideo* TANVZZVN, *& ſuper leuem conſcendemus: ideo leues erunt inſecutores veſtri. Equorum præcipuè celerrimorum, quales Ægyptij habentur, maximum eſſe in bello vſum homines putant. S.S.E.* Væ, *qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis: quia multæ ſunt, &c. At verò veram & certam*

*ſalutis*

*ſalutis ſpem & oportunitatem, non in equis, ſed in Dei tutela ac præſidio conſtitui à populo ſuo debere, ſacra docent oracula. Cùm conſtitutus fuerit* Deut. 17. *Rex ſuper Iſrael, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſubleuatus. Quamobrem Dauid equum ad ſalutem fallacem eſſe affirmauit. & Salomon totam hanc orationem vno prouerbio complexus aiebat: Equus portatur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit. ita, qui à diuino præſidio ad humana conſilia & auxilia traducũtur, certum & maturum, atque adeò grauiſſimum ipſi ſibi moliuntur exitiũ: idq́ magno labore ac ſumptu. ſæpiſſimè hoc euenit Iſraelitis & Iudæis à Deo ad humana ſtudia degenerantibus, vti videre eſt, omnes horum hiſtorias euoluentibus à tempore exitus ab Aegypto, ad vltimam vſque Ieroſolymorum ob repulſum Euangelium allatã vaſtationem. Iam verò verborum ſignificationes ad hanc ſententiam relatas, explicemus. Verbũ* NANVZZ, *habet magnam cognationem cum* NEZZ, *quod ſignum eleuatum, atq́ exaltatum ſignificat; deductum à themate* NAZZAZZ, *quod eleuare, & exaltare Latinè dicimus. idem etiam in eodem themate, alia tamen forma coniugandi, fugere ſignificat. Igitur cùm à Prophetis populus ille moneretur vt quieſceret, & in ſilentio & in ſpe ſeſe contineret, expectaretq́ ſalutem à Domino per pœnitentiæ ſtudium, atq́ exercitationes impetrandam; illi reſpondebant: imò potiùs ſtudere debemus equis comparandis, quibus inſidentes, emineamus, & conſpicuos nos reddamus, tamquam vexilla, & ſigna in bello; quibus milites collecti, mutuò animantur, & adiuuantur: atque adeò ſtrenui agilesq́ ſimus in bello gerundo, pugnáque ineunda & inſtauranda, vbi opus fuerit, id quod præſtare poterimus, conſcenſis vel leuiſſimis equis, & curſu vſi quàm velociſſimo magno clamore & ſtrepitu nos mutuo & exhortatu, animantes. Quæ ratio omnino oppoſita eſt illi, quam Vates proponebant de ſilentio, quiete, & ſpe. Verbum autem* KAL, *quod leuem, ſiue velocem vertimus, ad vocis, ſiue vociferationis quoque ſignificationem contendit. vtrumque verbum à ſe exceptum, ita interpretatur Propheta, vt oſtendat illos rectè quidem vſurpaſſe, verùm alia ſignificatione, quàm ipſi intenderent, fore tandem experturos: ac ſi Latinè vtrumq́ imitati, diceremus, fulgere, & fugere; diceretq́ aliquis: Ego paro fulgere; alius reſponderet: Iam video, paras fugere; vel, ſi vteremur verbo, imminere, pro ſupereſſe, inſtare, pro excellere; & idem vſurparemus pro immanere, id eſt, inconſtantem & vagum, trepidumq́ eſſe. Vt ſi quis diceret: Ille imminebit hoſtibus ſuis; alius interpretaretur: Rectè, inquit, immanebit; quia non manebit. Hanc ſignificationem ipſa ſententiæ ratio, & Vatis artificium verbis indicabat, ſicut & illam, quam de verbo* KAL, *obſeruandam quoque oſtendimus: id quod omnem hanc orationem Iſaiæ, attentè conſiderantibus, facilè planum fiet. Dixiſtis, inquit, ſuper equum* NANVZZ, *id eſt, fulgebimus; ita, inquit, verè eueniet. non, vt ſenſiſtis; ſed, vt dixiſtis. quippe* THENVZZVN, *id eſt, fugietis ab hoſtibus, vos miſerituri; quos tamen labore multo exonerabitis, & leuabitis: quippe cùm à vobis equis inſidentibus exiſtimaretis velocitate, leuitate, dexteritate, atq́ etiam vociferatione ſuperandos,* deter-

*deterrendóſque fore, contrà eueniet, vt nulli ipſorum labori, oneri, aut negotio futuri ſitis, imò magna leuitate & facilitate ſuperandi, perdendi, ac diſpergendi. nimirum.*

Mille homines à facie terroris vnius: & à facie terroris quinque fugietis. D V M *vos, præter Dei conſilium & inſtitutum, veſtris ingeniis, artibus, induſtria, exercitationibus, & auxiliis ſalutem vobis pollicemini; præſtantiam, excellentiam, & victoriam ſomniatis; tandem eueniet, vt, qui voce, leuitate, ac dexteritate valituros vos ſperatis, vnius hoſtis tantùm clamore audito, mille fugiatis, & quinque hominum ſtrepitum & clamorē omnes, quotquot eſtis, ferre non valeatis: quin, terga vertētes, perdamini, ac diſsipemini; nullo eorum, qui vos inſecuti fuerint, negotio: ita vt rariſsimi ex vobis euadant: non autem in equis & curribus, ſed in montibus inacceſsibilibus; ad quos qui maximè ex vobis fuga præſtare poterint, aſcendent; atq; ab hoſtibus, tamquam timidiſsimi, relinquentur, non tanti facientibus vnum & alterum, vt illorum cauſa, loca illa ardua, conſcēdenda videantur. Ita fiet, vt vos, qui tamquam ſigna conſpicua eſſe ſtudueritis, conſpicui quidem ſitis, rariſsimi tamen, idq; ſuper montes, hoc eſt quod exponens, ſubiungit:*

Donec relinquamini quaſi malus nauis in vertice montis, & quaſi ſignum ſuper collem.

I T A *eritis conſpicui & rari ſuper montes & colles, vt eſſe ſolet lignum aliquod longum & nudum in montis vertice fixum, aut ſignum in colle arboribus & plantis carente, quæ à longè conſpiciuntur. Quod Latinè legimus,* malus nauis, *Hebraicè eſt* THOREN; *ſignificatq; lignum erectum & fixum, cuiuſmodi eſt malus in naui & in tentorio. atque ter tantùm reperitur hoc nomen in ſacris libris: ſemel apud Ezechielem, & bis apud hunc* Ezech. 27. *Prophetam. Latinus interpres, explicationis cauſa vertit,* malus nauis, *quia nomen malus, ſine adiuncto exponente, ambiguum eſt. Significat enim arborem pomiferam, & tentorij vel nauis malum; & adiectiuum etiam eſt, bono contrarium. Quòd ſi malū intelligamus hoc loco, relictum ex tētorij, quod anteà fuit in monte cortinis, velis, & funibus inde ablatis; nulla erit in ſimilitudine aptādæ difficultas. ſin verò malū nauis intelligere velimus, eadem ſententia omnino conſtabit. Accidere enim poteſt, vt naui tempeſtatibus circa littus aliquod effracta, qui ſuperauerit malus in proximi mōtis vertice figatur; admoniturus nautas diſcriminis loci illius; in quo nauis perierit: vtcumque ſit; ſimilitudine hac ſignificabat Iſaias Iſraelitis, qui ſpem in alio, quàm in Dei conſilio collocauerint, diſpergendos, ac diſiiciendos fore, rariſsimosq; ex illis euaſuros, qui fuga in montes ſalutem ſibi conſuluerint: ſiue hoc dicatur de ipſis hominibus, vt orationis indicare videtur ſententia; ſiue de oppidis & vrbibus, videlicet, quòd tribubus aliis euerſis & diſsipatis, Iudæi tantùm & Biniaminitæ illam cladem eſſent euaſuri: ſiue, quod magis etiam conſonum eſt, vtriuſque partis, hoc eſt, hominum & locorum raritatem magnam hæc prædictio ſignificat. Neque ſolùm ad illa tempora pertinet, rerum Iſraeliticarum videlicet; ſed ad omnia quæ poſteà*

PP ſub-

*ſubſecuta ſunt Iudæis & Ieroſolymitanis: quippe vaticinium hoc commune eſt, & exemplum perpetuum continet, in hanc ſententiam: Quicumque à Dei præſidio ad humana conſilia & auxilia transfugerit, vaniſsima, & ſibi inutiliſsima experietur. Ergo idem accidet vobis Iſraelitis, idem vobis Iudæis auxilium ab hominibus contra Dei conſilium petituris; idem Chriſtianis, cùm eiuſmodi exemplum ſequi contigerit. Atqui montium & collium notatione fugam, & periculi euadendi curam & ſtudium ſignificari, in ſacro Apparatu abundè docuimus. vt, Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiāt in montes. Atq; huiuſmodi prædictiones calamitatum & plagarum futurarum ideo Vatibus mandari à Deo, vt populi hiſce moniti & edocti, diuinam iram & ſententiam oportuna ac legitima pœnitentia deprecari & effugere poßint, ſæpiſsimè in Sacris libris edocti ſumus. Neque enim Deus iniquus eſt, vt inferat iram hominibus non immeritis: imò miſericors & clemens, vt nullum hominem perire velit, ſed omnes ad pœnitentiā reuerti, & vitæ ac ſalutis beneficio frui. Idem tamen rectiſsimus Iudex, qui in peccatores contumaces, & pœnitentiam negligentes, iudicia exercet iuſtiſſima. Quamobrem ſolet ille bonum & malum in conſpectu hominum proponere, hortariq; ad bonum, & vitam deligendum: rurſus verò iudicium minari iis, qui bonum neglexerint. Itaq; huiuſmodi prædictiones à Vatibus enunciatæ & repetitæ, eò præcipuè tendunt, vt homines à malo ad bonum reuocent: deinde verò, vt reuerti nolentes, futuri iudicij præmoneant; quod cùm exerceri contigerit, & maximam Dei iuſtitiam & ſanctitatem probet, & hominum peruerſitatem & malitiam arguat maximam: ideo igitur à ſe prædictum hoc Iſraelitis Iſaias ait, vt cùm iam ob reiectum Dei conſilium, & inceptum propoſitum, quærendi aliam rationem ſalutis, à vera & vnica, ac ſingulari longè alienam pœnæ meritò infligi poſſent ex ipſo iudiciorum diuinorum norma ac definitione conſtitutæ: tamen, antequam ſententia pronuncietur, & executioni (vt dici ſolet) mandetur, ad pœnitentiam potiùs redeundi, & ad immenſæ illius miſericordiæ beneficium recurrendi ſit locus.*

Lib Ioſeph. Mat. 24.

Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri: & ideo exaltabitur parcens vobis: quia Deus iudicij Dominus: beati omnes qui expectant eum.

S I *Princeps quiſpiam maximus, idemq; æquiſsimus & rectiſsimus iudex, auerſos à ſe populos, atq; diſſenſioni operam dantes, antequam iudicio conſtituto damnaret, pœnarum propoſitarum præmoneret, & pœnitentiæ conditione oblata, cùm iam damnare, & pœnas exigere poſſet, reuocandos curaret; meritò hic clementiſsimus, fortiſsimiq; animi, atq; benigniſsimus, idemq; maximus appellaretur: vt, qui iure damnare, & pœnas repetere cùm potuerit, clementia & miſericordia priùs experiri voluerit, vt inſanientem illum populū mollioribus priùs remediis curaret. Ita Deus, quamquam rectiſsimus iudex, integerrimusq; criminū cognitor & iudex etiam fortiſsimus ſit; tamen non tantum hoc nomine atque munere præſtando, quantum clementia & miſericordia exercenda conſpicuum, atq; præſtantem*

*tem ſeſe præbere, oſtendereq́ optat. Suauis eſt enim Dominus vniuerſis, ſed* Pſal. 144.
*miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Hoc igitur eſt id, quod Iſaias ad-* «
*monet: Cùm poſſet Deus vos iam iudicij ſui ſententia damnatos pronunciare, & ferendis pœnis addicere: tamen hæc vobis optimus ille princeps Dominus, qui hoc nomen miſericordiæ exercendæ, exemplis præcipuè commendat, vobis hæc prædici iubet, & ſignificari patientiam & clementiam ſuam: vtpote qui differat iudicium, & expectet pœnitentiam veſtram; vt miſereatur veſtri, atque hoc modo parcens vobis exaltetur. Sponte enim clementem, miſericordem, atq; benignum ſe præbet: vtrumque hoc ſtudium ſuum eminere & conſpicuum eſſe optat: iudicem ſeſe verò præſtat, cùm miſericors non eſt ſuſceptus. Itaq; miſericordiam ex proprio, vt ita dicam, voto, iudicium ex rei neceſſitate ob hominum culpam, proteruiam, & contumaciam, iuſtitia iam ipſa poſtulante atq; efflagitante exercet; pœnasq́ vobis irrogat tamquam iudex, non tamquam fati auctor: non enim homines fecit vt damnaret & perderet, ſed vt ſeruaret, vel, ſeruari nolentes, iudicaret: ita vt, cùm Deum, hoc eſt, principem & gubernatorem ſe præbeat, iudicemq́ eſſe oſtendat; tamen & Dominum miſericordem eo ipſo probat, quòd antè homines monuerit ne peccarent; & poſt peccatum, ad pœnitentiam vocauerit, & expectauerit; ac tandem iudicans, non ita duris pœnis deſtinauerit, atq; ipſorum malitia dignum erat. Hoc eſt quod Iſaias ſignificabat tribus illis nominibus,* DEVS IVDICII DOMINVS. *Qui vt Deus gubernat & præeſt, humanasq́ curat res; vt iudex iudicat, & ante iudicandum, vt Deus præmonet, ac docet; vt Dominus miſeretur, & antequam iudicet, ad pœnitentiam vocat: atq; ideo cùm iudicat, iuſtificatur in ſermonibus ſuis, & vincit in iudicio. Ideoq́ quicumq; Deum hac ratione cognoſcens expectauerit, beatus erit: quippe illam miſericordiam & veritatem tandem experietur, quam ipſe Deus de ſe prædicatam voluit; aſſequeturq́ exemplis ipſis admirandam cognitionem huius rei: quam tripliciter conſiderandam diximus. Hæc Iſaiæ acclamatio cõmunis ac perpetua eſt, ſed præcipuè ad expectationem ſalutis, à Deo per Chriſtum efficiendæ pertinet: quam in omnibus ferè ſermonibus & actionibus Propheta hic aut docere apertè, aut ſignificanter indicare ſtudet. Huius verò rei argumentum manifeſtum Vates profert, exemplo ſtatuto Sionis & Ieroſolymitanorũ: quos non ſolùm illis temporibus ex Aſſyriorum obſidione liberandos, ſed perpetuò continendos & conſeruandos eſſe ait; donec mittatur ille ſummus diuinæ voluntatis interpres, & veræ ſapientiæ doctor Chriſtus, Patribus anteà in credentium ſalutem promiſſus.*

Populus enim Sion habitabit in Ieruſalem: plorans nequaquam plorabis, miſerans miſerebitur tui: ad vocem clamoris tui ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi.

MONET *Propheta decem tribus, vt Dominum pœnitentia placãdum ac ſibi conciliandum ſtuderent, vtpote miſericordem & iudiciorum executiones, præter miſericordiam differentem & protrahentem, diſſimulãtem peccata hominum propter pœnitentiã: aliàs autem iudicem integerrimum,*

*qui conuerti nolentes, pœnis addicat iuſtiſſimis, & illos reprobaturus ſit, atque per orbem disiecturus, niſi legitima correctione priùs expiari contingat: ideoq́ optimum conſilium illis fore ineundum & vtiliſſimum, ſi relictis iis quæ prodeſſe non poſſunt, ſolus Deus petatur, & in ſilentio, & ſpe ſalus expectetur. Hoc enim pacto recta erit ex Dei benignitate, cuius rei exemplum ſtatuit in Ieroſolymitanis ciuibus, quos non minore impetu & exercitu quàm Samariam Aſſyriorum princeps inuaſurus & obſeſſurus erat; & tamen in Deo ſperantes, quamquam premeret, non erat debellaturus. Populus enim Sion, non ſolùm populus qui eſt in Sion munitiſſima vrbis parte, non abducetur nunc captiuus, interim dum in Deo ſperans, nullum auxilium humanum quærit: ſed in omni Ieruſalem habitabit, nulla parte vrbis excluſus aut eiectus; vtpote qui Deum ſibi miſericordem, propinquum, & proſpicientem habeat, tamquam infans nutricem: quæ non longè recedens vſquam, ſemper obſeruat an infans ploret; clamareq́ incipiente, accurrit, & proſpicit ea quæ commoda ſunt: neque illum diu plorare ſinit; quippe ploratus nimius infantibus valdè nocet. Hanc ſimilitudinem intuitus Propheta, dixit: Plorans, nequaquā plorabis. Non ſineris plorare, ſicut infantes, aliqua oportuna defectiore, clamant primùm; mox verò, niſi foueantur, plorant; quod grauioris mali ſignum eſt. Ita proſpiciet tibi Deus; qui miſerans miſerebitur tui. Ad vocem clamoris tui, ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi. Hac oratione pollicetur Propheta certum & propinquum, atq́ oportunè præſens auxilium Dei, populo Hieroſolymitano, quotieſcumq́ periculum aliquod immineat. Atq́ adeò ad Eccleſiam Dei veram hoc vaticinium pertinet: cuius typus illa Hieroſolymorum ciuitas fuit. quidquid enim de illis dictum fuit, ad noſtram vtilitatem eſt litteris mandatū. Quoniam verò diuinæ ſapientiæ rationibus, & humanarum exemplis rerum, exploratum eſt, nimia proſperitate lædi, atq́ corrumpi homines, & in morbum vitiumq́ mentis atque morum incidere; oſtendit Propheta, quemadmodum Deus populum illū foturus & adiuturus, nutriturusq́ ſit: vt alat quidem rebus & commodis terrenis: non tamen ita, vt corrumpi prorſus, ac perdi ſinat; ineptumq́ reddi patiatur ad eam rem ad quam delectus erat; hoc eſt, ad ſalutis illum auctorem, & veritatis doctorem ſummū obtinendum, & omni terrarum orbi communicandum. Perſtat autem in ſimilitudine nutricis, ſiue matris diligentiſſimæ, ac valdè ſedulæ erga infantem.*

Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem: & non faciet auolare à te vltrà doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.

*Quemadmodum populus ille Iudæorum, qui Hieroſolymis agebat, ad Chriſti vſque tempora curandus à Deo eſſet, docet hoc loco Vates. Ait enim illum & diligentiſſimè & ſapientiſſimè, pro ſenſuum & ætatis ratione, eſſe alendum. Toto quippe tempore quo populus ille ſub lege fuit, tamquam paruulus infans erat: atque ideo, paruulorum inſtar, curandus fuit, & nutriendus. Qui creſcunt, infantes & pueri, aſſiduò & temperato, atq́ exiguo alimento indigent. Namq́ plurimo ſemel aut bis in die exhibito, læduntur*

tur

*tur vehementer; vti & medicorum, & philoſophorum conſenſus docet, &*
*ipſa communis & quotidiana experientia apertè oſtendit. Difficilius au-*
*tem curantur mala, quæ proſperitate fulciuntur, vt ille aiebat; & vt à Pro-*
*pheta ſapientiſſimè de Iſraelitico populo dictum eſt: Incraſſatus eſt dilectus,* Deut. 32.
*& recalcitrauit incraſſatus, impinguatus, & dilatatus: dereliquit Deum* "
*factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Quamobrem curandum à* "
*Deo hunc populum eſſe, ait Iſaias: ita tamen curandum, vt à nutricibus ſa-*
*pientibus ac diligentibus pueri curari ſolent. Nutriuntur enim non pluri-*
*mo ingeſto ſemel cibo aut potu, ſed modico, & aſſiduo: ita fit, vt viuere, va-*
*lere, & creſcere poſſint, donec ad ſolidam virtutis ætatem peruenerint.*
*Interim tamen nulla neceſſaria & oportuna re fraudantur; quam-*
*quam ſuperfluis & nocentibus priuentur. Sic futurum eſſe Iudæis, Vates*
*indicat: quos non pingueſcere, & robuſtiori atq; abundantiori commodorũ*
*terrenorum copia tumere atque perire ſinet Deus; ſed nunc à Senacheribo*
*afflictos, liberaturus; nunc à Babyloniorum Rege victos, captos, & abdu-*
*ctos reſtituturus; aliquando à finitimis gentibus, nonnunquã à Græcis ex-*
*ercitatos & vexatos, defenſurus & aſſerturus erat Deus: numquam de-*
*niùm neceſſaria ad vitam & conſeruationem ſui, commoditate fraudatu-*
*rus: non tamen ita repleturus, vt impinguatos & incraſſatos dilatari, &*
*recalcitrare, atque à Deo penitus diſcedere accideret: ideoq; pane arto, &*
*aqua breui curandos, & nutriendos; numquam vero deſtituendos doctri-*
*na & inſtitutis, atq; præceptis Prophetarum, Scribarum, & Doctorum:*
*donec tandem illum Doctorem Chriſtum, ſolidæ Dei ſapientiæ antiſtitem*
*& præceptorem videre contingat.* Et non faciet auolare à te vltrà do-
ctorem tuum. *Illos doctrina non eſſe priuandos ait: quemadmodum rectè*
*nutriti & educati pueri ſemper inſtituuntur normis, præceptis, & inſtitu-*
*tis oportunis: atq; ita ab infantia ſapientiæ ſtudiis, pro ætatis ratione, aſſue-*
*fiunt. Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Chriſtum tandem vi-*
*debis, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi: qui*
*te docebit admirando modo, non ſolùm verbis, ſed Spiritu ſancto in eos qui*
*crediderint, & obedierint immiſſo; ſicut & ipſe dixit, & ſcriptum eſt in*
*Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.* Auolare faciet, *Hebraicè eſt,* Ioan. 6.
*impennabit, ſiue, pennas addet. Rectiſſimè vertit interpres noſter ad vſum*
*& cauſam alarum relata ſententia: namque ideo auibus alæ datæ, vt cùm*
*voluerint, longè auolent. S.S.E. Quis dabit mihi pennas vt columbæ: &* Pſal. 54.
*volabo, & requieſcam. Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Do-
ctorem tuum, & præceptorem tuum. MOREIGHA. *Hebraicè vnicum*
*nomen bis repetitum eſt: quod (vt quidam vertunt) pluuiam & diſtillatio-*
*nem ſignificat. ſed interpres noſter ſenſum expreſſit. Namque ex tranſla-*
*tione doctrina, & diſciplina, atq; inſtitutio, inſtillationis & pluuiæ ſimili-*
*tudine indicatur. Vt creſcat in pluuiam doctrina mea: fluat vt ros eloquium* Deut 32.
*meũ. & apud Latinos ſubinde: Præceptum auriculis hoc inſtillare memẽto.* Horat. epiſt. lib. 1.
*Atq; ita hoc loco pro Dei doctrina per Prophetas ac Doctores, atq; tandem*
*per Chriſtum inſtillata: illo, quod ſubiunctis verſibus exponitur, in qui-*

 *bus*

Hieron. in Com. *bus ſignificatur eruditio & admonitio per Prophetas exercenda, aſsidueq́; tractanda: donec veniat illa plenitudo gratiæ per Chriſtum credentibus & obedientibus communicandæ.*

Et aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: Hæc eſt via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

*Neceſſariam ſemper populo Dei vel afflictis, vel ſecundis ac lætis temporibus eſſe verbi Dei copiam & adminiſtrationem, ex hoc & aliis quàm plurimis Scripturarum locis docemur. Aduerſarius enim noſter Diabolus,* 1. Pet. 5. *tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret; cui reſiſtere in fide fortes oportet: fides autem per auditum, auditus verò per verbum Dei. Ideo Iudæorum populo, atq; Eccleſiæ illi antiquæ doctrinam diuino beneficio perpetuò ſuppeditandam, Vates ait; vt exercitatio atque reſiſtentia aduerſus Diabolum humani generis, & Eccleſiæ Dei hoſtem nō deſit, aut ceſſet, quoad pugnantibus & reſiſtentibus illa plenitudo gratiæ, & ſpiritus Chriſti adſit à Deo promiſſa; cuius virtute & efficientia ita doceantur & confirmentur piorum animi, vt nulla externa vi à charitate Dei ſeparari poſsint. Semper habebis Prophetas, ſcribas, doctores, & præceptores, qui te fidei in Deum, & pænitentiæ exercendæ admoneant: quorum doctrinam vbi tu, purgata aure, exceperis, omnia illa abiicies quibus diuina promiſſa impediri poſſunt.*

Et contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui: & diſperges ea ſicut immunditiam menſtruatæ. Egredere, dices ei.

VT *vanorum Deorum cultus non ſine ſumptu exerceri potuit; ſic etiam vitia omnia & voluptates, atque cetera flagitia quibus humana concupiſcentia addicitur, & labore, & expenſis, doloreq́; multo conſtant. Omnia autem Idolatriæ nomine arcanè ſignificantur: vt enim homo vana numina ſibi ficta, quæ nihil proſunt, adorat, & colit: ſic etiā vitia quæ verè obſunt, & nocent, ſummo ſtudio exercet; donec ſapienti doctrina reuocatus, ea à ſe abiicit, & diligenti ſtudio, atq; ſui cultura expiatus, Dei beneficiis excipiendis, ſeſe præparat; adiuuante ipſius gratia, quæ cupientibus, & ſtudioſè conantibus numquam denegatur, ſed oportunè adeſt. Hanc totam pænitentiæ ſeriò ineundæ atque exercendæ rationem ex vno genere idololatriæ, quæ cetera vitia & vana atq; noxia ſtudia, quibus humanum genus occupatur, ſignificatione ſua continet, Propheta noſter indicauit. Nam qui dicit omnem curam, & ſumptum, & ſtudium omne vani cultus damnandum, abiiciendumq́; fore: is, quacumq; dicendi figura id pronunciet, nihil omnino excludit eorum quæ à vero & ſancto Dei cultu aliena ſunt. Hæc huius carminis ſententia nobis ita exponitur; verba autem ipſa ſunt etiam exponenda.* Et contaminabis laminas, *& c. vt ſimulachra illa vanorum Deorum, ita ſimulachrorum materies omnis à cultoribus illis ſacra eſſe, atque diuinitatis partem habere cenſebatur: eoq́; auguſtior, quo magis eſſet pretioſa, credebatur: atq; ita lignea fictilibus, ligneis lapidea, lapideis ænea, æneis eburnea,*

*ebur-*

eburneis argentea, hiſq; aurea & gemmea præponebantur; maximè vbi vanæ illæ ſuperſtitioni luxus acceſſit, qui maiorem apud vulgus auctoritatem conciliare videbatur. Quo igitur maioris pretij materies erat, eò putabatur ſacratior, maioriq; cultu & ſtudio ſeruabatur. Ventum autē eſt, non ſolùm ad artis comparationē in effingendis eorū ſimulachris; verùm etiam ad materiæ rationem habendam, & curam etiam impendendā, vt magnam & præſtantem materiam, opus arsq; ſuperaret. Huiuſmodi curam omnem veræ doctrinæ ſtudio, atq; optimorum doctorum diſciplina damnandam & abiiciendam eſſe, Vates ait iis, qui populi Dei nomine & iure vti cuperent. Erat autem duplex materiæ aureæ & argenteæ ad ſimulachra comparatæ vſus: aut enim totum ſignum ex ſolido auro fundebatur, id quod in magno numinum cultu fiebat; aut exſculptum ex alia materia, lignea præcipuè, ſimulacrum, auri argentive laminis obducebatur, aut tenuiſſimis auri foliis inaurabatur. ex ipſarum gentium auctoribus triplicem hunc modum auri, in ſignum ſumpti, obſeruauimus. Sic enim ille ſcribebat: Minor extat ſacrilegus, qui Radat inaurati caput Herculis, & faciem ipſam Vulcani, qui bracteolam de Caſtore ducat, An dubitet totum ſolitus conflare Tonantem? In huiuſmodi vſus aurum & argentum ab Iſraelitis & Iudæis inſumptum, criminatur Deus. &, Tuliſti vaſa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi; & feciſti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis. vt apud Hieremiam: Quia lignum de ſaltu præcidit, opus manus artificis in aſcia argento & auro decorauit illud. Prophetarum igitur, doctorumq; veracium monitis & inſtitutis efficiendum eſſe ait Iſaias, vt Ieroſolymitanus ille populus, conuerſis ſtudiis, non ſolùm idola & ſimulachra abiiciat; ſed aurum & argentum quod in vanorum ſimulachrorum opus, vel fuſum, vel in bracteas extenſum fuerat, vel aliàs laboratum, tandem damnetur, & prophanum, immo impurum execrabileq; iudicetur; & tanquam menſtruatæ panni, quo nihil impurius exiſtimabatur, obuolutū abiiciatur; addita etiam deteſtatione & execratione. Egredere, dicet ei. deteſtantis oratio & figura eſt. vt, Apage, abi in malam rem. Non ſolùm prophanum cenſendum aurum & argentum; ſed omnino abiiciendum, vt rem immundiſſimam, nulla ratione vel pretij habita: ita vt Iacob faciendum curauit, cùm familiam ſuam huiuſmodi ſuperſtitionibus contaminatam, expiaret. Abiicite, inquiens, Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt: & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra. Surgite, & aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo: qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & ſocius fuit itineris mei. Dederunt ei ergo omnes Deos alienos quos habebāt, & inaures quæ erant in auribus eorum: at ille infodit eos ſubter terebinthum, quæ eſt poſt vrbem Sichem. Manifeſtum eſt Ieroſolymitanos poſt tranſmigrationem Babylonis ad Chriſtum vſque nulla ſimulachra publicè coluiſſe: tametſi quidam ex perditis illius gentis hominibus, nouarum rerum cupidi, in Græcorum gratiam ludos & gymnaſia Ieroſolymis inſtituerint: & vanam Græcorum ſuperſtitionem inducere conati fuerint; ſed hoc non publico conſenſu, vt ante captiuitatem Babylonienſem acta ſunt; imò belli ciuilis,

Ezech. 16. Ierem. 10. Gen. 35.

*ciuilis, & diſsidij magni cauſa fuere, neque prorſus obtinere potuerunt: caruitq́; populus ille idolatriæ ſuperſtitione publica vſque ad Chriſti tempora; quamquam multis aliis ſceleribus flagraret: ſed eo tempore quo ſimulachrorum cultus abolitus erat, Chriſtus ille promiſſus, à Deo miſsus eſt: cuius virtute & efficientia omnia diuinæ virtutis promiſſa, quæ ad vitam; id quod ſperandum & expectandum Iſaias ſolemnibus tranſlationibus commendabat.*

Et dabitur pluuia ſemini tuo, vbicunque ſeminaueris in terra: & panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis. Paſcetur in poſſeſſione tua in die illo agnus ſpatioſè.

RERVM *ad vitam, & vitæ commoditatem & vſum oportunarũ promiſſa antiqui teſtamenti hominibus facta fuiſſe, credentibus, inquam, & obtemperantibus Deo, atque eadem præſtita, eſt omnibus, qui ſacras literas norunt, exploratum, atq; illo Pauli teſtimonio ſummatim eſt confirmatum.*
Heb.11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repro-*
33 *miſsiones, temporales videlicet, & terrenas. Verùm quamquã res illæ, cùm contingerent, promiſſorum fidem, verè atq; vſu ipſo liberabant; maiora tamen exemplo ſuo ſignificabant: nempe ſpiritualia promiſſa ſanctis illis credita & ſperata, ac noui Teſtamenti fidelibus cultoribus ex Dei beneficio obtinenda. Omnia autem hæc ferè promittebãtur ſub illis imaginibus rerum temporalium: quarum vſus cum credentibus illis ſuppeditabatur, certiſsimam faciebat promiſſorum maiorum ſpem, quæ poſteritati illorum obtinenda erant: ex quo effectum eſt, vt quotieſcumque de hac bonorũ externorum abundantia verba à Prophetis fiunt, duo auditoribus cogitanda proponantur: vera videlicet vſura illorum bonorum illius ætatis fidelibus data, veraq́; illorum ſummorum bonorum, hoc eſt, ſpiritualium Dei beneficiorum illis ſperanda, & huius noui Teſtamenti ætatis cultoribus piis expectanda copia; & tandem in cælorum regnum receptis, exhibenda, & communicanda. Cùm igitur hoc loco Propheta noſter ad conditionem eorum, qui Euangelio credituri, obtemperaturíque eſſent, ſignificandam vaticinaretur; eam rerum figuram vſurpauit, quæ obedientibus illius ætatis, fidelibúſque copioſè ſuppeditabantur: & quamquã figuræ erant, & non ipſa rerum ſpiritualium veritas; tamen verè erant res, & humanis vſibus commodiſſimæ, atq; illo duplici genere diuidebantur: videlicet frugum vbertatis, & pecuariæ rei amplitudine, quibus optimæ omnium innocentiſsimæ atq; vtiliſsimæ diuitiæ definiuntur: idq́; efficiendum eſſe Vates ait, vt iis qui Euangelio crediderint, & obedierint, rerumq́; ſpiritualium commodiſsima copia, quibus animus alatur & nutriatur, ex diuini ſpiritus gratia contingat; velut fertili terræ cæleſtibus pluuiis oportunè irrigatæ cõtingere ſolet maxima frugum frumentorumq́; abundantia: atq; etiam in animis & ſpiritibus ipſis piorum, magnus profectus fiat ex renouatione & regeneratione ſancti Spiritus, abundè ſuper illos effuſi, efficiente id agno illo immaculato Chriſto; qui peccata mundi ablaturus, & ſua innocentia, atq; carnis ac ſanguinis ſui communicatione multos de morte ad vitam traducturus erat.*

*Itaq;*

*Itaque terram hoc loco ipſam hominum fidelium & piorum naturam, pluuiam Spiritus ſancti affluentiam, fructus illius ſpiritus efficientiam, agnū collectiuè vſurpatum nomen, nouas creaturas interpretamur, [illegible] agni illius communicatione ac virtute præditas: qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit. Atq; hæc [illegible] futura prædicitur, communiaq; eorum omnium, qui ritè ac pure Euangelio crediderint, & obtemperauerint: inter quos cùm nonnulli ſeligendi eſſent, qui ſuam operam ad aliorum vtilitatem impenderent, cuiuſmodi Apoſtoli, Prophetæ, Doctores, aliiq; Christianæ publicæ rei miniſtri; ij pro muneris ſuſcepti, & obeundi ratione vario virtutum genere inſtituendi, augendique eſſe prædicuntur.*

Et tauri tui, & pulli aſinorum qui operantur terram, commiſtum migma comedent, ſicut in area ventilatum eſt.

D. VINI *Spiritus dona, quæ chariſmata ſanctus Apoſtolus vocát, in duo genera ipſe diſtribuit: eorum quæ ad ſanctificationem internam animi ſuſcipientis; & eorum quæ ad externa miniſteria pertinent. de quibus ille abundè diſſerit: bonis & piis Dei cultoribus illa priora ex Dei beneficio dari, ſed miniſtris præter illa, & hæc poſteriora ſuggeri oſtendit. atque hanc rationem reſpexit Iſaias, cùm hanc allegoriam perſequeretur: affirmans horum poſteriorum donorum oportunam copiam, eamq; puriſſimam & ſelectiſſimam ſuppeditandam eſſe iis, qui Eccleſiam legitimis obeundis miniſteriis excoluerint: quos taurorum, ſiue boum & aſinorū nominibus ſignificauit, animalium videlicet, hominibus iuuandis addictorum.* Commiſtum migma. *Res ipſa indicat, non de paleis, ſed de frumento ipſo ſiue hordeo potiùs exponenda eſſe verba hæc; idq; aperit expolitio adiuncta,* ſicut in area ventilatum eſt: *quam interpres noſter, non verba ſed ſententiam intuitus, rectè reddidit: ſed & hoc ipſum confirmat oratio ex Hebræis verbis diligenter expenſa* BELIL HHAMITS; *mixturam fermentabilem Latinè vertere poſſumus. Atq; hac deſcriptione triticum & hordeum intelligimus. quippe natura tritici eſt, vt non fermentetur ſolum, aliudq; rei genus ad fermentationem ſui poſtulat: hordei verò natura ipſa ex ſe fermentatur, atq; aceſcit, & alias res quibus commiſcetur, acidas fermentatáſque reddit. Et quidem antiquis traditionibus Iudæorum omnis fermentationis præcipua vis hordeo adſcribitur: in quibus me legere aliquando memini, Iudeæ regionis vinum natura ſua non aceſcere, quamquam corrumpatur, & per multos annos non inuentam fuiſſe rationem aceti ex illo vino conficiendi: donec quidam, qui rerum naturæ cognoſcendæ ſtudioſus erat, hordeo in vinum iniecto, optimum acetum breuiſſimè confecit: atq; inde ſumpto experimento, aceti copiam ex ſuo vino paratam Iudæis contigiſſe. Sunt itaq; duo genera pabuli, quæ hoc nomine* BELIL, *nobis Iſaias viſus eſt ſignificare, triticum & hordeum, quod rectiſſimè verbo Græco migma reddidit interpres; id eſt, miſtionē. quam, vt clariùs indicaret, Vates addidit,* HHAMITS, *id eſt, acetoſam, ſiue fermentabilē. Quamquam enim hæc vox* HHAMITS, *ſemel tantùm in ſacris libris reperiatur, id eſt, hoc loco; tamen ex eadem*

Miſnaiot tract. de Paſ. c. 3. 11, 63. 4.

QQ

*dem radice & alia verba* HHAMETS, & HHOMETS, & HHAMATS, *ſæpiſſimè legentibus, occurrunt; ſignificantia acidum reddere, fermentare, intingere; & aceium, fermentum, & intinctionem. Iam verò triticũ dulce admodum eſſe, iumenta guſtu ſentiunt: adeò vt vltrà modum exaturentur, & eximia ſaturatione lædantur. hordeũ contrà acre experiuntur, & quo craßius eſt, eo magis acidum ſentiunt. atq; in Hiſpania aßiduo experimento comperium mandrariis & mulionibus eſt, iumenta in Tarraconẽſi, aut Luſitania prouinciis nata & nutrita, cùm in Bethicam traducuntur, hordeum per multos dies parciſſimè comedere, quòd propter ſoli vbertatem, vt cæteri fructus craßißimæ naturæ, & ſolidioris nutrimenti ſit, ideóque acidißimum ſentiatur: miſcetur ergo illis cum tritico, aut aqua maceratur, antequam exbibeatur, per aliquot horas: atq; hoc modo gratißimum, & ad vires exercendas atq; exerendas commodißimum pabulũ conficitur: quippe triticum, vt dulce demulcet; hordeum vt acidum, vires atq; ſpiritus acuit: atq; ita cùm aſſueuerint eiuſmodi cibo iumenta ad onera & itinera ferenda aptiora, fortioraq́; euadunt. atq; hanc cauſam eſſe arbitror quamobrem Bethici equi ceteris omnibus in Hiſpania natis & altis, præferantur. Iam verò, vt ad ſignificationem ſuam imaginis huius exemplum referamus, animaduertendum eſt in chariſmatum ſpiritus dignitate, efficientia, & præſtantia gradus aliquos eſſe, quibus alia aliis antecellant. ſicut idẽ Paulus*
1.Cor.12. *docet: Æmulamini, inquiens, chariſmata meliora, & adhuc excellentiorem*
» *viam vobis demonſtro, &c. Illa autem chariſmata meliora appellari obſeruauimus, quæ hominẽ ipſum indita ſanctitate perficiunt, & ornant, Deoq́; amabilem reddunt: cuiuſmodi ſunt fides, ſpes, charitas; tria hæc: maior autem horum eſt charitas, inquit Apoſtolus. Alia chariſmata ſunt, quibus homo non tam perficitur, quod ad propriam ſanctitudinem attinet; quàm ad aliorum hominum vtilitatem inſtruitur. Cuiuſmodi ſunt cognitiones, prophetiæ, ſcientiæ, ſapientiæ, linguarum & ſanitatum dona, atq; aliæ virtutes ad miniſteriorum vſum opportunæ. Priora dona quæ hominis animum poſcunt, imbuunt, & docilem amabilemq́; reddunt, tritici dulcioris ſimilitudine ſignificantur: poſteriora, quæ vires animi acuunt, & muniunt ad ferenda miniſteriorum onera, muniaq́; obeunda, & expedienda: inferioris generis, efficacis tamen, & acris, hoc eſt, hordei imagine exprimuntur. Namq; Apoſtolis, & aliis noui Teſtamenti miniſtris, vltrà ſanctitatem illam à Spiritu ſancto in ipſis effectam, illæ etiam virtutes omnes contigere, quæ ad muneris ſui exercitationem oportunæ erant; atq; vtriuſque generis virtutes puræ & integræ obuenere: non permixtæ aliquibus humani ingenij commentis, aut aliis terrenæ imperfectionis, minorisq́; notæ partibus, ſed omnino omnia in ipſis diuina & pura ac ſancta agnita fuere: ſicut de*
Iacobi 1. *huiuſmodi donis D. Iacobus affirmat: Omne datum bonum, & omne do-*
» *num perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum: apud quẽ non*
» *eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Hanc puritatem & perfectionem donorum in Apoſtolis, aliisq́; ſacris miniſtris probatam Spiritus ſancti virtutem, viciſſitudinis obumbratione efficiendam ſignificauit*

Pre-

*Propheta noſter illis verbis :* Sicut in arca ventilatum eſt. *quam ſententiam interpres ex illis expreſſit, quæ Hebraicè leguntur :* Quod ventilatum eſt in ventilabro & in vanno. *Expurgationẽ & ſelectionem hæc expolitio indicat: itaque nihil, aliarum in illo migmate erit. Namque vt ſpiritus naturalis, qui ventus dicitur, ventilata, & decuſſa frumenta & grana, cetera à paleis ariſtiſq; ſeparat: ſic ſanctus ille Spiritus Dei dona in Euangelij miniſtris quàm purgatiſſima eſſent, effecit. Ea autem quæ ſub frugum & pecorum imaginibus prædicta fuerant : nunc ſub aquarum tranſlatione expolit, & amplificat Iſaias: quarum copiam & vtilitatem magnam oportuniſſimamq; fore ait.*

Et erunt ſuper omnem montem excelſum, & omnem collem eleuatum, riuum currentium aquarum in die interfectionis multorum cùm ceciderint turres.

MAGNAM *gratiæ diuinæ copiam per Chriſtum à Spiritu ſancto affluxuram, & manifeſtis argumentis probandam fore ſignificat oratio hæc: atque eam in iis locis, hoc eſt, in iis capitibus & animis conſpiciendam eſſe ait. Quippe ſummæ cuiuſdam felicitatis exemplum eſt, idq; rariſſimum, vt in ſummis mõtibus & collibus fluuij & riui percurrãt. flumina enim & fontes ex inferiori montium parte promanant, atque valles & campos percurrunt. S.S.E. Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montiũ pertranſibunt aquæ. Montes verò non fontibus aut riuis, ſed pluuiis, aut niuibus irrigari ſolent. S.S.E. Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra. Iam verò Chriſti tempore felicitatẽ magnam futuram, hac deſcriptio ſignificabat : quippe quæ non in conuallibus modò, neque inter medios montes tantùm; ſed ſuper omnem montem excelſum, & omnem collem eleuatum: ſuper principes & reges, cæteroſq; Chriſtianæ reipublicæ miniſtros, qui modò verè, ſanctè, atq; purè ſua ſtudia in Eccleſiæ Chriſtianæ miniſterium contulerint, abundantem Dei gratiã affluxuram pollicetur. Eodem, inquam, tempore, quo Iudæi & Gentes, Euangelio non credentes, interficiendi, atque in tenebras exteriores reiiciendi prædicuntur. namque Euangelium aliis eſt odor mortis in mortem; aliis odor vitæ in vitam. Vt montes excelſi, & colles eleuati hoc loco eos omnes ſignificant, qui communione ſupremi montis præparati in vertice mõtium; hoc eſt Chriſti, in altum prouecti ſunt; ſic nomen turrium eos indicat rurſus, qui inter Euangelij hoſtes firmiſſimi potentiſſimiq; habentur: vt ſunt ſapientes mundi, & reges terræ, qui nihil aliud quàm terrena ſapiunt: quamquam ipſis prudentiſſimi & ſtrenuiſſimi exiſtimentur : hanc autem ſummam felicitatem è cælis profecturam eſſe, atque adeò ampliſſimam fore, declarat Propheta.*

Cyrill. & Hieron.

Pſal. 103. 10.

Aug. queſt. 109. de nou. & vet. Teſt. Ambroſ. in Luc. c. 21. 2. Cor. 2.

Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum in die qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit.

PECCATA *& vitia, & vitiorum culparumq; affines pœnas, ac tribulationes Prophetæ caliginis, obſcuritatis, ac tenebrarum nominibus &*

Iſai. 60. *imaginibus ſignificare ſolent. cuius exemplum illud eſt: Quia ecce tenebræ*
2 *operient terram, & caligo populos. Ita etiam felicitatem & proſperitatem lucis & ſplendoris atque ſerenitatis tranſlationibus ac ſimilitudinibus deſcribunt. vt eodem illo loco: Super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Igitur hoc verſu Iſaias oſtendit magnam ſanctitatis atque gratiarum omnium affluentiam Eccleſiæ futuram; poſtquam Sol ille iuſtitiæ, & ſplendor Patris Chriſtus ortus fuerit: qui quamquam ab initio mundi Eccleſiam ſuam fouerit & illuſtrauerit; tamen, poſtquam in carne veniens, ex alto ortus fuerit, longè abundantiore virtutum & ſpiritualium donorum copia, Sanctis qui ſunt in terra, tunc eſt affulſurus; ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Lunam à ſole illuſtrari manifeſtum eſt iis, qui aſtrorum peritiam aliquam habent; dictá, luminare minus: ſolem verò luminare maius vocatum, ſua natura lumen proprium habere à Deo auctore omnium rerum. Qui vt Pater eſt, Filium æternum habet, eiuſdē luminis compotem æterni; æqualem omnino ipſi natura atq. virtute. qui non ſecùs atq. Pater ipſe Sol appellatur. Namque Filius lucis æternæ Sol eſt, & ipſe etiam æterna Lux eſt, & Lux vera, quæ veniens in hunc mundum, illuminat omnem hominem. Ille autem poſtquam in hunc mundum homo factus venit, & negotium illud peregit, cuius cauſa venerat; ſeſe donis Eccleſiæ ſuæ exhibendis, multo largiorem exhibuit, quàm anteà exhibuerat: quippe anteà terrenis præcipuè donis homines iuuit, & deduxit, atque in ſpe aluit futurorum bonorum; ſpiritualibus etiam gratiis communicatis: verùm non ea abundantia & largitate, quam poſteà Eccleſia experta eſt, Spiritu ſanctificationis accepto; quem abundè ſuper ſe effuſum, ſancti Deo gratulabundi teſtantur. Vt verò Chriſtus ipſe Sol, ita Eccleſia, quæ à Chriſto, tamquam à capite, virtutem omnem vſumq. capit, Luna in ſacris appellatur. quam rationem omnem in ſacro Apparatu oſtendebamus. Hoc itaque quod hîc breuiter indicamus, nobis illa imago Solis & Lunæ, à Propheta deſcripta, ſignificat; Eccleſiæ, videlicet, virtutes non magnitudine tantùm augendas; ſed longè etiam maiore firmitudine corroborandas: ita, vt illo tempore Luna, Sol eſſe videatur; hoc eſt, tantum lucere & ſplendere, quantum Sol. Atque huius magni exempli experimentum ex ipſius Solis virtute atq. efficacitate profecturum declarat: qui lumen ſuum, hoc eſt, donorum ſuorum largitatem, quatuordecies, atq. adeò pluries amplificaturus fuerit, quàm olim. Non dixit, Sol erit maior; namq. ipſe Filius neq. creſcere, neque imminui poteſt, ſecundùm propriam naturam qua in ſinu Patris, Patriq. æqualis eſt: ſed lumen Solis, quod ad cōmunicationem virtutis ſuæ refertur: namq. luminis illius natura in illuſtrandis locis & rebus ſpectatur, & cognoſcitur. Quod verò Latinè legimus,* Septempliciter. *Hebraicè eſt,* SIBGHATHAIM: *ſignificatq. bis ſepties, hoc eſt, quatuor decies: ſed eſt commoda vox, dualis numeri, quo carent Latini. Bis ſepties, inquit, plus quàm nunc illuſtrat orbem Sol, tunc illuſtrabit: & quoniam quid ſignificaret ſepties, quæri poterat; exponit eam rem Vates ipſe. Septies ſignificat tantum lumen, quantum eſt ſeptem dierum lumen, ſi coniugatur: manifeſtum*

Lucæ 1.

Ioan. 1.

Tit. 3.

Lib. Ioſeph.

feſtum enim eſt fore illud lumen ampliſſimum. Vt ſi ſeptem tædæ incenſæ, Cyril. in hūc locum.
ſimul coniungantur, lumen afferent maius quàm vnius tæda; imò maius Auguſt. de
quàm ſeptem tædarum ſeparatarum: virtus enim coniuncta, fortior, vt quæſt. nou.
philoſophi aiunt, eſt, quàm eadem diuiſa. Cùm autem ipſe expoſuerit, quod & vet. Teſt.
ſepties eſſet in lumine Solis; iam conſtare poteſt, quantum lumen futurum quæſt. 105.
ſit, bis ſepties: quod Hebraica vox indicat: nam cùm linguæ vſu & idiomate Hier. in hunc locum.
receptum ſit, vt ſeptenarius numerus perfectionem ſignificet, & copiam
integram, vt in Apparatu ſacro docebamus; efficitur vt duplex ſeptena- Lib. Ioſeph.
rius perfectiſſimam ſignificet perfectionem: quam in Eccleſiæ ſalutē, ſan-
ctificationem, & illuſtrationem ille magnus Sol ex alto præbaturus eſſe à
Vate prædicebatur. Hoc autem magnum Dei beneficium eò tempore expe-
ctandum fore declarat, cùm Chriſti opera & virtute, atq; efficientia Alli-
gauerit Deus vulnus populi ſui, remiſſione peccatorum facta per vni-
genitum filium ſuum, atq; vitio, quod in hominibus per peccatum regnaue-
rat, ſanato: & peccatis omnibus, quæ ex illo peccato emanant, deletis. Hoc ſi-
gnificat illud orationis huius membrum. Et percuſſuram plagæ eius ſa-
nauerit. Hebraicè ad verbum ſic habet: Quo die alligauerit Dominus
fracturam populi ſui, & percuſſionem, & vlcus vulneris eius medica-
bitur. Duplex enim vulnerum genus eſſe medici tradunt: alterum ſimplex,
quod inciſione tantùm fit: alterum verò compoſitum, quod præter inciſio-
nem fracturam etiam habet: cuius curatio difficilior eſt: duplicem ſiquidem
exigit operam, diligentiam, & induſtriam. Nam quæ contrita & fracta
ſunt, ligatione curantur: ligatio commiſſionem rectam partium poſtulat,
& hæc magnam cognitionem, dexteritatemq; ſibi vendicat. Vlcerum verò
curatio expurgatione & opportuna exiccatione, doloriſq; remotione fit, vt
caro committatur, ſi recens vulnus fuerit: ſin verò antiquum, etiam opus
eſt laborare, & ſtudio corruptiores etiam partes amoueri, & nouam carnē
induci neceſſe eſt; variaq; ad eam rem adhibentur medicamenta. Atqui hu-
iuſmodi rationem intuebatur Iſaias, cùm hac oratione ac tranſlatione vte-
retur. Peccati corpus illiuſq; membra, ſiue peccatum in membris regnans,
cum ſuis efficientiis, contritionem primùm, deinde vulnus, & in vulnere
vlcus eſſe dixit: cuius ſanatio ſapientiam & virtutem non minorem quàm
diuinam poſtularet. Hanc interpretationem Chriſtiani ferè omnes expoſi-
tores, & ex Hebræis antiquiores agnoſcunt. Huius verò ſalutis per Chri-
ſtum efficiendæ quoniam meminit Propheta, rationem & præſtantiam om-
nem, atq; euentum, vti ſolet, opportunè exponit, & amplificat: oſtendens ea-
dem Euangelij virtute & efficacitate cultores fideles & pios ſeruandos;
impios autem, & diuini conſilij aduerſarios, puniendos ac perdendos eſſe.

Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum: labia eius repleta ſunt indignatione, & lingua eius quaſi ignis deuorans.

EVANGELIVM vt ſaluti omni credenti, ita incredulis, impiis, & impro-
bis omnibus exitio fore, Prophetæ prædixere; & Diuus Paulus, aliiq; Apo- Rom. 1.
ſtoli ita eſſe aſſeuerarūt. Hoc exitium vt ſignificaret Propheta, Deum eun-

*dem quem miſericordem, clementem, benignumq́ ſæpiſſimè deſcribit; & in proximis antè verſibus deſcripſerat; fortem, iratum, acerrimum, ſeueriſſimum, & inimicis infenſum depingit. Perſeuerat autem in allegoria, ſiue ſimilitudine ſemel ſuſcepta, Solis videlicet ac Lunæ. Solis autẽ duplex, vti conſtat, virtus eſt; lux videlicet, & igneus calor: altera orbem illuſtrat, altera verò res omnes fouet; etiam eas quæ intra terræ viſcera remotiſſimè*
Psal.18. *latent. S.S.E. In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus*
» *procedens de thalamo ſuo. Exultauit vt Gigas ad currendam viam, à ſum-*
» *mo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius: neque eſt qui*
» *ſe abſcondat à calore eius. Sed inter lucem atq́ calorem hoc diſcriminis eſt, quòd lux, quo magis amplificata fuerit, hoc iucundior, gratior, & vtilior mortalibus exiſtimatur. Quamobrem Solis nitor auctus, non apud ſacros modò, ſed apud exteros etiam ſcriptores felicitatis ſignificationẽ obtinuit: vt apud Lyricum:* *Lucem redde tuæ dux bone patriæ,*

*Inſtar veris enim vultus vbi tuus*
*Affulſit populo, gratior it dies*
*Et Soles meliùs nitent.*

*At verò Calor, ſi modum exceſſerit, pernicioſus omnibus exiſtimatur, ignis vehementis nomine appellatus: atq́ ita Sodomorũ vrbes igne & ſulphure à Domino pluente periiſſe legimus: ex qua ratione & obſeruatione illa apud poëtas Phaetontis fabula orta eſt. Igitur idem Deus, idemq́ Dei Filius, qui ſalutis auctor maximæ futurus ab Iſaia prænunciabatur, affirmante ſolis lucem bis ſeptem geminam populo ſuo affulſuram: idem omnibus Euangelij hoſtibus tam Iudæis, quàm Gentibus incredulitatis & impietatis vindex acerrimus & celerrimus, vtpote totus igneus, atq́ adeò vehementiſſimus ſentiendus eſſe declaratur. Atq́ hic locus planè quadrat illi in quo D. Paulus Euangelij ef-*
Rom.1. *ficacitatem & euentum vtrumque indicat. Non erubeſco Euangelium: vir-*
» *tus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Iu-*
» *ſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus*
» *autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impieta-*
» *tem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia deti-*
*nent. Hanc itaq́ rem prædicens Vates noſter, Dei iudicis & vltoris maieſtatem, vim, & claritatem ignis imagine deſcribit: quam iam idem ab antiquo aduerſus improbos & incredulos conſtituiſſe ſignificat; ideoq́ ſic hanc ſententiam exorſus eſt* Ecce nomen Domini venit de longinquo. *Ad antiqua iudiciorum & vltionum exempla refertur oratio hæc: cuiuſmodi*
Deut.15. *fuerint Ægyptiorum in mari rubro ſummerſio, de qua ſcriptum eſt: Do-*
» *minus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Dauid etiam aduerſus*
1.Reg.17. *ſuperbum illum diuini nominis hoſtem dixit: Tu venis ad me cum gladio &*
» *haſta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei*
» *agminum Iſrael. Hanc rationem nominis & famæ, ſua virtute in impiis vlciſcendis, à Deo per orbẽ propagatæ ſignificat hic nomen Domini de longinquo, atque ab antiquis temporibus veniens: quod nondum ceſſat, neque ceſſabit, donec ponat inimicos Chriſti, vt ſint ſcabellum pedum ſuorum.*

*Huius*

*Huius nomen, furor ardens in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non* 2. Theſ. 1.
*nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio gloriæ Chriſti. Interpretamur verò vocem,* de longinquo, *non tantùm in loci, ſed etiam in temporis notatione. Venit de cælo, atque ab antiquis temporibus oſtenſum eſt.* Ardens furor eius. *Duo verba ſunt: quorum alterum ſtudium & impetum; alterum verò efficacitatem ſignificat. Studium, ſiue impetum oſtendit nomen furor: nam qui ita iraſcitur, vt naribus incendatur, iram explere parat; ſi tamen valeat: valere autem oſtenditur ex participio,* ardens, *ſiue, vt Hebraicè ſignificatur,* incendens. *non ſolùm ardere, ſed quæcumque tranſeat, incendere dicitur naſus ille Dei vltoris inflammatus, atque ira percitus. Oſtendimus iam aliàs perſæpè ignis efficacitatẽ inter omnia elementa eſſe maximam. hanc magnitudinem adhuc magis Vates amplificat: addit enim:* grauis ad portandum, *ſiue, vt Hebraicè eſt,* & grauitudo oneris, *ſiue,* grauitudo ferenda. *Significat autem hac annotatione ignis vim nõ ſolùm efficaciſſimam, ſed vehementiſſimam fore: namque ignis, natura ſua leuis eſt. quòd ſi ignita vis grauitudine ac denſitate augeatur, erit profectò vehementiſſima; & vbi ſemel hæſerit, tenaciſſimè hærebit, & incumbet. Vt verò arcanam Euangelicæ virtutis ſignificationem, veluti digito indicaret Vates, omnem hanc ignis vim ad Dei linguam & labia retulit.* Labia eius repleta ſunt indignatione, & lingua eius quaſi ignis deuorans. *Labia & lingua inſtrumenta oris ſunt ad orationis vſum præcipuè cõparata, vt experientia docet, vtque multa ſacræ philoſophiæ documenta oſtendunt. vt, Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.* Pſal. 33.
*Cùm autem non ſatis ſint labia & linguæ ad orationis & ſermonis vſum, niſi vox ipſa adſit, quæ linguæ ac labiorum miniſterio in verba formetur; vox verò ex ſpiritu conſtet in guttur emiſſo, atque intra palati cameram excepto: voluit partem omnem Iſaias deſcribere; vt Euangelij verbum ex ore Dei proceſſurum ſignificaret efficaciſſimum in ſalutem omni credenti, & in exitium infidelibus & impiis. hoc eſt quod ſubiungit:*

Spiritus eius velut torrens inundans vſque ad medium colli.

*Hebraicè,* vſque ad ceruices. *Vehementem & inſuperabilem impetũ indignationemque verbi Dei ſignificat deſcriptio hæc. Nam cùm torrentis impetus ad ceruicem vſque pertingit, vt hominem demergat, neceſſe eſt. Pectora enim ac dorſum vbi contigerit, findi aliquo modo, & ſuſtineri poteſt; collo cum exceptus fuerit, non poteſt ſuſtineri; imò collo iam occupato, vtpote tenuiori corporis parte, aqua in gyrum incumbens, vertiginibus conuoluitur, & oculos hominis perturbat; atque vndis & ſpumis ex vertigine ſublatis, caput inuoluit. Huiuſmodi vim & inundationem virtutis verbi Dei aduerſus improbos & incredulos fore ait Iſaias: cuius efficientiam continuò declarat.*

Ad perdendas gentes in nihilum, & frenum erroris quod erat in maxillis populorum.

FVTVRVM *eſſe ait Euangelij vi, vt gentium conſilia, ſtudia, faſtus, regna, vires, opes, atque adeò cætera omnia, quæ aduerſus Deum communis*

*huma-*

*humani generis hoſtis molitur, & parat, perirent, & in nihilum redigerentur; atq; hanc rem elegantiſſima tranſlatione expreſſit: quam interpres noſter iuxta ſignificationis rationem rectè reddidit. Tranſlatio autem Hebraica ita habet.* ad decutiendum gentes cribro vanitatis. *Acutiſſima, ſelectiſſima, & ſtultiſſima etiam ſapientiæ ac potentiæ gentium diſiectum, perditumq; iri ſignificat hæc tranſlatio. Namque, uti videmus, tenue cribrũ contentam farinam decutiendo remittit, & diſpergit; ſimilam verò ac furfur retinet: verùm cùm cribrum laxius eſt, telaq; conſtet rariſſima, omnia tandem amittit; tam rudiora & craſſiora, quàm molliſſimam ſiliginẽ. Ideo dixit Propheta, cribro vanitatis vt omnia gentiũ vel craſſiſſima, nedum ſelectiſſima aduerſus Deum concepta & comparata ſtudia, conſilia, robora, & quidquid tale eſt, decutienda & perdenda eſſe oſtenderet.* Cribro vanitatis. *cribro vaniſſimo; in quo nihil tandem reſidui ſit. Ideo rectè noſter interpres exitum ipſum intuitus, vertebat:* ad perdendum gentes in nihilum. *vt verò variè diſſipanda etiam conſilia, & ſtudia, atque conatus aduerſariorum Euangelij ſignificaret, alteram tranſlationem adiunxit.* Et frenum errorum in maxillis populorum. *Hebraicè, Frenum errare faciens in maxillis populorum. Frena ad iumentũ ducendum ac dirigendum inuenta ſunt: verùm niſi æquabili arte atq; diligentia conficiantur, turbare, atq; malis moribus imbuere equos ſolent: cuius rei cauendæ rationẽ Hyppiatri docent. Nam ſi frenum altera parte durius, aſperius, grauiúſve ſit; tranſuerſum equum agit, in id latus concedentem. Hanc rationem reſpiciẽs Propheta, dixit in populorum maxillis frenum erroris à Deo imponẽdum: hoc eſt, populos, Euangelij ab ipſis neglecti aut reiecti, virtute & efficacitate; luminis, inquã, Euangelici ſubductione, in dementiam; ex dementia verò in errorem inciſuros; atque ita nihil acturos, nihilve eſſe promoturos ex animi ſui ſententia: ſed ipſos met ſibi exitium molituros & paraturos. Eſt q; apud nos hæc vna eademq; ſententia cum illa Diui Pauli: Deus autẽ huius ſæculi excæcauit mentes infidelium: vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Atqui einſdem Euangelij propriã virtutem, magnam lætitiam piis efficiendam eſſe propter diuini Spiritus dona ipſis conceſſa, & ſpectaculum certiſſimum ultionis Euangelij aduerſus impios, & incredulos hoc Vates declarat, ad populi ſui pios homines, hoc eſt, ad electos, atq; ſalutis expectatæ compotes, conuerſo ſermone.*

Canticum erit vobis ſicut nox ſanctificata ſolemnitatis, & lætitia cordis ſicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini ad fortem Iſrael.

ILLIVS *lætitiæ publicæ, quæ quondam feſta peragentibus capiebatur, exemplum verè inſtaurandum piis eſſe ait: quippe quibus illorum feſtorum vera ratio contigerit. Antiquis enim omnia in figura contingebant, ſed noui Teſtamenti fidelibus, & piis cultoribus [illegible], & figurarum veritas allata, donataq; eſt. Ait igitur: Gratulatorium & lætum canticum erit vobis, inſtar illius quod cani ſolet primæ feſti noctè. hoc ſignificant verba illa,* ſanctificata ſolemnitatis. *Prima enim nox illa, qua occiſorum Ægypti*

*primo-*

*primogenitorum memoria recolebatur, atq; monumentum repetebatur ſalutis à Deo effectæ in populo ſuo, hoſtium primogenitis occiſis, magna & publica celebrabatur lætitia: ita nunc etiam, ſalute per Chriſtum allata, & hoſtium inuiſibilium primogenitis, hoc eſt, peccatis deletis, magna gratulatio apud pios, & ſalutis compotes erit: eritq; lætitia illa, cantatio illa cantici, tibiis, & muſicis inſtrumentis, ſpiritualibus, inquam, vocibus ac ſonis mixta; vt illa alia externa lætitia miſcebatur.* vt intret in domum Domini, ad fortem Iſrael. *Hebraica,* & ad intrandum in montem Domini. *Vt illi antiqui Hieroſolymam templumq; petebant gratulari forti Iſrael, cuius præſidio, munimine, & tutela Iſrael ab omnibus periculis ac difficultatibus liber, ſoſpesq; euaſerat: ſic vos ſpirituali gaudio pleni exultabitis; gratulabundiq; Deo, ſalutis auctori, petetis illum montē Domini ſpiritualē Chriſtum, Eccleſiæ caput; cuius diuino ſpiritu protecti, atq; præſidio tuti, partam vobis ſalutem cantare ac celebrare pergetis. Ille autem ſuis piis cultoribus, electisq; ſeruatis & protectis, interim vltionem iudiciúmque exercebit in Euangelij & populi ſui hoſtes: vltionem, inquam, grauiſſimam, ipſisq; inſuperabilem; cuius fama celeberrima futura eſt toto orbe. quippe*

Et auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ, & terrorem brachij ſui oſtendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis: allidet in turbine, & in lapide grandinis.

HIS *omnibus tranſlationibus diuina vltio in hoſtes Euangelij edenda deſcribitur: namque huiuſmodi rerum naturæ, flammæ, turbo, grando, & dum immittuntur, terrorem, & dum immiſſa fuerint, malum exitiumq; afferunt.* gloriam vocis ſuæ; *Euangelici præconij magnitudinem & amplitudinem, omnibus admirandam, præbebit. vt ſcriptum etiam eſt apud Pſaltem, Tunc loquetur ad eos in ira ſua: & in furore ſuo cōturbabit eos.* Pſal. 2. *Atq; huiuſmodi exitu omnes Eccleſiæ hoſtes, qui Dei conſiliis aduerſantur excipiendos eſſe, Propheta prædicit, idq; exemplo propediem ſpectando, confirmat caſus Sennacherib & Aſſyriorum, quos populo ſuo exitium molitos, Deus magna clade affecit.*

A voce enim Domini pauebit Aſſur virga percuſſus.

FVTVRÆ *impiorum Euangelij hoſtium vaſtationis ſignum, breui ſpectandum, proponitur Aſſyriorum regnum: quod à Senacheribi clade labefactare Deus cœpit, ac tandem totum ſublatum deleuit.* Vocem Domini, *hoc loco ipſam vaticiniorum denunciationem interpretamur:* virgam, *verò, Dei vltoris imperium & iuſſum intelligimus: cuius vis tanta eſt, vt populos, gentes, regna non ſecùs comminuat, quàm virga fortiſſima teſtæ & fictilia comminuuntur. quam etiam ſimilitudinem obtinens Pſaltes, referebat, Et reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Pſal. 2. *Itaq; ex genere ad ſpeciem, confirmationis cauſa, Vatem tranſiſſe obſeruamus hoc loco. Huius hoſtilis imperij caſum à populis auditum, carminibus, & publica lætitia celebratum iri, prædicit Vates.*

Et erit tranſitus virga fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum in tympanis & citharis: & in bellis præcipuis ex-

pugnabit eos. *Hebraicè ſic locus hic habet:* Et erit omnis tranſitus virgæ fundationis, quam requieſcere faciet ſuper eam.

QVOTIESCVMQVE *Deus grauiſſimè percuſſerit Aſſyrios, gaudebunt populi ab illis oppreſſi: neque ſolùm gaudebunt, ſed diuinum iudicium magna gratulatione celebrabunt.* Omnis tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eũ. *Deſcriptio eſt percuſſionis: nam virga qua percuſſio fit, tollitur primùm in altum, deinde percuſſionis brachij impetu pertranſit, donec eum qui percutitur, cõtingat; in quo requieſcit. quodcumque huiuſmodi punitionis exemplum excipietur à populis in tympanis & citharis. Hæc per parentheſin interpoſita ſunt. Deinde oſtenditur illud iudicium quod de diſpergendis ac diſperdendis in cribro vanitatis Euangelij hoſtibus denunciatum fuerit, ad Aſſyrios etiam peruenturum.* & in bellis præcipuis expugnabit eos. *Præcipua bella, hoc loco maximas clades interpretamur: quales ij ſolent edere, qui imperij cauſa, ferro ac ignè omnia vaſtantes, cultoribus deſerta relinquunt loca; atq; ita dominationem occupant: illud ſibi perſuadentes, omnia ſibi nata & parata eſſe, atque belli virtute ac iure ex poſſeſſoribus ac propugnatoribus vendicanda. Namq; hæc prima perſuaſio eſt eorum, qui monarchiam quam vocant, affectant: ideoq; ſibi ſapientiam & fortitudinem arrogant. Huiuſmodi namq; ſuæ tyrannidi elogium ab Aſſyriorum ac Babylonis rege vſurpatum, retulerat antè Vates noſter. Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci: & in ſapientia* Sup. 10.
» *mea intellexi. Et abſtuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus ſum: & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes. Et inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum: & ſicut colliguntur oua quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui; & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret. Atqui par pari relatum iri ipſi, atq; omnibus iis, qui per iniuriam & vim aliena inuadere, & rapere inſtituerint; apertè hoc vaticinio Iſaias affirmat: futurumq; illius, tum imperatoris, tum imperij prædicit exitium: non qualecumque, ſed maximum, & abſolutum: non tantùm præſenti rerum ſtatu diruendo ac euertendo, ſed maximis & grauiſſimis animorum pœnis; iiſdemq; æternis, ex Dei iuſto iudicio, conſilio, ac decreto, poſt huius vitæ exitum ferendis.*

Præparata eſt enim ab heri Thopheth, à rege præparata profunda & dilatata Nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.

APVD *Ieroſolymam in ſuburbanis, non longè à poſtremis mœnibus, famoſus campus fuit filiorum Hinon, ſiue, Hinan vallis vulgò dictata: in qua aliquando vanis numinibus, ac præſertim Molocho, id eſt, Mercurio, Ieroſolymitani ciues ſuperſtitiosè ſacrificaſſe notati ſunt. Is locus à ſapientioribus principibus ex Vatum oraculis, perpetua execratione damnatus, deteſtandusq; dictus, ruderibus lutulentis, impuris, atq; inuiſis omnibus, ex vrbe eiiciendis, velut publica ſentina deſtinatus, in prouerbium primùm; deinde verò in apertam ſignificationem abiit eius loci, qui ad impiorum, impurorumq; hominum animas & corpora æternis ignibus cruciandum,*

*dum, diuino iudicio ſepoſitus eſt: ita vt vallis filiorum Hinon ſiue, vt in illa lingua ſonat, Gebinam, ſiue Geben Hinan, idē apud illos indicaret, quod nobis infernum, Latinis inferi, Græcis orcus dicitur: qua ſignificatione ſæpiſſimè in Euangelio vocabulum vſurpatur. Atque totus ille campus ita dictus, infami & horrenda, deteſtandaq́ nota celebris fuit: in quo & damnatorum igni corpora aliquando arſiſſe, legere memini. Certa verò illius loci pars in quam coriariariorum, & eiuſmodi impuriorum artificum detrimenta & ſtercora aſportabantur ſingulari Thopheth nomine dictam, obſeruauimus: cuius propter perpetuam putreſcentium immundiciarum coctionem perpetuus & impurus ſpiritus, ſiue vapor humidus & caliginoſus exhalabat: atq; hanc partem fœtore præcipuè deteſtabilem redditam poſtremam & peſſimam impiorum apud inferos pœnas luentium conditionē & re & nomine ſignificaſſe intelligimus; idq́ Ieremia docente: apud quem & extremum corporum atque rerum exitium, & perditorum animorum exitum atq; ſupplicium æternum, vel vno, vel altero, vel vtroq; nomine ſignificari adnotantur, longo ſermone ac reſponſo Dei referēdo: quod, qui totum legerit, operepretiū profectò ad hunc aliaq́ ſacrorum loca cognoſcenda, nobis monitoribus facturus eſt; nos verò quæ in hunc commentarium videntur conuenire, citamus. Hæc dicit Dominus, Vade, & accipe laguneulam* Ierem. 19.
*figuli teſtaceam à ſenioribus populi, & à ſenioribus ſacerdotum: & egredere ad vallem filij Ennon, quæ eſt iuxta introitum portæ fictilis: & prædica ibi verba quæ ego loquar ad te. & poſt mandatum recitatum, ſubiungit: Et conteres laguneulam in oculis virorum qui ibunt tecū: Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus exercituum, Sic cōteram populum iſtum, & ciuitatem iſtā; ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt vltrà reſtaurari, & in Thopheth ſepelientur: eo quòd non ſit alius locus ad ſepeliendum. Sic faciam loco huic, ait Dominus, & habitatoribus eius: & ponam ciuitatem iſtam ſicut Tophet. Et erunt domus Ieruſalem, & domus regum Iuda ſicut locus Topheth, immundæ: omnes domus, in quarum domatibus ſacrificauerunt omni militiæ cæli, & libauerunt libamina diis alienis. Venit autem Ieremias de Tophet, quò miſerat eum Dominus ad prophetandum. Hæc de loci ſitu, & nomine, atq; nominis arcana, ſiue tranſlata ſignificatione: quæ ad ſummam redacta, exitium impiis non corpore tantùm ſubeundum, ſed animorum etiam atque corporum æterna ſupplicia indicat: quale vtrumque Aſſyriorum imperatori, ac militibus imperioq́ omni decretum, atq; iam pridem paratum Iſaias ait.* ab heri, *non caſu aut fortuna, non communi hominum exitu, ſed certo iudicio definitum, & Vatibus ad prædicendum demandatum ſignificat, certiſſimo diuinæ prouidentiæ teſtimonio & argumento. Nam quod Vates certa ratione antè paratum prædixerint, quàm eueniat iudicium & conſilium, decretumq́ diuinum probat.* heri. *hoc loco præteritū tempus interpretamur: ex quo videlicet pœnas dandas hoſtes illi iniuriis orbi terrarum illatis commeriti ſunt; ne quiſquam putet impios, dum proſperè agunt, non notari à Deo: immo dum ſecundis rebus creſcere, & florere videntur; iam tum vltioni, ſupplitio, atque igni æterno deſtinantur; non*

ſecus atq; improbæ, aut ſteriles, aut vitioſæ arbores in ſiluis & hortis, quas virentes & vegetas quamlibet, ignis tamen expectat. S.S.E. Omnis arbor quæ non facit fructum, exſcindetur, & in ignem mittetur. A rege parata. Præpoſitio à, Latina hoc loco cauſam ſiue finem indicat; eo tropo, quo dici ſolet, Lex hæc à nobis facit; Stabant à Pompeio, Cato, Cicero, & Romanæ nobilitatis iuuentus omnis; id eſt, Pompeij ſequebantur parteis: namque in exemplari LAMELECH, ad Latinũ dandi caſum refertur: & ipſa dictionis ſententia ac ſequaci argumẽtatione declaratur locum illum ſupplicij, regij regisq; exercitibus exurendis, capaciſſimum, & maximè idoneum eſſe iam conſtitutum: qualem videlicet eorum qui pœnas daturi ſunt, copia & amplitudo poſtulat. Eſt verò à cõmuni gentium conſuetudine tranſlata oratio. Solent maiora & ampliora ſuppliciorum loca regibus & principibus hominibus puniendis, multoq; apparatu inſtrui: maximè verò vbi cum principe comites & ſatellites, totaq; cohors pœnas luituri ſunt. A rege. Ante omnes ſupplicium ſubituro, ac deinde omnibus illi addendis dignus idoneus regi exercituiq; capiendo locus ſatis amplus, latus & altus conſtitutus eſt: maximè verò quibus pœnæ igni & incendio dandæ ſint: cuius natura & vis ad maxima quæq; conſumenda, & in cinerẽm, & fauillas vertenda potens & prompta eſt; modò ne oportunum & largum pabulum deſit: hoc autem non deſiturum ait Vates: quippe materies multa, lignorum copia abundè comparata, inſtructaq; in loco ſit, & ignis alendi vberrima oportunitas. Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam. Fornacem qua arſuri eſſent Dei iudicis & vindicis flatu ſuccenſam ait, quòd non ſolùm ad perpetuitatem, ſed ad vim quoque, & efficacitatem referendum: namque ignis pabulum pinguedo eſt, vt in diſputatione de rerũ natura oſtendimus. In omni verò pinguium genere ſulphur & citiſſimè & vehementiſſimè corripitur & ardet, vento ſiue flatu ignis irritatus vires acuit, etiãſi flatus vel humidior ſit; ne dum vbi vehemens & ſiccus, qualem folles in fornace ſpirare ſolent. quòd ſi ventus ipſe craſſior denſiorq; fuerit, & ſulphuream pinguedinem præſtet; ignem non excitabit modò, ſed impenſe flagrantem ac prorſus inextinguibilem reddet. hoc eſt quod explicationis cauſa adiungitur: Sicut torrens ſulphuris ſuccendet eã. Illud ſignificabat præceptor

Mat. 9. illa deſcriptione gehennæ ignis inextinguibilis: vbi vermis eorum non mo-
" ritur, & ignis non extinguitur. Maximus autem vaticiniorum omnium conſenſus veritatem & conſtãtiam prouidentiæ diuinæ commendat, obſeruandam adorandamq; docet; cùm nulla oraculi pars certa ſignificatione careat: quam demùm certiſſimus euentus explicat. quod ad Aſſyriorum exercitus exitum ſpectat, ex ſacris hiſtoriis conſtat, centum octoginta quinque millia vna nocte per Angelum Domini extincta; inuentaq; eſſe poſtridie tam multa cadauera, vt antiqui ſcripſerunt, veluti ſi interiùs conflagraſ-

4 Reg. 19. ſent, vacua & euanida maximo ſtupore ac metu regis Sancheribis, qui rece-
" dens abiit, & manſit in Niniue. Cùmq; adoraret in templo Neſroth Deum
" ſuum, Adramelech & Saraſar filij eius percuſſerũt eum gladio: fugerũt-
" que in terram Armeniorum. Ita vt hoc etiam pacto præparata fuerit To-

pheth

*pheth à rege, præparata profunda, & dilatata nutrimenta eius ignis & ligna multa, flatus Domini, &c. Nec verò ſilentio prætereunda nobis eſt vaticinij huius interpretatio, quam abundè norunt illi, qui antiqua omnia nouis comparantes intelligunt, atq; teſtantur Chriſtum Ieſum Dominum, de ſuis, humaniq; generis hoſtibus triumphaſſe: & quæ quondam viſibilia beneficia Deus populo præſtiterat, eadem longè maiora & cumulatiora noui Teſtamenti pijs cultoribus in ſpiritu & veritate inſtauraſſe. qui tenet, teneat; donec de medio fiat, & myſterium diuinitus reueletur. Huc enim cuncta ſacrorum vatum oracula pertinent: & quæ ab Iſaia decantata ſunt, huc ſpectant omnia.*

## CAPVT XXXI.

VÆ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, & in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis, quia multi ſunt: & ſuper equitibus, quia præualidi nimis.

*Commentaria hæc in Iſaiæ librum ante annos ſedecim apud Belgas incepta, & ad trigeſimum vſque caput deducta fuerant. Deinde verò propter varias peregrinationes, & frequenteis in alijs ſtudijs atq; in alienis negotijs occupationes, ægritudineſq; non breues, hactenus intermiſſa ſunt: quæ nunc iam & amicorum conſilio, hortatu, & auctoritate, & noſtro in Catholicam Eccleſiam ſtudio præcipuè poſtliminio ad officinam redeunte noſtram: quæ ea lege recipimus, vt non ita longis, vt olim operis, ſed breuioribus horis, atque minori animi impetu, & leuiore malleo qualicumque lima ſe abſolui non querantur: quippe cùm plura & maiora his vel tempora, vel ſtudia, vel laboris momenta præſtare iam deinceps nō poſsimus, per ætatem cum primis, ſexageſimo & quarto iam nutantem anno; non ſine morbis, ac tædiis, cùm corpus tum animū frangentibus: maximè verò quia alia etiam meditamur opera iam antea promiſſa, & ab amicis efflagitata; quibus etiam quod reliquum fuerit dierum vitæ & operarum, Deo id concedente & efficiente, impertiri oportuerit. Quamobrem noſtrorum lectorem ſcriptorum veniam quoque ſenio daturum noſtro ſperamus; atq; ea quæ poſthac à nobis profecta fuerint, ſiue opera ſiue opuſcula, boni conſulturum cōfidimus; contentumq; fore explicatione & cognitione ſenſus atq; rerum: verborum verò & ſtili elegantiam & copiam non iam à nobis defeſsis anxiè exacturū; dum modò linguæ germanam dictionem non requirat; nec ambiguam, & ſibi non cohærentem, neque conſtantem ſermonem incuſare poſsit. Iam igitur hæc ſemel præfati laborem inceptum recepimus.*

*Iſraelitarum pars, hoc eſt, tribus decem, quæ à Iudæorum conſuetudine & ſocietate cōmercioq; deſciuit Robaami tempore, non diſsidia & contentiones deſeruerat, religionis ac pietatis cultum à vero Deo ad monſtroſa & ſuperſtitioſa traduxerat numina, ſiue Deorum tantùm nomina & ſimulacra. Id quod hiſtoriis rerum cognoſci & intelligi facile eſt. Ex qua inſania in aliam atq; alias, vt ſolent, homines prolapſi, demùm ad ſapientiæ humanæ conſilia, & ad Reip. gerendæ, tractandæ, & ſtabiliendæ præcepta ho-*

*minibus frequentata, & ſolenne conſilium, ſtudium, atque animum appu-
lere. conſilia ſtatus, ſiue de ſtatu hoc ſapientiæ genus hodie vocant. Cuius do-
ctrinæ elementa pauca, in plures abeunt deinde formas: in quibus, qui vel
conſilio, vel ſtudio, & vſu atq; exercitatione excelluerit, maximus & præ-
ſtantiſſimus habetur, atq; vel imperio dignus ducitur, vel qui imperanti
proximus, cariſſimus, acceptiſſimusq; ſit. Elementa autem illa ſunt* vis &
dolus. *Alterius materies & oportunitas atq; facultas in diuitiis ac opibus
ſpectari credita. alterius verò in mendaciis, fraudibus, ſimulatione, ac diſ-
ſimulatione, & omni fingendi arte atq; inſidiis; calliditate & vafritie, hu-
iuſq; farinæ compluribus aliis, à veritate & caritate atq; iuſto procul remo-
tis generibus. Huius doctrinæ ſectatores ſi pietatis & religionis admoneas;
nihilq; faciendum doceas, præter Dei voluntatem & conſilium; nihilq; ten-
tandum vltrà diuina præſcripta & præcepta: placare oportuerit cumprimis
Deum, ac propitium reddi, eo placato bonū euentum ſperandum, vel exi-
guis adhibitis opibus & copiis. Hæc atque huiuſmodi pia documenta ſi in-
culces; vel riſum & bilem moueris, tamquam rerum bellicarum, ac Reipub.
gubernandæ rudis & ignarus: vel ſi diſsimulantiùs agatur, vt plerumque
agitur; audias non negligendam quoque eſſe religionem, ſed ritibus ac cere-
moniis ex more colendam (nulla interea pœnitentiæ ſolidæ ratione vel
quàm frigidiſsima habita) verùm enimuerò humanarum opum & poten-
tiæ maximi ſemper faciendam facultatem, eámque quàm ampliſsimè quæ-
rendam & comparandum. Sed qui hoc modo de rerum ſumma ſtatuunt:
quamquam in ore atq; in lingua religionem Deumq; habere videantur, &
pronunciare, interdum: tamen re & moribus atq; mente vel Deum negant,
vel humana curare non credunt: vel ſi maximè admittant; ſuo tamen modo
Deum ſibi fingunt & ſtatuendum & conciliandum. Itaq; plurimum ſtu-
dij & negotij in conciliis eiuſmodi, qualia deſcripſimus, capiendis inopibus
& auxiliis hominum, vel inimicorum aliàs, & à propria religione diuer-
ſorum petendis: quorum ſocietate & conſuetudine ſe, ſuosq; mores, magis
etiam quàm anteà corruptum iri minimè dubium ſit. Namq; hanc labem
poſteà victoribus & voti compotibus facilè corrigi poſſe iactant, & pro-
mittunt: ita ſapientiæ ſuæ præceptis & inſtitutis inſtructi, de vi agenda,
de opibus cōparandis, & auxiliis petendis primùm deliberant, & ſtatuunt:
cuius ratio præclarior & illuſtrior celebriorq; habetur. Sin verò hac non
poſsint, aliam viam inſiſtunt: ingenio, fraude, dolo, inſidiis, & eiuſmodi cu-
ris, quas acutas poetæ vocant, incumbunt: vtramque partem Homerus ille
magnus hominum pictor duabus imaginibus, Achillis & Vlyſsis, deſcri-
bendis expreſsit: atq; alteram, id eſt, priorem, Samaritanis principibus &
populis arripiendam Iſaias cognoſcens, arguit; inutilemq;, imò calamito-
ſam in vſum iri prænunciat. Niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatē, fru-
ſtra vigilat qui cuſtodit eam. Viriſque populis, hoc eſt, Ieroſolymitanis, &
iis qui Samariæ partes ſequebantur, bellum ab Aſſyriis inferendum prædi-
xerant Vates, atq; prædictionem res conſecuta fuit: verùm Ieroſolymitani
ſupplices ad verum auxiliatorem Deum prouocantes, ſalutem obtinuerūt,*

*cum*

*cum magna hoſtiũ pernicie. Samaritani Iſraelitæ, qui à Ieroſolymitanorũ Deo deſciuerant, eumq́; ſibi non conſulturum, vel fortaſsis humanarum rerum negligentem putabant; ad humanas arteis, hoc eſt, ad opem auxiliumq́; hominum, quod certiſsimum & commodiſsimum exiſtimare, atque etiam expeditiſsimum poterant, animũ ſtudiumq́; appulerunt: atq; in Ægyptiorum, qui & ipſis vicini, & Aſſyriis inimici erant, amicitia, ſocietate, & præſidio, ſecuritatis & incolumitatis fiduciam, & ſpem poſuerunt. atque hoc pacto ſapientiam virtutemq́; prærogatiuam ſibi referebant, ignauiã ac metum Iudæis æmulis exprobrantes; qui ad miſerabiles tantùm preces decurrerent, nec ſibi aliter proſpicere nouiſſent. Atqui diuerſum tamen vtriſque euentum præcinit Vates: Ieroſolymitanis videlicet, quibus promiſerat ſalutẽ, Deo vindice & propugnatore, etiam in anguſtiſsimis rebus ac temporibus: Samaritanis verò cladem, ſtragem, & calamitatem, atq; miſeram turpemq́; ſeruitutem, quamlibet ſapientibus, quamlibet humanæ tutelæ præſidiis fidentibus, atq; bellica tum ſua, tum ſociorum virtute & arte, vt videbatur, inſtructis, cõmuni & vulgato iam inter mortales prouerbio: Quia cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus vbi multa conſilia. Neque enim temerè, & præter rem ſibi videntur ſua cõſilia capere, qui huiuſmodi muniunt viam: ſed examinatis atq; æſtimatis tum ſuis, tum eorum quos aſciſcunt ſocios viribus & facultatibus, rationeq́; probabili; immo, ipſis vti videtur, vrgente & neceſſaria, conſilij ſui cauſam firmantes: vt hi,* In equis ſperantes. *Ægyptiorum equorum præcipuam & antiquiſsimam laudem fuiſſe, omnibus hiſtoriis & poëtarum carminibus eſt notum, à nobisq́; in ſacro Apparatu ex ſacra lectione oſtenſum.* Habentes fiduciam ſuper quadrigis, quia multę. *Non equis modò abundabat Ægyptus, ſed curribus ad bellum comparatis & inſtructis: ita, vt arte etiam naturæ opportunitas augeretur: præcipuè verò autem vbi numerus non eſſet exiguus.* Sed quia multæ. *Quarum vel conſpectus hoſti formidabilis eſſet: namque ex curru perinde atq; ex turri aliqua pugnare videbantur: hoc etiam fortiores, quòd propugnacula mouere, & hoſtium ordines turbare; fugam premere, & impetum interdum retardare multitudine & crebra copia; aut etiam cedendo eludere, iterumq́; premere poſſent: etſi hic apparatus propter molem ad celeritatem non adeò oportunus videbatur. Addebãtur etiam equitum copiæ, qui ſingulari equo vſi, celerrimè ac dexterrimè in omnem locũ excurrere, atq; ea expedire poterant, quæ præſtãtiſsimæ diſciplinæ equeſtris partes eſſe valent. Huius itaque bellici apparatus, & præſidij facultas quibus contigit, victoriæ ſpes certa eſſe cenſetur. quamobrem prouidi ac ſapientis ducis cura cumprimis fuerit, hominum bellatorum copias quàm maximas inſtructiſsimasq́; ſibi quouis pacto parare; atque ita diuini auxilij expectare, & poſcere etiam fauorẽ: hac etiam ratione Deum ſibi quiſque fingit fauturum & auxiliaturum: Deum, inquam, ſuis ſingulorum definitum & excogitatum modis, non iis, quibus Deus ipſe cognoſcendum, colendum, conciliandũ, atq; excipiendum præſcripſerat. Iſraelitæ hi, non Iſraelitarum Deum, ſed quos ipſi ſibi fecerant in Dan, & in Bethel, conſulendos, placandos, ac rogandos*

Prou. 24. 6

Lib. Phaleg.

*gandos duxerant; quorum Deorum ſacerdotes & Pontifices, vtpote non à Deo, ſed à rege inſtituti, ex media regum diſciplina, atq; ex gratia reſponſa reddere conſueuerāt: in conſiliumq; aſciti, nihil his diuinius arbitrabatur; ſed omnia ad humanæ potentiæ facultates referenda cenſebāt: idq; Deorum mentem eſſe addentes, imperito populo ac vulgo perſuadebant. quæ tamen conſilia ac decreta ſine magnis & importunis intolerabilibusq; ſumptibus expediri non poterant. Atq; ita externa auxilia petebantur, aut emebātur, publicam & priuatam pecuniam conſumptura: & nihil profutura tamen, imò maiori incommodo nocitura; tum propter militarem inſolentiā ſociis etiam calamitoſam, tum propter hoſtium ſæuitiam & crudelitatem, aſcitis inimicæ gentis auxiliis vehementiùs irritandam. Quàm verò diuerſa, quàm oppoſita huiuſmodi via eſſet ei, quam horum maiores Iſraelitæ inſiſtentes, nomen, & famam, & antiquam felicitatem conſecuti, & aſſecuti fuerant, comparatione propoſita Vates arguit.*

Et non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael, & Dominum non requiſierunt. *Iſraeliticæ felicitatis experimenta à Iacobo initium ſumpſere: cuius parentibus & auis in Cananæorum regione hoſpitium non incommodum nec importunum exceptis, & vtentibus adhuc, ipſe fraternum cumprimis odium, deinde ſoceri & affinium inuidiam expertus, non aliis artibus, aut modis, aut conſiliis euaſit, imò ſuperauit, ac vicit, quàm pietatis cultu, & vnius Dei fiducia. his tantùm præſidiis fretus, huiuſmodi confeſſione & ſupplicatione cùm maximè ab inimico metuere videri poterat, perorauit: Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac: Domine qui*

Gen. 32.

*» dixiſti mihi, Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & be-
» nefaciā tibi: minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua quam
» impleuiſti ſeruo tuo. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum: & nunc cum
» duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde
» eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem cū filiis. Tu locutus es quòd
» benefaceres mihi, & dilatares ſemen meum ſicut arenam maris, quæ præ
» multitudine numerari non poteſt, &c. Hoc ſibi ſolum & vnicum optatum, decretum, & expectatum præſidium, felici vota etiā ſuperante euentu, certiſſimum demùm cognouit Iacobus: adeò, vt impoſitum à parentibus bono omine nomen, ampliſſimo altero fide atque conſtantia, fiduciaq; diuina meritò mutauerit: cuius rei illa narratio eſt: Traductisq; omnibus quæ ad ſe
» pertinebant, manſit ſolus: & ecce vir luctabatur cum eo vſque manè. Qui
» cùm videret quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, &
» ſtatim emarcuit. Dixitq; ad eum: Dimitte me, iam enim aſcendit aurora.
» Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen
» eſt tibi? Reſpondit: Iaacob. At ille, Nequaquā, inquit, Iaacob appellabitur
» nomen tuum, ſed Iſrael: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto ma-
» gis cōtra homines præualebis. Hæc adeò prima initia Iſraelis nominis fuerant: quæ in maximam & admirabilem felicitatis amplitudinem creuere: non ſine magno ceterarum gentium metu & ſtupore. vnum hunc populum vnius illius Dei* IEHVEH *nomine colentem, tutela ac præſidio ceteris nationibus,*

*nibus, illarumq́; numinibus inuictum, indies augeri & proſperari maximis diuinorum beneficiorum aſſiduisq́; ornamentis ſpectabilem. Cùm aliæ gentes ſine mutuo auxilio & ſubſidio minimè, cum illis verò vix conſeruari poſſint. Separatam itaq; ſingularem atq; ſacram, non vulgarem, neque communibus & conſuetis rationibus, huius populi publicam & priuatam rem eſſe oportere; tantisq́; exemplis doceri, eoq́; declarari Deum illum qui Iſraelitis præeſſet, ac faueret, ſingulari & præſtantiſſimo pollere numine, ſeq́; præter omnes, & vltrà omnes alios qui pro Diis colerentur, maximum & efficientiſſimum omni orbi probare. Atq; hæc, quam explicuimus, ratio omnis vno ſancti vel ſanctitatis obſignatur nomine, eóque in ſacris libris celeberrimo; quo Sanctus Iſrael Deus dicitur: cuius tutela erga Iſraelem præter ceteras orbis nationes fouendum amplificandumq́; ſingularibus exemplis editis ſuſcepiſſe probata eſt. Itaq; indignitatem rei Vates ex repugnante & abſurdo arguit. Nam præter ius, rationem, auctoritatem, dignitatẽ; atq; adeò præter naturam rei, Iſrael aliud ſibi præſidium, aliud auxilium quærit, ab eo quod proprium atq; certiſſimum perpetuumq́; expertus fuerat, cum attendentium atq; admirantium & pauentium etiam hoſtium confeſſione. Cuius tamen non modò præſidium repudiauerunt, verùm conſilium & reſponſum neglexerunt; ſed priuato, hoc eſt, ſuorum principum & ſapientum de Repub. deliberantium conſilio vſi, auxilium etiam humanũ ſibi petendum curarunt; carne & ſanguine potiùs, quàm Dei fortitudine & miſericordia confiſi.* Et non ſunt confiſi. *Exemplaris linguæ tranſlationem verbi huius à pueris & imbecillioribus accipit: qui dum premuntur, aut metuunt, oculos in eos coniiciunt, quibus caros eſſe ſeſe norunt. Significat enim verbum Sagha, reſpicere cum cura & prouidentia, atq; ſtudio: quod tam iis conuenit, qui præſidio indigent, quàm iis qui præſidio ſunt. itaque certam prouidentiam ſpectat ſignificatio. Hoc verbũ à Dauide vſurpatum legimus illo verſu: Adiuua me, & ſaluus ero: & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.* Pſal. 118. *Ab Iſaia cùm aliàs frequenter, tum illo in loco: In die* Iſaiæ 17. *illa inclinabitur homo ad factorem ſuum: & oculi eius ad ſanctum Iſrael* " *reſpicient. Et non inclinabitur ad altaria; quæ fecerunt manus eius, & quæ* " *operati ſunt digiti eius non reſpiciet. Itaq; Sagha idem ſignificare videtur;* " *quod, attentè, accuratè & ſtudiosè reſpicere, ſiue ad petendam, ſiue ad conferendam gratiam: nam primum verbi huius exemplum in illa narratione obſeruatur. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Kain verò,* Gen. 4. *& ad munera eius non reſpexit. Quamobrem rectè interpres noſter hoc lo-* " *co vertit:* Non ſunt confiſi. *Namq; de Deo fortaſſe locuti fuerant, vulgariter tamen & tumultuariè; vt fit vbi vera non viget pietas: verùm neque cum ſenſu & iudicio, ac certo conſilio: quippe qui nec attentè Deum oculis reſpexerint, neque conſulendum duxerint (pudet morum & ſtuporis, ne dicam impietatis exempli quotidie renouati) re vera non ſunt confiſi, quare neque requiſierunt quidem, ſed ſapientes ſuos conſulendos, atq; ex iſtorum conſilio agendum ſtatuere. Quamobrem vt irritum conſilium & vanum, inutile, atq; adeò calamitoſum auxilium iſtiuſmodi experiantur; commeriti*

 *ſunt.*

*ſunt. Deus enim ſimpliciter ſeſe reſpiciendū præceperat, in omni opportunitate & importunitate conſultum voluerat: iſti ignobilem, & ſuperuacaneam Dei ſciſcitationem duxerant, à quo iam re & vita, & moribus deſciuerant, Sapientiæ & conſiliorum de domeſticis ac bellicis rebus auctoritate & facultate fidentes, & auxilio fortiſſimorum ſociorū decreto innixi.*

Ipſe autem ſapiens adduxit malum: & verba ſua non abſtulit.

DVAS *illas celeberrimas in rerum publicarum, atq; potentiæ conſeruationem partes; conſilij, videlicet, ſapientis, & copiarum facultatis; impiis atq; improbis hominibus aduerſum diuinam voluntatem & mentē quamlibet obiectas, vanas tamen & irritas, imò & inutiles prorſus euadere Vates docet. Nam aut conſilium initur perſuaſione negligentiæ Dei humanis rebus non conſulentis, vel ſi conſulat, in bonum potiùs quàm in malum conſulere: quippe cùm è cælo in terras nihil niſi bonum demittatur. vel initur conſilium ad ſeſe defendendum & conſeruandum contra diuinam ſententiam à lege & vaticiniis pronunciatam: idq; agendum cenſetur iiſdē modis & artibus quibus gentes reliquæ agere conſueuere. Vtrumque ineptum, vanum, & pernitioſum re ipſa & exitu demonſtrandum ſignificat ſententia hæc: quandoquidem ipſe Deus ſapientem ſeſe declarabit; qui diſſipet conſilia principum, & cogitationes populorum ad nihilum redigat. Iudicem quoque oſtendet ſeſe, pœnis repetendis ab iis, qui miſericordiam ſuam negligunt, vel in iniuſtitia detinent: atque ita orbi omni probabit ſe rebus hominum pro animorum & ſtudiorum ratione conſulere, vtpote iudicem, bonos fouentem ac tutantem; vel vbi læſos exceperit, vlciſcentem; improbos verò atq; impios vindice ſupplicio afficientem. Vtrumque autem in bonorum genere natura ſua ponendum docet: hoc eſt, miſericordiam & iudicium. atq; ita verum illud patefiet, Deum rebus humanis conſulere, & nihil malum è cælo demitti: appellari verò malum nō ex re, ſed ex ſenſu eius, cui infertur. Namq; iudicium natura bonum, iucundum, & optandum; graue et moleſtum iis accedit, qui vitiis & impietatibus, atque iniuriis contaminati ſunt: vt ignis auro nitorem ac decorem; plumbo verò & ſtanno, ac ſordibus omnibus detrimentum affert. hoc eſt quod ait :* Adduxit malum, & verba ſua non abſtulit, *ſed euentu firmauit: inuitis, & repugnantibus quamlibet hominum conſiliis, artibus, & ſententiis, atq; viribus, & facultatibus cunctis, quibus minatus fuerat pœnas, eo cōſilio primùm, vt pœnitentia ac deprecatione procurandas declinandasq; ſuaderet: ſin minùs, illaturus certè: quas ſi malum dicere quis velit, à vero non deuiabit: modò intelligatur, quibus malum erit, contra Domum peſſimorum,* MEREGHIM, *in tertia coniugatione, obſtinatos in malefaciendo ſignificat, quos funditus perdendos prædicit : contra* Domum, *quamuis frequentiſſimam & potentiſſimam, ſiue regum, ſiue principum, ſiue diuitum, vel aliàs opulentam, totam perditum iri Deo inſurgente; & ſententiæ ex loco ſublimiore pronunciatæ euentū inferendis pœnis probante: cuius doctrinæ ac ſententiæ vaticinium*
Nahum.1. *illud eſt : Deus æmulator, & vlciſcens Dominus, vlciſcens Dominus &*
» *habens furorem, vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimi-*

*eis ſuis. Dominus patiens, & magnus fortitudine, mundans non faciet in-* "
*nocentem. & paulo pòſt: Ante faciem indignationis eius quis ſtabit? &* "
*quis reſiſtet in ira furoris eius? Indignatio eius effuſa eſt vt ignis: & petræ* "
*diſſolutæ ſunt ab eo. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis:* "
*& ſciens ſperantes in ſe. & in diluuio prætereunte conſummationem fa-* "
*ciet loci eius: & inimicos eius perſequentur tenebræ. Quid cogitatis cōtra* "
*Dominum? conſummationem ipſe faciet, non conſurget duplex tribulatio.* "
*Quod verò hoc loco ſingulariter dictum eſt:* contra Domum peſſimorū; *Iſraelitarum regem ſpectat; qui ab Ægyptiis magis proditus & perditus, quàm adiutus euaſit: quippe qui præceptum illud violaſſet, quo Iſraelitæ Ægyptum repetere vetabantur. quibus negligentibus & proditoribus præcepti, qualem Iſraelis regis domum fuiſſe conſtat (ideoq;* Domum peſſimorum *appellatam) illud in lege fuerat prædictum: Reducet te Dominus* Deut. 28.
*claſſe in Ægyptum per viam de qua dixit tibi, vt eam ampliùs non videres.* "
*Ibi venderis inimicis tuis in ſeruos & ancillas, & non erit qui emat.* " *Ita conſultò petentes vetitum Ægyptum pernitioſæ transmigrationis malum manebit.* Contra domum peſſimorum Iſraelitarum, *regiam, atq; gentem omnem,* & contra auxilium operantium iniquitatem. *Hac deſcriptione Ægyptiorum mores & populi ſignificantur.* Iniquitatem, *hoc loco,* AVEN, *vanitatem, mendacium, & ſuſpicionem interpretamur: quibus vitiis Ægyptios, præter omnes nationes contaminatiſſimos accepimus. Iam verò conſiliorum & conſultantium diſputationis capite à natura rerū repetito, arguit, oſtenditq; eos, qui à diuinis reſponſis ad aliam conſultandi ac deliberandi rationem traducuntur, niſi rectà via inſtiterint, & res ipſas ſuis ponderibus examinauerint; nimium aberrantes, deluſum tandem, deceptumq; iri; idq; digno exitu declarandum, Iſraelitæ prædictas ob impietatem calamitates à cælo immittendas intellexerunt: has verò declinare & frangere, atq; auerti, rebus per pœnitentiam ac deprecationem cū Deo compoſitis, oportuit. Illi verò nihil, neque pietate, neque moribus correcti, humanæ ſapientiæ rationibus agendum arbitrati, ſocietatem cum Ægyptiis ineunt; quorum virtuti, copiis, & artibus plurimum tribuebant. Huiuſmodi conſilium non ſtultum modò, ſed planè inſanum, vel ipſis humanæ ſapientiæ principiis oſtendit; quæ rerum vſum atq; vim ſingulis generibus vltra naturam non adſcribit. Oportere autem primùm ex ipſa rerum natura ac definitione vires æſtimari, atque ita de illarum facultate & vſu ſtatuere, & maiora ac fortiora minoribus, ac debilioribus opponere; aut ſi paria paribus committantur, labore, induſtria, & arte præſtātiore quàm aduerſariorum valere. huiuſmodi namq; comparationes ab humana quidem, verùm probabili ratione petuntur; vbi humano tantùm ingenio & conſilio agitur. Nam qui ligno, ferro, ſagittis, haſtis, curribus instructis pedites, aquam terræ, igni aerem contulerit, diſparis naturæ inæquales expectabit vſus, & exitus: & imbecilliora ac molliora à fortioribus durioribusq; ſuperata, fracta, labefactataq; demùm ſentiet. Quamobrē imprudentiſſimè Iſraelitarum & Samariæ gens ſibi conſuluiſſe arguitur: quæ cùm bellum non*

SS 2 *tam*

*tam ex hominibus, quàm ex auctoritate ac iudicio Dei ſibi imminere audiiſſent, defenſionis & propugnationis cauſa carnem & ſanguinem, hoc eſt, imbecilles ſecundùm naturam vires, fortiſsimæ omnium naturæ atque infinito diſcrimine præſtantiſsimæ opponendas curauerint. Hanc argumentationem comparatione veriſsima inſtituit Vates, & euentu conſequenti confirmat.*

Ægyptus, homo, & non Deus: & equi eorum caro, & non ſpiritus.

QVI *ſapienter de rebus diſſerunt, à natura primùm inchoare debent: quæ virium ſingularum in vnoquoque genere æſtimationes exhibet: nō autem ab accidentibus & adiunctis; quæ naturæ nec perpetua, nec propria ſunt. Iſti conſultores ac diſputatores à numero primùm, deinde ab exercitatione & arte argumentabantur.* Super quadrigis, quia multæ; & ſuper equitibus, quia præualidi nimis. *Exemplaris lingua verbo vtitur oſsibus congeneri, & maximè affine.* GHATSAMV, GHETSEM, *Latini in os vertere ſolent: quæ firmiſsima corporis, ac duriſsima in animali pars eſt: neque quicquam vlteriùs durum & firmum inter animalium partes numeratur. Oſſa autem ex iiſdem cum carne primordiis fiunt; hoc eſt, ex pingui & ſalſo liquore: niſi quòd hæc propter ſecretam eorumdem liquorum craſsitiem, atque ex coquentis ſpiritus efficientia impenſiùs concreta, magis dureſcunt etiam. verùm vtraque ſi ad ſua principia referantur, in eodem principiorum ponuntur genere, carnis, inquam, & ſanguinis. Ex hoc genere humani corporis forma deducta eſt, tanto ceteris animantibus carne & ſanguine atque oſſe præſtantibus, quanto molliore ac ſimpliciore, tenuioréque materia effectus: cetera enim omnia è terra, vt* ERETS *dicitur, prodiere.* ADAM *verò, ex limo* ADAMAH, *diuina arte effectus eſt: nemóq; hominum, cuiuſcunque fuerit vel nationis, vel habitus, vel ſtaturæ melius aut fortius, aut generoſum magis corporis principium ſibi arrogare poteſt. Ita qui dicit hominem, carnem & ſanguinem dicit natura mollem, & laſsitudine ac perturbationibus plurimis, demumq; corruptioni obnoxiam; & pulueri maximè congenerem. S. S. E. Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Gen. 2. *Hæc humanæ carnis origo, hæc finis, hæc ſcilicet arrogantia & gloria eſt: ita nihil dici poteſt imbecillius, nihil infirmius, quàm* ADAM, *ſiue,* HOMO; *ab humo, vt videtur, deriuatum nomen: ſi corpus tantùm, corporiſq; vires, & facultates æſtimentur. Molliſsimam itaq; animalis naturam ſignificamus, cùm hominem dicimus; cui naturæ nomini in ſacra lingua aliud opponitur: non contrarietate, ſed præſtantia & efficacitate ac viribus, magis quàm cælum à terra diuerſum; immo immēſo infinitoq; ſignificationis interuallo excellens.* EL, *quod vnum ex diuinis nominibus eſt, ad fortitudinem, poteſtatem, virtutem, & agendi facultatem relatum; de quo, cum aliis in ſacro Apparatu diſſerebamus:* Lib. Ioſeph. *& in hymno quod Pſalmorum interpretationi præcinimus. Alterumq; ineptiarum, & mendoſæ æſtimationis Iſraelis vitium exprobratur: hominem, quamuis frequentiſsimum, quamuis exercitatiſsimum* ÈL, *Deo comparare & opponere conatis: quem, ſi cum altero homine conferre liberet, nimirum Aſſyrio, aut Chaldæo, nihil tamen egre-*

*giè*

*gię præſtans experiri, aut expectare concederetur: cùm Aſſyrÿ & homines eſſent, & bellicis artibus ſpectatiſſimi, atq; eadem tempeſtate, potentia, & imperio excellentes.* & equi eorũ caro, & non ſpiritus. *Hoc loco ſatis fuerit ſpiritus nomen ad corpoream naturã, non ad illud ſuperius incorporeum cæleſtium animarum genus referre. Itaque ſpiritum, idem quod ventum accipimus; cuius agilitas, celeritas, & ad excurrendum, & diſcurrendum, penetrandum, impellendum, diruendum, ac deiiciendum vis, quotidianis experimẽtis nota eſt. De hac & præceptor noſter, per ſimilitudinem agens, aiebat: Spiritus vbi vult ſpirat, & audis vocem eius; & neſcis vnde* Ioan. 3.
*veniat, aut quò vadat. Hunc aliquando vocem Domini à Vatibus appella-* "
*tum obſeruamus, naturæ vires & impetum effectu deſcribentibus, Vox* Pſal. 28.
*Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas* "
*multas. Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.* "
*Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.* "
*Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum* "
*filius vnicornium. Vox Domini intercidentis flammam ignis.* "
*Vox Domini concutientis deſertum: & comminuet Dominus deſertum* "
*Cades. Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa.* "
*Alterum verò conſultationis vitium fuit, equitum atq; equorum, non naturæ, ſed exercitationi fidere.* Quia validi nimis. *Illorum verbum fuit,* GHATSAMV: *quia equitandi conſuetudine & vſu robuſtiores, oſſium inſtar, euaſere: cùm nulla ars, nulla exercitatio naturæ vires, quamquam aliquo modo promptiores ac duratiores efficiat: mutare tamen poſſit, & alteri præſtantiori generi comparandas reddere; ita vt equi carnes, & oſſa, & corpora tota celeritate & conſtantia ac promptitudine, ceteriſq; partibus ac viribus, ventorum naturæ quæ in corporum genere excellit, componantur. Nam caro propter natiuam mollitudinem, propter multam & variam neruorum, venarum, & arteriarum, atque aliarum partium habitudinem & molem, mutuaq; horum tum ligamenta, tum impedimenta, ad intemperantiam, ad laſsitudinem, atque adeò ad labefactationem pronior eſt, quàm dici deſcribíve queat. Contrà verò ſpiritus naturæ ſimplicitate, ac tenuitate, & partium conſenſu, facillimaq; reſtitutione ad motum & curſum aptiſſimus, ad inuaſionem verò promptiſſimus, demùm laſsitudine liber deprehenditur. Quare ſi nec præſtanti Ægyptus, nec vento Ægyptÿ equi cõferri poſſunt: ſtultiſſimæ ſapientiæ conſilium fuit, iſtis opibus & copiis cum præſtantiſſimo Deo, & cum veriſſimo, puriſſimoq; atq; efficaciſſimo ſpiritu illius velle contendere. Nomini* EL, *Latina illa,* PRÆSTANS, VALENS, POTENS, *non origine, ſed ſignificatione affinia videntur, Deoq; ſoli propriè conuenit; cuius natura & virtus omnibus nominibus præſtantiſſima eſt. interdũ ad alias naturas, quaſi per vmbræ analogiam transfertur. Hoc à Labano vſurpatum animaduertimus in illa cum genero ſuo conuentione.* IES LAEL IADAI, *pro quo Latinus interpres,* VALET MANVS MEA. *Quid verò ex iſtiuſmodi conſilio aduerſus Deum inito & incepto expectandum fuerit, Vates conſequenter declarat: nimirum, duplicem ruinam*

 *pro*

*pro ſimplici; maiorémque hoſtium iram, & ſociorum graues offenſiones: qui non ad auxilium, ſed ad ſtragis & calamitatis communionem poſtulati demùm cenſeantur.*

Et dominus inclinabit manum ſuam, & corruet auxiliator, & cadet, cui præſtatur auxilium; ſimulq; omnes conſumentur.

DIVINÆ *manus extenſio caſtigationem ex certo ac decreto prouidentiæ iudicio ſignificat, figurato ſermonis tropo; de quo & alijs multis in Apparatu ſacro agebamus. Elegante verò imagine caſtigationem vtrique genti, Ægyptiis & Iſraelitis inferendam deſcripſit Vates, ex vario caſtigantis habitu: qui, quam ad Samaritanos faciendos extenderat manum, ad Ægyptios auxilio accurrentes percutiendos quoque conuertit: cuiuſmodi à iudicibus exemplum edi ſolet; cùm quiſpiam eos, in quos animaduertitur, caſtigationi ſubtrahere molitur: quam ad vitandam audaciam, armatis ſatellitibus, ſupplicior um & caſtigationum exempla muniri conſultū eſt; atq; hoc pacto in Septentrionalibus regionibus publicè ſumenda ſupplicia exercentur.* & corruet auxiliator. CHASAL. *offendet. In ipſo auxilij ferendi conſilio & ſtudio offenſionem ſibi comparabit apud hoſtes; nihilominus tamen* is, cui auxilium præſtatur, cadet, *prorſus victus & ſuperatus ab hoſte: qui demùm auxiliatori infenſus & iratus, bellū etiam inferet, perniciemq; molietur. Erit itaq; vtriuſque exitus ille:* ſimul omnes conſumentur. *In exemplari lingua vnico verbo actiuè ac paſſiuè pronunciato, breuiter & eleganter vtriuſque gentis calamitas deſcribitur, adeò aptè, vt geri res, non agi videatur.* CASAL GHOZER, VENAPHAL GHAZVR *Offendet adiutor, & cadet adiutus, & omnes pariter conſumentur. Atq; Samaritanis, qui Dei monita perperā exceperunt, & ſiniſtro conſilio prauertere ſtuduerūt, vnà cum auxiliariis copiis, hæc pars atq; ſors huiuſmodi euentu expectanda prædicitur; in exemplum eorum, qui à pœnitentiæ veræ ac ſeriæ ſtudio ad alias traducentur cogitationes, calamitatis publicæ aut priuatæ declinandæ cauſa. Cùm rurſus vtilius & ſapientius Ieroſolymitanorum conſilium de fide, pœnitentia, ac deprecatione felicis fauſtiq; euentus exemplis, & illuſtriſsimi, honeſtiſsimi, atque ampliſsimi, planeq; diuini præſidij celebretur gloria. Cuius hiſtoria breuis huiuſmodi eſt: Sancheribus poſt debellatos ac perditos Samaritanos, Aegyptiis iratus & infenſus, bello quoque illato, exitium intulit: quibus victoriis inſolentior Ieroſolymitanos in reditu obſeſſos, niſi deditionem maturaſſent, ſuperbis minis, ac terrorum plenis prædictionibus vrgere & vexare inſtituit. Verùm diuinæ tutelæ præſens admirandumq; exemplum in huius exercitu vna nocte editum, vrbem ac gentem ſummis obſidionis periculis liberauit: cuius narrationem ſalutis ex lib. Regum petere licebit. Hanc verò diuinæ prouidentiæ gratiam, curam, atque manifeſtam declarationem, idoneis & elegantibus imaginibus, ac ſimilitudinibus præcinit Iſaias.*

Quia hæc dicit Dominus ad me, quomodo ſi rugiat leo, & catulus leonis ſuper prædam ſuam, cùm occurrerit ei multitudo paſtorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum

non

non pauebit: ſic deſcendet Dominus exercituum, vt prælietur ſuper montem Sion, & ſuper collem eius.

LEO *quamprimum prædam nactus eſt, impauido pectore, atque toruo vultu, veluti triumphans, vocem edere, ac rugire ſolet; minari viſus vltionem, ſi quodpiam aliud animal eſcas abripere ſibi conetur: itaq; huius feræ rugitus certũ capturæ ſignum habetur. S. S. E. Numquid rugiet leo in ſaltu niſi habuerit prædam? Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili ſuo, niſi aliquid apprehenderit? Ad huiuſmodi vocem & rugitum, iam ſibi notum, paſtores indignabundi conuenire ſolent; & clamoribus quàm maximis longiùs à fera diſsiti, de liberanda eripiendaq; præda, fruſtrà ſatagere: quippe quam ille, niſi ſatur & expletus, relicturus, aut ob clamãtium pauorem abiturus non ſit: nam ſaturatus facilè reliquias adſtantibus permittit. S. S. E. Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ; ſic eruentur filij Iſrael qui habitant in Samaria, in plaga lecti, & in Damaſco grabati. Veroſimile, ac moribus ingenioq; ruſticorum conſentaneum eſt, paſtores, huiuſmodi coactis clamoribus, probra ac dira maledictaq; leoni ingerere: quæ tamen ille cõtemnens, quoad expletus recedat, præda ſecurus fruitur. itaque neque clamorem pauet, neque clamantium curat numerum. ſimilitudine deſcripta, aſsimilationis aperta explicatio conſtat: duobus tamen verbis ad affinem ſignificationem obſeruandis.* non formidabit, non pauebit. *Formido, animi fractio ac trepidatio eſt. ita Chaldæus interpres,* non frangetur, non pauebit. *plus eſt quàm ſuperior formido. Timorem ac metum ſignificat verbum, cum membrorum etiam artuumq; horrore, & grauiſsimo ac moleſto ſenſu* GHANAH. Super Sion. *pro Sione arce, & aula Iudæorum regum: quorum familiam & poſteritatem Meſsiæ promiſsi cauſa tutaturum ſe Deus receperat.* Et ſuper collẽ eius. *Ipſam Solymorũ vrbem regiam ſignificat in colle ſitam, & vndiq; præruptis crepidinibus prominentem. S. S. E. Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Vt prælietur ſuper montem Sion, *prædam in Aſſyriorum exercitu facturus, quas nulla humana virtus aut potentia eripere poſsit. Nihil verò magnũ, aut memorabile, ſi rectè inſtituatur, confici poteſt; vbi ex duobus ad agendum capitibus, alterum deſideretur. ea ſunt, facultas ad agendũ ei, qui rem agendam conſtituit, certa & conſtans, nullaq; vi impedita; & voluntas animiq; ſtudioſa intentio. Facultatis diuinæ imaginem, proxima ſimilitudo ex leone ducta, indicauit; affectum verò, ſtudium, animique impulſionẽ, & cõficiendi celeritatẽ, ea quæ ſubiungitur imago repræſentat.*

Amos 3.

Ibidem.

Sicut aues volantes, ſic proteget Dominus exercituum Ieruſalem, protegens & liberans, tranſiens & ſaluans.

IN *brutorum animantium ſexibus ac generibus, auium naturam, aduerſus proprias proles amantiſsimam ac diligentiſsimam, complurima curæ ſigna argumentaq; docent. Nam vt prætermittamus ſingulares eſcarum diſquiſitiones ad pullos alendos & paſcendos, & cætera omnia quæ ad nidum fouendum & cuſtodiendũ quotidie experimenta exhibent; de ſolicitudine & anxietate, deq; ſtudio & conatu ad periculum auertendum; indicium*

*iudi-*

*iudiciumq́; præſtant voces illæ doloris interni indices: quas, vbi nidum di-*
*ripi videt, hoc genus edere ſolet cum magno, pro vniuſcuiuſque facultate,*
*ad eripiendum conatu; eóque tanta celeritate & frequentia adhibito, vt vel*
*hoc ipſo perſæpè territæ feræ à præda abſtinere cogantur. Quòd ſi viribus*
*aues præſtare non poſsint, clamore ſaltem & multitudine mouentur; etiam*
*eæ quæ minimæ & imbecillæ ſuapte natura ſunt. Vidi ego non rarò niſum,*
*turdorum multitudine turbatum, prædam deſperare, atque diſcedere. vidi*
*auiculas pullorum nidos tangentibus in oculos inuolare: id quod ſui met de-*
*fendendarum cauſa non facerent. Quòd ſi robuſtioris animi atque ingenij*
*aues fuerint, haud fuerit nidos contingentibus dubium periculum: cuiuſ-*
*modi exempla aquilarum genus exhibet, tum ſobolem propugnando, tum*
Deut. 32. *verò ad volatum inſtituendo. S.S.E. Sicut Aquila prouocans ad volãdum*
» *pullos ſuos, & ſuper eos volitans. Animi itaq; impetum, affectionem, com-*
*motionemq́; maximam, & ad proprios natos tutandos curam, hæc animan-*
*tium pars attendentibus probat: quam ſi par etiam inſtrueret virtus, nullũ*
*profectò aliud animal caris nidi pignoribus orbaret. vtrumque verò caput*
*Deo ad populi ſui tutelam Vates adſcripſit: alterum quidẽ quod terrorem*
*audentibus incutiat, leonis; alterum verò, quod prouidentiæ ac bonitatis,*
*amorisq́; magnitudinem admiratione commendet: non vnius tantùm, ſed*
*multarum ac frequentium auium (quarum curam & impulſionem expreſ-*
*ſam ſpectare liceat) ſimilitudine & imagine ob oculos poſita.* Aues, plures,
*non ſegniter agentes, imò* Volantes. ſic proteget. *Verbum* GANAN, *quod*
*hoc loco ab Iſaia vſurpatur, non ſimplex auxilium, vulgarémve protegendi*
*modum; ſed efficacem tutelam, atque maxima cura animiq́; promptitudine*
*& impulſione præſtitam, eandemq́; proximam, præſentem, atque certam,*
*qualis clypei eſſe ſolet; qui non longè, ſed in manu etiam protegens hæret.*
*Clypei nomen* MAGEN, *ab hoc eodem verbo deducitur. Porrò quod ad af-*
*fectionem animi attinet, certè cordis anxietatem ac dolorem hoc verbo apud*
Thren. 3. *Ieremiam ſignificari poſtrema verſus pars docet. Dabis eis ſcutum cordis*
» *laborem tuum: nihil iſtis erit quò cor animumq́; conuertant, præter laborem*
*à te immiſſum. Ita* MAGNATH, *dolorum anxietatem illo ſignificat loco.*
*atq; apud antiquos ſcriptores legimus. Id quod Ieremias* MAGNATLEB,
*dixit, morbi genus infeſtiſsimum eſt: cui Arabes nomen fecere* NEASITH
ALKELB; *Caninam rabiem Latini vocant. Hæc ita explicanda duximus,*
*vt intelligamus cuiuſmodi curam, qualéq; ſtudium Deus in ſuis tutandis*
*præſtet. id verò, quò euentu expediatur, conciſione illa ſignificantiſsima*
*membrorum orationis exprimitur.* Protegens & liberans, tranſiens &
ſaluans. *Nihil ab huius affectionis imagine illa Ieſu querela apud Euange-*
*liſtam abludit: Quoties volui cõgregare filios tuos, quemadmodum gallina*
» *congregat pullos ſuos ſub alas. Auiculæ omnes volant nidorum ſuorum cu-*
» *ra, & protegendorum cauſa; verumtamen non omnes protegere valent: ex-*
*primunt tamen ſuos affectus, & conatus probant. Verùm Dominus, qui*
*leonem auctoritate ac præſtantia, aues verò cura & amore per imaginẽ re-*
*fert: vt Deus tamen vindex & vltor fortiſsimus (namq; ideo hoc loco exer-*

*citum*

*cituum Dominus appellatur)* Protegens & liberans, tranſiens. *Idem verbum eſt, quod in Phaſe, hoc eſt, tranſitu illo celebratiſsimo nominatur: quo Ægyptiorum primogenitis occiſis, Iſraelitica conſtitit ſalus. Namque illud exemplum attendendum, ſubindicauit Vates; deq́ æterna illa ſalute expectanda, arcanè admonuit. ita totus Iſaias, Euangeliſta, ac ſui ſimilis permanet. Illam igitur ſalutem Ieroſolymitanis promiſſam: illam, inquam, ab Aſſyriorum exercitu & manu liberationem iis artibus expectandam ſuadet Vates, quæ ad accipienda promiſſa diuina, cùm quæ ad hanc vitam, tum quæ ad æternam pertinent, poſtulantur fide & pœnitentia. Fides promiſsis adhibenda; pœnitentia verò ſtudiis ac moribus in melius mutandis, exercenda: quæ, qui non curauerit, idem ſibi ipſi, ſuæq́ deeſt ſaluti, non Deus, qui vltrò promiſit, & fideliſsimè cumulatiſsimeq́ promiſſa fidelibus, ac fide obſecutis præſtat. Itaque poſt promiſſam ſalutis adipiſcendæ commoditatem & opportunitatem, eos quos inſtituit hortatur.*

Conuertimini, ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael.

PRIVS *verbum ad ſecundam perſonam, eos videlicet quos monet; poſterius ad tertiam in exemplari lingua refertur; nempe ad Iſraelitas, qui Samariæ ſequebantur parteis: iſti enim quàm longiſsimè à paterna diſciplina receſſerant ab Iſraelis exemplo; cuius tantùm retinebant nomen. Itaque,* receſſeratis, *Latina vox, ad filios Iſrael per conuerſionem dirigenda eſt. Vos (inquit) Iudæ filij, ac Solymorum ciues, illuſtri & maximè conſpicuo pœnitentiæ exemplo Iſraelis filios prouocate, ad æmulationemq́ mouete: qui altiſsimè ac penitiſsimè ab Iſraelitica virtute & integritate degenerauerunt: vſq́ adeò quòd poſteà (vbi vobis ab vno Deo ſalutem allatam cognoueritis) pudefacti, ac vobis ingrati futuri eſtis: nunc iam libentes, & fidentes agere & maturare fuerit honeſtiſsimum.* in profundum receſſeratis. *ex idiotiſmo,* Profundauerunt auerſionem ſiue rebellionem. *Docet itaque ac monet, Solymorum ciues nulli aliæ rerum naturæ ſeſe ſuamq́ ſalutem commendare & credere, niſi vni Deo vero: præter quem cetera omnia vana, inutilia, imò ipſis auctoribus & inuentoribus pernitioſa commenta ſint & ficta; falſáque numina per ſummum mendacium excogitata & compoſita.*

In die enim illa, abiiciet vir idola argenti ſui, & idola auri ſui, quæ fecerunt vobis manus veſtræ in peccatum.

ID *quod demùm faciendum eſt, ſedulò ac maturè agere monet: vt, videlicet iam ex hoc nulli in ſuperſtitionibus à ſe inſtitutis, fides, cultura, aut ſtudium adhibeatur; quippe quas in die illa ſalutis ab vnico vero Deo partæ & allatæ, ſingulos pudore ac rubore affectos, damnaturos, oſuros, abiecturosq́ prædicat.* Vir *vnuſquiſque* idola argenti ſui, *quæ magno ſumptu ac damno ſibi comparauerat. Hoc enim cum primis vanæ ſuperſtitionis, atque ſpei in eo quod non proſit collocatæ detrimentum eſt.* Quod fecerunt vobis manus veſtræ in peccatum. *Ampliſsima & apertiſsima nominis Idolorum explicatio ac definitio eſt. Quidquid, inquit, à vobis factum inſtitutumq́ fuit, quod in errorem & auerſionem à vero Deo euaſit, id omne*

*abiectum oportet. Non enim, ſi ad artem referamus res ipſas, propria ſimulachra vnuſquiſque ſibi facere nouit: namq; hoc ſculptorum & fuſorũ ſtatuariorum opus tantùm eſt: qui, dum arte vtuntur, non videntur peccare; ars enim ſtatuam tantùm facere docet, ac ſignum edere, non Deum. Atqui ſtatua & ſignũ, vt talia ſunt, nec mala, nec bona dicuntur: quòd ſi alterum nomen deſcribendũ ſit, bona potiùs quàm mala dici merẽtur; tum ex materia, auro, argẽto, lapide, ebore, argilla, & ceteris; quæ cùm à Deo condita bona ſunt: tũ ex arte; quæ ſi rectè tractetur, laudẽ obtinet. Verùm enimuerò peccatũ ex eo naſcitur, quòd quis rebus iis, quæ Deus non ſunt, fidendũ, honoresq; diuinitùs tribuendos duxerit. Hoc autem non artis artificisq; opus eſt, ſed mentis illius qui à Deo auerſus ad mendacium ſibi confictum animum applicat. Ita non propriè auro, argento, ære, & ceteris naturalium rerum corporibus facta ſigna improbantur, ſed quæ ſibi vnuſquiſque hominum fecit,* in peccatum, *ſiue,* in errorem; *vt à Dei cultu & iuſſis aberret. Ex quo euenit, vt ſingulis erroris ac malitiæ propriæ auctoritas & culpa adſcribatur; quocumque modo, quacumq; arte, in quodcumque rerum genus humanus inclinetur animus; Dei veri prouidentia & maieſtate vel poſthabita, vel negligentiùs culta, adorata & placata, ſibiq; pietatis officiis minùs conciliata. hoc enim lex vetando ſignificabat; fabrum videlicet ſuæ vnumquemque ſuperſtitionis eſſe: nempe, auarum, auaritiæ; ambitioſum, ambitionis; impudicum, impudicitiæ; aleatorem, aleæ; doloſum, doli, cui fidit; delitioſum, voluptatis, & ceterorum morborum, quibus hominum genus*

Exodi 20. *inſanit, aut inſanire parat. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitu-*
» *dinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum: neque eorum quæ*
» *ſunt in aquis, ſub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego ſum* DOMINVS
» DEVS TVVS. *Hoc ſignificat exacta illa adnotatio.* quæ fecerunt vobis manus veſtræ in peccatum. *non alienæ, ſed veſtræ manus. Illud etiam ex abſurdo atq; inexpectato quoque arguitur.* in peccatum *quod maximũ & exitiale homini nocumentum eſt: cuius cauſa nemini datæ fuerant manus. namque hæ ad miniſterium & commodum vſum totius corporis effectæ. Non poſſumus vllum ex diuinis verbis ſuo loco non obſeruatum prætermittere; ex quo fit vt breuitatis perſæpe pœniteat: cui attamen vt conſulamus, plura inuiti minùs explicata relinquimus. Præter Ieroſolymitanos ciueis, queis melior mens incidit auxilij diuini poſtulandi, cæteræ Iudaicæ tribus vrbes & oppida omnia ab Aſſyriis vaſtata legimus. Nam quæ illis colebantur falſa numina, quæ mouebantur & parabantur ad propugnandum, vel dimicandum artes, nihil profuere, quo minùs Aſſyriorum potentiæ & viribus ſuccumbendum eſſet: contrà verò maximè iuuit, ac prorſus liberauit Ieroſolymã ciuitatem præſidij fides ac ſpes in vnico vero Deo poſita: quẽ vnicum etiam vindicem & aſſertorem agnoſcendum, adorandum, & ſupplicationibus gratulationibusq; decretis colendum euentus probauit.*

Et cadet Aſſur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladij, & iuuenes eius vectigales erũt: & fortitudo eius à terrore tranſibit, & pauebunt fugientes principes eius.

*Aſſy-*

*Aſſyriorum impiæ potentiæ, ac ſuperbæ impietati in Deum verum
etiam obloqui, & contemptu plenis minis inſanire auſæ quis, & qualis ex-
pectandus eſſet exitus, Vates prænunciauit; nimirum ſtrages miraculo edi-
ta: quæ Deum, honoris vltorem, ſui, & ſuorum cultorum vindicem proba-
ret.* in gladio non viri, *ſed Angeli ſpiritus cælitus mißi: qui vna nocte tot
militum & armatorum millia occiſis, imperatoris atq; exercitus vires fre-
git, & robur comminuit, ſuperbiamq́; peſſumdedit.* gladius non hominis
vorabit. *Pulcherrima expolitio: qua ſtragis in illos edendæ ſignificatur ge-
nus. magna in ſacro ſermone ignis & gladij affinitas, ac frequens alluſio-
nis tropus eſt. Ancipitis gladij acies vtraq;* LAHABAH *vocari ſolet: quod
nomen, cùm de igne agitur, flammam quoque ſignificat. Igni autem huic
quo vtimur corporeo ac viſibili, verbum* ACHAL, *frequentißimè adiungi-
tur; quod comedere, deuorare, vaſtare, ac deſtruere Latinè redditur. Quip-
pe ignis hic ad hoc præcipuè munus videtur conditus. Idem quoque verbum
gladio tribuitur, vt in Vatis huius primis ſermonibus, gladius deuorabit* Sup. 1.
*vos. Horum verborum ac nominum numeroſa & figurata vſurpatione,
Aſſyriorum exercitum igne intra corpora & viſcera accenſo, vaſtatum &
perditum iri ſignificauit Iſaias.* Gladius non hominis, *quali homines vti
conſueuere; ſed diuinus gladius igneus inuiſibilis: qui multo citiùs & expe-
ditiùs conſummit, quàm ferreus hominis enſis. S. S. E. Qui facis Angelos* Pſal. 104.
*tuos ſpiritus & miniſtros tuos ignem vrentem, ſiue flammam ignis. Quo* "
*ſpectaculo perterrefactus Aſſyriorum imperator* fugiet, *non à* facie gla-
dij. *non à facie gladij per hominem exerciti, ſed à facie illius diuini gladij,
per quem ſuos perditos & conſumptos vidit. Qui linguam antiquam lege-
re norunt hoc loco* לא, *per vau legentes, facilè ſignificationem percipiunt.* &
iuuenes eius. *Præcipui & ſtrenuißimi, qui ex illa clade reliqui fuerint
& ſuperſtites,* vectigales erunt. *In exemplari lingua verbum* LAMAZZ,
*aut abſolutè, aut cũ adiuncto vſurpatur. Abſolutum, diſſolutionẽ, fuſionẽ,
& exanimationem ſignificat. vt in illo loco: Cumq́; incaluiſſet ſol, liquefie-* Exodi 16.
*bat* MAN. *& apud Ioſuan: Et hæc audientes, pertimuimus: & elanguit cor* Ioſue 2.
*noſtrum. Aliàs verò coniunctum cum* GHOBER, *oneris vectigalis, aut
aliàs ſeruitutis cuiuſpiam imperium ſignificat. vt in illo loco: Factusq́; eſt* Gen. 44.
*tributis ſeruiens. & in illo: Habitauitq́; Chananæus in medio Ephraim,* Ioſue 16.
*vſque in diem hanc tributarius. Hoc loci abſolutè legitur, & quid ſignifi-
cet, re ipſa declaratur. Non enim Aſſyrios Ieroſolymitanis in ſeruitutem
conceßiſſe conſtat: quare vectigal animo, non corpore expendendum ſignifi-
catur.* Et fortitudo eius à terrore tranſibit.

QVOD *Latinè fortitudo, in primæua lectione* ZZALGHO *legimus;
quod petram, ſiue rupem illius ſignificat; qualem olim à Moſe iuſſam, aqua-
rum riuos fudiſſe accepimus. Latinus interpres à tranſlatione ad ſimplicem
ſignificationem claritatis cauſa retulit. Namque reges ac principes populo-
rum fortitudo ac robur eſſe creduntur: ita Chaldæus & reges eius* præ pa-
uore *deficient. Vehementiſſimum verò oportet fuiſſe metum & pauorem
quo petræ impulſæ, ſiue liquefactæ tranſiſſent, & abirent. Quòd ſi hoc*

 *regi*

*regi euenit, quid nam de principibus aulicíſque viris dicendum?*

Et pauebunt fugientes principes eius. *In exemplari lectione duo ſignificantur vnico verbo* MINEZZ, *fugere, & ſigno, ſiue vexillo: vtrumq; ſentētia poſtulat: conſternationem & fugam principum propter admirandum horrendumq; ſignum illud ab Angelo Dei propugnandæ & conſeruandæ ciuitatis cauſa editum. Id verò cur apud alias Iudææ vrbes nō ederetur, primùm obſtitit habitatorum culpa; qui non ita piè ſeſe Deo credentes commendarant: tum Aſſyrij regis mens & conſilium, qui capiendo Solymorum vrbē de tota gente, atque adeò de religione illius actum iri, ac ſe de Deo ipſo triumphaturum putauerat. Nouerat enim illam vrbem, cōſtructo templo, ac ſacris inſtitutis* IEHVEH, *Deo, tamquam regiam dicatam eſſe. Id verò ita eſſe, atq; diuina vltione & propugnatione aſſerendum fore, Vates confirmat, ex diuino reſponſo iam decreto ac pronunciato.*

Et dixit Dominus, cuius ignis in Sion, & caminus eius in Ieruſalē.

*Singularem curam & prouidentiam atq; tutelam ſuam erga eos qui ſe colerent Deum, defendenda Ieroſolymorum vrbe, etiam hoſtibus ipſis probaturum, hoc oraculum ſingularibus & idoneis verbis pronunciatum ſignificat. Exiſtimauerant Aſſyrij vel nullos præter ſuos Deos eſſe; vel, ſi eſſent, cum ſua ipſorū felicitate & potentia contendere non poſſe; idq; diuerſarum nationum exemplis arguebant: quarum qui dicebantur Dij, vel nulli fuiſſent, vel ſuas partes tutari nequiuiſſent; quo etiam in numero & ſenſu* IEHVEH, *Iudæorum Deum ponendum arbitrabantur: interdumq; mendaci oratione iactabant, ſeſe* IEHVEH *cariores & gratiores eſſe, quàm Ieroſolymitanos; vt hoc pacto populum ad deditionem cogerent. Numquid, inquiunt, ſine Domini voluntate aſcendi ad locum iſtum, vt demolirer eum? Dominus dixit mihi, Aſcende ad terram hanc, & demolire eam. Interdum verò Deum ipſum ſua ipſorum virtute inferiorem eſſe iactabant. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberauerunt Dij gentium terram ſuam de manu regis Aſſyriorum? Vbi eſt Deus Emath & Arphath? vbi eſt Deus Sepharuaim, Ana & Aua? numquid liberauerunt Samariam de manu mea? Quinam illi ſunt in vniuerſis Diis terrarum, qui eruerunt regionē ſuam de manu mea, vt poßit eruere Dominus Ieruſalem de manu mea? Hanc ſacrilegam ſuperbiam & iactationem vero & manifeſto exemplo vltionis à ſe edendæ fracturum ſeſe Deus recipit, verbo* NEVM: *quod non vulgarem & communem ſermonem, ſed deliberatum, certum, decretumq; reſponſum ſignificat; oſtenſurumq; ait ſe fortem & ſtrenuum bellatorem, atq; adeò ſuarum rerum vindicem inuictißimum: ſuumq; erga Ieroſolymam declaratum iri ſtudium; eorum inſtar, qui cùm viribus valeant, patriam, domum, familiamq; propriam propugnando tueri ſolent, cum ſumma attingere ac diripere volentium pernicie & clade pro aris & focis, vt dici ſolet, pugnantes. Itaq; ſe non regē tantummodo, ſed incolam, ſed ciuem atq; habitatorem, ſuæq; vrbis cultorem, ac tutorem, atque adeò amatorem hoc oraculo Deus declarat. Namque huiuſmodi ius, ratio, & communio, atque curatio, ignis, foci, ac domus, nominibus, omnis*

4. Reg. 18.

omnis ferè ſignificat oratio: cùm de hominibus eſt ſermo. vt, Qui patrium mimæ donat fundumq́ laremq́: cùm verò de Diis; templa, aræ, arma, & huiuſmodi certa ac familiaria pronunciantur nomina. vt,

> Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam
> Poſthabita coluiſſe Samo. hîc illius arma
> Hic currus fuit.

Æneid. 1.

Ad hunc tropum ſibi domum, ignem, & furnum, ſiue caminum Ieroſolymis eſſe Deus ait: quæ ipſe defendere, ac tueri iam decreuerit, non ſine Aſſyriorum tentantium ingenti malo. Hiſpanè communi ſermone dicitur, vezino, y morador que tiene y mantiene alli caſa y hogar. Conſtatq́ ignem perpetuum Ieroſolymis in templo luxiſſe, & altare aſsiduis inſtructum lignis, quibus ſacrificia cremabantur: atq́ hac notatione arreptis ex proprio camino carbonibus, & in hoſtes coniiciendis, ſuū locum ſe tutari poſſe ſignificabat. Chaldæus interpres locum hunc doctrinæ cauſa ita explicat. cui lux in Sion. Colentibus legem, & caminus ardens igni ipſi in Ieruſalem iis, qui prætergrediuntur verbum illius. Omnia hæc non communem modò erga omnem terrarum orbem, nationesq́ omnes; verùm etiam ſingularem Dei prouidentiam erga delectos dicatóſque ſibi homines certiſsimis beneficiorum atque iudiciorum argumentis declarare intendunt.

## CAPVT XXXII.

ECCE, in iniuſtitia regnabit rex, & principes in iudicio præerunt.

CATHOLICAM communemq́ doctrinam hoc Iſaiæ ſermone docemur: quæ tamen à ſingularis argumenti exemplo proficiſcitur. Namq́ prima, & præcipua Vatis intētio, promiſſum & expectandum cælorū regnum & regem ſpectabat; cuius cauſa cætera omnia apparabantur, quæ ad illam felicitatem maturandam & obtinendam pertinerent. Atq́ in hunc, velut ſcopum omnium hominum & ordinum munera & officia contendere, ad huius exemplar & imaginem conformari oportuit: quod vbi cōtigerit, ibi bem præſentis felicitatem ſeculi ſperare & experiri conſequens erat: contrà verò, quæ publicæ, priuatæ voces ab huiuſmodi regula aberraſſent, eas infelici atq́ exitiali exitu excipiendas. Itaq́ vno regis & ſeruatoris toties promiſsi, atq́ vitæ actionumq́ illius exemplo propoſito, tamquam regula è cælo delapſa; quíſnam populus beatè, quis contrà infeliciter acturus victurusq́ ſit, & quàm varius vtrique fuerit expectandus exitus: adeò vt vtraque pars & ſors non ad fortunæ vaniſsimum numen, & à ſingulis hominibus ſibi confictum referenda ſit: neque ad aſtrorum vim, temporúmque neceſſariam diuerſitatem & inconſtantiam, ſed ad regum & principū atq́ populorum vel ſapientia conſilia, & æquas leges, morumq́ probitatem; vel contrà, ad ſtultam & impiam, improbamq́ gubernationem, ac turpes vitæ conſuetudines. Atque vtriuſque partis tum definitiones, tum ſtudia, progreſſus, & exercitationes, atq́ poſtremos euentus Vates hoc in ſermone ſapientiſsimè pariter & elegantiſsimè docet; initio à boni gubernatoris ac

*regis ſtudiis, curis & officiis ducto: reprehenſis deinde iis, & notatis principibus & populis, qui pietatem ac iuſtitiam impietate & iniuria mutant. Itaque caput hoc meritò inſcribi poßit de Officio principis: quod nos breui enarratione explicabimus: illud in ſumma præfati, doctrinam omnẽ duplici conſtare parte: videlicet, veri, ac falſi; boni, & mali. ſiue virtutis ac vitij declaratione & comparatione. Omnium enim rerum & rectus, & prauus vſus, ſiue abuſus eſſe poteſt; virtus vſum commendat; vitium verò, abuſus parit: & vtraque pars cõgenerem ſibi cultoribus ſuis fructum affert. Principiò igitur cauſa indicatur, quamobrem poteſtas & auctoritas hominibus quibuſdam apud alios homines ex Dei conſilio contingat. Namq́; illud diuini ſpiritus doctrina conſtat, poteſtatem omnem à Deo eſſe: ex quo tamen illud non conſequitur, poteſtatis omnis vſurpationem Deo probari. ſed ad rem redeamus. Cùm principatus inter homines ex naturæ vſu, atq́; adeò ex Dei voluntate proficiſcatur: quærendum in primis, quænam & cuiuſmodi cauſa ordinis huius inſtituendi, ſecundùm naturã indicari poßit: quam quæſtionẽ catholico reſponſo Vates excipit:* Ecce in iuſtitia regnabit rex. *Futurum verbum in diſputatione de natura, vel de moribus, in omni, inquam, philoſophiæ genere perpetuitatem (vt ſæpè aliàs docuimus) adnotandam præfert. Eſt itaque commune & conſtans, omniq́; exceptione immune reſponſum:* In iuſtitia regnabit rex, *ſiue ex exemplari verbo,* Ad iuſtitiam regnabit rex. *Philoſophico ſermone ita dicimus: Regni, ac regis auctoritas iuſtitiæ cauſa inſtituta eſt. Id quod ſi ab etymo confirmari primùm conueniat, nomina ipſa ac verba declarant: namq́; vt Latini à regendo regem dictum docent; Græci* βασιλεῦς*, ex eo vocari aiunt, quòd huic reliquus innititur populus. Sacra lingua nomen* MELECH*, à conſultatione & conſilio conſulendo, atq́; adeò ab opere & miniſtratione, affinitate verborum deducendum tradit. Itaq́; idem ſignificat vocabulum, quod Latinis conſultor & conſultus, conſul & conſulens, miniſter & miniſtrans, operæq́; nauator. Quæ nomina omnia vnico verbo* MELECH *comprehenſa, manifeſtè declarant, & prædicunt regi* in iuſtitia, *ſiue,* ad iuſtitiam, *ſiue, iuſtitiæ cauſa, regni gubernacula credita eſſe; & ad illud vnicum portum totius rei publicæ priuatæq́; gubernationem ſuſcipi, geri, & exerceri conuenire. Quid verò illud ſit, quod hoc nomine* iuſtitia, *ſignificatur, etiam breuiter explicamus. Latinis à iure, iuſtitiam dici, vel ipſis legum elementis primis traditur. Iuris nomen à condimento tranſlatum id ſignificat, quod vnicuique aptum conueniensq́; cenſetur. & Iuſtitia, virtus definitur, ius ſuum cuiq́; tribuens; ſed quoniam iuris ratio in meritis ac demeritis ſpectatur tantùm, nec miſericordiæ ſocietatem ſimpliciter admittit; huius nominis ſignificatio, quæ ad ſacram doctrinam faciat, ex exemplari lingua petenda eſt. Duo frequentiſſima & mutua, ſocietate notiſſima, in ſacris ſermonibus perſæpè occurrunt vocabula.* TSEDAKAH *&* MISPAT: *pro quibus Latini plerumque reddunt,* IVSTITIA *&* IVDICIVM. *Vtrumque nomen ſimul, ſeculorum ac mundi iudici, regi, & gubernatori Deo tribuitur: cuius auctoritatis ac virtutis exemplum omnis in terris poteſtas imitari debet.*

debet. Ita legimus: Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ. &, Deus iu- Pſal 88.
dicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Iudicare populum tuum Pſa. 71. “
in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio. Atque MISPAT, pro quo iudicium, “
Latinè audimus, idem quod iuſtitiæ nomen Romanum, indicat, ius ſuum
vnicuique tribuere. S. S. E. Vt magnum ita & paruum audietis. Non con- Deut. 1.
ſideres perſonam pauperis in MISPAT, in iudicio. Non timebis à facie vi- Leuit. 19. Deut. 1.
ri: quia iudicium Dei eſt. Carent ferè numero exempla quibus adnotatio “
hæc inſtrui poſſit. Alterum verò nomen TSEDAKAH, pro quo plerumque
Latini iuſtitia reddunt; non ad exquiſitum tantùm iudiciū, ſed ad omnem
virtutem pio homine dignam ſignificandam vſurpari ſolet: ac præcipuè
ad eam quam Latini bonitatem, benignitatem, liberalitatemq́; vocant: ad
quam ſi non ita propriè Latinorum iuſtitia, & Græcorum δικαιοσύνη refe-
runtur: tamen ipſa ab his nata adiectiua, iuſtus & benignus, idem ſignifi-
care videntur quod in Chananæa lingua TSADIK. Ita iuſtum dicimus,
omnibus virtutibus præditum hominem. vt apud Lyricum:

Iuſtum & tenacem propoſiti virum. Itaq; iuſtitia, ſiue, TSEDAKAH,
in ſacris morum probitatem, innocentiam, rationis ac veritatis curam &
ſtudium cum benignitate, atq; etiam miſericordia complectitur. Vnde &
id quod eleemoſynam dicere ſolemus verbo à Græcis mutuato, hoc nomine
in illa lingua, atq; in aliis ab illa deductis, appelletur. Sic apud Matthæum
Magiſter: Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt Mat. 6.
videamini ab eis. & paulo inferiùs: Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tu- “
ba canere ante te. vtrobique idem nomen ſua in lingua pronunciatum eſt. “
videlicet, TSEDAKAH, ſiue, TSEDEKO. Ex hac adnotatione planum fit
illud, quod de Ioſepho Mariæ ſponſo dicitur: Cùm eſſet iuſtus, & nollet
eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Itaq; quod propriè MISPAT,
ſiue iudicium dicitur, vniuſcuiuſque proprium ius ſignificat ſimpliciter.
Hiſpanè & Italicè, la razon, la ragione. Quod verò TSEDAKAH, ſiue IV-
STITIA, miſericordiæ, ac benignitatis coniunctam habet ſignificationem;
atque adeò omnium virtutum, quæ priuatum, quæq; publicum hominē verè
adornant, ſummam continet; in eo qui iudicis tantùm fungitur munere,
iudicium præcipuè vigere debet: cùm ea cauſa ſit creatus, vt ius vnicuique
tribuat proprium; ea virtus æquitas quoque dici ſolet, cui oppoſita eſt ini-
quitas. Itaq; huiuſmodi magiſtratus iudicium agit. Rex verò non iudicem
tantùm, ſed patriæ populorumq́; patrē repræſentat, miniſterioq́; ſuo Dei re-
fert imaginem. Qui cuſtodit veritatem in ſeculū, facit iudicium iniuriam Pſal. 145.
patientibus, dat eſcam eſurientibus Dominus ſoluit compeditos: Dominus “
illuminat cæcos: Dominus erigit eliſos: Dominus diligit iuſtos. Dominus “
cuſtodit aduenas: pupillum & viduam ſuſcipiet, & vias peccatorū diſper- “
det. Ad hanc verò imaginem informato regi primum, huiuſmodi iuſtitiæ
primam curam eſſe ſuſtinendam, Iſaias ait. Ecce in iuſtitia ſiue ad iuſti-
tiam regnabit rex. Primam regnandi & antiquiſſimam cauſam iuſtitiæ
cum benignitate ſtudium & exercitationem ducet; quippe qui non tyran-
num, ſed parētem agere ſe intelliget: hoc proprium cum primis fuerit illius

aucto-

*auctoritatis & muneris, vt pro recto arbitrio, cùm opus fuerit, interdũ iudicio; vt pater tamen, interdum benignitate, clementia, ac miſericordia, pro temporum ac perſonarum rerumq́ prouiſa oportunitate vtatur: tamquam in ſupremo loco, atq; in ipſa nauis gubernatione ad clauum ſedens; inde ex commoditate proram vel dirigere, vel in hanc aut illam partem deflectere nouerit, & valeat. Nautarum verò atq; miniſtrorum fuerit, ſuas quemq; parteis ad amuſsim præſtare; nihilq́ à præſcripto ſibi munere diſcrepare: & quod à nautis apud magiſtrum & gubernatorem exigitur, idẽ pro ſingulorum ordinibus à magiſtratibus & præfectis cæteris, qui rege minores habentur, exigendum: ſcilicet ne quiſquam proprij arbitrij ſeſe compotem exiſtimans, à præſcripto & inſtituto legum & iuris munere vel tantillum diſcedat; ſed vnicuiq; ius tribuens, muneri ſatisfaciat ſuo. Nam ſi miſericordiam & clementiam tempus aliquando poſtulet, regij officij id fuerit dignoſcere & præſtare. Hoc eſt quod à Vate in poſteriore hemiſtichio pronunciatum eſt.* Et principes in iudicio præerunt. *Atq; in hunc locum ea omnia quæ Moſes prætoribus & iudicibus à ſe creatis imponens præſcripſit, præcepta quadrabunt, nec ſine vſu ab huius commentationis lectore ex quinto legis libro repetentur: & plura etiam, quæ nos in dictato Chriſtiano de prætoris officio ex doctrina ſacra congeſsimus. Hoc loco nomen* MISPAT *in propria ſignificatione vſurpatur: non ſine elegante & iucunda legentibus verborum alluſione, qua carmen clauditur; quaq́ cum multis alius frui non poſſunt, qui ſacram ignorant linguam. Plaudant quamlibet illi negligentiæ ſuæ, vel hoc nomine, quòd rerum cognitione contenti, verborum curam nullam velint habere: tamen nos in verborum præcipuè à Deo dictatorũ, examinanda, & excutienda ratione, vel negligenda, plurimum etiam ad rerum ſummã cenſemus intereſſe: atq; figurarum, troporũ, imaginum, tranſlationumve reliquæ à communi ſermone, ac triuiali moneta variantis elocutionis copia & vſu humanum animum vehementer affici, mentem, memoriamq́ iuuari, atq; rerum imaginem nitidiorem conſpici; quibus partibus à Spiritu ſancto non neglectis, ſed commodè pertractatis, qui carere velit, careat licet libenter: dummodo ea, quæ ſponte negligit, aliis curanda videri, non inuideat. Atq; huius orationis figura, quam nos adnominationem, Græci paronomaſiam vocant; & elegantiam præfert: & ſententiam, ſiue ſignificationem exornat, & auget in hunc modum: Principes, ſiue magiſtratus, ſiue proceres qui ſecundas, tertias, aliasq́ his inferiores partes à rege obtinent, & agunt, communi vocabulo in ſingulari numero* SAR, *plurali* SARIM *appellantur, à verbo* SARAR, *ſiue* SOR: *cuius duæ ſunt ſignificationes omnino congeneres, altera præeſſe, altera metiri. Ex hac poſteriori nomen* MESVRA, *deductum eſt: quod Latini vnius literæ interiectione vſurpatum, vulgatiſsimum ſibi reddidere* MENSVRA, *à quo verbum* METIOR, *non à verbo nomen Latinum eſt. ſed his diſcutiendis nunc non eſt locus. Aliud quoque verbum huic voci & ſignificationi affine eſt* IASAR: *quod dirigere, complanareq́ apud nos ſonat; ſiue directio ad perpẽdiculum, ſiue ad libellam examinetur: eſtq́ verbum architectis familiare, qui omnia,*

*vel ad circinum claudunt, vel ad amuſſim dirigunt.* *Ad mores verò & actiones tranſlatum verbum rectè inſtitutam rem ſignificat. vnde rectum & curuum apud philoſophos idem quod bonum & malum, in moribus eſt: curuum & prauum poëtis idem valet. Atque oratio hæc, qua Iſaias de magiſtratuum creatione præcipit, verbis illis ambobus conſtat, in ſeq. continet argumentum ab analogia & à coniugatis; quorum alterū decorū, alterum neceſſitatis vim obtinet. vt illud: Si verè vtique iuſtitiam diligitis, iuſtè* Pſal. 57. *iudicate filij hominum. Sonat verò oratio his vocibus in exemplari lingua,* " VLESARIM LEMISPAT IASARV, *facilè aures adnominationē ſentiunt,* SARIM IASORV. *vt ſi Latinè diceremus, & rectores ad normam, ſiue ad iudicium dirigentur. Nam regere ac dirigere ad coniugata dialectica referuntur: & nomen illud* MISPAT, *quod in moribus iudiciū, ius, rationemq. indicat, architectorum quoque & agricolarum frequenti ſermone vſurpatur. Nam ſi Corinthium vel Doricum opus inſtituimus, ſatis locāti fuerit, redemptorem principio monuiſſe generis à ſe optati: quod ille intelligens ad artis rationem diligenter curare debeat. Id quod generis vel artis rationem dicimus, architectus in illa lingua ſonat* LEMISPAT, *ad iudicium, ad rationem & artem. Namq. artis nomen etiam à poëtis noſtris morum priuatorum, & publicorum diſciplinam ſignificat. Sic Satyricus:*

*Siue eſt naturæ hoc, ſiue artis, mirus vtroque.* Horat. lib. 2. Sat. 4. *Videmur iam orationis illius breuiſſimæ,* Et principes in iudicio præerunt; *magnam ſignificationem aliqua ex parte indicaſſe; quamquam prolixiore verborum diſtinctione, ac definitione: cuius laboris & maioris adhuc compendium faciunt, quicumq. linguam illam didicere; nihil non propriè, aptè, eleganter, poëticè; atque, vt ſummatim dicam, nihil non ad viuum exprimentem; & non verba, ſed ferè ipſas res ob oculos ponentem; actionéſque repræſentantem ſpectandas. immane quantis annotationibus & animaduerſionibus non indigent, qui Vates ſua verba ſonantes audiunt.* Principes in iuſtitia præerūt. *Ipſi iuſtè & purè præficientur, & præfecti iuſta ad amuſſin curabūt: itaq. breui ſumma, hoc eſt, vnico verſu Regū & principū inſtituendorū cauſas, & modos, rationemq. omnem Iſaias complexus eſt: quam Platones & Ariſtoteles, Plutarchi & Senecæ compluribus, & nimium prolixis voluminibus non planè abſoluunt, legentiumq. animos magis occupant & obruunt, quàm doceant.* Iura magiſtratus curabit, rex pater eſto. *Hoc vtriuſque partis cauſarum, inſtitutionis, & officiorum caput, hunc fontem Iſaias digito indicauit. Ex quo fonte quæ, & quantæ ad publicam & priuatam populorum felicitatem commoditates & opportunitates manent, tribus deinde riuis aperiendis ac deriuandis deducendiſq. oſtendit.*

Et erit vir ſicut qui abſconditur à vento, & celat ſe à tempeſtate, ſicut riui aquarum in ſiti, & vmbra petræ præminentis in terra deſerti. SI *ſine inuidiæ aut gratiæ ſuſpicione, perſonis prætermiſſis, de rebus æſtimandum ſit, ſuum cuique iudicium integrum permittimus; verùm calculos, quos ad ſententiam dicendam nobis iura concedunt, in omni antiquorum poëtarum & ſcriptorum apud Latinos choro, illi vni*

 *tribue-*

*tribuemus carmini, quod Q. Horatius Flaccus in Auguſti Cæſaris laudem cecinit: cuius initium eſt,* Diuis orte bonis optime Romulæ
Cuſtos gentis abes iam nimium diu.

*Namque illo non longo carmine Principis ſiue Imperatoris opt. imaginem pleniùs ac meliùs Chryſippo & Crantore, ne dicam Apelle & Zeuxi expreſſit. Ad cuius exemplum non ſemel tantùm ſpectandum, ſed ſæpiùs etiam repetendum noſtri Commentarij lectores inuitatos velim, non leue profectò legendi operæpretium facturos. Inde verò reuerſis, ea que de eodem argumento à Vate noſtro decantata hoc loci ſunt, attentiùs audire, & accuratiùs contemplari, ſimulq́ue cum illo opere componere monebimus; animaduerſuros quamplurima, quorũ pars, cùm ſimilia eſſe videantur, longè hìc præſtantiùs niteat; pars etiam quæ illic prorſus requiratur, hìc verò opportuniſſimè & pleniſſimè conſtet. Sed iam nos ad penſa noſtram manum referamus. Ex diuinis legibus, reſponſis, & carminibus, atq; adeò ex optimorum principum confeſſione & profeſſione compertum cognitumq́ue eſt, regẽ populi, non populum regum cauſa eſſe inſtitutum: eoſq́ue qui vel alia mente, vel forma alia principatum vel occuparint, vel geſſerint, & eſſe, & meritò dici tyrannos. Regem verò patris & paſtoris nomine ac titulo celebratum, ferè omnes linguæ nationesq́ue prædicat. Verùm paſtoris, & paſcendi verba longè celebriora & frequentiora in hoc argumento ſunt:* κοσμήτορες λαῶν *ſæpè Græcis Vatibus reges audiunt. Et Dauid ſeſe à Deo dilectum canit, ac de poſt fœtantes aſſumptum, Paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam: & pauit eos in innocentia cordis ſui: & in intellectibus manũ ſuarum deduxit eos. Paſtorum autẽ cura totidem partibus & finibus conſtat, quot regendo gregi neceſſitates timeri poſſunt: quarum in ſumma tria ſunt principia: primum, pericula & inſidiæ ab inimicis afferenda; ſecundum, calamitates & iniuriæ temporum; tertium, morbi ac labores qui in ipſo oriri grege poſſunt. Ad primum genus, leones, vrſi, vulpes, lupi, ceteræ rapaces feræ pertinent; inter quas fures, abigei, & latrones numerantur: ad ſecundum, pluuiæ, æſtus, imbres, glacies, niues, venti & locorum noxæ omnes referuntur: ad tertium verò fames, ſitis, ſaturitas nimia, herbæ nocentes, laſſitudines, & otia immodica, ſcabies, tuſſes; & morbi omnes, qui intra ipſos pecudum artus naſci & ali ſolent. His tribus malorum generibus cognoſcendis, proſpiciendis, auertendis, curandis, ac depellendis, paſtorum cura officiumq́ue impenditur: id verò contrariorum cognitione & commoda oportunaq́ue adminiſtratione præſtatur. Atq; vt à pecoribus mutis ad rationales & humanos greges imaginem transferamus, vnum curæ ac diligentiæ, ſtudij & officij caput principi optimo in euitanda ac depellenda periculorum ab hoſtili vi creandorum neceſſitate conſtat: alterum temporum opportunitates & importunitates reſpicit: vt famem publicam, annonæ copiam, peſtes, populares morbos, tempeſtatum damna, & aquarum aëriſq́ue ſanitates, aut corruptionem ſpectant. Hæc verò capita ad vitæ mortalis rationem & vſum, atque adeò ad corporum rectum habitum, & ad ſecuritatem & otium referuntur: quod otium, ſi honeſtum ſit ac temperatum, & animis*

*mis & corporibus prodeſt, ſin minùs, obeſt maximè. Tertium autem caput, rectam animorum inſtitutionem, quæ doctrinæ copia & vſu paratur, propriè ſibi vendicat: ex qua etiam non leuia corporum commoda vel incommoda proficiſcuntur. Omnia hæc ſuis ordinibus diſtincta, diligentiſſimè tractare & curare (ne quis aliter putans, erret) veri & laudati Deoq; grati principis & regis fuerit: aliàs tyrannidis nomen iudiciumq; ſubituri. Aptiſſimis autem ex communi, & omnibus noto vſu, ſimilitudinibus omnia hæc regij officij munia oſtendit Vates; è regis partibus & harum partium vſu, quo populus fruitur, ſimul compoſitis & indicatis.* Et erit vir, *vocabulum* IS, *pro quo ſæpè reddimus vir, in ſacra lingua diſtributiuum eſſe ſolet, atq; idem valet quod, vnuſquiſque, vel ſinguli. ſignificat autem hoc loco boni principis curam, non populo tantùm tributim, ſed viritim etiam prodeſſe. huic ſimile quiddam cantabat ille:*

*Condit quiſque diem collibus in ſuis,*
*Et vitem viduas ducit ad arbores.*

*Singulæ, inquit, regiæ cumprimis curæ tutela perinde fruentur, & gaudebunt. Atque is qui domus ac tecti vel ſpecus alteriusve loci aprici opportunitate reperta, vehementis ac ſæui venti vim effugit ac vitat. In violentiſſimarum rerum genere mare & venti ponuntur: ventus enim animalium corpora impetu fatigat vehementer; & nimio frigore, ſi frigidus fuerit, afficit: ſin humidus aut ſiccus, iiſdem viribus lædit: atque ita violentiæ imaginem vel tempeſtatis nomine præſtat. quare tranquillitatem & ſecuritatem ſignificare volens Vates regis optimi tutela vnumquemque tam ex maioribus, quàm ex plebe non ſecùs fruiturū, quàm is qui venti importunā effugiens tempeſtatem, & aprico inuento loco ſuccedens, huiuſmodi vſurpare poteſt carmen:*

*Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum*
*Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.*

*Quo carmine Maroni publicam ſecuritatem Auguſti imperio conſtantem laudatam arbitramur.* Et celat ſe à tempeſtate. *Vndique munitum eſſe locum oportet ad vitandam non modò venti vim, ſed vehementis tempeſtatis, imbribus & ventis pariter mixtis, excitatæ impetum & iniuriam: nam ventus plerumque in latera incumbit, tempeſtas altius veniens, ſumma etiam ferit, & inundare contendit. Nomen* ZEREM, *imbrem, nimbos, procellas, ac turbines, eaq; maxima, ſignificat: quæ omnia, cùm vnum verbum Latinum indicare non poſſit, ſumitur id quod aliquo modo poſſit, quale eſt tempeſtas; quamquam hoc ad ſerenitates etiam referatur,* ZEREM *verò, ad violētiam tantùm. Hiſpani nomen huic affine habent, Chorron. Ita nullam calamitatem, nullum tantum malum & incommodum ab hoſtibus & inimicis populo afferri poſſe ait, quod in tutela, & in præſidio regiæ virtutis latentibus non contemnatur. Atq; hæc prima ſimilitudo hoc periculorum genus depellendum reſpicit. aliud verò, quod ad varias temporum calamitates & iniurias refertur, quales fames, morbi populares, ex cæli aeriſq; inclementia orti, boni principis tum induſtria & ſedulitate, ac prudenti conſilio corrigenda, tum verò ſanctitate vitæ & moribus, ſacrificiis, ſupplicationibus,*

 depre-

*deprecationibus, & omni ad placandum iram Dei, procuratione auerſum, ac depulſum iri ſignificat. Cuius rei exempla complura in bonorum principum annalibus leguntur; & à nobis hoc loco propter ſtudium breuitatis non recenſentur. Tertiam porrò ſedulitatis & curæ partem, quæ à rege in bonarum diſciplinarum copia, & in recta animorum informatione ponẽda eſt, quantum, quamq́; multis nominibus hominum generi, & ordini omni vtilis ſit, pulcherrima etiam & appoſitiſsima ſimilitudine demonſtratur.*

Sicut riui aquarum in ſiti, & vmbra petræ prominentis in terra deſerti. PROFECTO *ſi verba ſingula ad amuſsim expenderemus, vno hoc in explicando carmine permagnum impleremus volumen. Verùm cùm hoc nec per ætatem noſtram, nec per lectoris patientiam, & chartarum modum liceat, ſignificatione potiùs quàm explicatione agendum nobis eſt. Diſcendi & cognoſcendi cupiditatem & appetentiam omnibus hominibus innatam philoſophi docuere; ſed labore conſtantem ſcientiam, radicemq́; amariorem cognitionis à pluribus horreri prodidere alij. Scientiarum ac diſciplinarum, quamquam perpetua & indeficiens natura ſit; tamen tenues eſſe venas, & multo labore ac ſtudio veſtigandas: atq; hinc diſcendi nata difficultate euenire, vt perpauci ſeriam doctrinæ ac diſciplinæ dent operam: ex quibus etiam rari docti, hoc eſt, diſciplinarum & artium apprimè compotes euadant. quibus etiam rebus accedit, tum rerum ad vitæ vſum comparandarum inopia, qua pauperiores preſsi, animum ad ſtudium minùs attentum habent. Tum verò copia, quæ poſſeſſores à labore ſeuocat, & ſui potiùs quàm doctrinæ amore afficit. Poſtremum inuidia & æmulatio plurimum in hoc genere tractando, turbare ſolet. Vtrique tamen ſi rationem inuenire poſſent, qua ſine multo labore ac ſudore, ſine temporis diſpendio, abſque peregrinationum & itinerum fatigatione, ſine inuidia ſe ſcientiæ compotes euaſuros crederent: non dubium eſt quin libenter contenderent, quò naturæ deſiderio aguntur. Nemo eſſet, qui indoctus, aut rudis eſſe, vocariq́; optaret: non magis quàm ſi quis grauiter ardenterq́; ſitiens oblatum aquæ puræ & minimè noxiæ largiorem potum recuſare poſſe putaretur. Ad animalis corpus nutriendum duæ res præcipuè commodæ ſunt & vtiles, nulli animantium non notæ, cibus & potus: quarum quærendarum cauſa totidem quoque appetentiis anima ex naturæ vi afficitur, hoc eſt fame, & ſiti. Ex his vehementiùs & impatientiùs vrget, afficitq́; ſitis, vtpote quæ nonnullam cum igni affinitatem habet: cuius vehemens maximéque concitata vis eſt, & ſentiendi facultatem præſentiſsimo & efficientiſſimo calore lædit. quamobrem animalia ſitim quàm famem longè iniquiùs tolerant. Iam verò diſcendi & cognoſcendi cupiditatem, ſiue auiditatem ſitis, doctrinæ verò copiam & oportunitatem potus aquarumq́; imaginibus non modò ſacri ſcriptores, ſed ceterarum omnium ferè nationum auctores, atq; in his poetæ præcipuè, ſignificant. Hinc illa, & multa huiuſmodi alia:*

*Tale tuum carmen nobis diuine poëta,*
*Quale ſopor feſsis in gramine; quale per æſtum*
*Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo.*

&

*& illud: Vtrumque ſacro digna ſilentio*
*Mirantur vmbræ dicere. ſed magis*
*Pugnas & exactos tyrannos*
*Denſum humeris bibit aure vulgus.* *Hinc illa apud poetas celebratiſsima fontes & fluuij Heliconis, Pyrenes, Permeſsidos, & cetera nomina: ex quibus qui biberent, docti Vates euadere dicebantur. Hac itaque translatione vſurpata, Iſaias regis boni curam in ſufficienda populo veræ & ſalubris doctrinæ copia ſignificauit: quæ tanto præſtantior & impenſior eſſe debet, quanto natura ſua animorum quàm corporum commoda vel incommoda maiora ſunt. Huius verò generis ſufficientiſsimus ad humanam leuandam neceſsitatem vſus ita deſcribitur, adumbraturq́; à Vate,* Sicut riui aquarum in ſiti. *Nulla maior, nocentior aut vitæ humanæ infeſtior ſitis, quã doctrinæ diuinæ; quippe quæ ſola veri & honeſti rationes certiſsimas tradere poteſt: quibus qui imbuti fuerint à dubiis & quæſtionibus ambiguis & vanis liberentur; problematisq́; carent inutilibus, & viam certam tenent, qua vitæ huius mortalis curſum peragant; virtutemq́; verã exercentes ad felicitatis culmen ex Dei beneficio & ope deducantur. Huiuſmodi ſitis morbum, niſi oportuno remedio curari contigerit, lætalem hominibus eſſe pronunciauit Amoſus: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, &* Amos 8. *mittam famem in terram: non famem panis, neque ſitim aquæ; ſed audiendi verbum Domini: & cõmouebuntur à mari vſque ad mare: & ab Aquilone vſque ad Orientem circuibunt, quærentes verbum Domini, & non inuenient. In die illa deficient virgines pulchræ & adoleſcentes in ſiti. Curam itaque bono principali maximam eſſe, & ſtudium ponendum in ſufficienda populo ſuo doctrinæ copia, eaq́; quàm largiſsima; qua ſitientes hominum aures, animiq́; expleantur & recreentur. Hanc verò affluentem copiam* PELAGIM *nomine indicauit Vates: pro quo Latinus interpres, hîc riuos, aliàs decurſus aquarum, aliàs fluenta reddit: quæ omnia ad curſum,* Pſal 1. Prou. 4. *fluxionem & ſufficientiam pertinent: nam verbo* PALAG, *ſufficere Latinum aptè reſpondet. A qua voce Pelagus nomen Græci ac Latini mutuarũt: quod tamen de fluentibus aquis, ita vt ſtagnantibus, videtur aptaſſe. quamquã à poetis largiore & liberaliore ſignificatione admiſſum, pro mari vſurpetur. Quocumque modo vox habeat, largam & continuam perpetuámque copiam ſignificat, qualem populo Dei optandam Spiritus ſanctus commendat. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, ſermone, & ſcientia, & chari-* 2. Cor. 8. *tate veſtra in nos, vt & in hac gratia abundetis. Hoc etiam ſignificans diuinus Magiſter, Meſsis, inquit, multa eſt, operarij autem pauci: rogate ergo dominum meſsis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Iucundiſsimam, verò maximè gratam, oportunamq́; eſſe aquæ copiam ſitientibus, naturæ deſiderium docet, & exteri etiam Vates decantarunt:*

*Tale tuum carmen nobis diuine poeta,*
*Quale ſopor feſsis in gramine, quale per æſtum*
*Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo.*

*Atque mortalem vitam hanc itineris ac peregrinationis potiùs quàm ha-*

Heb.13. bitationis nomine diuinæ doctrinæ profeſſores inſcripſerunt. S.S.E. Non
1.Pet.2. habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. & , Obſecro vos tamquam aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus concupiſcentiis, quæ militant aduerſus animam. Neque verò iucundæ amœnæq́ viæ, aut itineri multis commoditatibus ac delitiis inſtructo vitæ huius peregrinatio adſimilis prædicatur iis, qui de vera hominum felicitate diſſerũt: ſed potiùs meras eſſe dicunt ſolitudines deſertas, incultas arboribus & paſcuis, atq; omni iucunditatis fructu carenteis; quales quàm longiſſimi Arabiæ ac Perſidis tractus eſſe memorantur: per quos neque noctu ingredi tutum propter ferarum frequentiam illis regionibus diſcurrentium; neq; per lucem, præcipuè æſtiuam, quam nimius æſtus infeſtam, & iter agentium capitibus corporibusq́ nocentem efficit, maximè verò ſole meridiei vicinia percurrente. In quæ loca cùm viator deuenit, arentis feruore ſoli, & nimio ſolis calore fatigatus, vix dici poteſt, quantum deſideret vel aquam qua ſitim extinguat, vel arboris vmbram, cui ſuccedendo horæ feruorem vitet, aut minuat. Quod ſi vtrumque nactus fuerit, immane quantum conſolationis accipiat, atq; ſpei etiam concipiat, fore, vt illius cupitæ oportunitatis beneficio refectus & animatus, vlterius etiam progredi, atque inſtitutum iter conficere tandem poſſit. Atqui vtramque commoditatem populo ex boni ac pij regis cura contingere Vates noſter ait: tum doctrinæ copia & abundantia, qua diſcendi & cognoſcendi vera & honeſta expleatur ſitis; tum verò exemplorum ad rationem ac normã diſciplina conſtantium oportunitate in ipſius regis vita ac moribus ſpectata. Namq; ſine moribus leges otioſæ habentur: atq; adeò magis ad miniſtrorum & magiſtratuum auaritiam & ambitionem torquentur, quàm ad publicam viuendi normam diriguntur. Cùm verò optimi Principis conſtans virtutis exemplum ſtatuitur, tum maximè leges iuuant, egregieq́ proſunt. Tunc vmbra illa conſtat, cuius vſu vitæ labores tolerantur, temporumq́ importunitates & incommoditates minuuntur. Huius enim Principis præſidio tamquam firmiſſima tutela muniti homines, ſeſe tutos fore confidũt; huius exemplo itineris, vitæ æſtus ceteraq́ incommoda minuenda ſibi ſperant, imò experiuntur imminuta. Quippe cùm nemini mortali tantus labor, quantus vni bono regi exantlari cenſeatur: quem ceteris proſpiciendi & conſulendi cauſa non ſolùm propugnationis curam, inſtitutionis ſtudium, ſed etiam exemplorum vitæ, atq; morum correctionem & ornatum in ſuaipſius perſona, familia, atq; domo præſtare oporteat; atq; hoc pacto vmbram altis refrigeriumq́ comparari eueniat: idq́ non ſemel tantùm aut leuiter, vel cum aliqua vitiorum & virtutum permixtione, vel mutatione & varietate, ſed ſolidiſſimè cumprimis & conſtantiſſimè. Poteſt enim viatori exæſtuanti fruticis aut arboris vmbra contingere; quæ tamen propter foliorum & ramorum raritatem, & naturæ mobilitatem ventis obnoxiam, nec adeò tutum receſſum, nec locum pariter opacum, nec opacationem perinde commodam & ſtabilem præſtare valet, atq; rupes aliqua, quæ ipſa, cùm ſolis impetum & feruorem ſuſtineat, ad eos, quos vmbra ſua afficit, penetrare & pertingere nulla ex parte ſinit;

ſed

*ſed continuâ & conſtanti opacatione refrigeratos conſeruat: adeò vt ipſa ſtando ac perſiſtendo, ſedendi, quieſcendi, atq; interdum ſomno laborem & laßitudinem temperandi copiam faciat. Hæc omnia obſeruata conferri in hunc locum oportuit, ad indicandam ſimilitudinem vmbræ, non in arbore, aut in animali aliquo, ſed in rupe, ſiue petra à Vate noſtro definitæ. Cur verò mores & exempla in principibus viris & regibus ſpectata aliorum hominum cauſa vmbræ appellentur, in cauſa eſt, quòd vmbra corporis, cuius imago eſt, delineamenta & figuram imitatur, quamquam rudem, tamen ad vſum formæ, quod ſatis eſt, expreſſam, neque parem virtutem aut obtinet, aut confert vmbra cum corpore: ita tamen habet, vt ex ipſius contemplatione corporis, genus & forma quodammodo cognoſci poßit: arboris vmbra arborem, hominis hominem, quadrupedis quadrupedem, petræ petram, & Pontificis Pontificem, regis denique regem indicat: quippe quæ & regium apicem referat, ſicut nudi hominis nudum quoque ſimulachrum præſtat.* Et vmbra petræ prominentis in terra deſerta. *Prominentem petrã, regẽ vocat, loco, gradu, & miniſterio ceteris omnibus præſtantem. Sua in lingua.* Sicut vmbra petræ ampliſſimæ in terra laſſitudinis. *Laßitudinis terra, vitæ huius mortalis importunitas, & itineris labor dicitur. Hæc optimi principis officia cum ipſa rerum publica natura maximè conuenire docuit etiam Latinus ille bonus auctor; qui & de virtute rectè pro ſua tempeſtate locutus, in vitia quoque perorauit.*

*Cùm tot ſuſtineas, & tanta negotia ſolus,*
*Res Italas armis tuteris, moribus ornes,*
*Legibus emendes.*

*Sed quanto interuallo huius oratio ab Iſaiæ carminibus vincatur, vtrumque elocutionis genus cum verbis, tum rebus comparatum demonſtrat. Porrò myſterium aliud quod hoc in verſu latet, non omnino reuelabimus: neque enim huius loci vel temporis eſſe arbitramur hoc agere, verùm indicabimus tamen. Legem Dei in tabulis ſcriptam & membranis explicatam, magnum operæpretium ſui amatoribus atq; ſitientibus, vbi bibere haurireq; contingit, facere, ſacri auctores omnes prædicant; ideoq; illius commendant, & ſuadent ſerium ſtudium, tam populis, quàm populi principibus vtilißimum: verùm non eſſe illius vſum adeò omni ex parte maximum & beatißimum, excipiunt: quippe qui non plenam felicitatem præſtet, ſed vmbra quadam felicitatis afficiat eos, qui in illa, ſicut decuit, verſati fuerint: atque illam vmbram futurorum bonorum eſſe, quæ per verbũ Dei promiſſa quondam, aliquando afferenda & cõmunicanda erant; æterno cælorum rege id agente, qui populum in ſe credentem, filiorum Dei adoptione, & regni communione aucturus erat. interim verò dum hoc præſtaretur, nullam in cæteris toto orbe apertis diſciplinarũ ſcholis hominum refrigerio & ſubſidio locum eſſe certum, niſi in vna hac ſingulari Dei beneficio patefacta diuinæ legis doctrina: quam qui ritè coluerit, ſalutis ab eadem non collatæ, ſed indicatæ & commendatæ compos tandem ex diuino beneficio euadet. S. S. E. Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ eſt in æternum: omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam; qui autem* Baruch 4.

*dere-*

,, *dereliquerunt eam in mortem. Conuertere Iacob, & apprehende eam: am-*
,, *bula per viam & ſplendorem eius, contra lumen eius. Ne tradas alteri glo-*
,, *riam tuam, & dignitatem tuam genti alienæ. Beati ſumus Iſrael, quia quæ*
,, *Deo placent, manifeſta ſunt nobis. Hæc ſatis nunc ad arcani rationē, quam à Deo in nobis penitùs aperiendam poſcimus. Qualem porrò, quàm optandum, quàm beatum huiuſmodi curæ, conſiliȳ, prouidentiæ, atq; operæ ex optimi principis munere & officio profectæ euentum & publicè & priuatè expectandum fuerit, numeroſa partitione declarat Iſaias, populi ſtatū per ſingulorum hominum ſtudia & mores deſcribendo.*

Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auſcultabunt. Et cor ſtultorum intelliget ſcientiam, & lingua balborum velociter loquetur.

DIVINÆ *legis ſtudium ab optimo principe curatum & procuratum quantas virtutes habeat ex recto, ſano, & probando cum ſingulorum, tum communis ſenſuum vſu, per allegoriam ſiue tranſlationem Vates oſtendit. Etenim ſanum animal illud eſſe dicitur, quod membrorum, artuum, omniumq; partium inculpatis fruitur vſibus. Partium verò principatum facilè obtinent eæ, quas ſibi ſenſus vendicant, qui feneſtræ ſunt animæ. Ex ſenſibus verò ſingularibus & externis viſus & auditus præcipuā merentur commendationem. Sicut ſcriptum eſt: Oculus videns, & auris audiens,*
Prou.,, ,, *vtrumque Dominus fecit. Horum tamen communis qui dicitur ſenſus, arbiter eſſe videtur: cuius præcipua ſedes nobis ſacram diſciplinam profeſſis, in corde eſt. vnde cordati homines dicuntur, qui communi ſenſu valent, recteq; vtuntur. Atq; hæ in animalis hominis corpore primæ habētur partes; quibus proximum honorem lingua occupat: nam vti ſenſus animæ feneſtræ, ſic lingua animi interpres dicitur. cuius munere & vſu hoc animal ceteris quoque excellit, quæ vel ex aquis, vel ex terræ partu edita multa extiterunt. Vtq; horum omnium ſenſuum rectus & expeditus vſus, nulláque ex parte læſus, ſani corporis indicium facit: ita ad hanc ſimilitudinem eadem ſanitas ad animi quoque valentis, & rectè agentis iudicium transfertur. Nam vt qui rectè videt, rectè audit, rectè omnino ſentit, rectè, expeditè loquitur, ſanis oculis, auribus, corde & lingua eſſe dicitur: ſic etiam qui recta conſpicere, diſpicere, & cernere, recta audire, recta cogitare, & recta proloqui, effariq; ſolet, vir bonus & ſanæ mentis audit & prædicatur: illud ad corporis, hoc ad animi felicem & integram valetudinem refertur, & ad morum commendationem cumprimis facit. Atq; hanc rerum & perſonarum conditionem ad laudes vſurpandam ſeria & ſimplex diuinæ legis cognitio oportuno ſtudio & cultu inſtructa præſtat. Quippe lex ſimplex cùm ſit, bonorum ac malorum naturas non velatas, verùm nudas cum ſuis originibus membris, & coloribus habitudinibuſq; indicat: & quibus quæq; verbis & nominibus appellari oporteat, planè, ſincerè & expeditè docet. Denique veritatem & ſimplicitatem vtroque in genere declarat: nec vero falſi, nec recto praui nomen, aut contà indi permittit. lucem à tenebris, à corpore vmbrā dirimit; nec vel fando etiam huiuſmodi genera confundi*

*fundi ſinit. S. S. E. Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimo-
nium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis, præceptum Domini
lucidum illuminans oculos. Ex hoc bonæ ac ſanæ diſciplinæ fonte qui po-
tiùs haurire, quàm riuulos alios humanæ ſapientiæ conſectari aſſueuerit;
mirum quàm rectè & verè atq; ſincerè de rebus iudicare, quamq; aptè elo-
qui, & ſingula ſuis nominibus appellare poterit; quantumq; ab argutiis, fi-
ctionibus, diſſimulationibus, atq; aſſentione, adulationeq; liber erit, & ab
aliis huiuſmodi: quæ cùm ex prudentia, ingenij dexteritate, cautione, &
aſtutia proficiſci vulgò putentur; tamen à mera malitia, inſolētia, aut mi-
nimum ab ſtultitia orta diuina lex notat. Hæc igitur huius, de quo commen-
tamur & huic ſubiunctorum verſuum argumenti ſumma eſt: quæ expenſis
nonnullis vocabulis faciliùs tenebitur.* Oculi videntium. *Qui aliquid in-
tuentur,* ROIM *dicuntur: quos vel proprij ſenſus infirmitas, vel interiecti
äeris turbatio, vel nimia rei videndæ remotio caligare, minusq; clarè per-
ſpicere faciūt. hæc diuinæ legis vis & prærogatiua eſt: cui qui ſenſum men-
temq; aduerterint, videre omnia, atq; malum à bono, rectum à curuo, ab ho-
neſto prauum poſſint diſcernere; cùm alij omnes etiā in meridie cæcutiant.
Quamobrem ita Pſaltes poſcebat. Auerte oculos meos, ne videant vani-* Pſal. 118.
*tatem: in via tua viuifica me.* Et aures audientium diligenter auſculta- “
bunt. *Non modò audient vt vulgus hominum: quibus cùm patentes conti-
gerint aures, audiunt quidem illi quæ vel dicuntur, vel leguntur, ac reci-
tantur; verùm perinde hauriunt, ac ſi non audiſſent, quippe non ſitientibus
auribus accipiunt: ſed iam deinceps poſthac qui ſanæ & ſinceræ doctrinæ,
boni principis exemplo & cura, auidi fuerint,* diligenter auſcultabunt;
*atq; ea quæ viderint, & auſcultantes acceperint, maturo communis ſenſus
arbitrio expendent; non temerario & inſolenti tumultu diſtinguent, &
component; ſuis quæq; modis & ponderibus examinabunt.* Cor ſtultorum
NIMHARIM *dicuntur, qui Latinis temerarij, tumultuoſi, nihil penſi ha-
bētes, creduli: quo verbo vſus Eccleſiaſtes, præcipit: Ne temerè quid loqua-* Eccleſ. 5.
*ris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Ita qui* “
*opinione magis quàm veritate aut ſcientia ducūtur, hoc vocantur nomine:
quod ad ſtultitiam Latinus interpres meritò refert. namq; facilitas, & opi-
nioſa credulitas, vnum ex ſtultitiæ generibus eſt. vt ex illo carmine doce-
mur, in quo idem vſurpatur verbum: Citò fecerunt, obliti ſunt operū eius:* Pſal. 106.
*& non ſuſtinuerunt conſilium eius.* intelliget ſcientiam. *Tenebit rectè
tum res, tum rerum cauſas, antecedētia & euenta, longè aliter, quàm qui
opinionibus temerè aguntur, vel de ignotis inſolenter audiunt, & facilè
aſſentiuntur, faciliusq; pronunciant. Scientiam philoſophi nominant co-
gnitionem eam, quæ à primis, certis, & notis rerum cauſis proficiſcitur; atq;
ſuo illi in foro rectè definiunt. Nos ex ſacrorum librorum doctrina ſcien-
tiam venerati, eam præcipuè interpretamur eſſe, quæ ex diuinis reſponſis,
omni ſenſu & euidentia humana firmioribus, paritur: de qua ſcriptum eſt:
Teſtimonium perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, ſed nō ſecun-* Rom. 10.
*dum ſcientiam. Et de iis, quæ idolis ſacrificantur, ſcimus, quia omnes ſcien-*

1.Cor.8. *tiam habemus. De eſcis quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt ido-* » *lum in mundo; & quòd nullus eſt Deus, niſi vnus.* lingua balborum, *qui non facilè eloqui poſſunt, ſed palato ſunt impeditiore, atque lingua tremula antè laborant, quàm pronuncient,* GHILEGIM *dicuntur, ex quo peregrino vocabulo Hiſpanis ortum arbitror ridiculum prouerbiolum, quod frequenter in cōfuſis ſermonibus vſurpatur (O ſomos gelegos o no nos entēdemos.) atq; huiuſmodi oris ac linguæ impedimento laborantes, Tartamudo's Hiſpani dicunt. Hinc ex tranſlationis figura eos indicat, qui de rebus impeditè, ſiue imperitè potiùs pronunciare, nihilq; certi & conſtantis, planiq; vel reſponſi vel conſilij, rogati reddere poſſunt, omnia diſtinctionibus, ſiue confuſionibus magis inuoluunt; adeò vt conſultorem indoctiorem quàm accedere viderant, dimittant. Huiuſmodi impedimenti morbum iis, qui Dei ſcientia imbuti non fuerint, laborare accidit. vt ſuperiùs hoc eodem Vate*
Sup. *audiebamus, dicente: Manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi,* » *modicum ibi, &c. Verùm enimuerò diuinæ ſcientiæ vero ac ſerio ſtudio efficiendum ait hoc loco, vt qui tardè antea balbutienterq; loquebantur, poſthac deinceps promptè, purè & expeditè, propriè & germanè pronuncient: non verborum modo propriorum, verùm vocum ſinceri & puri vſus compotes redditi: ita vt neque T, pro D: neque N, pro M: nec E, pro I, proferant. Huiuſmodi tranſlatione ſuam orationem confirmauit Vates. Denique neque in verbis, neque in vocibus vel barbariſmum, vel ſolœciſmum faciant: ne dum in rebus cognoſcendis & iudicandis deficiant.* Velociter. *Contrarium verbum voci* GHILEGIM, *ideoq; rectè ab interprete noſtro vſurpatum. in exemplari lingua* loquetur TSAHHOTH, *puritates. quo vocabulo omnis dicendi copia, elegantia, proprietas, venuſtas, denique orandi peritia ſignificatur. Ex quo fit, vt quæ nobis Rhetorice appellatur, hoc eſt, dicendi ſcientia, illa in lingua* TSAHHVTH *vocetur. Quantum verò cōmuni hominum conſuetudini & ſocietati tum boni, tum commodi, & emolumenti ex huiuſmodi ſenſuum, mentis, ac linguæ correctione acceſſurum, euenturúmque ſit, enumeratione, atque oppoſitione (quam antitheton artifices nominant) Vates indicat.*

Non vocabitur vltrà is qui inſipiens eſt, princeps.

VBI *diuinæ legis viget ſtudium cum timore quem illa ſuadet & affert coniunctum, nullus nec ignorationi, nec ſimulationi, aut diſſimulationi, adulationi, & aſſentationi nullus; imò neque metui humano relinquitur locus: ſed omnia ſuis ponderibus expenſa, propriis efferuntur, declaranturq;*
Horat. lib. 2 Serm. Sat. 3. *verbis; non oppoſitis, imò neque cognatis etiam, vt ille dicebat,*

*Ex more imponens cognata vocabula rebus. Quod vitium quàm turpe, quàm importunum, quamq; nefarium, & admittentibus peſtilens exi-*
Sup. 5. *ſtat, Iſaias docebat: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponen-* » *tes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce* » *in amarum. Dormientibus conniuentibus, aut etiam vltrò admittentibus principibus, dum ſerium diuinæ legis negligitur ſtudium, vitiorum nomine virtutes, rurſuſq; vitia virtutum nominibus ac titulis appellantur. Hoc*

*malum*

*malum vbi vigeat, inſaniam, mentiumq́; alienationem communiter graſſari, & omnia publica & priuata ſacra & profana miſceri, & cõfundi perturbariq́; neceſſe eſt; quod vt corrigatur, boni principis officium cumprimis fuerit.* Qui inſipiens eſt. NABAL, *vilis, imprudens, profuſus ſuarum rerum, alienarum appetens, atq; caducæ & fatuæ mentis, hoc nomine dicitur; ita enim prudens illa & fortis mulier Abigail mariti amentiam excuſabat: Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor ſuum ſuper virũ iſtum iniquum Nabal: quoniam ſecundùm nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo.* 1 Sam. 25. *Hunc verò vbi ſenſus hominum corrupti ſunt,* NADIB, *id eſt, principẽ magnificum, ſpendidum vocari notat Vates, ab iis nimirum, qui paraſitorum profiteatur ſectas, quorum exemplum ſatis idoneum auctor ille deſcribebat.*

*Nunc age luxuriam & nomen tantùm arripe mecum,*
*Vincit enim ſtultos ratio inſanire nepotes;*
*Hic ſimul accepit patrimoni mille talenta,*
*Edicit piſcator vti, pomarius, auceps,*
*Vnguentarius, ac Tuſci turba impia vici,*
*Cum ſcurris fartor, & cum velabro omne macellum*
*Manè domum veniant. Quid tum? venere frequentes:*
*Verba facit Leno, quidquid mihi, quidquid & horum*
*Cuiq; domi eſt, id crede tuum; vel nunc pete, vel cras.*
*Accipe quæ contra iuuenis reſponderit æquus:*
*In niue Lucana dormis ocreatus, vt aprum*
*Cœnem ego, tu piſceis hyberno ex æquore vellis.*
*Segnis ego indignus qui tantum poſſideam, aufer,*
*Sume tibi decies, tibi tantundem, tibi triplex,*
*Vnde vxor media veniat de nocte vocata.*

*Huiuſmodi futiles & nihili homines, luxu perditos, profuſionis temeritate meritò infames; tamen quia facultas contingit, & ad effundendum copia, liberales & magnificos corruptum vulgus vocat. Hæc eadem illi*

*Omnia cùm faciant, hilares nitidiq́; vocantur.*

*Quòd ſi huic tantùm vitio virtutis imponeretur nomen, ſimplex fortaſſis error videri, ac dici poſſet; verùm tanta eſt hominum in iudicandis & nominandis rebus peruerſitas, vt contrariis etiam & extremis, morbos ſanitatis ac proſperæ valetudinis nomine laudent: vtq́; tam auaritiam, quàm profuſionem magnificis verbis commendent.*

Neque fraudulentus appellabitur maior.

CHILAI *nomen, quod in exemplari legimus, eum ſignificat, qui & ſibi neceſſarium ſumptũ inuitus facit; & plura ſemper parare laborat: ideoq́; tantum à largitate, aut à benignitate alienus eſt; vt vix ea quæ diſtrahit, & vendit, aut quæ familiaribus alendis inſumit, iuſtis menſuris & ponderibus præbeat; qualem ad viuum Satyricus depingebat:*

*Sunt quædam vitiorum elementa, his protinus illos* Iuu. Sat. 14.
*Imbuit, & cogit minimas ediſcere ſordeis:*
*Max acquirendi docet inſatiabile votum.*

*Seruorum ventres modio caſtigat iniquo*
*Ipſe quoque eſuriens. neq; enim omnia ſuſtinet vmquam*
*Mucida cærulei panis conſumere fruſta,*
*Heſternum ſolitus medio ſeruare minutal*
*Septembri: nec non differre in tempora cœnæ*
*Alterius concham æſtiui cum parte lacerti*
*Signatam, vel dimidio, putriq; ſiluro,*
*Filaq; ſectiui numerata includere porri.*
*Inuitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.*
*Sed quò diuitias hæc per tormenta coactas?*
*Cùm furor haud dubius, cùm ſit manifeſta phreneſis,*
*Vt locuples moriaris egenti viuere fato?*
*Interea pleno cum turget ſacculus ore,*
*Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit,*
*Et minus hanc optat, qui non habet.* *Hunc ſuis coloribus ex viuo depictum, Iſaias nomine* CHELAI *ſignificat: Latinus interpres fraudulentum nominauit, ad vocabuli germanã ſignificationem alludens. namque ille non fraudator tantum, ſed fraudulentus iure dicitur, qui propter auaritiam non alios modò, ſed proprium genium, vt Latini eloquuntur, defraudat. Huiuſmodi verò ingenia honeſto nomine ornari, celebraríque ſolent, vbi & mores & iudicia deprauata vigent.*

*Fallit enim vitium ſpecie virtutis & vmbra,*
*Cùm ſit triſte habitu, vultuq; & veſte ſeuerum.*
*Nec dubiè tamquam frugi laudatur auarus,*
*Tamquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum*
*Certa magis, quàm ſi fortunas ſeruet eaſdem*
*Heſperidum ſerpens, aut Ponticus. adde quòd hunc de,*
*Quo loquor, egregium populus putat, atq; verendum*
*Artificem: quippe his creſcunt patrimonia fabris.*

*Hoc tantum auaritiæ malum in benè inſtituta, ac diuinis legibus imbuta republica, nec defendi, nec honeſtis nominibus velari fas eſſe, Vates ait.* Non appellabitur maior, SOAGH. *minus quiddam ſignificat,* NADIB, *quàm* SOAGH: *illud principibus ac magnatibus tribui ſolet; hoc verò iis, quos quocumque ex ordine familiaris rei copia & facultas honorabiles, & vt ille dicebat, verendos efficit. Latinè celebres, & notos, nominatosq; dicere poſſumus. Nam verbum à radice* SVAGH *deducitur; quod clamare, & celebrare ſignificat. Ex eadem quoque radice nomen* SVGHAH, *apud Iobum diuitias & opes ſignificat. Atqui recta diſciplina informatis hominibus vocabula pro rerum examinatione ac definitione vſurpanda eſſe, ait Vates, & virtuti ſua, vitiis quoque ſua, non perturbatè indenda. Id quod facilè ex vitiorum notis diiudicari, & adiudicari poßit. Cuiuſmodi notarum cognitionem, ex actionum, cauſarum, & euentorum obſeruatione petendam, Iſaias indicat, atque obiter ea notat mala, quæ ex vitiorum laude aut affectione proficiſcuntur.*

Stultus

Stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat ſimulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam eſurientis, & potum ſitienti auferat.

DVM *vitia, merita infamia ac deteſtatio proſequitur, minùs incommodi metuendum fuerit: quippe cùm non pauci, qui nec pietate, nec religione à prauis actionibus auertuntur, famæ atq; opprobrij metu vel deterrentur prorſus, vel coercentur. ſecus verò eſt vbi honeſtis verbis improbi mores defenduntur aut obteguntur. Namque ibidem inſolens licentia vltra omnem impietatis & iniuriæ terminum graſſata, diuina omnia humanaq; miſcet: & dum ſibi indulgeat, nullum neque legi, neque iuri, neque æquitati aut miſericordiæ relinquit locum. Si, inquit, hoc admittitur, vt vitiis honeſta nomina ex more imponantur; impunè omnino, imò licenter, ac maximè liberè improbi homines ingenio ac moribus propriis laxis, vt aiunt, habenis indulgebunt: qui mores quantum reipublicæ, quantum priuatæ, atque adeò quantum pietatis rationibus & vſibus obſint; quantum ad ſæuitiam & crudelitatem effundantur; ipſa diuina lex iſtis oppoſita, ac planè pugnans declarabit. Cumprimis ſocietatem humanam ſtultitiæ, licentiæ, & impunitate lædi conſtat; vel verborum & ſermonum abuſu: quia linguæ facultas hominibus ad mutuam vtilitatem & commoditatem conceſſa eſt. Atqui* ſtultus fatua loquetur. *ſua in lingua* NABAL NEBELA IEDABER. *Cõiugatis verbis exprimitur iniuriæ grauitas, & verbũ* IEDABER, *vehementi coniugatione declinatum, effrenatam auiditatem, licentiámque loquendi arguit. Impotenter, inquit, loquetur ſtultitiam, & quicquid in buccam venerit, effutiet. Vt Abigail dixit, ſecundùm nomen ſuum ſtultus eſt: & ſtultitia eſt cum eo. Huiuſmodi verò ſtulti & inſolentis exemplum ſermonis ex eadem hiſtoria petitum, illud eſt: Quis eſt David, & quis eſt* 1 Sam. 25.
"*filius Iſai? hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. Tollam ergo*
"*panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis,*
"*& dabo viris quos neſcio vnde ſint? Itaque primùm & quæ videtur leuiſſima huius vitij nota, bonis tamen & ſinceris animis grauis, verbis iacta contumelia eſt. Secunda verò grauior multo mentis deliberata malitia, vnde eiuſmodi ſermones proficiſcuntur, & alij complures mendacio conficti, ſtudio fallendi homines, ac decipiendi eos, quibus cum, vel de quibus agitur.* & cor eius faciet iniquitatem. *alluſio eſt ad illud: Qui dixerunt, linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? Hoc vitioſum & peſtilens malum ab humano corde profectum, Poeta ille manifeſtè arguebat.*

*Et iam nulla viro iuranti femina credat,* Catul. in Ariadna.
*Qui dum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci,*
*Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt:*
*At ſimul ac cupidæ mentis ſaturata libido eſt,*
*Dicta nihil metuêre, nihil periuria curant.*

*Hoc eſt quod a Vate ſubiungitur:* vt perficiat ſimulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter. *Ex verbo ad fingendum* HHONEPH,

& loquendum ad Dominum errorem. HHONEPH, *impietatem ac debiti officÿ deſertionem ſignificat. Hæc tum maximè impia eſt, cùm religionis obtentu admittitur;* quam ſimulationem *interpres noſter rectè dixit.* & loquatur ad Dominum fraudulenter; *peruersè, præter id quod verum æquumq́ eſt: cuiuſmodi peruerſitas & fraus non iuramento ſolùm, ſed mendacio, fictione, ſimulatione, atq; adeò ſermonis ac dictorum ambiguitate admittitur. Quippe Deus, veritatis amator & commendator, mendacÿ & ſimulationis deteſtator eſt. S. S. E. Odiſti omnes qui operantur ini-*

Pſal. » *quitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Hoc enim breuiſsima*

Exodi 23. *& præciſa lege vetitum: Mendacium fugies. Itaq; hoc ſecundum ex ſtulto, ſiue* NABAL *profectum malum Vates accuſat. Cui tertium quoque ſubiungit hominum generi, ac præſertim egentium maximè incommodum, fraudationem videlicet, ſubſidÿ inopi vel amico, vel etiam ignoto neceſſarÿ, ac pro tempore debiti. Qua conditione Dauid, cùm aliquando preſſus Nabalū vicinum, de quo bene promeritus fuerat, amicè, & modeſtè cōpellaſſet, durum & inhumanum retulit reſponſum, tribus iſtis conſtans notis: Quis eſt Dauid, & quis filius Iſai? hoc eſt quod Iſaias primùm notat.* Stultus fatua loquitur. *Secundùm illud, Hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. Hæc perfecta ſimulatio & impietas, & fraus contra Dominū: à quo Dauid multis partibus ornatus, multisq́ argumentis magna rerum geſtarum felicitate commendatus fuerat. Neque ille fugitiuum agebat ſeruum, ſed ingrati & malè morati principis inuidiam inſidiasq́ declinabat; & tamen duo illa mala Nabal admiſerat: non veritate ductus, imò illiberali animo impulſus; quo ſe inopi amico panes, aquas, carnesq́ ſuas daturū negabat: cùm tamen hæc abundè parata haberet, ideoq́ multitudinis numero omnia indicaret. Huiuſmodi impietatis & luxuriæ ſordium exemplum intuitus Iſaias tertio loco in ſtulto accuſauit.* vt vacuam faciat animā eſurientis, & potum ſitientis auferat. *In homine* NEPHES *commune cum ceteris animantibus nomen ſortita Latinis anima dicitur, quæ ad animalem vitam ſuſtentandam, præcipuè data eſt. Hac itaq; appetimus, eſurimus, ſitimus, & cetera patimur & agimus, quibus vita mortalis vel iuuatur vel læditur. Neque hæc eſt, qua ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus homo dicitur: itaq; appetendi vis & facultas, ſiue illa pati, ſiue agere dicatur, hoc appellatur nomine. De ſpiritu verò & mente alia diſtinctio, aliaq́ ratio eſt; atq; de iis alius diſſerendi locus erit: nunc ſatis fuerit intellexiſſe animæ nomen, præcipuè ad inferiorem naturæ humanæ partem, hoc eſt, ad exteriorem hominem, referri. cuius doctrinæ exempla multa paſsim occurrunt. Quia ſatiauit animam eſurientem, & animam ſitientem repleuit. Deſcripto iam & ſuis notis depicto eo, quem ſacra lingua* NABAL *appellat; is è veſtigio deſcribitur, cui commune vocabulum eſt* CHELAI, *Latinū verò ab interprete noſtro quæſitum, fraudulentus.* Fraudulenti vaſa peſſima ſunt. *Expoſitionis, ſiue deſcriptionis huius genuina vis & ſignificatio in exemplari lingua elucet: ita ſonante* VECHELAI CHELAIV RAGHIM. *Elegans adnominatio ex eadem Etymo.* CHALAH, *capere ſignificat,*

*cat: inde* CHELI, *vas quodpiam ad captum & vſum habile dicitur.* CHELAI *Latinis tenax dici poſſet, ſignificationemq́ auari obtinet; Hiſpanicè eſcaſſo. Hac breuiſſima & conciſa notatione omnia ea cõprehenduntur, quæ à Satyrico illis, quos iam recitauimus, verſibus explicata ſunt. quidquid, inquit, vtenſilium & vaſorum, ſiue ad accipiendum, ſiue ad exhibendum auarus habet, iniquum eſt: quippe cuius conſilium, ſtudium, & mens vni ſibi tantùm conſulant; vnde à capiendo nomen* CHELAI *factum obtinet. Sunt verò qui à ſimplicitate ad compoſitionem affinem vocabulum referentes, (quod huiuſmodi alluſionibus illa lingua abundet) dicãt* CHELAI, *à* CHOL-LAI *factum, appoſitiſſimè auarum & fraudulentum ſignificare. Eſt autem* CHOL-LAI, *idem quod Hiſpanè dicitur Todo para mi: quod in auaros & ambitioſos frequenter iactatur. atq; huic illud perſimile:*

*Vni nimirum tibi rectè ſemper erunt res?* *Huius igitur animus & mens ſibi vni prodeſſe feſtinantis vaſa peſſima.* Hor. lib. 2. Serm. Sat. 2.

*nam diues qui fieri vult,*
*Et citò vult fieri: ſed quæ reuerentia legum,*
*Quis metus aut pudor eſt vmquam properantis auari?*

*Iſtiuſmodi mores omnes eò ſpectant & contendunt, vt ſi per leges vi agere non liceat, ſi minus id tutum videatur; tamen malo dolo res fiat, induſq́ acta ſuccreſcat, nullo cupidinis atq; auaritiæ modo quæſito, aut fine repoſito; ſed rem quocumque modo rem: ſiue ea iniquis menſuris paretur, ſiue mendaciis, periuriis, calumniis, & falſis delationibus, deprauatusq́ in dicenda ſententia, aut inferenda iudiciis, hæc & huiuſmodi quæcumque fuerint, illa ſumma Vates claudit.*

Ipſe enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites in ſermone mendacij.

CONCINNAVIT, IAGHATS, *conſulet, conſilio capto ac deliberato ſuſcipiet. Verbum futurum, mores arguit perpetuos.* ad perdendos mites, LEHHABEL GHANIVIM. *ad illaqueandos modeſtos, ac ſimplices, vafri iuris inſcios mites, & innocẽtes nihil mali meritos. Hæc omnia ſignificat,* GHANIVIM *itaq; ſi commerciorum, aut aliàs omni humanæ conſuetudinis ratione agatur, iſte iniquis vtitur vaſis: ſin verò iure, dolo malo ad fraudẽ ſemper declinauit, ſiue is teſtis producatur, ſiue de iure iudex appelletur.*

In ſermone mendacij, cùm loqueretur pauper iudicium.

EXISTIMO *iam fraudulenti iſtius deſcriptionem conſtare: quam imitatus nobis videtur ſenex ille Satyricus:*

*Falſus erit teſtis, vendit periuria ſumma,* Iuuen. Sat. 14.
*Exigua Cereris tangens aramq́, pedemq́.* *& paulo pòſt, auarum patrem & magiſtrum reprehendens:*

*Cùm dicis iuueni ſtultum, qui donet amico,*
*Qui paupertatem leuet, attollatq́ propinqui,*
*Et ſpoliare doces, & circumſcribere, & omni*
*Crimine diuitias adquirere, quarum amor in te eſt.*

*Hactenus vtriuſque vitij forma definita, fructus & euentus indicatur, alterius,*

*terius videlicet* NABAL, *Impij & inutiles prorſus in vita hominis. alterius verò non inutilis modò, ſed peſtilentis, & nocentiſsimi, hoc eſt, auari: quem idolorum cultorem ſacra doctrina eſſe affirmat. Quibus notatis vitiis, & ad ſua nomina relegatis, quænam vera & princeps, ingenuaq́; ſit, & appellari mereatur, nobilitas, declaratur: eaq́; tum ex conſiliorum & ſermonum, tum verò ex morum actionumq́; probitate, honeſtate, ſuauitate, & in his omnibus conſtantia cognoſcenda ac definienda indicatur, & nomine aſſeritur ſuo, hoc eſt* NADIB.

Princeps verò ea quæ digna ſunt principe cogitabit, & ipſe ſuper duces ſtabit.

HIC *non ſolùm de populi principibus ac regibus agitur, verùm de iis omnibus, qui verè nobiles ac principes haberi appellariq́; merentur; quacumque ex gente, quibuſcumque ex parentibus nati fuerint: qui, videlicet, Dei iudicio, & rectè ſentientium, ac de rebus, non de perſonis diſſerẽtium æſtimatione, principes ac nobiles cenſentur viri; hoc eſt, qui ingenuitatem ſenſu meditantur, ſermone eloquuntur, ac moribus repræſentant, perq́; omnem vitæ conſuetudinem præſtant: idq́; ſibi proprium eſſe arbitrantur, ab officio numquam declinare, aut ceſſare, nedum deficere. Hæc huius ſententia eſt carminis, ex adnominatione, vt Critici dicunt, ſiue, vt Dialectici, ex verborum coniugatione constructi: quam figuram cum Latinorum verborum inopia non perpetuò imitari valeat, ad voces recurrere cogit, quæ ad ſignificationẽ quàm proximè accedant, quamquã eæ pluribus aliis ac diuerſis vocalibus ſubſeruiant. Vt nomen princeps, quod Latini interpretes ad* RO-ZEN. NADIR. SAR. ROS, *atq;* MOSEL, *ad alia vertenda vſurpant, quorum tamen vt diuerſa, ac diſtincta, tum vox, tum etymologia ita diuerſa ſignificationis adnotatio eſt.* NADIB, *à* NADAB *deducitur verbo, quòd vltrò, ſponte, ingenuè, ac liberè, nulla vel vtilitatis vel proprij cõmodi ratione habita, aliquid, idq́; rectè oportunè ac piè, aut officiosè agere ſignificat. proprieq́; ad benignitatem & liberalitatem refertur verbũ, in ſacris muneribus, donariis, atque hoſtiis frequentiſſimum, & Latinè in eiuſmodi argumento ſpontaneorum nomen, vel verbum ſponte offerre verſum, vel voluntarij vocabulo. vt in illo verſu: Voluntariè ſacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo, quoniam bonum eſt. Quoniam verò liberalitas atq; virtus omnis voluntati præcipuè tribuitur, dummodo ſignificatio conſtet, licebit Latinis, quamquam non adeò Latinè, huiuſmodi voces ad ſimile argumentum vſurpare: voluntarius, & voluntariũ, ac voluntariè. Ita* NADIB, *eum, qui ſe ingenua, candida, & aperta probitate perpetuo agit. Atque hoc pacto quid Vates hoc verſu ſignificet, planius fiet.* VENADIB NEDIBOTH IAGHATS VEHV GHAL VEDIBOTH IAKVM, *& voluntarius voluntaria conſidet, & ipſe ſuper voluntaria ſtabit. Manifeſtè docet, eum verè principem, ſiue* NADIB *nuncupandum, qui principe atque ingenuo homine digna vel conſilio capiendo, vel dando agit; atque ea quæ conſuit, moribus & re præſtat: quod etiam ſibi proprium perpetuúmque ſtatuit.* Super duces iactabit: *firmabitur virtutibus his principibus & primariis, totiusq́;*

tiûſque peragendæ vitæ ducibus. hoc ille etiam ſentiebat, qui ita præcepit: Iuu. Sat 8.

*Tota licet veteres exornent vndique ceræ*
*Atria, nobilitas ſola eſt, atq; vnica virtus.*
*Paulus, vel Coſſus, vel Druſus moribus eſto,*
*Hos antè effigies maiorum pone tuorum.*
*Præcedant ipſas illi te conſule virgas.*
*Agnoſco procerem.* & rurſus:
*Si tibi ſancta cohors comitum, ſi nemo tribunal*
*Vendit acerſecomes, ſi nullum in coniuge crimen,*
*Nec per conuentus, nec cuncta per oppida curuis*
*Vnguibus ire parat, nummos raptura Celæno.*
*Tunc licet à Pico numeres genus; altaq; ſi te*
*Nomina delectant, omnem Titanida pugnam*
*Inter maiores ipſumq; Promethea ponas.*
*De quocumque voles proauum tibi ſumito libro.*
*Quòd ſi præcipitem rapit ambitus, atq; libido,*
*Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te*
*Delectant hebetes laſſo lictore ſecures,*
*Incipit ipſorum contra te ſtare parentum*
*Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis.*

*Quibus verſibus ad viuum depicti videntur* NADIB. NABAL *&* CHELAI. ſtabit; *firmus, conſtans, conſpicuusq; permanebit: nec enim vna aut altera ſtudioſa actione definitur, aut aſſeritur virtus: ſed arboris inſtar ſtudioſè ac rectè agendo creſcit, creſcendo etiam firmatur, ac radices agit altiſſimas, nullam ventorum vim, nullam metuentes procellam.*

## ARGVMENTVM VATICINII XXIII.

IEROSOLYMITANI *templi duplex excidium, iteratamq; populi captiui abductionem, Iſaias hoc vaticinio prædicit; alteramq; labem ac perniciem Iudæorum, reipub. Babyloniorum; alteram verò Romanorum manu afferendam indicat: vtramq; verò Dei iudicio, populi illius impietatem caſtigantis, atq; ad tempus cùm breuius, tum longius corripientis; non tamen prorſus perdituri. Immo ex miſericordiæ paternæ viſceribus populum illum propter patres dilectum, ſed propter propria crimina caſtigatum: interim dum captiuum agere oportuerit, conſeruaturi, laboribus & ærumnis quamlibet preſſum opportuno verò tempore prouidentiæ arcano conſilio, atque antiqui promiſſi fide & conſtantia liberaturi: tum à Babylonienſe, altera priore ſeruitute, tum etiam ab illa poſteriore, quæ diutiùs illos indurationis iudicio punitos manebat. Vtrumque verò beneficium non ex alia quàm Dei virtute ac manu expectandum eſſe; opera verò miniſtrorum ad eandem quondam delecti & conſtituti rem; verbi videlicet diuini, per quod omnia facta conſtant, priorem quidem redemptionem maturantis ex cælo, poſteriorem verò in terris quoque efficientis. atque hac in ratione promiſſi Chriſti in publicam orbis, hominumq; ſalutem mittendi, myſterium recolitur: cuius vi cælum terræ propitium, terram verò fæcun-*

*dam & felicem reditum iri præcinit. Populi verò miſerrimam illam conditionem ſeruilem, atq; laboribus & ærumnis oppreſſiſsimam, in pacis, lucis, ac tranquillitatis beatum ſtatum conuertendum, hoſtibus & inimicis victis, ſuperatis ac deletis, multoq; acriùs punitis, quàm Iſraelitæ propter ſua ſcelera fuerant puniti; & omni potentia, facultate rerum ac diuitiarum copia expoliatis. Huic verò ſaluti cunctarum gentium vanitatis abolitionem adnexum iri, ac ſingulariter inter alias Idumæorum, quorum dolo ac fraude pietatis veræ cultor populus ſæpius proditus & afflictus fuerat. his verò confectis, magnam & perpetuam ſecuritatem piæ genti habendam. Quamobrem nuncij ſiue vaticinij huius communicatione & conſolatione afflictos mærenteisq; Iſraelitas, & ceteros omneis qui Iſraelis fidem & ſpem imitati fuerint, afficiendos monet, & hortatur. Quæ omnia eo ſenſu accipi retulerit, quem præcinentis Vatis mens præcipuè intendit: hoc eſt, ad illam animorum ſeruitutem referenda maximè ſunt, à qua hominum genus Chriſti virtute, opera, & efficientia liberatum, cum duce ac rege ſuo triumphabit. Huius namq; libertatis ac ſalutis antiquæ illa omnia quæ ad ſenſum, & ad tactum promiſſa ac præſtita fuerant, ſymbola, documenta, & præterita futurorum bonorum monumenta extitere.*

Mulieres opulentæ ſurgite, & audite vocem meam: filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum.

FEMINEVS *muliebriſq; animus vt ſecundarum rerum ſucceſſu maximè delectatur, præterq; modum gaudet; ita aduerſarum euentu miſerabiliſsimè mærere, atque impatientis affectus lugubriter lamentari ſolet. quam imaginem intuiti Vates, quæ populorum calamitatem ſpectant vaticinia ad muliebre genus in loco referunt; & nationes, gentes, præſertim verò vrbeis feminarum nominibus pronunciant: quippe vrbes ad cultores proprios relatæ, matrū inſtar habēt. & quidquid mæroris, doloris, & planctus mulieres ex publica calamitate concipiunt, id vrbes ipſæ concipere, lugere, & lamentari dicuntur. vt, Vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* ...erem.
*Hanc rationem ſecutus Vates, Iudeæ ciuitates quas poſt Senacheribi ſtragem ſecuritate & otio atq; vitio corrumptum iri præuidebat, ad audiendā animaduerſionis ob eam rem ſibi ſubeundæ denunciationem vocat. vt hoc pacto (quod præcipuum Vatum in huiuſmodi argumentis ſtudium eſt) vel à peccato abſterreat, vel ad pœnitentiam ſeriam reuocet.* Mulieres opulētæ. *Opportuna & apta appellatio, aptiſsimaq; tranſlatio vno eodemq; nomine coniunguntur. Chaldæus interpres tranſlationem de more aperit.* MEDINAN DEIATHEBAN SELEIA, *vrbes ſecurè agentes, opulentæ,* SAANANOTH, *quæ in otio ac deliciis agūt, hoc verbo ſignificantur. Iſtiuſmodi conditionis vrbes ſurgere iubentur: quòd is habitus attentiùs audituiis conueniat. Vſu enim venire compertum eſt, vt quicumque ſedentes, vel ludo intenti erant, vel alio otiabantur modo, monituri, aut triſtem aliquē nuncium, aut inopinatum quippiam afferentis, ſubito aduentu turbati excitatiq; conſurgant.* filiæ confidentes. *Oppida & pagi vrbibus vicina, & adiacentia maio-*

*maioribus, ita hoc loco appellantur, ex frequenti ac ſimili ſermonis exemplo. Aſſor & filiæ eius. Azotus cum filiabus, ſiue cum vicis & villis ſuis, Halhul, Bethſur, & Geder, Mareth, & Bethanoth, & Eltram ciuitates ſex, & filiæ, ſiue villæ earum. Quæcumque muris non ambiuntur, oppida, ad proximas vrbes, in quarum agro iacent relatæ, dici ſolent* BENOTH, *eò quòd muris careant & vallis, pacem & ſecuritatem regionis indicant; quamobrem à Vate* filiæ confidentes *appellantur. Atq; ad attentionẽ excitantur audituræ id, quod minùs cogitantes, minimè verebantur: id eſt,* " Pſal. 33.

Poſt dies enim & annum vos conturbabimini confidentes: conſummata eſt enim vindemia, collectio vltrà non veniet.

MVLIERES *illas & filias, atq; his nominibus vrbes & oppida ad lamentationẽ vocat, & querimoniam longæ abductionis ac ſeruitutis. Cuius elegiæ, ſiue lamentationis argumentum vnico propoſitum verſu, pluribus deinceps aliis amplificatur. Conſtat autem argumentum duabus partibus, altera temporis in ſeruitio atq; exilio longiùs protracti, altera verò miſeræ & inopis conditionis, atque omni commodo & idoneo ad vitam rerum carentis vſu.* Poſt dies & annũ vos conturbabimini. IAMIM GHAL SANAH. *Dies ſuper annum, longitudinem temporum hic tropus ſignificat. vt ille: Dies ſuper dies regis adiicies, & anni eius in generationem & generationem. Chaldæus perſpicuè vertit,* IAMIN GHIM SANIN. *Dies cum annis: quem etiam tropum Hiſpanus frequentat ſermo. Dias y años. Vos, inquit, quæ nunc ſecurè confidenterq; agitis, turbatæ & ſolicitæ, dolentesq; lamentabimini; nullum ſeruitij veſtri laboribus modum conſtitutum apparere; nullam melioris conditionis copiam fieri, aut ſpem affulgere: quippe quarum corpora in continuatis conſeneſcant miſeriis: regio verò & agri aliquando culti & fertiles omnino vaſtati; nec fruges, nec fructus ferant, quibus vita alitur: ita vt illa vaſtitas cum veſtro iſto labore & præſentem augeat miſeriam, & expectandam reſtitutionem videatur negare. Namq; hoſtibus omnia demolitis, euertentibus, in ſolitudinemq; redigentibus,* conſummata eſt vindemia, & collectio vltrà non veniet. *Hactenus propoſitio, quæ repetita ad luctum, excitatione per parteis deinceps expolitur: parteis miſeriæ, quæ à ſeruitio proficiſcitur, ſunt habitus, locus, ſitus, occupatio, exercitatio præſenti conditioni adiuncta, ſiue adnexa, & cum priori rerum florente ſtatu comparata. quæ omnia explicantur.*

Obſtupeſcite opulentæ, conturbamini confidentes: exuite vos, & confundimini, accingite lumbos veſtros.

*Antithetis res exprimitur, & animi dolor vehementior indicatur. hoc modo* SAAN, *ſiue* SAANAN, *ſecurè agere, beateq; viuere ſignificat: vnde* SAANANOTH, *pro quo Latinus interpres reddit* opulentæ: *nam qui ita agunt, beati à Latinis appellantur. vt, Naſidieni iuuit te cœna beati? Huic* Horat. lib. 2. Sat. 5. *oppoſitum eſt* HHARAD. *Valet idem quod apud Latinos commoueri, turbari, contremiſcere, trepidare animo, & cõſternari. Hæc omnia vnico ſignificata verbo, Latinus vnico etiam, ſtupeſcite, præſtare conatus eſt; cùm verbũ hoc corporis membrorumq; conuulſionẽ & ceſſationẽ, ex animi perculſu*

 *natam*

*natam ſignificet. vt, Stupui, ſteteruntq́; comæ, & vox faucibus hæſit. Sed ſententia clara fit ex oppoſitionis figura, vti diximus: vt & huius alterius membri* conturbamini confidentes. REGIZV; BOTEHHOTH *dicuntur ij, quibus nulla anxietas, nulla de futura mutatione aut conuerſione ſecundarum rerum in aduerſas cogitatio, quietem turbat. Huiuſmodi quæ in præſentiarum ſunt inſtantis vexationis, eiuſdemq́; grauis ac diuturnæ, certiores fiunt. Ea verò quænam & quanta futura ſit, re tamquam præſente propoſita indicatur; illis iam ad ſeruitutis habitum, conſuetudinem, & incommoda omnia ſubeunda, ſeſe comparare iuſſis.* exuite vos *libertatis & lætitiæ, cui nunc indulgetis, indicibus veſtimentis, ornamentoq́; omni:* accingite lumbos veſtros *ſacco, lugubríque habitu, qualis mœrentibus ac flentibus conuenit. Hæc omnia meditari iubentur feminæ, ſiue vrbes illæ, quas hoſtes expoliaturi, ad conditionem ſeruitutis redacturi ſunt. cui conditioni vix etiam ſaccus, verenda velandi cauſa, ſufficitur; præcipuè mancipiis tum primum factis.* Super vbera plangite. *Plangentibus mos eſt pectus palmis pugnisq́; ferire: atq; hoc ſigno cordis mœrorē doloremq́; indicare. Lamentationis verò argumentum eſt eorum quæ maxima, commodiſſima, vtiliſſimaq́; in vita bona habita poſſidebantur, deſideratio.*

Super regione deſiderabili, ſuper vinea fertili.

*Prædiorum amiſſio graui cumprimis poſſeſſoris animum dolore afficit: quòd hæc vera diuitiarum ad humanam alendam vitam fundamenta cenſeantur. ideoq́; fundi nomen his datum.*

*Vos ſapere, & ſolos aio bene viuere, quorum*
*Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.*

*Horum eo maior iactura videtur, quo certior natiua fertilitas, & amœnior ſitus atq; ſalubrior: namq; fundus minus firmus paſcere, minùs etiam Domino amabilis euadit. In exemplari lingua, agros deſiderij, & vitem fructiferam, ſiue feracem legimus. Latinus interpres metonymiam ad ſimplicitatem reduxit. Neque verò hoc tantùm incommodo dolendum illis eſſe ait, ſed etiam nuncio certo vaſtatæ ac penitus euerſæ regionis, in ſolitudinémque redactæ; vrbibus ac domibus dirutis, & agris omni cultura carentibus, infeliciterque ſilueſcentibus.*

Super humum populi mei ſpinæ & vepres aſcendunt: quanto magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis.

OMNIA *hæc exilij diuturnitatem arguunt, & reſtitutionis ſpem deſiderantium animis adimere videntur: ſimulq́; dolorem auget recordatio ſumptus & operæ in colendis prædiis conſtruendis adornandisq́; villis poſitæ; & contra vaſtationis atq; horridi horum locorum poſtea ſpectaculi. hoc eſt quòd ſuperiùs dixerat: Conſummata eſt enim vindemia, collectio vltrà non veniet. Duo genera præcipua lugentur amiſſa, quæ vitæ alendæ cauſa commendantur, & in Iſraelitarum regione, præter vicinas omnes, celebrabantur, vt in Apparatu ſacro indicabamus. Hæc omnia non modò vrbes, oppida, villas & agros; verùm etiam templum illud celeberrimum ac decantatiſſimum vaſtatum, & omni cultu ornamentoq́; priuatum iri allegoricōs ſigni-*

*ſignificabant. id quod Sedekia rege euenit, cuius tempore Iudæ vrbes cæteræ primùm captæ, & euerſæ ſunt: deinde ipſa princeps ac regia Solyme excisa ac diruta. priorem partem ita ſignificabat Iſaias.* Super humum populi mei ſpinæ,&c. *poſteriorem verò,* quanto magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis. *Namq; Ieroſolymam frequentiſsimis & optimis ædibus inſtructam fuiſſe, ex ſacrorum ac profanorum ſcriptorum lectione conſtat; indeq; nomen obtinuiſſe* KIKIATH GHAZIZAH, ciuitatis lætitiæ, ſiue exultationis firmæ. *Namq; hoc ſignificat nomen* GHAZIZAH. *Tres namq; laudãdi & probandi ædificij partes eſſe debent, vtilitas, pulchritudo, & firmitas. de quibus architectorum præcipit ars. Atqui iam propiùs ad Ieroſolymitanæ ædis atq; vrbis excidionem ſignificandam accedens, ita lamentatur, eorum perſonam ſuſtinens, qui tantam rerum mutationem prolaturi erant.*

Domus enim dimiſſa eſt, multitudo vrbis relicta eſt, tenebræ & palpatio factæ ſunt ſuper ſpeluncas in æternum.

*Manifeſtè vtriuſque templi exciſionem prædicit prioris & poſterioris. Vtrique autem calamitati longam durationem adſcribit, quoad id quod hominum vi & potentia refici non poteſt, diuinæ miſericordiæ prouidentia & benignitate non iuſtauretur modò, ſed ad meliorẽ & præſtantiorẽ euadat conditionẽ, & felicitatẽ nanciſcatur ſtatũ.* Domus dimiſſa eſt. ARMON NVTAS, *Palatium, ſiue regia* ARMON *dicitur* NVTAS euerſa, *ſiue* demiſſa *multitudo* vrbis HAMON, *frequentiã ſignificat, qualẽ in populoſiſsimis vrbibus cõſpicimus, qualéq; Horatius deſcribebat: Luctandũ in turba, facienda iniuria tardis. Huiuſmodi turba denſiſsima relicta eſt, ceſſauit, ac defecit prorſus, inquit Vates: atq; frequentiſsima etiã loca in eam ſolitudinem ſunt mutata, vt ferarum catulos inultos celent* vſq. in æternũ. GHOLAM, *ſeculũ. Latinus vertere ſolet. Id pro rerum, de quibus agitur, natura & modo exiſtimandũ. vt aliàs oportunè indicabimus. Erit igitur prioris excidij* GHOLAM, *ſeptuginta annorũ. poſterioris æternũ, ſi muros & ædificia ſpectemus. ſi verò rerũ ipſarum ad hominès verè pertinentiũ conuerſionem & vicem, ſuum modũ quoque ſortietur cum abſconditis & celatis condonatisq; illis antiquis offenſionibus, Iſraelis veri publica & priuata res, per diuinum ſpiritum recreata, nitidior & felicior euadet, & perpetua deinceps fruetur proſperitate, longè meliore ciuitate, & frequentiore populo: atque adeò multo meliore templo conſtructo. cuius architecturam Ezechiel deſcribit, iis tantùm cognoſcendam, quibus frui, ingredi, & videre contigerit. Ita Chaldæus hoc loco nomen* GHOLAM *interpretatus, ait;* GHADZEMAM *vſque ad tempus.* Gaudium onagrorum, paſcua gregum.

DESCRIPTIO *eſt vaſtationis ac ſolitudinis maximæ, qualem imitari Poëtæ ſolent.* Hor. 3. carm. & Epiſt.

*Dum Priami Paridisq; buſto*
*Inſultet armentum, & catulos feræ*
*Celent inultæ.* *& iterum:*
*Agros atq; lareis proprios habitandáq; fana*
*Apris reliquit, & rapacibus lupis.*

 *Atque*

*Atque hanc hoc loco interpretationem nominis* GHOLAM, *tenenendam Vates ipſe ſubiuncta exceptione docuit, qua modum huiuſmodi miſeriis ponendum præcinit.*

Donec effundatur ſuper nos ſpiritus de excelſo: & erit deſertum in charmel: & charmel in ſaltum reputabitur.

ORATIO *hæc omnis, quæ ad capitis pertinet finem, vt ſpirituale argumentum arcanumq́; velat; ita etiam tranſlationibus & allegoriis inſtructa eſt: quæ aliud ſonari verbis, aliud re ſignificari indicant. Significationis ſumma illa eſt, Deum iudicio iuſto in Ieroſolymitanos animaduerſurum illo rerum ſtatu & ſplendore priuandos, quo non benè cognito, perperam abuſi fuerant: verùm ea punitione modum tandem poſiturum, tũ videlicet, cùm, miniſtro & conciliatore procuratoreq́; Chriſto, offenſionibus præteritis condonatis ac remiſsis, nouum inter homines atq; Deum ineatur fœdus, Spiritu ſancto de cælo immiſſo: qui humanam prauitatem ac deformitatem in verum decorem mutet; ita vt alia deinceps vitæ hominum, alia publicæ ac priuatæ rei facies nitidiſsima & feliciſsima ac perpetua ſpectetur: tanto pulchrior ea quæ tunc nitere videbatur, quanto decentior atq; gratior ager cultus vitibus, ſatis, atque arboribus ex ordine poſitis, quàm vel deſerta regio, vel horrida ſilua cenſetur. Atque populum illum qui tunc vnius tantùm Iſraelitarum nationis anguſtiis continebatur, gentibus aliis ad eiuſdem felicitatis communionem vocandis, augẽdum amplificandumq́; ſignificare volens, aptiſsimis imaginibus pronunciauit; agrorum cùm deſertorum, tum cultorum comparatione inducta.* deſertum, *ſolitudinẽ apud Latinos vocabulum hoc ſignificat, non omnem, ſed quæ à plebe atq; à cultura hominum relicta eſt: etiam ſi aliàs terra ipſa non omnino ſterilis & effœta fuerit: verùm maiorem etiam vaſtitatem & importunitatem nomen* MIDBAR *arguit, ex duabus vocibus factum,* MIN, & DABAR. *quarum poſterior verbum ac rem omnem, quæ dici poteſt, ſignificat. Ita* MIDBAR, *vocatur is locus, in quo nihil omnino quod nominari, dicíve poſsit, reperitur: ac ſi dicamus, ne verbum quidem. Quo nomine atque ſymbolo gentes omnes, quæ verbo, præceptis, & inſtitutis diuinis carebant, indicatas, quiſquis ſacris literis vel initiatus modò eſt, intelligit.* CHARMEL *verò, à* CHEREM-EL *confectum nomen,* DEI FORTIS VINEAM *ſignificat: quo titulo Iſraelitarum gentem quondam decoratam, apud hunc eundem cog-*
Sup. 5. *nouimus. Vinea Domini exercituum domus Iſrael eſt. Ex vtriuſque itaq; nominis collatione & obſeruatione ſic locum hunc interpretamur, diuino ſpiritu in homines immiſſo fore, vt gentes quæ diuino verbo anteà carebãt, ab illa vaſtitate, ſolitudine & ſterilitate in agros mutentur cultiſsimos; hoc eſt, in populos à Deo edoctos & informatos, atque ex conſequentè nomen* CHARMEL, *verè obtineant: neque tamen in eum ſtatum traducantur, quem Iſraelitarum reſp. etiam cùm floreret, & laudaretur, tenebat; ſed longè mitiorem ac nitidiorem, nullis aſperitatibus horrentem; plantis & arboribus, ſegetibus atq; floribus, & fructibus omnibus tanto pulchrioribus præſtantem, quanto ea quæ ferace in agro nata ac diligenti ſapientis*

*agri-*

agricolæ cura & opera culta educataq́ ſunt, ſilueſtribus atque incultis excellunt. Namq́ noui fœderis populus, quem diuinus deducit ſpiritus, nõ minori exceſſu antiquæ legis profeſſoribus anteit: vtpote quæ tot ritibus, tam multorum generum ſacrificiis, tanta præceptorum deſitudine impedita, annorum, menſium, dierum, horarũ obſeruantiis detenta, & quod maximum eſt, innumerabilibus comminationibus ac maledictionibus obnoxia, propter humanæ carnis infirmitudinem & inſitum ſterilitatis morbũ ac veprium & ſpinarum impotentem pullulationem, ſaltus magis atq́ horrentis admodum aſperaq́ ſiluæ, quam CHARMELI nomine cenſeri & appellari digna videatur; hoc eſt quod verbis illis indicatur, & erit deſertum. Gentiũ populus ex natiuo oleaſtro, in bonam oliuam inſertus in charmel, vineam Dei. & CHARMEL Dei, quæ hodie dicitur vinea (ait Vates) in ſaltum reputabitur, ad illam legis diuinæ in hominum cordibus inſcribendæ conditionem relata, cuius maximi diuini beneficij, qui fructus, qualisq́ ſit, expectandus euentus, continuò declaratur.

Et habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in charmel ſedebit.

Ex diuino illo dono ſpiritus è cælo miſſi, in hominesq́ diffuſi, maximam in humanis moribus & ſenſibus mutationem ſummam æquabilitatem & concordiam ortũ iri, prædicit Vates. Futurum enim, vt ſolitudo, quæ aliàs varij ingenij ferarum rapacium violentiæ tantùm patebat, hominibus iam deinceps habitetur & incolatur, legibusq́ optimis & humanitatem decentibus gubernetur: non vt antea gentium temeraria ac diſpari libidine, quarum inter ſe nec leges, nec mores conueniebant; nec animi, nec ſtudia conſonabant: vno quoque populo, imò & ſingulis hominibus, vias ingreſſis proprias; vt Apoſtolus notauit. Hunc verò ita ex mala in bonam faciem conuerſum ſtatum perpetuum, firmum, & immotum fore verbum habitabit, vt in exemplari eſt, ſignificat. hoc in verſu nomen idem MIDBAR, quod in ſuperiori eſt: pro quo deſertum, & ſolitudinem interpres reddidit. Neq́ verò iudicium tantùm, quo res inter homines gubernantur: verùm etiã quod ſummum bonum eſt, iuſtitiam, inquam, antè in terris deſideratam, iam deinceps apud Dei populum permanſuram pollicetur. Iuſtitiam, inquam, quæ ex Deo eſt, quam anteà priſca illa Domini exercituum vinea verbis quidem appellabat, ritibus & ſacris faciendis adumbrabat: reuera tamen illis modis non obtinebat. vt Apoſtolus docet: Teſtimonium perhibeo illis, Rom. 10.
quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantes "
enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt "
ſubiecti. Finis enim legis Chriſtus eſt, ad iuſtitiam omni credenti. Atq́ de "
gentium quoque iuſtitia idem: Gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, ap- Rom. 9.
prehenderunt iuſtitiam: iuſtitiam autem quæ ex fide eſt. Partitione verò "
Iſaias in hac ſententia vſus eſt, propter expolitionem ſermonis, & adnotationem beneficij maximi, ex conuerſione atq́ amplificatione ſtatus vtriuſq́ populi: non qui ita res diſtribuat, vt quod alteri populo donetur, alteri ſit defuturum; ſed qui id, quod vtrique deſiderabatur, abundè ſuffectum iri adſtruat. Nam quod ad iudiciũ quod inter homines exercetur attinet, egre-

*gias, & præclaras, hoc eſt, planè diuinas leges Iſrael obtinuerat; ſi tamen*
Pſal. 18. *rectè exercere noſſet, ac vellet. S. S. E. Iudicia Domini vera, iuſtificata in*
» *ſemetipſa: deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multũ, & dul-*
» *ciora ſuper mel & fauum. Verùm enimuero iuſtitiam illam diuinam Dei*
Rom. 10. *Iſraelitæ ante Chriſtum aſſecuti non ſunt. Finis enim legis Chriſtus, ad*
» *iuſtitiam omni credenti. Moiſes enim ſcripſit, quoniam iuſtitiam quæ ex*
» *lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic di-*
» *cit: Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cælum? id eſt, Chriſtum dedu-*
» *cere. Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum à mortuis re-*
» *uocare. Sed quid dicit Scriptura? Propè eſt verbum in ore tuo, & in cor-*
» *de tuo. hoc eſt verbum fidei quod prædicamus. Neque verò iuſtitiam & miſericordiam illam, qua Iſraelitarum gens fruitura prædicitur, gentium populo ſubductum aut negatum iri conſequitur; quia iudicium largè ſuppeditandum promittitur: ſed ex vaticinij arcana & continente argumentatione vtramque partem, hoc eſt, iudicium & iuſtitiã affluenter promiſſum iri colligitur. Nam quidquid cuipiam ſecundùm certum nomen adſcribitur, idem aliis quoque cum eiuſdem nominis cõmunicatione tribuendum. & ſi iuſtitia Iſraeli Charmel dicto diuinitus contigerit, eadem & gentibus ad Charmeli nomen ac ius conditionemq́; vocatis, continget. Atqui deſertum in Charmel futurum, hoc ipſo vaticinio præcinebat modò Vates. Quænam verò & qualis, quantaq́; iuſtitia illa futura ſit, ex effectis & euentis definitur, ac declaratur. Ex fructibus enim arbor etiam externis & in agriculturam minùs exercitatis cognoſcitur. Eſt autem iuſtitia donum Dei, internis hominum animis inſitum: quod ab iis qui non acceperint, non aliundè quàm ex fructu & opere cognoſci poteſt: fructus enim bonus, arborem probat bonam; contrà verò, malus malam arguit. S. S. E. Aut facite*
Luc. c. 22. » *arborem bonã, & fructum bonum; aut arborem malam, & fructum malũ.*

Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in æternum.

*Opus in agriculturæ ſermonibus idem quod fructus eleganter ſignificat.*
Habac. 3. *Vt mentietur opus oliuæ. Bellorum initia ab iniuria proficiſci, compertum exploratumq́; eſt: vbicumque enim iuſtitia colitur, nullus belli, aut rixæ, aut diſcordiæ metus eſt. Siquidem bella ex humanis concupiſcentiis oriri, diuinus docuit Spiritus. Qua de re Iacobus Apoſtolus ſapientiſſimè diſſeruit: Vbi verò iuſtitia viget, concupiſcentiis frena iniicit: ita vt vnuſquiſ-*
Iacobi. 1. » *que ſuis contentus terminis, aliena minimè inuadere tentet. Hanc autem abſtinentiam & continentiam concordia, concordiam quies, quietem ſequitur* Cultus iuſtitiæ ſilentium. *Perſtat in allegoria agriculturæ. vt enim bonus, ac benè cultus ager vel hortus, bonos in tempore fructus procreat: ita iuſtitia pacem producit. Verum enimuerò bona plantarum & frugum cultura ab iis expectanda eſt, qui ſtudio potiùs quàm vi aut mercede agres colunt: namq; ſtudium & rectè, & cum ſilentio operam nauare ſuadet. Contrà verò operæ, quæ à ſeruitiis vel à mercenariis dantur, vtpote coactæ magis quàm ſpontaneæ, vel tumultu, vel temeritate, vel querimoniis, & cla-*

*& clamoribus, vt minimum cantibus laborem ſolaturis ferè impediuntur, ac interturbantur. Videmus huiuſmodi operas clamare, obiurgare, obmurmurare, conqueri, rixari, & ſibi mutuo, vel etiam longiùs conſpectis viatoribus cõuitia dicere: omnia quæ animos arguunt minùs labori intentos. Iuin faconer de long vilo caualer; vt Celtiberorum prouerbio celebratur. Sed in hac hominum conditione, quam Iſaias deſcribit, ſtudioſè omnia, adeóque quietè ac ſilenter agenda & facienda promittuntur: atq; hac imagine indicatur arcana illa rerũ facies in aureo ſeculo per Christi ſanctum ſpiritum gubernantem & componentẽ ſpectanda. Propter cuius gubernationis iuſtitiam, cùm priuata ſingulorum ſecum, & cum ſuis concupiſcentiis, tum publica omnium inter ſe colenda, virtutis veræ ſtudium maximum atq; attentiſsimum, cum ſummo ſilentio, & perpetua ſecuritate viſenda prædicũtur: quæ diffuſiùs atq; apertiùs ab Apoſtolo explicantur, quàm vt noſtram poſtulent diligentiam. Fructus autem ſpiritus eſt caritas, gaudium, pax, pacientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Huiuſmodi autem fructus quis, qualisq; ſit habendus, vſus expoſitione Vates declarat.* Fructus Spiritus.

Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis: & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.

ORATIO *omnis tranſlatione conſtat, & alluſione ad antiquam faciem populi Dei, eo tempore quo Abrahamus, Iſahacus, & Iſrael per Cananæorum regiones vagi & hoſpites tentoria pro cæli & ſoli ad paſtionem & habitationem commoditate & vſu, & pro vicinorum ſtudiis vel inuidia, vel gratia figentes, incolebant; vtpote hoſpites & aduenæ nihil in tota regione ad habitationis ius proprij habentes. Nec huic etiam diſsimilis conditio horum nepotibus & poſteris fuit, quamdiu in Ægypto hærere conceſſum eſt, & Ægypto egreſſis, per ſolitudines circumagi, vagariq; euenit. Huiuſmodi incertam, & minùs ſecuram conditionem diuino poſtea Spiritu deductis, actis, & gubernatis in perpetuam quietem & ſecuritatem eſſe mutandam, præcinit Iſaias; eamq; locorum oportunitate, amœnitate, & fertilitate iuuandam.* Sedebit, *quietem, tranquillitatem, & ſecuritatem habitus hic inter alia ſignificat, vt in ſacro Apparatu docebamus* Populus meus, *ille iam denuò delectus, & in gratiam, clientelam, tutelamq; Dei receptus.* In pulchritudine pacis. *Inter paſcuorum locorum nomina vnum eſt* NAVEH, *quod protenſa & lata, graminisq; optimi, & ad paſtum idonei feracia prata ſignificat, & habitandi oportunitatem præſtat pulchritudine ſua, oculos etiam ſpectantiũ delectat. à verbo* NAVAH, *quod eſt decere, deductum nomen, atq; Hiſpanico etiam ſermone vſurpatum. Namq; huiuſmodi plurima loca Hiſpani Nauas dicunt, vt Naualmacan, Nauas de Toloſa. Nauas de Auila, Naua de Seuilla. Atq; vt in Hiſpanica, ita etiam in primæua illa lingua nomen hoc alij cuipiam poſſeſsiuo caſu diſtinctionis cauſa cõiungitur. vt* NAVEH STADIKIM NAVEH KODES, NAVEH HHACHAM, *habitatio, ſiue* NAVAH *iuſtorum, ſanctitatis, ſapientis, &c. Vt & in hoc loco* NAVEH SALOM: *quod interpres Latinus pulchritudi-* Lib. Ierem.

quæ hic et alibi disputat auctor de extinctione belli quo caro concupiscit adversus spiritum, ne quemquam offendant, quasi velit, in justis et piis novi testamenti extingui peccati fomitem. intelligenda sunt eo modo quo idem auctor loquitur in comment. Ioelis c. 2. in enarratione illius loci, et eum qui ab aquilone est pag. 227. ad medium illis verbis, de quo domestico et perpetuo hoste etc atq. adeo omnia exigenda ad normam eorum, quæ docet S. Tho. 1.2. q. 61. a. 5. in corpore, ad finem

*nem pacis dixit. Porrò pacis nomen* Salom, *perfectionem atq; beatitatem ſignificat, quæ Latinum vocabulum pax imitari videtur. Erit itaque locus ille habitationi beatæ ſacratus.*

Hor. Epod.

*Reddit vbi Cererem tellus inarata quotannis*
*Et imputata floret vſque vinea:*
*Germinat & numquam fallentis termes oliuæ,*
*Suamq; pulla ficus ornat arborem.*
*Mella caua manant ex ilice: montibus altis*
*Leuis Crepante lympha deſilit pede*
*Illic iniuſſæ veniunt ad mulctra capellæ,*
*Refertq; tenta grex amicus vbera.*
*Nec veſpertinus circum gemit vrſus ouile,*
*Nec intumeſcit alta viperis humus.*
*Pluraq; felices mirabimur, vt neque largis*
*Aquoſus Eurus arua radat imbribus.*
*Pinguia nec ſiccis vrantur ſemina glebis,*
*Vtrumque rege temperante cælitum.*
*Nulla nocent pecori contagia, nullius aſtri*
*Gregem æſtuoſa torret impotentia.*
*Nam Deus illa piæ ſecreuit tempora genti.*

*Omnia hæc, quæ dilucidè & eleganter à poëta diſerto decantata ſunt, duobus tantùm verbis ab Iſaia pronunciatis, comprehenduntur.* NAVEH SALOM, *pulchritudine pacis; quod ad loci ſitum & habitum facit: quod verò ad habitandi & quieſcendi commoditatem,* In tabernaculis fiduciæ, *quæ nulla vel temporum iniuria, vel hoſtium inimica vis conuellere & mutare, aliò ve transferre cogat. In exemplari pluraliter vtrumque, & poſterius vocabulum in coniugatione reciproca, non ſine myſterio* MITHBA TEHHVM, tabernaculis ſibi fidentibus.

*Quæ non imber edax, non Aquilo impotens*
*Poſſit diruere, aut innumerabilis*
*Annorum ſeries, aut fuga temporum.*

*Namq; ædificiorum, quæ ad habitationem parantur, perpetuitatem & firmitudinem, quoad fieri poſſit, maximam quærere, artis cumprimis cura eſſe debet; id verò materiæ ſoliditate & concinnatione quæritur: verumtamen quamquam materies firmiſſima ex natura perpetua contingat; tamen artis humanæ opus omne, temporum diuturnitate & mutatione expugnatū, corruit: quòd ſi materies & durabiliſſima eſſet, & ipſa ſecum id afferret, quod ab arte nunc expectat, & exigit; nullam profectò domus ſiue tabernaculum metueret ruinam, quippe quòd ſua ſponte omnia haberet, quæcumque perpetuitatis vſuram præſtant; qualia cæli materies nunc habet. Ideoque nihil à tempore, diebúſve metuens, permanet. Solum enim Deum ſuæ & materiæ auctorem, & formæ concinnatorem laudat, eumdemq; ſolum ſibi poſſe finem afferre, nihil præterea aliud nouit. Quamobrem tabernaculū fiduciæ rectè dici poſſit cælum.* Pſal. 118. *S.S.E. Statuit ea in æternum: & in ſeculum ſeculi.*

ſeculi, præceptum poſuit, & non præteribit. Huiuſmodi tabernacula ſibi fidentia, auctore Deo, populo illi beato parari prauiderat Iſaias: hoc eſt, corpora terreſtria, & animalia in cæleſtia & ſpiritualia per Chriſti Spiritum ſanctum mutanda, & perpetuitati conſecranda. Qui legit, intelligat; qui non intelligit, legens tamen, promittentis adorat veritatem; & credat ſummam & præſtantiſsimam eſſe fidem. & in requie opulenta. In exemplari lingua plurali numero pronunciatur hoc membrum MIBTAHHOTH SAANANOTH, quo numero cùm nomen requies, apud Latinos careat, interpres noſter altero, qui contigerat, vſus tantùm eſt. Certè pluralis numerus hoc loco copioſam, affluentem, non vno tantùm aut altero modo & gradu definiendam: ſed multis mirandiſq; partibus & commoditatibus conſtitutam quietem, tranquillitatem, & beatitatem ſignificat: quæ perpetua numeri obſeruatio eſt, in verbis quæ rem natura vnicam, virtute verò multiplicem ſignificant. Quiſquis hoc Iſaiæ vaticinium penitus cognouerit: idem quoque planè intelliget quid Apoſtolus Epheſiis gratuletur: Iam non eſtis hoſpites Epheſ. 2.
& aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſu- "
per fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari "
lapide Ieſu Chriſto: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum "
ſanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei, in "
Spiritu ſancto. quod ad exteriorem imaginem attinet, quam ſacri ſcripto- "
res à rerum natura petitam, ſemper ad verum depingunt, internas & ſpirituales rationes myſterio continentem, ſic habet. Triplex loci ad habitationem comparati genus eſt: vnum, quod ad præſidium, propugnationem & tutelam inhabitantium facit: vt ſunt vrbes natura & arte munitæ, quæ pacem & ſecuritatem vel procul viſæ promittunt. Ad quod genus arces & palatia regum armis opibuſq; inſtructiſsima referuntur; cuiuſmodi ſpeciem Hieroſolyma longè proſpecta præbebat, propter montiũ, in quibus ſita fuit, naturã. Vnde IERVSALEM, id eſt, pacis viſio, ſiue conſpicua pax dicta. Huiuſmodi genus reſpicit verbum NAVASALOM. Secundum genus ſunt cæteræ vrbes, quæ muris probè cinctæ, & propugnatoribus ac præſidiariis cuſtoditæ ſecuros agere incolentes iubent. Hoc ſignificat nominum coniunctio In tabernaculis fiduciæ: atque vtrumque horum quamquam tutum ſit, non tamen continuò proſpectum, pacem & quietem in regione libertatemq; oſtendit; quippe quorum & in belli, & in pacis temporibus vſus eſſe poſsit. Demùm tertium & oppidorum, pagorum, & villarum cultus, inhabitatio, & frequentia, quæ manifeſtam ſecuritatem & publicam omnis metus expertem indicat, nullis portarum clauſtris, nullis præſidiariis indigentem copiis. Quam rerum conditionem hoc modo poëtæ deſcribunt:

vidi ego ciuium
Retorta tergo brachia libero,
Portaſq; non clauſas, & arua
Marte coli populata noſtro.

Hanc liberrimæ ſecuritatis partem Iſaias duobus complexus eſt verbis, in requie opulenta, ſiue in quietibus beatis. ſi ita Latinè loqui liceret: quæ omnia ad animorũ beati-

*tatem, & aureum Chriſti ſeculum referenda eſſe non ſemel admonuimus.*

*Sed quoniam non ſatis ad humanam vitam eſt ſecuritas & pax ab hoſtili metu libera, niſi etiam temporum & annorum temperies ad alendas fruges, fructusq; colendos & percipiendos oportuna perpetuaq; contingat, atq; etiam locorum commoditas & fertilitas abundè ſuppetat, quibus minore cum labore maior annonæ comparetur copia. Hanc quoque felicitatis partem Iſaias duobus proximis verſibus deſcribit, & prioribus rationibus adnexum iri pollicetur.*

Grando autem in deſcenſione ſaltus, & humilitate humiliabitur ciuitas. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedem bouis & aſini.

Ex *vna tantùm aduerſarum tempeſtatum ſpecie ceteras omnes arguendas Vates indicauit; breui, vti ſolet, oratione multa complexus, quæ ad humanam habitationem & commoditatem viuendi faciunt. Hæc nobis nunc breuiter ac ſummatim perſtringenda ſunt; cùm ſingula vel iuſtum caput requirerent. Agriculturæ & Architecturæ doctores, cùm illi de victu hominibus parando, hi de ſalubri ac tuta habitatione deligenda, ac inſtruenda præcipiant; diuerſum ad vtrumque vſum ſoli ſitum exquirendum cumprimis docent. Namq; hoc vtrique commune obſeruationis documentũ habent, loca quæ fructibus alendis oportuna & idonea ſunt, eadem habitationi inſalubria & importuna eſſe: quòd frugum natura calidiorem ſimul, humidioremq; regionem poſtulet; ſanitas verò ſicciori ac frigidiori conſeruetur loco; dum tamen neutra ex his partibus modum excedat. His accedit, quòd vtrique externam vim, quantum poßint, arcere ſtudent. vis hominibus plerumque ab aliis infertur mortalibus, quorum editiore habitationum ſitu antiqui meliùs frangi ac vitari poſſe putantes, vrbes, caſtella, & arces in montanis & præeminentibus locis ædificabant, antequam hoc tormentorum ſulphureum genus eſſet inuentum, quod nunc meliùs ac diutiùs in planis & campeſtribus locis detineri, ſuſtineri, & interturbari poße cenſentibus, plani & humiles ad arcium ſtructuram quæruntur ſitus; non ſine morborum atque inſalubritatis periculo & ſenſu. Agricolis vehementiores tempeſtates in hoſtium cenſu ſunt, venti maximè ac niues, & vehementius gelu: fulmina quoque arboribus infeſtißima, & nebulæ aßiduæ; quæ editiora montium cacumina plerumq; obſident. Adde vehementes pluuias, nymborum procellas, & fluuiorum torrentiumq; inundationes: quæ longè grauiùs mõtanis & aſperis, quàm humilioribus & planis ac depreßis terrarum tractibus nocent; vtpote quæ ſolum radere, & ſuccos terræ cum glebis ipſis eruere auferreq; ſoleant. Quamobrem ad culturæ vſum vel campi cumprimis, vel molles & cliuoſi laudantur colles; in quibus huiuſmodi calamitates minùs multò quàm in mõtibus valent, vna excepta grandine: namq; hæc in vallibus, tum ſegeti & pratis, tum plantarum generi omni plurimum nocet, frequentiorq; cadit. Atque huiuſmodi tempeſtates & procellæ temporum varietate in aëre excitantur: ita tamen vt ſuam ſingulæ naturam ſeruent: quamobrem ad vtramque rationem rectè ſolidandam*

dam montes habitationis, campi frugum & fructuum cauſa plerumq; commodiùs coluntur: Si quid verò præter huius rationes exempli conſpiciatur, id rarum ad ſingularem efficientiam, vel potiùs rei prouidentiam referendum eſt. Hanc verò prouidentiam certam, perpetuam, & conſtantem populo Dei probatum & gratulatum iri, præcinit Iſaias. Fore enim, vt nec in campeſtri ac depreſſo ſitu hoſtium impetus, neque aëris ac cæli inſalubritas habitatoribus metuatur, nec cultoribus grando noceat vlla; vtpote quæ in ſyluas, ſaltus & horrida teſqua de cætero præcipitanda ſit: & ita omnia humilia ad ſanitatem corrigenda & conuertenda, & ad alendum fructus omnes promoueantur; vt vel in depreſſiſſimo loco vrbem ſtruere & incolere tutò liceat, & nullam agrorum ſuorum partem aut regionē ex aquarum penuria effœtam, ceteriſq; diſſimilem experiri, ac damnatam relinquere: quippe quibus ingens aquarū opportunitas ea quæ natiua ſuppetat, vt meſſis ac percipiendorum fructuum horis non ſatis fuerit boum opera ad trituram vti, niſi etiam aſini ad eum vſurpentur laborem: quod iumenti genus huic rei non niſi in fertiliſſimis annis adhibetur. Hæc horum verſuum explicatio eſt. Grando autem in deſcenſione ſaltus. In ſiluis ac dumetis ca- Ad ſpiritum
det, vbi nihil nocere poſſit: atq; ita planiores agri & ſegetibus deſtinati non modò à grandine tuti erunt; ſed ab omni inſalubris aëris intemperie adeò liberi, vt in humillimis ac depreſſis locis vrbes & conſtruantur, & impunè frequententur. & in humilitate ſitus humiliabitur ciuitas. Alluſio elegans in exemplari. à VBSI EIAN THESPAL SIPLA. Iacentem ac depreſſum campum ſignificat, qualis Hiſpalis vrbis in Hiſpania ſitus, antiquum nomen obtinuiſſe videtur, cuius hodieq; manifeſta veſtigia retinet, SEVILLA SEPILA. Quod verò ſoli feracitatem, fructuumq; vbertatem ſpectat, præter communem vſum, magno prouentus exemplo expectandam, gratulatur Vates. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas. Vox ſuper, idem hoc loco, cum, iuxta, ſiue ſecundùm ſignificat: omnia, inquit, tunc irrigua, omnia læta & fœcunda loca erunt: ita, vt quocumque ſeratur, aquæ proximæ præterfluant; idq; mirati hoſpites, ingenti gratulatione excipiant huiuſmodi terræ cultorum labori felicem ac perpetuum prouentum ſuccedere. quibus non ſatis erit in tritura bobus vti; ſed etiam aſinorum adiumento ſit opus: nam ad nullum aliud opus aſinos bobus adiungi legitimū eſt; non ad arationem, non ad trahendos currus, non ad onus ferendum: ſed ad opus id quod pedum miniſterio conficitur; hoc eſt, ad frugum in area terendarum neceſſitatem, cui boum opera non fuerit ſatis: ideoq; ſignificanter pedes tantùm immittendi mentionē fecit. Quàm verò aptè, quàm ad viuum areæ beatorum animorum per diuinum ſpiritum effecta fertilitas, puritas, & felicitas hoc indicetur myſterio, atq; obiter primi Pſalmi argumentum oſtendatur: facilè intelligent, qui de via Domini aliquantulum adepti ſunt notitiæ. His enim ſiluæ ac ſaltus hoſtes illi interni: aquæ verò & campi diuinorum donorū copiæ erunt. De quibus Ieremias & Ezechiel plura, & exactiùs explicata nobis, quæ in Opere magno citata ſunt, decantarunt.

## CAPVT XXXIII.

VÆ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? cùm conſummaueris deprædationem, deprædaberis: cùm fatigatus deſieris contemnere, contemneris.

QVONIAM *duplicem ſalutem populo Dei afferendam hoc vaticinio prædici docuimus; alteram manifeſtam certo tempore præſtandam Ieroſolymitanis ex Babylone ſolutis, & in patriam reſtitutis; alteram verò arcanam & perpetuam animorum præcipuè beatitate definiendam, verſum hũc ad vtramq; rationem referre facile eſt: quo non modò ſalus piorum populo afferenda confirmatur, ſed hoſtium etiam exitium certiſsimum fore prædicitur. Namq; rerum natura iniuriarum vltionem à iudicio diuino iure poſtulat; cui poſtulationi iuſtiſsimæ non dubium eſt, quin peractis demùm tantæ litis actionibus, & ſpaciis ad ferendam ſententiam exactis, tandẽ ſatisfiat; damnato iniuriæ auctore, atq; dignis affecto pœnis, quæ manifeſtũ Dei iudicium probent, atq; omnem caſus aut fortunæ interpretationẽ prorſus tollãt. Quæcumq; enim diſsimilia & imparia antecedentibus eueniunt, ea vulgus hominum non ad certam & germanam vel naturæ legem, vel prouidentiæ auctoritatem; ſed ad caſum, vel fortunam, vt ſummum ad rerum inconſtantiam & viciſsitudinem referre ſolet. Id quod exiſtimari nõ poteſt, vbi ea quæ conſecuta ſunt, ſpeciem præbent arctam: quippe cùm priora poſterioribus cauſam fuiſſe res ratioq; euincat: præſertim cùm einſmodi ratio cum Vatum prædictionibus ad amuſsim conſenſerit; hanc autem animaduerſionem Deo conſtantem, certamq; eſſe docet Vates, eamq; manifeſtè probandam cum publico excidio hoſtium, qui inſolentiſsimè aduerſus humanum genus egerint; quales Aſſyriorum, Græcorum & Romanorum imperatores ac duces fuiſſe accepimus: tam verò publici & communis hominum hoſtis, qui de omni iam natura triumphare ſibi viſus, virtute Ieſu Chriſti, demùm victus, ſpretus, ac deſpoliatus fuit; atq; in eandem irriſionem incidit, qua ipſe in humanam dignitatem, atq; diuinum de hominibus ornandis conſilium debacchabatur. Quanta Aſſyriorum, Babyloniorum, Græcorum, ac tandem Romanorum ſuperbia, quàm inſolens gloria, quanta aduerſus gentes alias contentio, quanta porrò in eos, qui veram Dei notitiam habebant, crudelitas extiterit, omnibus illorum hiſtoriis expoſitũ eſt, & quatuor apud Danielem imaginibus ferè ex viuo depictum: quis rurſus iſtorum exitus, & quantum inſolentiæ criminibus conſentiens punitio, tempora ipſa per ſingulas ætates prodidere. quæ verò, quantaq; Luciferi arrogantia, propter humanum genus opera, induſtria, ac ſapientia ſua perditum ac damnatum, arcanis oraculis patefactum eſt: quorum partem pro argumenti ratione, ex magni noſtri operis anima obſeruare & cognoſcere licebit. Quanta verò poſt victoriam à Chriſto partam, & poſt allatam terrarum orbi ſalutem, illi hoſti turbatio, deiectio, calamitas, atq; vanæ ſapientiæ exprobratio adhæſerit, noui Teſtamenti miniſtri, ſcriptores libertatis*

*illius,*

*illius, participes gratulati ſunt: Et vos cùm mortui eſſetis in delictis & præputio carnis veſtræ, cōuiuificauit cum illo: donans vobis omnia delicta, delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat cōtrarium nobis, & ipſum tulit de medio: affigens illud cruci, & expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in ſemetipſo. Hanc verò ſalutem, quam longo pòſt tempore venturam præuidebat Vates, interim dum ſperare & expectare dabatur, tamen non diffidēdam, genti ſuæ conſulens, auxilium, præſidiumq́ diuinum poſtulandum ſuadet: cuius vnica ope, quæ interim ab hoſtibus & inimicis mala & incommoda inferenda nouerat, perferri & ſuperari poſſe credendum.*

Domine, miſerere noſtri: te enim expectauimus: eſto brachium noſtrum in manè, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.

D V O *tempora hac vnica lectione indicantur: alterum ſalutis publicæ, de qua agi cœptum eſt; alterum laborum, qui ab hoſtibus, & vitæ incommoditatibus imminere piorum genti Vates præuidebat: interim exantlandi, quoad promiſſa aduentaret ſalus. Quos quoniam permultos, aſsiduos, eoſdemq́ grauiſsimos præſagiebat; deprecatione ſupplicationeq́ diuini auxilij præuenitus curabat: cuius deprecationis formulam ex ſua atq́ ex gentis communi perſona præſcribit. namq́ vt idem aliàs ait: Niſi Dominus Deus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & Gomorrhæ ſimiles eſſemus. Quamobrem in omni tempore Deum implorare conſultiſſimum eſſe docet: qui & labores minuere ac temperare ſolus poteſt, & animum ad ferendos addere, vireſq́ ſufficere. Itaque parentheſis rationem verſus hic inter dicendū imitatus cenſetur, miſerere noſtri.* HHANNENV, *clementer age nobiſcum, Parce precamur, parce tantis, qui nobis interdum parantur laboribus: atque eos, quos ferre tamen debemus, virtutis tuæ præſenti beneficio tolerare, & perferre concedito. Hæc enim arcana ſignificatio nominis,* brachium noſtrum. *quod verò additur,* in mane, *pluralem formam in exemplari obtinet; qua Latini carent. Chaldaicus interpres ſingulis diebus vertebat. Namq́ aſsiduos fore labores illos præuiderat, eóſque grauiſsimos, quod altera precationis parte ſignificat.* & ſalus noſtra in tēpore tribulationis. *Qua precatione ac ſupplicatione interiecta, ſalutis deſcriptionem, & hoſtium expugnationem, & extinctionem perſequitur.*

Marc. Varro. de ling. Latin. lib. 6.

A voce Angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua diſperſæ ſunt gentes.

L A T I N V S *interpres ad ſtragem Senacherib per Angelum allatam, reſpexiſſe videtur, vnà cum doctis Hebræorū expoſitoribus; verbum ab Iſaia pronunciatum latius eſt; & illam quoque ſingularem & publicam, abſolutamq́ de humani generis hoſte victoriā nobis inſinuat.* MIKOL HAMON, *à voce frequentiæ ſiue turbæ. Namque vnius Angeli impetu & ſtrepitu perterriti Aſſyrij, qui reliqui fuerant ex illa clade, fugerunt. Quod verò hac imagine ſignificabatur magna liberatorum per Chriſtum frequentia erat: quam ceteræ pauerēt gentes, quæ in orbe terrarum habitabant, vel nationes & populi intra ſingulos homines verſati, nouis à Deo creatis ſen-*

*ſuum*

*ſuum & ſpirituum populis loco cedentes, aufugerent; atque hoc pacto Deus*
» *in Eccleſia ciuitateq́; ſua exaltaretur. S. S. E. Sanctificetur nomen tuum,*
» *adueniat regnum tuum. Non poſſumus, quæ Vates myſteriis tradit, dum*
*commentatoris officio fungimur, diſſimulare: quamquam enunciandi nunc*
*tempus non ſit idoneum.* Ab exaltatione tua diſperſæ ſunt gentes. *Libe-*
*ratione piorum de manibus inimicorum ſuorũ Dei nomen ſanctificandum,*
» *exaltandum eſſe Vates & Pſaltes omnes prædicabant. Exaltare ſuper cæ-*
» *los Deus, & ſuper omnem terram gloria tua, vt liberentur dilecti tui. Præ-*
*teritum hoc loco futuri vice fungitur, vt aliàs in vaticiniis frequẽter: atq;*
*prædictam adnunciatamq́; victoriam & libertatẽ quanta ſpoliorum copia*
*conſecutura ſit, & in quem illa ſit comparanda finem, ſubiungit oraculum.*

Et congregabuntur ſpolia veſtra, ſicut colligitur bruchus, veluti cùm foſſæ plenæ fuerint de eo.

QVOD *ad eorum, qui victi & fugati fuerint, ſpolia attinet: vbi res ad victoriam oculis humanis conſpicuam referatur, facilem habet interpretationem: ſed inductum bruchi nomen, arcanum indicat ſenſum: namq; bruchus agris, hortis, ac vinetis nocens, in nullos humanos colligitur vſus: ſed vbi collectus fuerit, vel humatur, vel igni conſumitur. Quæ res nobis indicat ſpolia gentiũ non fore aurum, veſtem, equos, & pecora, & arma bellica; ſed ea potiùs, quibus veritas impugnatur: diſciplinas nimirũ ac doctrinas dæmoniorum, & cetera curioſa, quæ vocãtur commenta hominum; quæ tum ad naturam, tum ad mores & publicarum rerum, regnorum, & imperiorum iura propugnanda, excogitare humanum nouit ingeniũ. Hæc enim omnia vt piorum animis prorſus inimica collectum & ſepultum aut exuſtum iri, ſepulchri inſtar, Vates prædixit. Cuius prædictionis euentum ſi quis requirat, vno exemplo manifeſtum indicabimus: & idem facilè de ceteris iudicabit, quæ multa vana & ſuperſtitioſa gentibus, anteà auguſtiſſima, & religionis atque ſapientiæ nomine conſecrata, veritate Ieſu Chriſti*
Act. 19. *victrice periere. Multiq́; credentium veniebant confitentes & annuncian-*
» *tes actus ſuos. Multi autem ex eis qui fuerant curioſa ſectati, contulerũt li-*
» *bros, & combuſſerunt coram omnibus; & computatis pretiis illorum, in-*
» *uenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium: ita fortiter creſce-*
» *bat verbum Dei, & confirmabatur. Quod verò de gentibus externis indicauimus, ad internum ſingulorum hominum arcanum ſi referatur, facilè intelligemus quanta ſit priorum cogitationum actionumq́; iactura iis, qui-*
Philip. 3 *bus diuino beneficio victoria ac libertas illa contigerit. Sed quæ mihi fue-*
» *runt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Verumta-*
» *men exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu*
» *Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror*
» *vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo; non habens meam*
» *iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt. Quæ quidẽ iuſtitia nullam humanæ ſapientiæ aut virtuti ad arrogantiam concedit locum, ſed omnia, quibus præſtat, munerum, gratiarum, ac facultatum genera cumulata & abſoluta Deo accepta referens, certum probat euentum prædictæ atque*

cele-

*celebratæ a Vatibus gloriæ & laudis Dei, auctoris bonorum omnium, quæ de ſupremo ſolio, habitaculo, ac theſauro hominibus immiſſa conlatáque fuerint.*

Magnificatus eſt Dominus, quoniam habitauit in excelſo: impleuit Sion iudicio & iuſtitia.

V T *bona & commoda omnia, quæ in terris eduntur & renouantur, ex cælorum virtute & efficientia proficiſcuntur; quamobrem cælum, cæliq; temperies commendari laudariq; ſolet: ita quæcumque in hominibus renatis & ſanctificatis, vera extiterint bona perfectaq; dona, deſurſum eſſe, & à Patre luminum deſcendiſſe prædicabuntur: atque hoc pacto* Dominus in alto habitans *perpetuis gratulationibus celebrabitur, inquit Vates.* Quoniam habitauit in excelſo. *Vox & præconium laudantium, & congratulantium per conformationem inductum; hac ſententia, verè habitare Chriſtum Dominum in excelſo ad Patris dexteram. vnde tot tantaq; bona in hominum naturam defluxerint, quanta mox exponuntur.* Impleuit Sion iudicio & iuſtitia. *Namq; antea dum peccatum in mundo regnabat, & lex præter doctrinam, accuſationem, & promiſſionem iuſtitiæ futuræ nihil conferebat, quamquam iudicium & iuſtitiam inhabitaſſe Ieroſolymam dicuntur aliquando: numquam tamen impleuiſſe viſa ſunt: cùm perfecta iuſtitia & exactũ iudicium vnius Dei per Chriſtum ſint opus. Hæc verò Dei innumera perpetua ac propria firmiſſimaq; deinteps fore, Vates ait, eadem maximo vſui in omnem vitæ partem cùm priuatæ tum publicæ, vtpote quibus theſauri ſapientiæ, ſcientiæ, ac beatitatis omnis cõtineantur.*

Et erit fides in temporibus tuis: diuitiæ ſalutis, ſapientia & ſcientia: timor Domini ipſe eſt theſaurus eius.

P E R *ſignificationem, ſiue argumentationem ſalutis publicæ tempus indicatur, cum illis prioribus ſeculis comparatum; ac poſteriori comparationis parti prior eueſtigio ſubiungitur. Totum itaq; illud beatum tempus magnis fidei, ſapientiæ, ac timoris Domini oportunitatibus & vſibus inſtruendum ait: ita vt populus ille à Deo delectus, ſeruatus, & ſanctificatus, toto animo continuatoq; ſtudio fidem illam colat & præſtet, quam reuelandam fuiſſe*
*Diuus Paulus indicauit. de qua & Ieſus præceptor, Habete fidem Dei;* Mar. 11.
*Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, Tollere, & mittere* "
*in mari, & non hæſitauerit in corde ſuo, & crediderit: quia quodcumque* "
*dixerit, fiat, fiet ei. & Paulus: Priuſquam, inquit, veniret fides, ſub lege cu-* Gal. 3.
*ſtodiebamur, concluſi in eam fidem quæ reuelanda erat. Ita lex pædagogus* "
*noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. at vbi venit fides, iam non* "
*ſumus ſub pædagogo. Omnes enim filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu.* "
*Hanc fidem adauctam vera ſapientia, & exacta ſcientia conſequitur. Sa-* "
*pientiam autem dicimus, quàm Paulus inter perfectos loqui ſeſe ait. Sa-* 1. Cor. 2.
*pientiam, inquit, non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi qui de-* "
*ſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt:* "
*quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtrã: quam nemo prin-* "
*cipum huius mundi cognouit; & cetera quæ in hanc rationẽ Apoſtolus per-* "

*ſequitur. Scientiam verò interpretamur exactam ſacrorum ſcriptorum cognitionem; non ab humanis præceptoribus traditam, non humano ingenio partam, ſed doctore Deo acceptam: de qua Vates hic idem prædixit, & erūt docibiles Dei. Hanc verò ſcientiam abundè ſibi cōmunicatam Paulus conſitetur & prædicat.* 2.Cor.11. *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis: nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia. Atque huius ſcientiæ ſapientiæq́; fontē Ieſum Christum Dei Filium, Deiq́; verbum eſſe, illiúſq́; virtute & efficientia iis communicari, quibus contigit, idem declarat Apoſtolus:* Coloſſ.2. *Vt conſolentur corda ipſorum inſtructi caritate, & in omnes diui-* „ *tias plenitudinis intellectus in agnitionē myſteriŷ Dei Patris Chriſti Ieſu;* „ *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Atq; duo dona hæc ſapientiæ ac ſcientiæ totius vitæ actionum probitas & candor, ac morum ſanctitas conſequitur: dum nihil facere, nihil expetere, aut appetere; ſed neque agere quicquam homo velit, quod non cum diuinæ voluntatis, ac legis norma conueniat; atque omnia ex timoris Dei ponderibus examinet: eamq́; ſibi præfigat beatitatem; à timore Dei, hoc eſt, à pura & ſimplici pietate nō diſcedere. hoc eſt quod à Vate ſignificatur illa definitione,* Timor Domini ipſe eſt theſaurus eius. *quidquid theſauri, ſiue diuitiarum, & opum nominibus alŷ nuncupent, & ſibi optent; ei tamen, cui diuina ſapientia & ſcientia contigerit, vnicus, & ſolus, & maximus theſaurus, timor Domini eſt. Qui idem diuinus theſaurus appellatur: nihil enim deeſt iis, qui timore Domini imbuti, & inſtructi ſunt. S.S. E.* Pſal. *Timorem Domini* „ *docebo vos, Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos: decli-* „ *na à malo, & fac bonum: & inhabita terram, & paſceris in delitiis eius. Atq; beatæ illius ætatis, quam antiqui omnes Vates à Samuel, & deinceps prædixerunt, & annunciarunt, & multi reges ac Prophetæ videre cupierunt; hic ſtatus, & huiuſmodi facies; è tenebris & vmbris, atq; ex anguſtiis prioribus extare, & enitere ex Dei miſericordia parabatur. Hæc ſeculi omnibus antiquis votorum ſumma fuit.*

Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amarè flebunt.

ANGELOS *ad humani generis adminiſtrationem factos fuiſſe ſacra docent ſcripta; quæ nos in Magni operis primo libro citauimus, & , vt videmur, ſatis explicuimus apertè hos humanæ calamitatis, & miſerabilis conditionis tam diu productæ commiſeratione ductos, anxiè de ſalute hominibus reſtituenda, augendaq́;, Deum appellaturos, prædicit Vates, & finem malis, & laboribus publicis impoſitum.* videntes Angelos , *intellige, qui proſpiciendis rebus hominum præpoſiti ſunt: ex quibus vni nomen eſt* AREL, *id eſt*, VIDENS FORTIS. *Quod nomen hîc cum plurali verbo adiunctum legitur.* clamabunt foris. *In ſeculis illis, quibus nondum libertas contigerit, nec Dei regnum aduenerit.* & Angeli, *quibus humana pax, perfectio, & ſalus exoptabitur. (namque hæc omnia ſignificat nomen* SALOM *)* amarè flebunt, *præ deſiderio ſalutis publicæ hominum, Chaldæus Paraphraſtes nomen* AREL, *ex cōpoſito diuiſum reddit, Deumq́; interpretatus eſt hominibus viſum iri.*

Diſſi-

Diſſipatæ ſunt viæ, ceſſauit tranſiens per ſemitam, irritum factum eſt pactum, proiecit ciuitates, non reputauit homines. Luxit, & elanguit terra: confuſus eſt Libanus, & obſurduit, & factus eſt Saron ſicut deſertum: & concuſſa eſt Baſan, & Carmelus.

*QVALES in illa miſera peccati conditione fuerunt hominum res, qualis totius generis ſtatus, quàm inculta, quàm horrida facies, duabus indicat tranſlationibus & imaginibus Vates: altera hominum bello oppreſſorum, & victorum, atq; captiuorum; quibus communis & ſimilis accidit ſeruitij miſeria: altera verò regionis vaſtatæ, & cultoribus relictæ ac deſertæ: quæ ex nitidiſsima & florentiſsima in teſqua horrida mutatur: cuiuſmodi & hominum, & agrorum ſortem Iſraelitis primùm, deinde Iudæis, & Ieroſolymitanis hoſtili potentia & ſæuitia tactam legimus; quam Ieremias aliiq; Vates lugubribus lamentantur verſibus: atq; iidem eandem huius, de qua agimus, humanæ ſeruitutis, quæ ſub peccati regno ſeruiebatur, imaginem eſſe volunt.* Diſſipatæ ſunt viæ. *Actionum, commerciorum, & omnis humanæ ſocietatis conſuetudinem turbatam, prior verſus ſignificat: quod ad morum peruerſitatem, & fidei inter homines defectum, ad omnem denique malitiam & prauitatem transferendum fuerit; non ſecus atque illa apud Ieremiam: Viæ Sion lugent, eò quòd non ſit qui veniat ad ſolennitatem.* irritum factum eſt pactũ, *Deo cum hominibus de officio ſancitum, quod publici hoſtis aſtu ruptum fuit. quamobrem homines, tum ciuitatibus ſuis proiecti, ac deſpecti ſunt. hoc enim ex illo violatæ obſequij fidei peccato euenit, vt omnes inimici Dei & iræ filij euaderent: ex conſequenti, omnis naturæ humanæ nitor ſordeſceret, omnis peruerteretur cultus. hoc eſt quòd ſubiungitur:* Luxit, & elanguit terra. *S. S. E. Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi. Atque nominibus imaginibuſq; illis:* Libanus Saran, Baſan, & Carmelus; *Omnia loca vel naturæ fertilitate, vel hominum cultura & induſtria, vel vtroque genere cõmendata, metonymicῶs ſignificantur: & horum ſignificatione, quidquid in humanis ingeniis, vel ſtudiis laude dignum videri potuit: dum res hominum integra maneret, in horridam atq; inuiſam ſterilitatem conuerſum declaratur: quo ſtatu nihil miſerabilius. Tantoq; magis hæc innata creuiſſe dicuntur, quanto vlteriùs mundi ætates, & hominũ frequentia copiaq; proceſſerant: abundantibus enim hominibus, & peccatum quoque, vt ait Apoſtolus, redundauit.*

Thren. 1. — Gen. 3.

Nunc conſurgã, dicit Dominus: nunc exaltabor, nũc ſubleuabor.

*VBI abundauit malitia & peccatum, abundauit & gratia. quod præuidens Iſaias, Dei nomine pollicitus, affirmauit: oſtenditq; nullam tantam eſſe poſſe publici hoſtis vim & artem, aut calliditatem in perdendis hominibus, quæ diuinum de humana ſalute propoſitum vel rumpere, vel auertere, vel retardare valeat: cuius rei exemplum in Ægyptiaca ſeruitute editum fuit. Cùm enim maximè Iſraelitæ laborarent, tum verò efficientiſsimam erga ſe diuinam voluntatẽ & virtutem in libertatem aſſerti cognouerunt. Tria priùs ab Angelis deplorata obſeruauimus: humanæ ſocietatis turbationem,*

tionem, in eoq́; genere religionis ac pietatis neglectus continebatur; deinde hominum abiectionem, & contemptionem miſerabilem; poſtremò terræ vaſtationem: quibus omnibus hoſtis Deum contempſiſſe videbatur, in cuius tutela fuerat populus ille, qui humanum referebat genus. Ergo quo maior & grauior videbatur clades, eo magis Dei reſtituentis, & populum ſuum promouentis declarabitur voluntas & virtus; quæ ſingula ex illis tribus vindicet, reficiat, & amplificet. Quamobrem ter in hoc verſu vſurpatur vox nunc: quæ & oportunitatem expectatam, & certum, deliberatum, ac decretum conſilium ſignificat. Nunc conſurgam, domum ſedemq́; meam inſtauraturus. Nunc exaltabor aduerſus hosteis, populum erepturus aſſerturusq́; meũ. Nunc ſubleuabor, terræ ac regionis mei miſertus, quam, perditis hoſtibus, nitidiorem multo reſtituam. Atque vaticinium promiſſumq́; hoc, quamquam veriſſimè ad ſalutem publicam per verbum Dei efficiendam pertineat, verè tamen ad illam proximam Ieroſolymorum ab Aſſyriis liberationem refertur: quippe hæc illius alterius & argumentum, & ſymbolum fuit. Nunc, inquit, cùm maximè anguſtæ & afflictæ videbuntur populi mei res, conſurgã, atq; hoc, nunc, illius etiam. nunc, id eſt, oportunitatis illius indicium, erit atq; ſpem credentibus faciet certam. Exaltatio Dei in terris, & ſuper cælos miſericordiæ efficientia dicitur. S. S. E.
» Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua; vt liberen-
» tur dilecti tui. Quis verò, qualisq́; exitus callidiſſima hoſtium conſilia, & firmiſſimam putatam potentiam & vim excepturus maneat, proximis verſibus declarat Iſaias.

Concipietis ardorem, parietis ſtipulam: ſpiritus veſter vt ignis deuorabit vos. Et erunt populi quaſi de incendio cinis, ſpinæ congregatæ igni comburentur.

Meminiſſe perpetuò oportet his omnibus de miſericordia & ſalute prædictionibus præcipuum Vatis conſilium, ad publicam illam & communem humani generis libertatem, per Chriſtum afferendam, referri: cuius figuram, imaginem, & certum promiſſum, quæcumque interim temporis populo antiquo collata fuere beneficia indicabant, & quæ illis ad ſenſum, & ad tactum contigere, hæc eadem longè maiora piorum animis, olim præſtanda parari: eſſeq́; in vno quoque hominum magnos & frequenteis hoſtium exercitus. quos vitare, ſuperare, ac perdere prorſus non opis ac virtutis humanæ; ſed diuinæ miſericordiæ & efficacitatis eſt. Igitur dum externa ex verbo commentamur, ad interna illa reſpicimus: quorum exactam explicationem Ioannes Apoſt. in Euangelio indicatam ſuo in Apocalypſis prophetia perſecutus eſt. Igitur conſilia, incepta, acta, vires, opes, potentiamq́; hoſtium omnium nihil aliud futura eſſe ait, niſi materiam igni atque incendio comparatam; quæ in cineres tandem abeat: atq; ita omnia virtute verbi Dei & Euangelij diſiectum, diſſipatum, & abolitum iri prænunciat; ſumpta à fornacibus tranſlatione; in quibus lapides in calcem excoquuntur: qui quo duriores & ſolidiores viſi fuerint, eo maiori ignis impetu & vi exuruntur, & exuſti in tenuiſſimum puluerem ac cinerem deſinunt. Atq; in

huiuſ-

*huiuſmodi fornacibus ignis, qui ex vepribus ac ſpinis incenditur, efficacior cenſetur, experimentoq́; cognoſcitur, quàm qui ex alia lignorū materia ardet. Id quod in ſacris ſermonibus, & apud Poëtas etiam aliarū linguarum non ſemel obſeruare eſt.* Concipietis ardorem. *Conſilia hoſtium, & commenta omnia ſpinoſæ ilicis generi ſimilia facit; quæ in lingua ſacra* HHASSAS, *in Hiſpanica Coſcoſa vocatur. Hoc genus tardiùs creſcit in proceram arborem, ſtrigoſis ac ſpinoſis horrens foliis; glandes profert, nulliq́; quòd ſciam, vſui idoneus, quippe quibus neque ſues veſcantur: tamen vbi arruerint folia & rami admotum ignem citiſſimè concipiunt. Huiuſmodi futura ait hominum hoſtium conſilia, magno molimine, multo ſtudio inita: quæ tamen in aridas frondes & ſtipulam eant. In primæua lingua oportuna & elegans paronomaſia eſt.* HHASSAS & KAS, ſpiritus veſter. *Intra vos ipſos excitabitur ſpiritus, qui ignem vos conſumpturum irritet. Spiritum, propoſitum, impetum, conatum & motum, etiam inceptum, hoc loco interpretamur. Itaq́; ipſos ſibi ſuum comparaturos exitum ait. Quod verò ad copias, opes, & potentiam facit: quanto hæc magnitudine & firmitudine videbuntur præſtare; tanto exurentur impenſiùs, & comminuentur, in calcem velut redacta.* Et erunt populi quaſi de incendio cinis. *Cineris genera plura ſunt, ſingula à materia ex qua conficiuntur nominanda. qui ex ſaxis conficitur cinis, ad quam figuram hîc alluditur, calx dicitur.* Spinæ congregatæ igni comburentur. *Spinarum nomine hominū curas ſignificari arcanè in ſacro ſermone oſtendimus: atque Ieſus Chriſtus nos in Euangelio hanc interpretationem docuit. nihil enim hominum animis curæ, niſi inquietudinem, moleſtiam, & ſolicitudinem afferunt. Huiuſmodi itaque curis incendia comparare quærunt homines, quibus ipſi ardeant. Atque Senacheribis exercitus internum incendium, quod iam commemorauimus, hoc etiam ſignificatur arcano ſermone.*

Audite qui longè eſtis, quæ fecerim: & cognoſcite vicini fortitudinem meam. Contriti ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas. quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?

EVANGELII *Chriſti virtutem duplicem, eamq́; planè diuinam & præſentiſſimā, hac periodo indicauit Vates: quæ ex prædictione ſuperiori oportunè deducta eſt. Prædixerat ſuperiùs populo piorum afferēdam à Deo ſalutem, cum pernicie eorum, qui ſeſe diuinis conſiliis oppoſuere; nunc verò idem futurum adſtruit ex antiquioribus exemplis iudiciorum Dei, in illos editis, qui quondam impiè & inſolenter agentes, aduerſus diuinam voluntatem conati quicquam fuerant, quod ſibi tamen in malum ceſſit: atque hac vna communi admonitione hiſtorias omnes antiquas recolendas conſulit; à primis vſque vocati Iſraelis diebus, vſque ad Ieroſolymitana quoque tempora.* Audite, qui longè eſtis. *Verbum primæuum* REHHOKAM, *pariter Latinorum maſculino ac neutro reſpondet: ita vt interpretari poſſimus,* audite, *remoti, remota, maſculinum nomen, ad gentes à Deo alienas refertur; neutrum verò admiranda indicat facta Dei quondam,*

*dam propriis, ac ſui cultoribus aduerſus impios, quorum verum exemplum argumento poteſt ac debet eſſe eorum, quæ à Vate in poſterum impios expectare prædicuntur. eſt enim argumentatio vel à pari, vel à minore in hanc formam. Quicumque remoti eſtis ab obſequio meo, nec me vel mortalia curare, vel poſſe pro arbitrio vertere, creditis: audite quæ quondam fecerim, & cognoſcite quid poſſim, quantumq; humanas res ipſe curem, & quãtum poſſim in poſterum efficere: idemq; vos qui propiùs eſtis, attentè etiã pernoſcite. Hos autem pariter appellat propinquiores, qui & religionis profeſſione propiùs ad notitiam accedunt, & qui illis temporibus erunt cùm Euangelij virtus in orbe extabit. hactenus argumentatio prior à minore. Siquidem antiqua omnia cum Euangelij rationibus comparata, longè minora in rerum genere cenſentur: quippe illa ad huius vitæ felicitatem referebantur præcipuè, & figuram adumbrabant æternæ felicitatis vel miſeriæ, quæ Euangelij cultoribus, vel contemptoribus parabatur: quæq; illorum ſeculorum finis erant. Eadem verò argumentatio, altero aſſumpto argumento, firmatur, & expolitur per contentionem à maiori ductam, cuius pondere minorem trahi neceſſe erit.*

Conterriti ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?

EVANGELIVM *iis qui propè, & iis qui longè eſſent, annuntiandum, Vates præcinuere; vtriſq; vel ſalutem & vitam, vel damnationem ac mortem allaturum: alterum credentibus & obſecutis, alterum verò infidelibus & contemptoribus denunciatum. Credentes aut ex remotis, hoc eſt, gẽtium populo, aut ex propinquioribus, id eſt, Iſraelitis, futuri erant, ex vtraque etiam parte increduli. argumentatio vtriuſque partis infideles, vel improbos tangit. Namq; bonus ille nuncius Iſraelitis & Ieroſolymitanis afferen-*
» *dus erat. S.S.E. Primus ad Sion dixit, Ecce adſum, & Ieruſalem Euan-*
» *geliſtam dabo. Atq; hi tribus diuiſi fuerant partibus: quidam enim probi, ſimplices & candidi, Euangelio ſuſcepto, promiſſorum optimorum euaſere compotes. alij verò vel ſimulationibus, ac prætextu pietatis & religionis Euangelio reſtiterunt; qui à Chriſto ſæpius hypocritarum notantur nomine: alij autem palam & apertè ſeſe prauos & ſceleſtos præbuerant, quos peccatores vocat Vates. Vtroſque horum ob repulſum Euangelium diuina ſubſecuta eſt vltio: quamquam Iſraeliticum iactantes nomen, & illam fu-*
» *turorum bonorum vmbram incolenteis. tamen, vt Apoſtolus ait, Deus*
» *huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio*
» *Euangelij gloriæ Chriſti. Ab vtriſque igitur his argumento deducto, docet Vates, certiſſimum quoque fore exitium eorum, qui apud gentes Euangelicam veritatem vel ſapientiæ prætextu oppugnauerint, vel iniuriæ crimine, & malis moribus detinuerint. Nam ſi in Sion peccatores Euangelij minis conterriti, & hypocritæ quoque tremore & pauore affecti ſunt grauiſſimo, quid illi experientur & ferent, qui in antiqua malitia & incredulitate, ac impietate perſeuerare contenderint? hos itaque appellans Vates, ait:* Quis

poterit

poterit habitare de vobis cum igne deuorante? *eiuſmodi eſt, & eſſe dicitur diuinum verbum iis quibus oppugnatur. Deus, inquit, noſter ignis conſumens eſt, idem expurgans pios & probos, atq; improbos conſumens, Ignem, inquit Chriſtus, veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat? & in hanc ſignificationem plura in ſacro Apparatu indicata. Atq; huius ignis incendium ſempiternus conſequitur ardor. S. S. E. Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Itaque Euangelium virtus Dei eſt in iis qui pereunt, & in iis qui ſalui fiunt. vt ait Apoſtolus, Aliis odor mortis in mortem, aliis verò odor vitæ in vitam; iis nimirum, qui viuere, atque Deo placere ſtudent: quippe virtutes eas præſtant, quas vera & ſeria ſibi vendicat pœnitentia; quáſque idem Vates hîc ſubiuncto complectitur ſermone.*

Qui ambulat in iuſtitiis, & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere: qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, Epheſ. 2. ne videat malum.

EVANGELIVM *antiquis Vatibus, & Iſaiæ cumprimis, propter duplicem quo homines excipit euentum, variis nominibus appellatum, variisq; ſimilitudinibus deſcriptum eſt: nunc ſolis ſalubris, nunc verò ignis abſumentis ac deuorantis; nonnunquam lapidis pretioſi & probati, rurſusq; lapidis offenſionis & petræ ſcandali, interdum lucis & gratiæ, interdum tenebrarũ & excæcationis: quando diuerſa hæc, & ſecum, vt apparent pugnantia diuina illa verbi Dei virtus in iis qui credũt, & obediunt; faciat optima quidem omnia in iis verò qui contendunt veritati, fieri permittat omnia calamitoſa, & pœnis ac doloribus erroribusq; obnoxia. Ita vt idem, qui aliis propter fidei & pœnitentiæ defectum mortis occaſionem affert ſermo, aliis fauſtus ac ſalubris, & in omne bonum efficaciſſimus probetur: iis nempe, quos fidei obſequentes, & virtutis veræ ſtudio deditos offenderit. Omnis verò humanæ virtutis & rectitudinis, aut noxæ & prauitatis ratio in tria actionum genera diſtribuitur. Primum, ad animum ac mentis intẽtionem refertur: ſecundum, ſermonibus & eloquiis explicatur: tertium verò, factis & exercitationibus externis, quas opera plerumque vocari audimus: eaq; plerumque in hominum inter ſe communione ac ſocietate ſpectantur. Atque tria hæc vno verſu à legiſlatore indicata ſunt. Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud. Vnumquodque verò horũ generum ſuum, quo prouenit, examen ſortitum eſt. Cogitationum examen, puritas, ac ſimplicitas, candorq; dici poteſt. dicta verò, ſiue ſermonis veritas comprobat: facta verò & officia, quæ in alterum eduntur, Iuſtitia, ea quam* TSEDAKAH, *appellatam declarabamus,* Examinat. *His verò partibus quicumque inſtructus fuerit, cum igne deuorante habitare ex Dei reſponſo poterit: atq; adeò ab omni incendio tutus habitabit. Atque à poſtremo genere, quod magis in propatulo eſt, ad primum vſque, quod abditiſſimum eſt; hoc eſt, à riuo ad fontem, Iſaias hoc loco proceſſit.* Qui ambulat in iuſtitiis. *Ambulare idem quod Latinis verſari, interpretamur, aut palàm facere:*

namq;

*namque hac tranſlatione ambulandi, ſedendi, ſurgendi, omnium humanarum actionum partes arcanus complectitur ſermo: Vt ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. &: Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longè; ſemitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti; & omnes vias meas præuidiſti. itaq; facta omnia ambulandi verbo ſignificantur. Non tamen ſatis fuerit factis innocentem, atque adeò benignum & vtilem eſſe eum, qui cum igne ſit habitaturus; niſi idem dictis fidelis veraxq; fuerit: quamobrem addit Vates:* Et loquitur veritatem. *Namq; his duabus partibus ius illud, quo inter homines vtendum ſit, componitur. Verùm enimuerò, quia non ſolùm facta ac dicta, quamuis hominibus probata conſtent, virum bonum atque fortem conſtituunt; niſi eundem etiam animi ſenſa & cogitata purum ac ſimplicem, ſanaq; mentis Deo animorum ſpectatori ac iudici probent; (namque hinc omnis officij vera ducitur origo;) tertiam quoque partem hanc duabus præcedentibus adiunxit Iſaias: quæ omnes mentis actiones, & ſenſuum quoque attentiones puras omnino, & vitij expertes in bono viro ad promiſſa diuina capienda ſeſe comparante exigi docet.* Qui proiicit auaritiam ex calumnia. *Animum ab omni cupiditate mala alienum primaua lectio ſignificat tribus vocabulis,* MOEZZ BEBETSAGH MEGHATSEKOTH, *id eſt, abhorrens in vtilitate ex oppreſſionibus, nihil prorſus vtile aut admittens, aut exiſtimans, quod ex quauis ratione mala proficiſcatur. ideo, oppreſſionibus, multitudinis numero ſcripſit. Porrò non ſolùm ſeſe his partibus præſtare integrum oportet eum, qui cum Euangelico igne commorari exoptet: verùm ab omni impura improborum hominum communicatione & conſuetudine longè abhorrentem: ita vt ne quid vel audire, vel videre, vel tractare aueat, quod iniuriam, vel impietatem, vel inuidiam vlla ex parte oleat.* Qui excutit manus ſuas ab omni munere. SOHHAH, *propriè munus eſt iudici aut principi, corrumpendæ aut aliàs vitiandæ integritatis ſpe datum, à quocumque id ea cauſa veniat. de quo in lege ſcriptum: Munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum. Atque tropus ille,* Qui excutit manus ſuas, *auerſationem & reiectionem quaſi ob oculos ponit. Eiuſmodi enim habitus & geſtus deteſtantium eſt, ac diligenter ſatagentium, ne quid omnino eiuſmodi corruptelarum hæreat, iuris cuique ſui tribuendi integritatem & puritatem contaminet. ſuperátque dicendi figuram illam Satyrici, quamquam elegantem:*

Deut. 16.

Iuu. Sat. 8.

*Nec per conuentus, nec cuncta per oppida curuis*
*Vnguibus ire parat, nummos raptura Celeno.*

*Itaque nihil quod ad alterius iniuriam vel contumeliam faciat, non ſolùm tractare, ſed neque videre, aut audire vir bonus hic & ad Euangelicam virtutem comparatus volet.* Qui obturat aures ſuas ne videat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne videat malum. *His imaginibus omnis morum, qui Deo atq; hominibus placere probariq; poſſunt, ratio exprimitur. Quam bonus ille auctor duobus verſibus in ſummam coëgit.*

*Com-*

*Compoſitum ius, phasq́ animi, ſanctosq́ receſſus* Per. Sat. 2.
*Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.*

*Namq; legum coacta obſeruatio ſine moribus, nec probum, nec pium hominem conſtituit: morum autem officina intra pectus eſt, internaq́ actione exercetur. Igitur quiſquis ſeſe hoc pacto mundauerit ab iſtis, vt Paulus ait, Erit vas in ſanctificationem aptum Domino.*

Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius: panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt.

DIVINI *præſidij tutelam iis, quos Euangelij virtus inſtruxerit, paratam vnà cum prouidentia perpetuis exemplis verſus hic ſignificat: quippe quos in alto editoq́ loco tutos ac ſeruatos Deus foueat, nec hoſtium incurſus aut inuaſionem veritos, nec vlla deſtitutos re, quæ ad vitam ſalubriter alendam, oportuna eſſe poßit. Eſt autem tranſlatio ducta ab iis qui in tutiſſimis præſidiis conſtituti, regalem erga ſe curam & proſpicientiam aßiduo quotidianoq́ vſu experiuntur, nihil prorſus ab hoſtibus mali metuenteis. Turris fortitudinis nomen Domini, inquit Sapiens: cuius præſidio qui munitus eſt, prouidentiam perpetuam haud dubiè tempore oportuno agnoſcit. Hæc omnia & ex verborum vi, & ex ſpiritus arcana ſignificatione ſunt explicanda. Nihil enim timentibus & colentibus Deum, atque in Chriſti Ieſu grege numeratis deeſt: cùm earum rerum, quæ ad huius vitæ ſimplicem & idoneam vſuram, tum earum præcipuè ac maximè, quæ ad vitam & pietatem faciunt, quotidie cæleſti alimento ſaturandis, & conſequente, ex petra riuo reficiendis, imo & ſufficiendis.* Panis ei datus eſt. *non quæſitus, aut magno ſudore paratus, verùm diuinæ prouidentiæ cura & benignitate datus panis ille præcipuus quem in vitam æternam permanentem, Chriſtus indicauit primùm, deinde exhibuit. &* LEHHEM, *id omne ſignificat quod nutrire poteſt; ſiue ex terræ fructibus, ſiue ex cæli muneribus depromatur.* Aquæ eius fideles ſunt. *Tum quòd ſitim leuent, & animum reficiant penitùs; tum quòd permaneant, & exuberent. S. S. E. Omnis qui* Ioan. 4.
*biberit ex hac aqua, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo* "
*ei, non ſitiet iterum, ſed fiet in eo fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æter-* "
*nam. Hanc verò felicitatem ex alio diuino dono promanaturam, declarauit Vates: nempe ex præſentia, virtute, & efficientia illius vncti regis, quem omnia inſtauraturum, & promoturum, amplificaturum, antiqua declararunt carmina, & ſecula priſca expectauerunt. Accidit aliquando iis, qui in præſidio locoq́ munito ac tuto conſtituti ſunt, vim inferri, ac de deſerenda ſtatione cogitare, propter panis defectum, aquarumq́ penuriam: quo metu liberos hos ait Vates, quibus panis ſuppeditandus, & aquæ iugiter permanſuræ ſunt. Namq; aquæ viuæ copia in munitißimis locis opportunißima eſt: cùm aliàs collecti imbres, aut aliundè hauſtus & aduectus potus vel deficere, vel corrumpi poßit. Panis verò alia ratio eſt, quem aßidua manu prouideri, ac ſuppeditari oportet; aliàs non diutiùs duraturum. atq; vtriuſque rei copiam iis, quibus munitus ille locus ad habitãdum conceſſus fuerit, nunquam defuturã duobus verbis Iſaias declarauit.* Panis datus, *in pro-*

*pria ac primæua lingua participium præſentis formam verbumq́ obtinet, » & ſemper præſentem exhibitionem ſignificat; iuxta illud: Panem noſtrum » quotidianum da nobis hodie. Donec hodie cognominatur illi panis etiam abundè ſatis datur, isq́ cæleſtis.* & aquæ eius fideles ſunt. *Non ex fonte, aut puteo, aut fluuio aliundè petitæ: ſed in ipſo ſcaturientes & perpetuæ. Atque omnis hæc felicitas ex præſentis ac perpetuò conſpecti & expectati, adſiſtentisq́ regis gratia & prouidentia naſcitura prædicitur: quippe fieri nõ poteſt vt rex eos, quibus adeſt, fauet, & proſpicit, panis & aquæ egere patiatur. Maximè cùm ipſe non ſolùm annona abundet: ſed panis & alimentum ſit, qui ſeſe vltrò tradat ac dedat in eſcam iis, quos caros habet. Huiuſmodi panem viuum ſe eſſe dicebat Chriſtus Ieſus, non modò viuentem ſibi ipſi, ſed vitam aliis efficientem.* Ioan. 6. *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi; » ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego da- » bo, caro mea eſt pro mundi vita. Hanc verò Chriſti præſentiam, prouidentiam, efficientiam ac benignitatem ſubiuncto verſu Vates indicat.*

Regem in decore ſuo videbunt oculi eius, cernent terrã de longè.

CHRISTVM *regem conſtitutum à Deo, Dominumq́ omnium declaratum, poſt illam priorem humilitatem, quam idem in diebus carnis ſuæ ſuſtinuit, arcana hæc promiſsio ſignificat. propter quod, ait Apoſtolus, » Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: » vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quòd » Dominus Ieſus in gloria Dei Patris eſt. Hunc in hac gloria ab illis videndum, qui in alto conſtituti fuerint, qui diuinis illis donis panis collati, & aquarum fidelium fruentur, aſſeuerat Iſaias; ab eiſdemq́ ex edito illo præſidio terras iacentes ſpectantibus; magna cum admiratione illud frequentandum eſſe, ſiue prouerbium, ſiue canticum, ſiue miraculum, maximum elogium.*

Cor tuum meditabitur timorem: vbi eſt literatus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum? Populum imprudentẽ non videbis, populum alti ſermonis: ita vt non poſſis intelligere diſertitudinem linguæ eius, in quo nulla eſt ſapientia.

HVNC *à ſe vſurpatum locum quatenus, & qua de re explicare poſsimus Diuus nos docuit Paulus: dum de diuina Chriſti in credentes & obedientes ſibi virtute & efficiẽtia diſſerens, arcanum iſtud iis qui mundi ſapientiam profitentur, & promouere aſſereréq́ ſtudent, cognitum negat.* Cor tuum meditabitur timorem. *non metum aut pauorẽ, ſed admirationem potiùs, nomen* timorem, *hic nobis ſignificat, quando pro* EMAH, *redditum* 1. Cor. 1. *eſt. Atq́ huiuſmodi meditationem repræſentans, Apoſtolus ait: Verbum » crucis pereuntibus ſtultitia eſt, iis autem qui ſalui fiunt (id eſt, nobis) Dei » virtus eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientum, & pruden-* Sap. 9. *tiam prudentum reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius » ſeculi? Nonne ſtultã fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei » ſapientia non cognouit mũdus, per ſapientiam Deum; placuit Deo per ſtul- » titiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Vbi doctor paruulorum,

ZZOPHER HAMIGDALIM, Scriba turrium. *quod hoc loco, ita vt legimus, verſum eſt; apud Paulum verò, ſeculi ſcribam audimus. Sed in hac à Paulo explicata ratione, & ſeculi, & paruulorum, eadem ratio eſt: ſiquidem ſeculi ſapientes ac doctores, cum ſapientia Dei comparati, nihil à paruulis diſtant. Iam verò illius, quod prænunciat, ſeculi felicitatem à tempore, à loco, ab ornamentis & exercitationibus, aliiſq; circunſtantiis & partibus Iſaias commendans, audientium mentibus indicat, & fere ob oculos ponit.*

Reſpice Sion ciuitatem ſolennitatis noſtræ: oculi tui videbunt Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur: quia ſolummodo ibi magnificatus eſt Dominus noſter: locus fluuiorum riui latiſſimi & patentes: non tranſibit per eum nauis remigum, neq; trieris magna tranſgredietur eum.

QVIS *non intelligat hoc loco non deſcribi vrbem illam Ieroſolymam, quæ toties capta, toties diruta, & numquam ad felicem formam inſtaurata eſt; nec montem illum Dauidis regis inſignẽ, cui Sion antiquum nomen fuit; ſed potiùs alteram quandã vrbem & ciuitatem à Deo conſtruendam & ſtabiliendam, cuius breuis imago, & adumbratum exemplum illa prior terreſtris fuerat, nulla ex parte cum exemplari hoc, quod Deus inſtruebat, comparanda. Namq; illa hominum operis conſtructa ob incolentium noxas, & malum meritum, Deo iudice & vltore, hominum quoque manibus & inuaſionibus iterum atque iterum diruta, ſolo æquata, & cum templo ſuo, quamquam celeberrimo, tamen vaſtata & repudiata fuit. Nec tamen ideo Deus ſuæ ciuitatis regno ac titulo caruit: quippe qui ipſe ſibi nouam vrbem Ieruſalem conſtruxit, deſcendentem de cælo, atq; perpetuam, immobilem, æternamq; locauit; locatamq; ſibi regiam ſacrauit cum tẽplo illo tertio, maximo, ampliſſimo, & pulcherrimo; in quo deſcribendo, magnam operam & hominum ingenio ac ſermone numquam ſatis explicatam poſuit Ezechiel, quidquid ſibi quiſquam de illo templo cum Salomonis mole cõferendo, ſcribere conatus fuerit; tamen hoc ne intelligendo faciet, vt nihil intelligat. Itaque omnia hæc ad diuina & arcana ſancti Spiritus opera, ædificia, atque æterni regni ornamenta referuntur: tanto antiquis illis ſplendidiora, firmiora, & ad vitæ veræ, & conſuetudinis vſum commodiora: quanto ſpiritus corpori; cæleſtia terreſtribus; diuina humanis præſtant: denique quantum æterna ruituris antecellunt. Et quoniam conſtructio hæc omnis ex tentorij ſiue tabernaculi imagine per tranſlationem deſcribitur, ſingularum quoque partium nomina ad eandem referuntur allegoriam, nempe claui, funiculi, & alia. Itaq; Sionem illam antiquam, cui ab ariditate, ſiue à titulo nomen factum fuerat; iam deinceps in aliam frequentiſſimam ciuitatem, vnà cum coniuncta ſibi filia Ieruſalem traductum iri, pollicetur cum admiratione & gratulatione ſpectantium & incolentium omniũ, qui vtriuſque tempora componentes, huius nouæ Ieroſolymæ felicem ſtatum laudibus proſequentur, & confeſſionem declarabunt.* Ciuitatem ſolennitatis noſtræ.

ſtræ. *Teſtimonium & conuentum nomen* MOGHEB, *ſignificat, ad illudq́;*
Pſal.121. *alludit carmen: Ieruſalē quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in*
» *idipſum. Illuc enim aſcenderunt tribus: tribus domus Iſrael ad confitendū*
» *nomini Domini. Vidéſne, inquit Vates, hanc vrbē in qua cogi conuenireq́;*
*tribus annuis feſtis ex more ſolemus? Atqui tu, quem in ea tempora, quæ*
*modò indicabamus, Deus deduxerit, animi ſenſu & oculis videbis alteram*
*Ieruſalem,* habitationem opulentam. NENEH SAANAM, *amœniſſi-*
*mum locum ſignificat, qualem iam deſcripſimus, cùm vocabulum* NANEH
*explicaremus. Namq; Ieroſolyma non in* NAVEH, *ſed in montibus fuerat*
*ſita, iiſdemq́; ſterilibus, & magna viuæ ac natiuæ aquæ penuria aridis. Hæc*
*verò quam Deus conſtruet, & latiſſimè patebit, & vberrimo gaudebit lo-*
*co.* claui eius. *Sacerdotes in republica pia clauorū inſtar habētur: quorum*
*miniſterio ac fidelitate leges, ritus, & cetera ſacra præſtantur, firmaq; con-*
*ſeruantur.* Funiculos *verò, Vates dicimus, qui & cortinas ipſas & cla-*
*uos coniungunt, & in officio continent, diuini verbi ac iuſſu mandatorum*
*explicatione. Vtraque hæc ſacerdotium & prophetiam ſuis muneribus rectè*
*& ritè functura, idq́; perpetuum fore Vates prænunciat. Qua de re iam*
1 Pet.2. *præſtita, cognita, & probata, Diuus Petrus: Vos, inquit, genus electum, re-*
» *gale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuncie-*
» *tis eius qui vocauit vos è tenebris in admirabile lumen ſuū*: quia ſolum-
modo ibi magnificatus eſt Dominus noſter. *Diuinum illud nomen*
*quod ad miſericordiam, & ad ſalutem publicam refertur: nuſquam aliàs*
*æquè atque in hac noua à ſe conſtructa & inſtituta ciuitate, ſuam efficien-*
*tiam virtutemq́; declarauit.* magnificatus eſt. ADIR, *fortem, admirabi-*
*lem, efficientiſſimum, & præſtantiſſimum ſe præbuit. Eodem nomine vſus*
Pſal.8. *Pſaltes, ita pronunciabat: Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt*
» *nomen tuum.* MAHADIR SEMECHA. *Atqui adeò præter firmitudinem,*
*ſtabilitatem, frequentiam, atq; amœnitatem, illud quoque huic nouæ Iero-*
*ſolymæ ex diuino beneficio continget; quòd maximam fertilitatē, & vber-*
*tatem afferet, abſque vllius tamen incommodi ſuſpicione.*

Locus fluuiorum riui latiſſimi & patentes: non tranſibit per eum nauis remigum, neque trieris magna tranſgredietur eum.

*Aquarum viuentium & puriorum vicinitas, magnas & perpetuas ad animantium vitæ vſum commoditates habet: id quod facilè oſtenditur in vrbibus & oppidis, quas magnus aliquis præterlabitur amnis: vno tantùm excepto, & ſemper magna prouidentia cauendo incommodo, hoſtilium copiarum; quæ eò per nauigia deduci poſſunt. nam portuoſa loca hoc tantùm periculo atq; metu laborant. Verùm enimuerò in illa ciuitate, quam Deus ſibi ſedem parauit, & regiam adornauit, commoda omnia opportunitatéſque cunctas fore pollicetur Vates; maxima cum ſecuritate & perſuaſione periculi omnis prorſus cauti ac remoti. Quippe fluminum natura illa erit, vt cùm piſcationis ac vecturæ nauigiis patere poſſit: tamen à bellicis & claſſicis nauibus ac triremibus intacta conſeruetur ac tuta.* Nauis remigum, ANI SAIT. *Biremes, ac triremes ad expeditionem comparatas, vocabulum ſigni-*

*ſignificat, quales noſtris linguis Galeras dictas nouimus: his maiores & firmiores multò ſunt naueis maximæ, caſtelli inſtar habentes; quæ & ad militũ vecturam inſtruuntur. Sacra lingua* TSI ADIR, *interpres noſter* trieris magna *vocat. Atque ita non profundiſſima flumina fore ſignificantur, aut quæ vadari non poſſint; ſed latiſſima, & quæ deduci in riuos poſſint ad agrorum vſum, & à piſcatoribus atq; vectoribus aliis frequentari. quamobrem non altiſſimi, verùm latiſſimi promittuntur, & indicantur fluuiorum riui. Nam qui altiſſimi ſunt, vti Bethis in Hiſpania, non facilè in riuos deducuntur. Hæc verò aquarum affluentia & copia indicare vel ſola poterit, quantum boni nouæ huic ciuitati & Sioni allatum ſit: quippe cuius arcis nomen Sion antiquum ariditatis, & penuriæ aquarũ indicium faciebat. Atqui omnem quam deſcribit vrbis illius Ieruſalem nouæ amœnitatem, felicitatem, ac perpetuam ſecuritatem, præſentis Dei tutelæ, curæ, ac virtuti acceptam, referendam eſſe ait: cuius tabernaculum omni ex parte firmiſſimum proximè depinxerat.*

Dominus enim iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter: ipſe ſaluabit nos.

O M N I S *rectè ac ſapienter conſtitutæ ciuitatis ſtatus tribus potiſſimum firmatur partibus: quarũ vel vnica deſiderata labaſcit, & ad euerſionem inclinat. Sunt autem hæ partes iudiciorũ integritas; doctrinæ puræ copia, & frequens exercitatio; & propugnatio, ac tutela præſens. Hæ verò partes quamquam à regibus prouideantur terrenis; non tamen omnes præſtantur propter humanæ virtutis curtam ſupellectilem, atque interdum propter principum ipſorum ignauiam, aut ſtudium ad alias res procliue. Quamobrem vt plurimum partes hæ per vicarios & miniſtros, mandatariosq; expediuntur. Verùm enimuerò in hac, quam Vates depingit, ciuitate, omnia hæc, videlicet iudicium, doctrinam, ac tutelarem curam & virtutem, ab vno vnicoq; integerrimo, ſapientiſſimo, atq; fortiſſimo Deo, eoq; ſemper præſente, ſemper fauente, repræſentatum & præſtitum iri dicuntur.* Dominus iudex noſter. *qui nos iuſto & integro ſemper iudicio deducens, in ſanctitate & iuſtitia, officioq; faciendo continebit, & gubernabit.* Dominus doctor noſter, *qui legibus in corde ſcribendis voluntatem veritatemq; docebit ſuam, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in* Lucæ 1.
*remiſſionem peccatorum noſtrorum. Idem quoque* Dominus rex noſter, "
*cuius virtute & ſapientia tutiſſimi erimus, maximaq; vtemur ſecuritate.* Et ſaluabit nos, *vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati,* "
*ſeruiamus illi. Iam verò ex huius vaticinij occaſione ſeruatorum, & ſanctificatorum perſonam inducẽs Vates, in publicũ generis humani hoſtem, iam porrò deinceps victum, ſuperatum, ac perditum inſultat.*

Laxati ſunt funiculi tui, ſed non præualebunt: ſic erit malus tua, vt dilatare ſignum non queas.

S I V E *exemplum in Aſſyriorum rege primùm ſtatuendum fuerit; ſiue, quod magis lectio indicat, figura hæc ad communem hominum hoſtem referatur, vt certè nobis refertur: illius opes imminutas, potentiam, vimq;*

*omnem fractam ac debilitatam ſignificat: idq́; ſub nauis bellicæ imagine, quam per procelloſum ſeculorũ mare diu lateq́; vagatam, in alios atq; alios portus in diuerſa fluminum oſtia interdum apppulſam, horribilem, terribilem, & infeſtiſsimam gentibus ac populis euadere hoſtis ille publicus cogebat: id quod, quamquam obnixè deinceps agere conetur, quo minùs conficiat virtute diuina proſpectum eſt; viribus omnibus & partibus quibus fidebat, imminutis ac fractis. &, vt Chriſtus ait: Vaſis direptis, ruptis ac diſſipatis: ita vt nullo modo illius nauis vel nocendi cauſa portum, aut fluuium ſubire, vel, ſi proximè aduehatur, abſcedere, ſoluere, atq; effugere poſsit: ita eueniet, vt ſeſe facilè diripiendam & expoliandam præbeat.*

Laxati ſunt funiculi tui; ſed non præualebunt: ſic erit malus tua, vt dilatare ſignum non queat. VRBES, *regna, reſp., atq; adeò maxima principum imperia, & negotia hominum, quæ in huius vitæ ſeculis ac temporibus, tanquã in mari aliquo verſantur & agitantur, nauium imagine ſignificari apud ſacros auctores obſeruauimus. vt apud Pſaltem:*
Pſal 47. *In ſpiritu furoris tui conteres naues Tharſis. & apud Iobum: Dies mei*
Iob 9. *tranſierunt, quaſi naues poma portantes. & in hoc libro: Dies Domini di-*
Sup. 2. *cta eſt ſuper omnes naueis Tharſis. Exteri etiam poetæ de ſuarum rerum ſumma agentes ad eandem imaginem eleganter alludunt.*

Horat. lib. 1. carm. *O nauis referent in mare te noui*
*Fluctus, ô quid agis? fortiter occupa*
*Portum, &c.* *Omnem itaque hoſtilis potentiæ ſiue tyrannidis potiùs ſummam huiuſmodi deſcriptione complexus eſt Vates. Nauium autem præcipuus vſus nauigatio eſt, ea quæ maximè commendatur, quæ maximè hoc præſtat. Atqui huius nauis, de qua ſermo eſt, vim, oportunitatem, & vtilitatem nullam deinceps fore prædicit, præcipuis ad nauigationis actum partibus & inſtrumentis corruptis, & perditis, nimirum funiculis, quorum vi malus firmari ſolet. Namq; nauigationis cauſa velum præcipuè paratur; quod vento impulſum nauim mouet: velum verò à malo ſuſtinetur, antennæ aſſutum: malum autem funibus vndique diſtentis firmatur: quibus vel fractis, vel ruptis, vel laxatis atq; emollitis, nec malus contineri, nec velum tolli poteſt. Atq; vt paulo antè ſanctæ ciuitatis funiculos nullo modo ruptum, nec clauos euulſum; atq; ideo tabernaculum firmum & immobile figendum prædixerat: ita rurſus è conuerſo naui illi hoſtili per mare volitare aſſuetæ motuum omnium facultatem interrumpendam atque adimendam eſſe ait, quo tabernaculo illi ſancto perpetua paretur ſecuritas. Tabernaculi autem felicitati, nauis verò infelicitati quies apponitur. Huius nauis funiculos appetitiones peccati interpretamur; malum autem conſilium ſiue propoſitum dicimus, cui licentiæ velum vbi appenſum diſtenderetur, non dubium eſt quin motus, actio, & nauigatio pro ventorum libidine eſſet conſecutura. Extinctis ergo per virtutem Dei, & mortificatis cupidinibus, nec malus teneri, nec velum tendi poterat. Cùm eſſemus in carne*
Rom. 7. *(inquit Paulus) paſsiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in*
» *membris noſtris, vt fructificarent morti. Nunc autem ſoluti ſumus à lege*

*mortis,*

*mortis, in qua detinebamur: ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ. Multis & variis nominibus, verbis, ac imaginibus illa antiqua peccati vis ac tyrannis deſcribi ac ſignificari ſolet: inter quæ & hæc nauis & nauigationis allegoria eſt. Quam nauim vbi Domini ac regis virtute ſiſti, & à nauigandi facultate & motu priuari euenerit, direptioni & expoliationi expoſitam & peruiam fore conſequens fuerit. Nomen* ſignum, *hoc loco pro tranſlationis ratione idē ſignificat, quod nauis velum; quippe quod vexilli inſtar extenditur, ac vento permittitur; præterea etiam quàm longiſſimè in mare conſpicitur.*

Tunc diuidentur ſpolia prædarum multarum: claudi rapient rapinam. Nec dicet vicinus, Elangui: populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.

CVM *fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Hic Ieſu Chriſti apud Euangeliſtam ſermo ad eandem rationem ac rem pertinet, quam vates noſter hoc loco tractat. Vt enim olim Aſſyriorum exercitu ex diuinæ virtutis efficiētia imminuto, perdito, ac fugato, Hieroſolymitani ciues omneis in caſtra vacua erumpentes, nullo labore, nullo periculo plurima congeſſere, ac reportauere ſpolia: ſic poſtea, hoc eſt, publicæ ſalutis tempore illius nouæ Ieroſolymæ ciues & incolæ omnes deuictam hoſtis nauem, multis magnisq́; diuitiis & facultatibus, quas vndiq; hoſtis diripuerat, & congeſſerat, expoliandam eſſe præcinit: tanta facilitate & felicitate, vt vel claudi, qui anteà propter membrorum impedimentum, incedere non poterant: tamen illo tempore & progredi, & hoſtilia ſpolia auferre, ac in proprium transferre vſum poſſint. Hanc enim Euangelij vim efficientiamq́; futurā, diuina ſapientia ac prouidentia ſtatuerat. Tum ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorū: id quod Ieſu Chriſti virtute præſtitū, Ioannis diſcipuli teſtati ſunt. Claudi ambulant, cæci vident, ſurdi audiunt, & leproſi mundantur. & apud Lucam Ieſus; Vnuſquiſque, inquit, veſtrū ſabbatho non ſoluit bouem ſuū, aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ quam alligauit ſatanas, ecce decem & octo annis non oportuit ſolui à vinculo iſto die ſabbathi? ita neminem tam impeditū fore, Vates ait, cui, modò voluntas & alacritas non deſit, expoliandæ nauis hoſtilis copia & facultas non ſuppetat: non claudus quippe qui reſtituetur in poſterū, non vicinus incola debilis, debilitatem præterea porrò ſuam excuſare iure queat, Deo iudice, rege gubernatore: cuius miſericordia, clementia, & virtute omnia corrigenda & ſananda ſunt. Et ad felicitatis maximæ exceptionis omnis expertem ſtatū referenda.* Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas. *Tranſlatio eſt à curatione & reſtitutione corporū & membrorum: quæ cum ſuis muneribus anteà propter morbum non rectè fungi poſſent, reſtituta ſanitate in ſuum ſingula locum atque vſum inſtaurantur, atq; adeò in melius proferuntur.* Iniquitas. GHAVON, Prauitas: *quæ tum corporis tum animi integritati atq; concinnitati opponitur.*

Lucæ 11. Lucæ 13.

## CAPVT XXXIIII.

ACCEDITE Gentes, & audite, & populi attendite: audiat terra, & plenitudo eius, orbis, & omne germen eius.

*Commentariorum noſtrorum lectorem admonitum, meminiſſe, ac ſubinde recolere, operæpretium fuerit; nos hiſtoriam explicando, ac ſimplicem lectionem declarando id agere, vt in arcanam ſignificationem animo atque mente intendamus: quòd id præcipuum vatibus propoſitum intellexerimus. Omnes prophetiæ, inquit D. Petrus, à Samuele & deinceps annunciauerunt dies iſtos: vos eſtis filij Prophetarum & teſtamenti, &c. Quamobrem vbi de Iſraelis, vel de gentium rebus & rationibus ſermonem à Vatibus inſtitutum legerimus, vel commentando explicuerimus, ſignificationem omnem ab hiſtoria & litera ad ſpiritum & veritatem vtilitatis noſtræ cauſa transferri iuuabit: id quod à nobis nominum ac verborum indicata ſignificatione præſtitum, à lectore animi attentione comparatum euadet. Hac igitur admonitione, lectore nobis excitato, ad commentationis officium redeundum fuerit. Eſt autem capitis huius ſumma ſiue periocha: Gentium omnium quæ à vero Deo alienas religiones coluerint, exitum Euangelij tempore futurum deſcribere, id quod initio ipſo atq; exordio indicatur gentibus omnibus, quarum cauſa & res agitur ad ſententiam de ſe latam audiendam, excitatis, conuocatis, & appellatis; ne vlla poſteà vel caſus, vel fortunæ, vel alterius coloris aduerſus diuinam prouidentiam exceptio relinqui poſſit. Rem verò ſeriam, magnam, grauem & propriam agi, ipſa omnium generum, ordinum ac terrarum, atque adeò ſingulorum hominum appellatio & conuocatio indicat cum attentionis petitione.* Terra & plenitudo eius. *Conditiones ordinesq; omnes appellantur. Singuli verò, tam feminæ quàm mares; tam pueri quàm viri, ac ſenes, diuites ac pauperes, nobiles & ignoti, ac vulgares, dum modò in generis numero cenſeri poſſint, illo altero membro ſignificantur.* Orbis, & omne germen eius: *ita vertit interpres* THEETSEHAH, *prodeuntes ex ea, quos vniuerſus orbis producit & alit, nempe homines, quibus ex metonymia tellus mater eſſe dicitur. Hæc ad attentionem appellationis ratio eſt, quam mox propoſitio ſequitur.*

Quia indignatio Domini ſuper omnes gentes, & furor ſuper vniuerſam militiam eorũ: interfecit eos, & dedit eos in occiſionem.

GENTES *ante Ieſu Chriſti aduentum variis diſcordes ſectis religionum ac ſuperſtitionum potiùs diſciplinis & ſecum, & cum vera Dei doctrina pugnantes, atq; adeò ſibi viciſſim infeſtas, & multis ſcelerum atque iniuriarum generibus contaminatas, diuinam iram priùs irritaſſe, atque ad vltionem vſque offendiſſe; eamq; vltionem iuſto iudicio Euangelij tempore, virtute & efficientia parandam & edendam, tam in potentiores & nobiliores, quàm in vulgares & plebeios denunciat Iſaias; & futuram atque expectandam tamquam præſentem, imò tamquam præteritam deſcribit ac narrat. Vtpote quam ipſe diuino præuiderat ſpiritu, atque ex diuinæ iuſtitiæ legibus in impios ac inemendatos latam, certam, & paratam. Itaq;*

*præ-*

*præteriti forma prenunciat primùm, deinde verò ſuis partibus, modis circumſtantiis, ac temporibus diuiſam amplificatamq́; perſequitur, ac primùm à multitudine exaggerat.*

Interfecti eorum proiicientur, & de cadaueribus eorum aſcendet fœtor: tabeſcent montes à ſanguine eorum.

PROPTER *occiſionis celeritatem ac denſitudinem inhumatos relinquendos eſſe dicit: vtpote qui crudeliter in communis matris terræ filios antè debacchatos, & immani ſæuitia infames, indignos ſeſe præbuerint, qui ſepulturæ honore, immo qui pulueris iniecti beneficio ſaltem afficerentur. eorum verò tantā cladem depingit vates, vt cruoris effuſi copia montes tepeſcant: quod ad frequentiæ & multitudinis exaggerationem inductum eſt. Abominationem verò viuentium fœtor ille ſtratorum cadauerum arguet. Hanc verò cladem nullis viribus, nullis artibus, nulla efficientia præpediendam fore; non modò humanis, verùm neque cæleſtibus etiam aſtrorum, ſiderum, ac temporum quibus ad felicitatem vel infelicitatem magna apud Gentes tribuebatur auctoritas.*

Et tabeſcet omnis militia cælorum, & complicabuntur ſicut liber cæli: & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea & de ficu.

STELLARVM *aſtrorumq́; magnam in rerum natura vim, efficacitatémque eſſe, maximè, ad ortus nutritiones & occaſus eorum, quæ in terris gignuntur, & fiunt, Sapientes omnes tradũt; & nos in magno opere, quantum ad fidem ſufficiat, oſtendimus. Verùm quæ gentes illis arrogarunt ad omnem vitæ ac felicitatis partem dilatata, & modum, & fidem excedunt. Quippe quibus fatum adſcripſere, cuius vis nec vitari, nec impediri, nec mutari vllo pacto poſſet. Atq; fati comitem fortunam, cælo etiam, aſtriſq; intulere, cuius vanæ & inſanientis doctrinæ plenæ ſunt ferè gentium omnium chartæ, & ſermones etiam referti hodiéque audiuntur. Hanc verò perſuaſionem ac diſciplinam exitu manifeſto argutum iri, Vates prædicit; interitu nimirum, & ſtrage ac cæde nationum omnium promiſcua: cuius ſpectaculum doceat, nihil aſtra efficere, nihil poſſe, nihil valere, aut prodeſſe citra Dei voluntatem & conſilium; & perinde eſſe inutiles cælorum pictas figuras iis omnibus quibus diuina imminet ira, atque liber, ſiue volumen denſis exaratum literis, inuolutum tamen & complicatum, quibus nullus legentibus hoc pacto eſſe poſſet vſus. Aſpectus verò ſolis & aſtrorum, ex quibus variæ in terram virtutes & facultates, commoditates influere dicuntur, irato, & vetante Deo non magis valere, quàm vitium ficuumq́; folia autumni tempeſtate confuſè & temere, præterq́; ordinem defluentia. Quamquam enim militia illa cæleſtis, dum proprios tutatur ordines, variè ac multipliciter efficax eſt, diuinæ tamen prouidentiæ, & communiter, & priuatè, & in genere, & ſingulariter omnino ſubeſt, & paret. S.S.E.* Pſal. 118.
*Ordinatione tua perſeuerat dies: quoniam omnia ſeruiunt tibi. Itaque auxiliaria & efficacia aſtra, quæcumque commoda gentibus credebantur, & ideo numinis habebantur loco, hodieq́; non paucis habentur, ac tantùm non*

*coluntur, metuuntur tamen, & obſeruantur. Vis itaque aſtrorum impe-
dienda prorſus, ne quicquam commodi præſtare poſsint, idque diuinæ vo-
luntatis efficientia conſtitutum iri primùm, deinde in homines ipſos, qui
huic cæleſti militiæ fidebant, ſeuerè animaduerſum iri præcinit.*

Quoniam inebriatus eſt in cælo gladius meus: ecce ſuper Idu-
mæam deſcendet, & ſuper populum interfectionis meæ ad iu-
dicium. INIVRIARVM *ab omnibus gentibus proprio generi, hoc
eſt, hominibus, ac præcipuè piorum populo factarum, iudicium Euangelij
tempore conſtiturum, Vates omnes ex diuino reſponſo cognouerũt: quorum
alij ſingillatim prædixere, vt Ezechiel, alij partem indicauere, & cetera in
genere, ac promiſcuè ſignificauere, vt Iſaias, qui indictam primùm genti-
bus omnibus in hac lectione diem, cum vna Idumæorum poſteritate ſingu-
lariter eſt proſecutus. Atque Idumæorum nomine nationem omnem à vero
Dei cultu alienam interpretamur; diuiſa, iuxta antiquum diuidendi mo-
rem, in duas tantùm factiones omni hominum vniuerſitate, hoc eſt, in Idu-
mæos & Iſraelitas: quorum nominibus vniuerſum humanũ genus quon-
Gen. 25. dam diuinum oraculum eſt complexum. Duæ gentes ſunt in vtero tuo, &
,, duo populi ex ventre tuo diuidentur: populusq́ populum ſuperabit, & ma-
,, ior ſeruiet minori. Hos Apoſtoli aliquando circumciſionem & præputium
vocant: non rarò Paulus Iudæum & Græcum. Ex antiquis autem ac veris
hiſtoriis nouimus Aſſyriorum potentiam, atque illam conſecutos mores,
ad Perſas & Medos, ab his ad Græcos, deinde verò ad Italos traductam.
Hos omnes Ædomi nomine ſignificat Iſaias: quos grauiter ac ſeuerè mul-
ctandos prædicit; nihil iuuantibus, nihilq́ defendentibus aſtris, hoc nomi-
ne, atque ad hanc rem primùm impeditis, ac velut occiſis.* Quoniam in-
ebriatus eſt in cælo gladius meus. *Vox* CHI, *& tempus, rationem, & cer-
titudinem conſtantiamq́ ſignificat. Quando inebriatus fuerit in cælo gla-
dius meus; primùm, vt certè erit, turbatis & fruſtratis aſtrorum efficien-
tiis in eos, quos punire paro. tum verò,* Ecce ſuper Idumæam deſcendet.
*Vt olim Idumæa, qui Soghiræ montes incolebant, Iſraelitarum populo af-
fini immaniter infeſti fuerunt; ſic poſtea iidem atq; eoſdem imitati omnes
Chriſtianorum gentem vehemente odio, inuidia, atque inimicitia proſecuti
ſunt. plenæ ſunt paſsim hiſtoriarum paginæ commemoratione huiuſmodi
gentium in Chriſtianos crudelitatis ac ſæuitiæ. Gladius hoc loco ex tranſla-
tione pro vltione ſeuera, & pro ſtrage in gentium parteis edenda vſurpa-
tur. Atque impedimenta à Deo oppoſita militiæ cæli vlciſcendarum gen-
tium cauſa in vltionis & animaduerſionis ratione poni ſolere, ſæpiùs Va-
tes docent: dum Solem obſcuratum, Lunam & aſtra turbata depingunt.
Exodi 12. Atque hanc ſignificationem illud à Moſe narratum ſpectat: Et in cunctis
Diis Ægypti faciam iudicia.* & ſuper populum interfectionis meæ.
*Vox* HHERMI *duo ſignificat maximè affinia: rete videlicet, ſiue retia ve-
natorum, aut piſcatorum; & internitionem, interfectionem, ſtragem, &
cetera quæ Latini in hunc ſenſum vſurpant. Appellat autem Deus Idu-
mæos populum retis ſui, ſiue, interfectionis ſuæ: quòd his fuerit aliàs vſus*

*ad*

*ad puniendas ceteras nationes. verùm propter ſuperbiam, arrogantiam, & inhumanam crudelitatem, qua illi ceteros proſecuti ſunt, vt & ipſi quoque punirentur, commeruerunt. quamobrem ſubiungit,* ad iudicium, *quo iuſtè damnati pœnas, eáſque graues, daturi ſunt: hoc eſt quod exponendo ſubiungitur:*

Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe, de ſanguine agnorum & hircorum, de ſanguine medullatorum arietum: victima enim Domini in Boſra, & interfectio magna in terra Edom.

PRINCIPES *Reges, Imperatores, potentesq́; viri ac locupletes, opulenti omnes cùm iuniores, tum virili conſiſtentes ætate, his nominibus ex tranſlationis figura ſignificantur: agnorum, hircorum, & medullatorum arietum.* Boſran, *Idumæorum antiquorum regiam fuiſſe frequenti lectione nouimus. Huius nomine, quod à munitionis deducitur ſignificatione, munitiſsimam gentium arcem intelligimus, qualis Roma olim fuit: quam cum imperio ſuo Euangelij vis & efficacitas perdomitura ab Iſaia prædicitur: & diſsipatis, & profligatis, ac de medio ſublatis, non ſolùm vanis cultibus & ſuperſtitionibus, verùm & cultoribus, & propugnatoribus fallaciæ & mendacij illius, quod eatenus valuerat.*

Et deſcendent vnicornes cum eis, & tauri cum potentibus: inebriabitur terra eorũ ſanguine, & humus eorum adipe pinguiũ.

SOCIOS, *colonos, conciues, adiutoresq́; omnes, qui Idumæorum vel doctrinæ & legibus, vel potentiæ fauerint, eodem crimine detentos, eodem pariter ſupplicio inuoluendos prædicit: ſiue ij Arabes, ſiue Turcæ, ſiue Pœni, ſiue quocumque ex genere & nomine fuerint, qui iſtorum partibus aduerſus Dominum, & aduerſus verum Chriſtum eius adhæreant. Demùm omnes ditionem, & vniuerſam factionem illam prorſus euertendam cum conſiliis, artibus, viribus, opibus, ac munitionibus; eamq́; vaſtationem iuſto Dei iudicio decretam & prædictam, perpetuam æternamq́; fore ait:*

Quia dies vltionis Domini, annus retributionis iudicij Sion.

PROVIDENTIAM *diuinam certis & oportuno tempore de impiorum, atque improborum factione repetitis pœnis non probari modo, ſed ſpectari etiam ſacra reſponſa docent. S. S. E. Exurge Domine in præcepto quod* Pſal. *mandaſti, & ſynagoga populorum circundabit te: & propter hanc in iudicium regredere, Dominus iudicat populos. Vt hactenus Sion, hoc eſt, vrbem illam electam vexari, & affligi iuſto iudicio Deus permiſit, ob non bene præſtitam & cultam diuinam legem: fiet rurſus, vt conuerſa vice vexentur, imò ad internecionem puniantur hoſtes, qui Sioni fuerant nimis iniurij. Hoc ſignificat oratio,* retributionum iudicij Sion, *quod non vnica iniuria, nec ab vnica tantùm gente affecti fuerant. retributionum iudicij multitudinis numero dixit: id verò non ex iracundiæ impetu, ſed ex contentione vero iure ſuſcepta. Namque inter vanitatem & veritatem contentio eſt, quam veritas euictura affirmatur: vltionem verò iniuriarum omnium Deum ſibi adſcribentem diuina lex inducit. Mea eſt vltio, &*

*ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum: iuxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora. Futurum ait. nihil enim à Deo in homines pœnarum & calamitatum proficiſcitur, quod certo ac puro iudicio decretum non ſit. Qualis autem, & quanta ſtrages, quanta calamitas, quanta iudicium illud conſecutura ſit vaſtitas, euentorum enumeratione indicatur.*

Conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur: & erit terra eius in picem ardentem. Nocte & die non extinguetur, in ſempiternum aſcendet fumus eius à generatione in generationem deſolabitur, in ſecula ſeculorum non erit tranſiens per eam.

MAXIMÆ *potentiæ, ſiue potiùs immaniſſimæ tyrannidis eorum, qui Edom ſequebantur parteis, atque adeò regiæ ipſius Boſræ exitum mera vanitate, inanitate, & vaſtatione definit Vates. Namque ignis Euangelici vis eiuſmodi eſt, vt nihil ab incendio excipiat eorum, quæ maxima priùs videbantur; præcipuè cùm in picem & ſulphur conuerſa fuerint, quæ igni & flammis materiam præbent apprimè oportunam. Ex tanto verò incendio, ſolum fumum relictum iri, eumq́ perpetuò duraturum: nam illius vanitatis gentium, quæ falſis doctrinis, religionibus, & ſuperſtitionibus omnia diuina & humana turbauerat, præter fabulas, hiſtoriam, narrationes, eáſque incertas, obſcuras & moleſtas, prorſuſq́ fumi inſtar habentes, poſt cognitam Euangelij veritatem nihil eſt reliquum: iſq́ fumus monumenti cauſa in ſempiternum aſcendet. Verùm aliàs omnis illa frequentia & potentia longè lateq́ diffuſa & culta, & deſerta euadet, ita vt, qui tranſeat per eam nemo homo ſit: quamobrem quod in habitatis anteà, pòſt verò deſertis & relictis, atque vaſtatis locis, & magnis vrbibus ſpectari ſolet, in hac etiam gente & factione, in hac vrbe munitiſſima & frequentiſſima quondam (namque hoc ſignificat nomen* BOTSRAH) *ſpectetur.*

Et poſſidebunt illam Onocrotalus & Ericius, & Ibis, & Coruus habitabunt in ea: & extendetur ſuper eam menſura, & redigetur ad nihilum, & perpendiculum in deſolationem.

CHALDÆVS *Paraphraſtes, qui longè antè Ieſu Chriſti natalem floruit, vaticinium hoc ad illam antiquam Romanorum potentiam cum ſua vanitate extinguendam refert. Namque illo Euangelij tempore totius terrarum orbis, atque adeò omnis gentium ſuperſtitioſæ vanitatis caput arxq́ erat. Hæc primùm regibus paruit, deinde conſulibus gubernata, poſtremò Cæſaribus ſubdita fuit; qui regio diſſimulato nomine, tyrannidem potiùs quàm monarchiam obtinuerunt: horum temporibus per alias gentes quamplurimas ita vaſtata fuit, vt maximam ſui partem ad nidos, foueas, antra, & ſpeluncas conceſſerit animantibus iis, quæ ab Iſaia nominantur: & quæ interpres noſter his quæ legimus indicat nominibus; animantium vitæ humanæ magis inuiſorum quàm vtilium, & quæ lugubri cantu mœſtitudinem præferunt.* KAAT, *quam Onocrotalum interpres noſter, alij Vpupam, alij Pelicanum, nonnulli Cuculum interpretantur, certè à vomitione ſortitæ,*

citæ, nomen eſt auis. Aliud vocabulum KIPHOD, à ſuccidendi verbo deductum, Ericius quibuſdam, ſiue Erinacius, nonnullis noctua eſt: nobis nihil æquè hoc nomine dignum videtur, atq; mus animal ad vaſtandum, ſi quod maximè effictum: verùm teſtudo aliis eſt, quòd affini vocabulo apud Arabes nominetur KENAPHAD. Bubones, ſiue noctuæ triſti & lamentabili voce notæ ſunt & in ruinis, atque ruinarum culminibus viſi ſolitæ, quæ à caligine nomen ſortiuntur. vt illud apud Poetam:

Solis & occaſum ſeruans de culmine ſummo
Nequiquam ſeros exercet Noctua cantus.

Coruus notiſsima ex cornicum genere, ſed maxima: quæ antiquum etiam apud Latinos retinet nomen; GHOREB, à Moſe vocata. Quis in Romanis ruinis hæc omnia genera non agnoſcit auium? mihi certè in Exquiliis apud D. Praxedin per annum integrum agenti, omnia hæc noctu atque interdiu etiam & viſa & audita, tum aliàs frequenter, tum apud Auream Neronis domum, atque in aquæductorum ciſternis ampliſsimis. Quæ tamen, præter ſuperbiæ diſiectæ argumentum, nihil hodie præſtant, & inanem antiqui imperij iactationem in opprobrium gentibus expoſitam, & indies imminutam, rebus omnibus antiquis, cum ſplendore ſuo mutatis. quæ, quàm ad viuum exprimat Vates, operæpretium audire eſt. Et extendetur ſuper eam menſura, non inſtaurationis cauſa, ſed vt redigatur ad nihilum. Nihil enim antiquæ maieſtatis in illa retineri & cõſeruari, præter inhabitabiles & horrendas ruinas, atque in dies magis dirui, manifeſtum eſt. Quippe & ad noua fabricanda ædificia, ſi quid vtilis adhuc materiæ terra conditum eſt, aſsiduis operis defoſſum eruitur. Denique Idumæorum ab Iſraele diſſentientium, rem ſplendoremq; omnem perditum atq; derelictum iri, hæc orationis figura ſignificat; quam, vti diximus, Ezechiel pluribus nationibus appellatis, Abdias verò idem cum Iſaia agens, indicarunt. Et perpendiculum in deſolationem. Abſolutam & integram dirutionem duo inducta nomina ſignificant, velut prouerbialiter vſurpata: muri namque, & ædificia omnia in altum & latum, ac longum conſtruuntur. altitudinem perpendiculo; longitudinem & latitudinem linea, ſiue regula adhibita regere & corrigere fabri ſolent. eadem ad diruendum vſurpata, nihil prorſus ac funditus relictum eſſe volent. Aptiſsima verò oratione hoc in primæua lingua ſignificatum eſt. KAV. TOHV. ABNE-BOHV, vt in eam inanitatem redigenda ſit res, quam terra, antequam à Deo informaretur, tenuiſſe dicitur. Terra, inquit Moſes, erat TOHV VABOHV, inanitas & Gen. c.
vacuitas. Qui ſupputandæ vacuitatis artem, quam Algebram dicunt, callent, ij facilè intelligunt iiſdem rationibus in non rem, quibus & in rem numeros & modos procedere; vt aliàs & nos docebimus, Deo votis annuente, oportuno loco, hoc eſt, in Salomonis ſcriptis. Atque huiuſmodi imminutionem Iſaias hoc in verſu reſpexit. Nomen BOTSRAH, numerum quinque mille ducentum & nonagintaduorum continet, quo ab orbis initio elapſis annis abſoluto, Romanorum imperium fractum ac diſſolutum iri ex veterum traditionibus, in ſtudioſorum ore erat: à quo deinceps tem-

*pore facies illa reip. atque imperij obſoleſcere cœpit, atque in aliam, quæ hodiéque eſt, mutari, optimatibus creandis & inſtituendis, nulli iam deinceps Regi, aut Imperatori relicto loco, aut nomine.*

Nobiles eius non erunt ibi: regem potiùs inuocabunt: & omnes principes eius erunt in nihilum.

Qvo *loco noſtra verſio habet:* Non erunt ibi, regem potiùs inuocabunt: & principes eius erunt nihil. *Eadem eſt Latinæ verſionis rectæ diſpunctæ ſententia. Nouimus regni & regis nomen à Tarquini Superbi temporibus, inuiſum prorſus Romano fuiſſe populo: ad Conſules, Tribunos atque Ædiles, rerum ſummam tranſlatam accepimus: qui magiſtratus vel ex Patriciorum gente deſignabantur, vel poſtquam functi muneribus fuerant ſuis, in patriciorum ordine deinde cenſebantur. Hos conſules, magiſtratusq́ ceteros, ſiue ex nobilibus creatos, ſiue ex plebe aſſumptos & nobilitatos, principes hîc dicuntur Latinè, in lingua ſancta* SARIM. *Quos Patricios illi nominabant, hoc loco* nobiles *Latinus interpres rectè vertit. Iſaias* HHORIM, *liberi, ingenui, nobiles: & quòd in his nullum regis, aut regni nomen eſſet, Vatis verba indicare apertè videtur.* Non ibi regnum vocabunt. *non ſolent, inquit, ibi regium nomen admittere: quamquam re vera tot pareant Regibus quot magiſtratibus. Nam nec Imperatoris, nec Cæſaris huiuſmodi titulum voluiſſe legimus: ídque magis inuidiæ metu, quàm ſplendoris odio repudiaſſe. Atque ſpecioſa, familiaria, gratioſaq́ cognomina vſurpantes, Cæſares, Imperatores, Conſules, iterum, tertiũ, quartum,* V. VI. VII. VIII. IX. X. *atque deinceps. ex annorum numero Trib. poteſtate Pontifices maximos, Patriaq́ patres audiiſſe; cuiuſmodi titulorum & nummiſmata, & literata marmora plena reperiuntur. Horum autem omnium ſimul cum dictaturis & magiſtratibus, poſt Euangelij præconia abolendos, vaticinia obnunciarunt. Latina lectio* Regem potiùs inuocabunt, *hanc ſententiam præfert: potiùs admittendum eſſe regium nomen, quàm illorum tot dominantium frequentiam conſeruandam. quod ad ab-*
Teren. And. *ſurdum ac deteſtabile deducere videtur: vt illud apud Comicum, Pauperem potiùs inueniet, quàm te corrumpi ſinat. Cùm verò regis nomen odioſum ſit prorſus, conſequitur nullo modo proceres, magiſtratus, ac principes illos fore conſeruandos.* Erunt in nihilum, APHEZZ, *defectio, deficient prorſus. Hinc tantæ hominum potentiæ & maieſtatis exitus prænunciatus, euentu iam confirmatus, & exploratus conſtat. Iam verò, quoniam his qui nomini ac famæ ſtudent, in ædificiis, molibus, palatiis, domibus, aliisq́ ſtatuendis, & ad poſteritatis memoriam dicandis monimentis, magna cura, multa opera, maximusq́ ſumptus ponitur; quo in genere & Græci, & Romani cumprimis clari illuſtresq́ eſſe elaborarunt, ſuum ſcilicet Babylonem in Italia & Græcia, nõ ſecùs atque antiquiſsimi illi homines in Sinaghar is terra condere ſtudentes, cuius & conſilij ac propoſiti tanto maior & inſignior obnũciatur infelicitas, quanto cœpti, ac propè cõfecti operis grauior, & latiùs protenſa ruina viſenda foret. Quæ enim ad miraculum vſque erectæ & conſtructæ fuerant moles, ad ſtuporem poſteà dirutæ ſpe-*

*ctandæ,*

*ctandæ ac monſtrandæ relictæ ſunt. Vbi enim illæ nunc Athenæ, vbi humanæ elegantiæ exemplar Corinthus; vbi Roma non in proprio tantùm ſolo, verùm & in alieno quacumque imperium prolatauerat, maximorum operum cùm priuatorum, tum publicorum locupletiſsima artifex: quæ nunc paucis ædibus exceptis, neque iis tamen cum antiquitate conferendis, non modò non marmorea, ſed ne lateritia quidem ſtat: quodq; præcipuum, & ingenio, arte, ac maxima impenſa quondam conſtructum habuit, id in quos & quales ceſſerit vſus, Vates noſter prænunciatum docet modò: nimirum,*

Et orientur in domibus eius ſpinæ & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius.

INTER *alia ornamenta quibus ampliſsima ædificia vſque ad votorum delitias inſtruebantur, horti erant animi cauſa comparati & conſiti: non tam arboribus & plantis ad vitæ vſum cultis, quàm vario & peregrino, ac ſterili arborum, fruticum ac herbarum genere. vt ille aiebat:*

*Nempe inter varias nutritur ſilua columnas.*

*& rurſus idem:*

*Iam pauca aratro iugera regiæ*
*Moles relinquent: vndiq; latius*
*Extenta viſentur Lucrino*
*Stagna lacu, Platanusq; cælebs*
*Euincet Vlmos. tum Violaria, &*
*Myrthus, & omnis copia narium*
*Spargent Oliuetis odorem,*
*Fertilibus Domino priori.*
*Tum Spiſſa ramis Laurea feruidos*
*Excludet ictus.*

*Omnia quæ deſitura, ac prorſus perdenda, horumq; loco infelices plantæ, & quæ ſponte in ruderibus naſcuntur, in ipſis maximarum domuum ruinis orituræ denunciantur: quarum plantarum non omnia genera, ſed formæ nonnullæ, ad quas cetera poſsint referri, commemorantur.* ſpinæ. *Carduorum genera omnia maximè ſpontè naſcentium, ac tribulorum nomen* ZZIRIM *complectitur, his proximè nocens adiungitur* KIMMOS, *quam Chaldæi & Arabes* KARZZOZ, *Latini vrticam vocant; in quo genere ſingulariter inſignis Romana eſt, floribus ac ſemine à communi admodum diuerſa.* & paliurus, HHVAH, *planta, cuius curuati aculei hamum imitantur, ipſa verò omnis iubæ faciem præbet; niſi quòd & frutex, & ſterilis eſt. Gaudet etiã ruinis ac ruderibus: atq; ita illud vſurpare vrbs iſta poterit:*

*Pro molli viola, pro purpureo Narciſſo*
*Carduus & ſpinis ſurgit Paliurus acutis.*

*Atque illorum hortorum amœnitas, huiuſmodi ſcilicet, futura prædicebatur: quæ tamen cultoribus atque incolis tantæ felicitati & vaſtationi idoneis habitanda eſſet.*

Et erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum. Et occurrent dæmonia, onocentaurus, & piloſus clamabunt alter ad alterum: ibi

ibi cubauit Lamia, & inuenit ſibi requiem. Ibi habuit foueam ericius, & enutriuit catulos, & circumfodit, & fouit in vmbra eius: ibi congregati ſunt milui, alter ad alterum.

MAGNAM *prioris faciei atque ſtatus conuerſionem mutationémque omnis deſcriptio hæc ſignificat; magnamq́ue vaſtitatem & ſolitudinem pro maxima celebritate portendit. Atque huiuſmodi deſertiones & vaſtitudines ſimilibus huic imaginibus ſignificare natura ac veritas docuit.*

*Nulla ſit hac potior ſententia: Phocæorum*
Hor. Epod. *Velut, profugit excecrata ciuitas.*
*Agros atque lares proprios habitandaq́ue fana*
*Apris relinquit & rapacibus lupis.*

*Ita fiet vt quæ hominibus alendis & pecori paſcendo felix antea fuerat, & opportuna, nunc ſerpentibus, & aliis feris, hominum generi inuiſis, tutam præbeat ſtationem, & ſecuram manſionem: vt imperterrita voce ſeſe ſingula horum genera ad ſuos gemitus & cantus, alia noctu, alia interdiu prouocent. Ego quidem turpes ac importunos vulpecularum latratus apud Diuæ Praxedis dum Romæ commoror, ſingulis noctibus audire ſoleo: præterea autem noctuarum & aſiorum, vlularumq́ue voces per tenebras excubātum.* Paſcua ſtruthionum, HHATSIR. IABNOTH. IAGHANA, *Cortilæ ſiliabus.* IAGHANA, *nomen eſt auis veſpertinæ, atque in deſertis locis gementis, magis quàm canentis. Hiſpanis Ganga; aliàs Ortega dictæ.* Dæmonia onocentaurus. TSIIM ETH IIM, *vtrumque animal rapax, vtrumque deſerti loci amans, ac ſibi mutuò rapinæ cauſa auxilio futurum. Nam quò alterum ſubire non poteſt, alterum per anguſtos cuniculos penetrans, latentem prædam vel extrahit, vel protrudit. Ex lingua obſeruatione, ac naturæ deſcriptione, idem eſt prius genus, quod Latinis viuerra, poſteriùs verò cattus, ſiue felis ſilueſtris; huron y gato montes, Hiſpanicè.* & occurrent dæmonia. SEGHIR, *Caprum ſignificat. quo nomine mali dæmones vocantur: idq́ue in lege vſurpatur vocabulum. Et nequaquam vltrà immolabant hoſtias ſuas dæmonibus, cum quibus fornicati ſunt. Ciuilis belli temporibus, & cùm iam corruere illa Romanorum antiqua gloria cæ-*
Virg. Georg. *perat, huiuſmodi ſpectra viſa legimus: atque monſtroſas formas dæmonum in obſcuris & horribilibus illis ruinarum antris conſpici, atque adeò à multis formidari peruulgatum eſt. Conqueruntur enim illi mali ſpiritus illis in locis, in quibus anteà culti fuerant, & adorati: Vario numinum, ac multiplici nomine.* Onocentaurus & piloſus. *Expolitio eſt ſuperioris membri: nam pro* SEGHIR, *capro, piloſus poſuit interpres. Huiuſmodi ſimulacra occurrent.* Ibi accubabit lamia. LILITH *à nocturno gemitu nomen habet.* Cuculum *veteres Hiſpanicè interpretati ſunt: quæ nullum proprium nidum habere dicitur, ſed alienos quærere: quorum poſtquam exorbuit oua, propria ſufficit aliis auibus excludenda & alenda.* & inueniet ſibi requiem. *In locis illis deſertis & nulla hominum frequentia ſolicitatis. Sunt qui Ericium, alij qui noctuam interpretantur: ex affinitate autem vocis teſtudo videtur eſſe; quam Arabes* KAMPHAD *vocant in exem-*

plarè

*plari lingua* KAKIPHOZ. *aliàs etiam* KIPHOD *vocatur, cui Chaldaica vox conuenit* KVPHDAH. *Hoc animal oua parit, quæ ſecreto & calido loco coacta, donec excludat halitu aſsiduo, fouet mirabili ingenio à natura dato, quæ in cubando commoditatem negauit. Atque hoc ſignificare videtur Iſaiæ oratio ex verbo expreſſa.* Ibi nidificauit KIPHOZ. & euaſa eſt, *id eſt, peperit, & rupit oua.* Et congregauit in vmbra eius, illic congregati ſunt milui. DAIOTH, *in auium genere, quibus veſci lex vetabat.* DAIAH, *inter rapaces ponitur. Et quamquam ex vna generis forma ceteræ arguantur omnes; tamen interdum vſu venit, vt ad certam ſpeciem referenda ſententia ſit. Hoc loco vulturis natura indicari videtur, quæ ſolitariis ac deſertis in locis nidum ponere ſolet in ſaxi cuiuſpiam, aut veteris ædificij magno foramine. Certè hoc Latinorum vulturis nomen interpres noſter pro* DAIAH *reddidit: cuius plurale eſt* DAIOTH. *Atque vaticinium hoc ex vero, ſimplici, certo, ac proprio Dei conſilio ac iudicio profectum fuiſſe, ipſo euentu ſingulariter ac ſigillatim omnibus partibus enumeratis, obſeruandum Iſaias monet. Neque enim oratio hæc deſcriptionis cuiuſpiam poetico ingenio concinnatæ imaginem refert, ſed rei veritatem: atque adeò exemplar viuum repræſentat, cuius fidem nemini hominum diminuere, vel ingenioſa, aut excogitata interpretatione torquere liceat, reclamantibus rebus ipſis in vaticinio citatis, & ſacroſanctam Dei prouidentiam, atq; vaticiniorum veritatem aſſerentibus.*

Requirite diligenter in libro Domini, & legite: vnum ex eis non defuit, alter alterum non quæſiuit. quia quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & ſpiritus eius ipſe congregauit ea.

QVIS *nam celeberrimam illam Idumæorum* Boſran, *vrbem gentium, multarum patriam ac dominam, ita perditum vaſtatumq; iri exiſtimaret, vt proxima hominum frequentia in tot animalium domicilia, antra, ac nidos deuenturam expectaret? & tamen diuini verbi oppoſito pignore, Vates futurum aſſeuerat, ſuo hoc loco oratione vſus, ſuamq; fidem liberatum iri confirmans; vtpote qui non ex ſententia, ſed ex mandato, oraculoq; Dei hæc propoſita obnunciauerit: atque ſermones hos ſuos, non ſua verùm diuina auctoritate conſtantes Domini librum appellat; ita etiam poſt ab Euangeliſta appellatum. Hæc, inquit, ſcripta ſunt in libro ſermonum Iſaiæ Prophetæ.* Requirite diligenter. *Hoc propriè ſignificat verbum* DARSV, *inquiſitionem videlicet & obſeruationem cùm verborum, tum rerum; & comparationem vtriuſque partis ſimul ad veritatis diuinæ fidem. quæ rectè ac diligenter obſeruantibus conſtabit firmiſsima, modò nulla diligentiæ pars in obſeruatore deſideretur. Cumprimis enim lectio animaduertenda eſt, atque cognoſcenda animalia, quæ certis appellantur nominibus: quamquam varij generis, ac diuerſis in locis viuere comperta; tamen in illius vrbis ac regni ruinas conuentura, ibidemq; manſura, mutuáque conſuetudine victura, efficiente Deo: cuius voluntate ac nutu perinde agenda ſunt, atq; olim ex diuerſis terrarum orbis regionibus, diluuij temporibus animantum genera omnia illam conuenere in arcam, quam Noahhus reliquiarum con-*

*ſeruandarum cauſa à Deo iuſſus, fabrefecerat. Ad hanc hiſtoriam alludit expoſitio illa,* Et ſpiritus eius ipſe congregauit ea. *Ita non pauciora, non plura concurrerint, quàm quæ occupando loco ſatis eſſe poßint, viuéntque ſimul, & ſua vnumquodque latibula occupata tenebit, ſine alterius generis detrimento, aut incōmodo: quia* Et ipſe miſit eis ſortem, & manus eius diuiſit eam illis in menſuram. *Cuius & prouidentia alentur: ita vt, quamquam numero & ſobole creſcant; non tamen inde propter eſcarum inopiam migrare cogantur. Nam qui tot hominibus indignis, atque à ſe abalienatis, victum antè ſuffecerat; ſolem ſuum oriri faciens ſuper bonos & malos, & pluens ſuper iuſtos & iniuſtos. Idem profectò animantibus iſtis, ſibi perpetuò obſecuturis, proficiet: ita vt numquam deſint opportuni pro cuiuſque vita cibi. S. S. E. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione: dante te illis, colligent: auertente te faciem tuam, omnia peribunt, & in puluerem ſuum redigentur. Ex quo eueniet vt Edom funditus, numquam aliàs deinceps reſtituendus, pereat: vtpote qui à Deo auerſus, vt auerſum experiretur Deum, fuerit commeritus. Animantes verò iſtæ ſemper durabunt, vt quæ, congregante Deo ſecutæ ſimplici obedientia, proſpicientem eum ſibi retineant.*

Vſque in æternum poſſidebunt eam, in generatione & generationem habitabunt in ea.

Hanc *vaticinij huius interpretationem ad hiſtoriæ obſeruationes relatam lectio indicat. Verùm enimuerò myſteriorum cognitione initiatis, aliam rem ſubindicat, longè præſtantem: nam quibus iam exploratum eſt, ſacra ſcripta, oraculáque omnia ita publicam rem tractare, & communem cauſam agere, vt tamen verè priuatam ac ſingularem, vniuſcuiuſque hominum reſpiciat: ij nimirum intelligent, quidnam in homine Iaacob, quid Iſrael ſit. & rurſus huic quoque viro fratrem ſuum Edomum infeſtum, & inſidias ſtruentem, atq; exitium moliri conatum agnoſcent: quem demùm ſola Dei virtute & efficientia, atque prouidentia, & miſericordia erga Iacobi ſalutem euerſum, ac funditus perditum iri certiores fient. Id quod iam diuinitùs factum, Apoſtoli prædicauerunt; & vt in ſe ipſo fiat, vnuſquiſque expectare & laborare, ac ſummis perpetuisq; precibus patrem luminum poſcere debet, apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicißitudinis obumbratio. Atque ſermonis huius hanc præcipuam eſſe interpretationem, Vates ipſe huic proximè ſubiuncto capite docet.*

## CAPVT XXXV.

LÆTABITVR deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.

Inimicis *populi Dei vaſtatis maximam populo ſancto diuinitùs præſtandam felicitatem hoc ſermone Vates præcinit: eamq; cùm ad corporis, tum ad animi ſanitatem, valetudinem, & firmitudinem: denique ad æternam vitam, orationemq; omnem tranſlationibus illuſtrat & perſequitur, à communi beatitate, quam in vitæ commoditatibus, atque animi bonis,*

*prin-*

*principumq́ gratia homines ponere conſueuerunt. Denique perſequitur illam terrenorum promiſſorum antiquis traditam rationem: in qua cæleſtia & ad ſpiritum pertinentia, velut in ænigmate continebantur. Dicendi initium ex euentu ſumit, hoc eſt, ex maxima & publica, tantam rerum mutationem conſecutura, lætitia: quæ non ſolùm animi interno gaudio, ſed corporis etiam geſtu & motu cognoſcetur. Appellatur autem populus antè afflictus, magnisq́ ærũnis affectus, & quaſi ſterileſcens,* Deſerta, inuia, & ſolitudo. *nam huiuſmodi facie Iſraelis regio ferè omnis erat, quo tempore Chriſtus Domini aduenit, Verbum illud æternum, vetera omnia deſtructurum, & noua repoſiturum planè cæleſtia. Sed hæc, vti diximus, ad veram animorum ſalutem & proſperitatem referenda ſunt.* Deſerta, *cultoribus ſuis terra & vrbs derelicta, eadem vbi Edom iudicatus fuerit, lætabitur animo, & exultabit externo riſu, atq́ geſtu lætitiam præferet: ac præ lætitia iuueneſcens, & geſtiens,* Florebit quaſi lilium. *quo nullum in omni florum genere lætius, gratius & pulchrius: nam neque Salomon in omni gloria ſua habuit, ſicut vnum ex iſtis. Atq́ vt omnis tranſlatio hæc à ruſtica & vrbana re ſumpta eſt: ita per ſpecierum partitionem porrò amplificatur. Telluris lætitiam, meſſium, & fructuum abundantia, & copia parit: decorem verò florum, & plantarum amœnitas præſtat, in quibus lilium primas habet. Vtramque autem partem per expoſitionem, & expolitionem dicendo aperit.*

Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans.

EODEM *hoc verſu, quæ in ſuperiore erant verba repetuntur,* Florens florebit, & exultabit exultans & canens. *Eſt enim expolitio per aſſeuerationem, quæ repetitis & conuerſis membris fit: vt animo ſimul & corpori lætitiam pariendam ſignificet. Namq́ vt homo animo conſtat & corpore: ita cùm vtraque beatur parte, felix creditur ac dicitur: & reſpub. non tantùm quòd iis commodis abundet, quæ ad vitam alendam faciunt, beata dicitur, niſi etiam legibus & moribus exornetur: atq́ horum præſide & curatore, eodemq́ tutore fortiſſimo, & patriæ patre gubernetur: vtraque verò parte populi Dei beatitatem expectandam deſcribit Iſaias; quòd ad vitæ opportunitates & commoda illud facit.*

Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron.

LIBANVS *natiua multarum plantarum vbertate & pulchritudine, ac felicitate perpetua montium omnium, quæ antiquis laudati ſunt, euaſit celebratiſſimus. Carmelus, præter genuinam fertilitatam, cumprimis cognitam, hominum labore & arte fuit cultiſſimus, hortis vinetisq́ conſitus, & omni ex parte vtilis. Saron autem, vt ex Paralipomenon libro accepimus, pecoribus armentisq́ alendis erat oportuniſſimus: atq́ ita omnis ruſtica felicitas & vbertas his ternis membris deſcribitur: ſiluarum & nemorum, cultorum agrorum, & pecuariæ rei alendæ opportuno tractu. Quidquid, inquit, in his generibus laudi eſſe poteſt, hoc in illam antè ſolitudinem concedet: ita fiet, vt nulli cedendum ſit. Nec tamen hoc ex natiua virtute, ſed ex Dei benignitate obtinebitur; qui ſe propitium, præſentem, & fauentem*

*huic reip. præbere, animiſq́; beandis inſinuare ac communicare vltrò voluerit. hoc eſt quod ſubiungitur:*

Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.

*Sanctificationem diuini nominis in ſanctificando populo ſuo, atque in communicando regno ſpectatam,* CABOD, *gloriam, magnificentiam, & amplitudinem Domini vocat Vates. Quam certè verè præſtandam poſcere, & orare, atque adeò omnibus votis impetrandam curare, Ieſus præceptor*
» *docuit. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas*
» *tua ſicut in cælo & in terra. Hæc eſt autem voluntas Dei, inquit Paulus,*
» *ſanctificatio veſtra: quam qui ex diuino beneficio conſecuti ſunt, dicere*
Ioan. 1. *gratulati ſolent: Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus*
» *gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis. Quod Iohannes gratiam & veritatem, id Vates hîc* decorem Dei noſtri *vocat. Quamobrem eos omnes, qui promiſſi diuini notitia & expectatione anteà viuebant, & qui poſteà in omni ætate eiuſdem conditionis fuerint. ad huius tanti beneficij fidem & ſpem animandos & erigendos, confirmandosq́; curat: quantumuis magno labore fatigatis, & inimicorum oneribus ac potẽtia oppreſſis ipſis, antè acceptã diuinitus ſalutẽ fuiſſe acciderit.*

Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Dicite puſillanimis, Confortamini, & nolite timere. ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis.

ORATIO *& monitio hæc ad Vates dirigitur, & ad eos qui Vatum officio docendo & admonendo funguntur: quos omnes diligenter & ſtudioſè in illud opus incumbere vult, vt optimi ac ſaluberrimi promiſſi diuini repetitione & commemoratione laborantes, feſſi, animóque deficientes, debiles omnes, afflictiq́; in fide firmentur, & certiſſimæ ſalutis à Deo afferendæ ſpe ad laborum patientiam, & diuinorum donorum expectationem animentur. Atq; ſermo hic omnis ex imagine ac tranſlatione ſumptus eſt, partim legibus, partim vſu recepta. Antiqua enim conſuetudinis eſt, vt viatores ſibi occurrentes, obuiámve facti, ſeſe mutuò ſalutent, iis verborum ac ſermonis formulis vſi, quæ pro vel operis ac laboris, vel pro temporis atq; horæ oportunitate grati, commodi, blandi, benigni eſſe, & ad fauorem tendere, pro linguarum & nationum vſu obſeruati ſunt. Non enim vna eademq́; ſalutationis formula apud omnes gẽtes aut olim vſurpata eſt, aut nunc obſeruatur: omnium tamen idem ſcopus eſt bene dicere, bene precari, beneq́; ominari alteri, & voluntatem indicare propriam, votumq́; de bono eius, qui ſalutatur, euentu, vel commodo. Atq; hoc vnum ſpectat Græcorum* χαῖρε, *Latinorum, aue; & Orientalium dialectorum linguarum ferè omnium communis, Pax tibi, pax tecum, pax ſuper te: quæ propter amplam vocabuli* SALOM *ſignificationem, ceterarum apparet aptiſſima. Siquidem* SALOM, *quacumque dialecto pronuncietur, ſiue* ESVLEMA, OSALEMA, *perfectionem, pacem, gratiam, atque, vt vno etiam Latino dicamus verbo, felicitatem plenam ſignificat. Antiqui verò & in legitima quoque recepti moris eſſe obſeruauimus, eos, qui labori operiq́; ruſtico incumbunt, ab iis,*

*ab iis, qui proximè prætereuntes iter agunt, amicis, & fauentis animi indicibus, verbis huiuſmodi ſalutari*, SALOM LECHAH, *vel*, SALOM GHALECHAH, *pax, perfectio, felicitas tibi, ſiue, ſuper te. quod Latinus ſermo fauere, vel, fauere linguis dicere ſolet: idq́; in ſacris præcipuè eſt vſitatiſſimum. Videtur enim is qui ita alterum amicis, & fauentibus alloquitur verbis, iuuare, animoq́; conſtanti eſſe iubere, & felicem exitum ominari. quod vel ex illo Iohannis monitu liquet: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis: qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Et in Scribarum institutis legimus, nulla ratione ſalutandos eos, qui Sabbathi feſto die ſeruile opus facere deprehenſi fuerint; etiamſi non ſint Iſraelitæ: niſi aliàs rex, aut princeps, aut potens vir quiſpiam exiſtat, à quo certum metuatur periculum. Ad hoc argumenti genus illa pertinent loca: Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem, & abundantia diligentibus te: & non dixerunt qui præteribant benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini. Atq́; hæc de ſalutationis iure & rationibus breuiter & commodè in hunc locum induximus: quod ad eam normam & formulam Iſaias, Vatum, Doctorũ, & Scribarũ officio & cura animatos eſſe velit eos, qui in huius mortalis vitæ laboribus durè agunt, vel graui pondere onuſti, viam ingrediuntur. Id quod à corporis & membrorum ad animi labores & ærumnas fatigationéſque; hoc eſt, ad peccati ſeruitutem, aſſiduaq́; penſa referendum nobis eſt: ad ea, inquam, de quibus Ieſus, hoc ipſo munere functus, dicebat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiã vos.*

[2. Ioan. " " " / Miſnaioth de Sabbatho / " " " / "]

Confortate manus diſſolutas. *Hoc ad eos pertinet, qui vel foſſione, vel aratione, vel alio manuum opere intenti laborant.* & genua debilia. *Qui faſcibus, aut ſarcinis, aut aliis ponderibus grauiùs onuſti, vadunt; primam in genubus laſſitudinem debilitationemq́; ſentiunt; atq́; ad hanc imaginem fertur pars hæc. Atq́; hi omnes corpore quidem ac membris durè & grauiter patiuntur: verùm illi longè magis exiſtimantur miſeri & afflicti, qui animo impatiente deſponſionem ad corporis ærumnam adiungunt. Hos autem non minùs adiuuandos, vocum prolixiore etiam ſermone, & exhortatione afficiendos, & impenſiùs animandos commendat Vates verbis huiuſmodi, quæ timido quoque mentem addere poſſint.* Dicite puſillanimes, *ſua in lingua*, LENIMHARELEB, *iis, qui trepidante corde ſunt, qui in labore auxilij tarditate animum deſpondent, & quaſi deſperati, vel labori ſuccumbere, vel iis qui ſeſe opprimunt, cedere properant.* Confortamini, *præſenti in labore*, & nolite timere *in poſterum*. ecce Deus veſter. ELOHECHEM, *Curator, patronus, gubernator, iudexq́; veſter: qui omnibus his rationibus ac nominibus conſulens*, vltionem adducet retributionis. *Vltio ſcelerum & iniuriarum eſt: retributio verò ad vtraque merita refertur, tam culparum, quàm officiorum ac virtutum. Certum, inquit, eſt illud, venturum adducturumq́; vltionem in hoſtium peccatis prorſus occidendis, & extinguendis; & in vos, niſi fideles, fortes in officio perſiſtatis. Retributionis verò præmiorum maximorum in eos qui perſeuerauerint*

*uerint vſque in fine. contrà autem pœnarum & ſuppliciorum in impro-
bos & infidos, ac deſertores. Neque verò hoc per Vatem quempiam, homi-
nem ſolummodo, ſed nec per Angelum, vt quondam Ægyptienſibus tem-
poribus, efficiendum eſſe ait Vates, verùm*

Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum,
& aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus,
& aperta erit lingua mutorum: quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ,
& torrentes in ſolitudine.

*Communem publicámque omnibus, piè ac fideliter ſpectantibus, ſalutem
à Deo per Chriſtum Filium afferendam, apertiùs iam, quàm antehac, Va-
tes nunciat: eamq; ſalutem animorum, atq; adeò totius hominis fore ſubin-
dicat: quam tamen externa quoque argumenta & ſigna manifeſta decla-
rent, & comprobent. Miraculis enim priùs indicanda fuit Filij Dei in
terris præſentia; tum verò deinceps manifeſtis ſanitatibus ac virtutibus,
intra hominum animos edendis, quæ eos, qui reciperent, ad teſtimonij præ-
„ conium inductos, dicere cogerent: Quod fuit ab initio, quod audiuimus,
„ quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contre-
„ ctauerunt de verbo vitæ. & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſta-
„ mur: & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & ap-
„ paruit nobis: quod vidimus, & audiuimus annuntiamus vobis. Huius vi-
tæ & ſalutis aduentum ac veritatem quæ conſecutura eſſent ſigna, indica-
uit Vates; futurum inquiens: Vt qui anteà in via morum ac vitæ claudi-
cabant, lentiſſimoq; incedebant gradu; poſthac deinceps & integris mem-
bris, & celeri ac vegeto ſpiritu, conſtantiq; impetu per plana, perq; ardua,
quæq; vitæ percurrant. Qui veluti noctuæ ad diuina myſteria cæcutiebant;
iidem perſpicaciſſimè ſecreta arcanaq; cæleſtia intueantur: qui nihil audi-
re, nihil diſcere volebant, quod ægros funeſto veterno leuaret, iidem liben-
tiſſimè, auidiſſimè diuina audiant verba: demùm qui nihil effabantur
quod virtutis rationem attineret, ſed ad honeſtiſſima quæque, velut muti,*
Signa æterna *erant. Linguis loquantur nouis magnalia Dei. Horum autem diuinorum
in hominum animis beneficiorum, quæ ex Dei ſalutaris præſcientia expe-
ctanda, Vates omnes vel apertè, vt Iſaias, vel ſignificanter præcinuerant,
ſigna quoque ad ſenſum & ad tactum ſpectanda & cognoſcenda prædicta
ſunt, vt videlicet vno atque altero, & pluribus etiam exemplis reſtitutio-
nis ac ſanitatis in humano corpore factis & ſpectatis, Dei inter homines
agentis, & hominum ſanantis animos probaretur auctoritas. Id quod fa-
ctum, & experimento comprobatum eſt, etiam diligenter & accuratè ve-*
Mat. 11. *ritatem inquirentibus teſtibus. S. S. E. Iohannes autem cùm audiſſet in
„ vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui
„ venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus, ait illis: Euntes,
„ renunciate Iohanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambu-
„ lant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euan-
„ gelizantur: & beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me. Quod ad
animorum ſanitatem pertinet, Chaldæus Paraphraſtes pulchrè & ſa-
pien-*

*pienter indicauit: Tunc aperientur oculi domus Iſrael, qui nunc ſunt veluti cæci in lege, & aures eorum qui vt ſurdi ſunt ad recipienda dicta Prophetarum, aperientur. Et tunc in reductione captiuitatis Iſrael, qui congregantur, & aſcendunt in terram ſuam, ecce vt cerui celeres [erunt] & non impedietur, aut tardabit laudando lingua eorum, quæ fuit blæſa. Atque hæc externa ſigna & argumenta obſeruata & comprobata Deus voluit ad cognoſcendum tempus illud efficaciſſimi aduentus eiuſdem.*

Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine. Et quę erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum.

*Ieroſolymam vrbem illam in Iebuſæorum regione quondam ſtructam, aquæ natiuæ penuria laboraſſe, & ex ciſternis effoſſis bibiſſe nouimus: quamquam poſt Dauidis ætatem à nonnullis Iudæ regibus deductis, aliundè per tubos aquis aucta fuerit. Cùm verò huiuſmodi natiua ſiccitas numquam mutata, & correcta fuerit, fit vt promiſſa hæc non propriè ad illam veterem vrbem, ſed ad nouam, ſanctam, à Deo conſtruendam referantur; quam hominis naturam interpretamur, ad Dei habitationem templúmque atque regnum comparandam: hæc enim cùm ante Dei aduentum antiqua ariditate & ſiccitate, veræque ſapientiæ & virtutis egeſtate laboraſſet, infeliciſſimam fertilitatem mutata demùm fuit, ex efficientia Dei aquæ in vitam æternam ſalientis fontibus, & riuis inſtructa, & irrigata: cuius imaginem quondam petra illa repræſentauerat, quam à Moſe percuſſam, abundanti & perpetuo riuo manare verbum Dei iuſſit. Aquarum verò nomine virtutum omnium affluentem copiam, arcanè ſignificare, in ſacro* Lib. Ioſeph. *oſtendebamus apparatu. Vox illa* quia, *ex primæuæ linguæ frequentiſſimo exemplo non rationem, ſiue cauſam tantùm, ſed temporis quoque notationem, & obſeruandam animaduerſionem affert; idémque ſignificat quòd apud nos quando, vel, quandoquidē huius aquæ defectu, cùm omnia areſcerent membra, nulla ſuū officium rectè faciebantque, correcto, & in illā beatitatē conuerſo, promiſſa ægrotorū & ægrotantiū, atque aliàs laborantiū ſanitas allata eſt. Id quod ad humanam animam in iuſtitiæ ſitientem referri oportere, ſubiuncto docemur verſu.* Et quæ erat arida, erit in ſtagnum, *&c. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Huius argumenti illud Pſaltis carmen eſſe intellleximus: Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Pſal. 84. *Magnam verò humanarum rerum conuerſionem atque in melius mutationem, felicitatiſque magnæ exempla in hanc, quam indicat ciuitate & regione viſendam per Spiritum ſanctum Vates pollicetur: idque tranſlatione, quam ob agris & ſolo, atque cælo ſumpſit perpetuò deducta, cùm nulla ad ſignificandam humani generis naturam aptior ſit, & concinnior videatur, ſi ad vtriuſque rei nomina dirigenda ſit oratio, hoc eſt, ad terram* ADANAH *dictam, & ad hominem* ADAM, *à Deo vocatum.*

In cubilibus in quibus dracones priùs habitabant, orietur viror calami & iunci.

*Draconum & ſerpentum, huiuſmodique venatarum ferarum frequen-*

*tia, terræ in qua gignuntur ariditatem, & ſiccitatem arguit: cuius rei argumento Africa eſt, nocentium & maleficorum ſerpentium generibus quamplurimis refertiſſima, eadémque vltrà aliarum terrarum exemplum, arida & æſtuans.*

Verg Georg. 2.

*Et tophus ſcaber, & nigris exeſa colubris*
*Creta. negant alios æquè ſerpentibus agros*
*Dulcem ferre cibum, aut curuas præbere latebras.*
*Quæ tenuem exhalat nebulam, fumosq́; volucres,*
*Et bibit humorem, & cùm vult ex ſeipſa remittit;*
*Quæq; ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit,*
*Nec ſcabie & ſalſa lædit rubigine ferrum,*
*Illa tibi lætis intexet vitibus vlmos:*
*Illa ferax oleæ eſt, illam experiere colendo*
*Et facilem pecori, & patientem vomeris vnci.*

Viror calami & iunci. *Quæ plantæ eò in loco vbi ſpontè naſcuntur, & conſeruantur, perpetui humoris indicio certo ſunt. Tantam verò mutationem & locorum ac terræ amœnitatem, & aquarum copiam, ingentē etiam hominum celebritatem, & hoſpitum viatorumq́; frequentiā conſecuturam, prænunciatur; ita vt viarum inſtauratione aut munitione opus fuerit.*

Et erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur: non tranſibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa, ita vt ſtulti non errent per eam.

MAGNAM *illam & horribilem vaſtitatem & ſolitudinem in magnam hominum piorum & ſanctorum frequentiam conuerſum iri prædicat: eiúſque rei cauſa viam, quæ nulla anteà, vel obſcura, & incerta erat, apertum & munitum, ſtratumq́; iri ait.* Semita, MEZZILVL, *viam ſilice ſtratam ſignificat, quales quondam in exercitus vſum confectas & munitas nouimus, eaſdémque militares dictas, aliàs etiam ſacras & celebres. Viarum autem defectus, vel corruptio, vel deformitas, vaſtitatem & ſolitudinem arguit: S.S.E. Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui veniant ad* (Thr. 1.)
„ *ſolemnitatem. contrà verò, munitio, ſtratio, & correctio viarum, celebritatem. vt, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. id eſt, ſtrata eius.* (Iſaix 40.)
„ *Omnis mons & collis humiliabitur, & omnis vallis implebitur: & erunt*
„ *praua in directa, & aſpera in vias planas: & videbit omnis caro pariter*
„ *ſalutare Dei noſtri. Quæcumque hoc modo inſtruitur via, aperta, ſimplex, & directa dicitur; qua nemo homo inſiſtens, quantumuis hoſpes, quantumuis etiam ſit rudis & imperitus, fallere poteſt: namque de viarum ſternendarum vſu & more plura aliàs. Nunc hæc ſatis dicta, ad præſentem viæ ſacræ rationem explicandam: quam propter celebritatis ſanctitudinem, atque diuinam Regis maieſtatem, ſacræ ſanctæ nomen obtinebit, quam nemo impurus ex more & lege inſiſtere poſſit.* Non tranſibit per eam pollutus. *Ad antiquos ritus refertur oratio, quos magnificationis myſterio plenos nouimus. Hoc autem aperire iam phas fuerit; atque hanc viam ſacram, per quam in ſancta tendendū eſt, veram, ſolidā, & efficacem pœnitentiam vocare:*

*vocare: quæ iis, qui credunt, vitiorum repudiatione ac fuga, & diuinæ legis obſeruatione & exercitatione definitur.* Et hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam. *Nam quidquid ab hac diuertitur via, quamquam compendij nomine commendetur, quamquam ingenioſa arte inſtruatur, & magnificis laudetur verbis, vel in errores inducit, vel incerta ac denſæ perplexitate finitur: quod vt corrigatur, curam, ingenium, & ſtudium requirit. Hactenus de mutatione rerum, de commoditate & opportunitate creanda; cui etiam ſecuritatem adiunctam oportuit.*

Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam, nec inuenietur ibi: & ambulabunt qui liberati fuerint.

FERÆ *aut certis locis naturæ ſuæ conſeruandæ idoneis agere & verſari ſolent; aut aliundè etiam prædæ inueniendæ cauſa excurrere: vtroq; modo iter agentibus inſidiatæ, periculum creant: quamobrem viæ non rarò deſeruntur. à quo metu illam diuinæ legis obſeruandæ viam fore liberam pollicetur Vates.* Leo, & mala beſtia. *rapacium ferarum & ſerpentum maleficum omne genus duobus his vocabulis excepit: quæ nec aliundè aſcendēt, nec ibidem verſabuntur, aut latebunt. Nullum enim latrocinium, nullam vim, nullam fraudem: diuina, ſimplex, & pura lex admittit, nullo pacto quemquam cuiquam nocere permittit, ſed puram ſe, & rectam, ac ſimplicem & exerceri, & frequentari poſtulat ab iis qui felicitatem veram, id eſt, diuinam benignitatem obtinere ſtudent: qui, vbi ſe liberatos à Domino intellexerint, obtinendæ, ſibiq; conciliandæ ſalutis ſtudio illam inſiſtentes viā pergent; & perſeuerantes vſq; in finem, id quod ſummopere expetiuere ex Dei liberalitate, gratia, & miſericordia, & veritate aſſequentur.*

Et redempti à Domino, conuertentur, & venient in Sion cum laude; & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

ÆTERNA *illa ſpiritus felicitas qua verè pij & fideles homines ex diuino beneficio fruuntur, nominibus ac verbis iis deſcribi ſolet, quæ audienti animo fauſtiſsima, gratioſiſsima, & ſuauiſsima cenſentur. Cùm tamen, quamquam hæc nondum plenam illius boni imaginem poſsint exprimere, tamen poſſunt ad amorem & ſtudium allicere, longè maiora & auguſtiora experturos, quàm quæ promiſsis auditis, animo conceperant. Fructus autem Spiritus eſt caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. aduerſus huiuſmodi non eſt lex.* Gal. 5. *Quamobrem præteritorum malorum, quibus legis diuinæ vel ignoratio, vel violatio homines afficiebat, præſentium bonorū efficientia in obliuionem iam ſepultorum* fugiet dolor & gemitus. *Significat præterea hoc loco Vates liberationem hanc integram, plenam, & præter ceteras præſtantiſsimam, eandemq; perpetuam fore: ídque ex auctoritatis ac modi comparatione indicata docet: quippe cùm ceteræ omnes, quamquam Dei conſilio & iuſſu, atque numine, & gratia factæ; tamen per hominum opera expeditæ atque editæ ſunt, vt Ægyptiaca per Moſen, Babylonica per Cyrum, Perſen, Zorobabele duce. Hanc verò per Deum ipſum, Deique*

*Filium*

*Filium verum efficiendam, & antè ſignificarat: Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. & nunc etiam demum confirmauit illis verbis:* Et redempti à Domino conuertantur. *Inde verò lætitiam ortam, non ad tempus, vt in aliis liberationibus, verùm, perpetuam, æternamq́ fore promittit. Hoc eſt quod ait:* Et lætitia ſempiterna ſuper capita eorũ. *Id quod nec in priore illa à Salomone exſtructa æde; nec in poſteriore à Iudæis reſtituta contigit, demùm in illa poſtrema ab aliis ſignificata Vatibus ab Ezechiele diligenter deſcripta, abundè conſtabit. Quòd verò animorum exhilaratio triplici nomine deſcripta & repetita hoc loco fuerit; non modò magnitudinem & copiam, ſed præſtantiam & excellentiam, atq; etiam perpetuitatem gaudij ſignificatã intelligimus. Vſurpantur enim voces illæ in exemplari* RINAH. SASON, & SIMHHAH. *Interpres noſter hoc loco reddit laudem, gaudium*

Iob 3. 1 Reg 8.21 2 Paral.6. Pſal 7. Pſal 5. *& lætitiam. Eſt autem* RIHAH *laus, cum cantico dicta: quam aliàs Latinus hymnum, ſonitum, orationem, deprecationem. namq; omnia hæc idem ſignificatum oſtendere videntur: ita tamen, vt cum cantico & celebritate fiant. Atque primum hoc verbum celebritatem Salomonici templi indicat; quippe quod ab eodem, templũ dedicante, vſurpatũ legimus.*

2 Reg. 8. *Audi* RINAH *& orationem quam ſeruus tuus orat coram te hodie. Secundum verbum*

Eſdr. 3. SAMHHAH, *in Lætitiam plerumque Latinus vertit; quod in ſecũdi templi dedicatione frequens ſæpiùs obſeruatur: Et multi vociferantes in lætitia eleuabant vocem. Nec poterat quiſquam cognoſcere vocem clamoris lætantium.*

Eſd. 6. *Et fecerunt ſolemnitatem Azymorum multis diebus in lætitia, quoniam lætificauerat eos Dominus, & conuerterat cor regis Aſſur ad eos, vt adiuuaret manus eorum in opere domus Domini Dei Iſrael. At verò in vtroque templo, priore & poſteriore, nulla vocabuli* SASON *mentio fit: quod cùm primùm interpres Latinus legit, miram exultationem, in-*

Eſd. 8. *terpretatus eſt. vt, Omnis ciuitas exultauit, atq; lætata eſt. Iudæis autẽ noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium. Apud omnes populos & prouincias, quocumque regis præcepta veniebant, mira exultatio, epulæ atq; cõuiuia, & feſtus dies: ita vt publica lætitia, ratio, & magnitudo ſummaq; omnis, vocabulo* SASON, *contineri videatur. Igitur in templo illo tertio quod à Deo inſtruendum, ſibiq́ ſacrandum hoc loco Iſaias inſinuat, non ſolùm duorum aliorum, quæ dirutæ fuerant ædium celebritates inſtaurandas ſuis nominibus* RINAH & SIMHHAH, *ſed ſummam & miram exultationem addendam, eamq́ perpetuam expertem doloris ac metus.*

ARGV-

i20191169

167

BENEDIC.
Ariæ
Montani.
Commentaria
in Isaiæ

48